SC 24.19.7.

37
35 B
18

ARA 1833

Digitized by Google

TITI LIVII
PATAVINI
HISTORIARUM
TOMUS VI. ET ULTIMUS.
Continens
JOANNIS FREINSHEMII
SUPPLEMENTA LIVIANA
A LIBRO CIX. AD CXL.
Totiusque operis Indices copiosissimos.

JOANNES DOUJATIUS
EDIDIT JUSSU CHRISTIANISSIMI
REGIS,
IN USUM SERENISSIMI
DELPHINI.



VENETIIS, M DCC XV.
Apud CAROLUM BONARRIGUM.
SUPERIORUM PERMISSU.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CIX. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CAUSSÆ civilium armorum & initia referuntur, contentioneſque de ſucceſſore C. Cæſari mittendo; quum ſe dimiſſurum exercitus negaret, niſi & à Pompejo dimitterentur: Et C. Curionis Tribuni plebis primum adverſus Cæſarem, dein pro Cæſare actiones continet. Quum Senatuſconſultum factum eſſet; ut ſucceſſor Cæſari mitteretur, M. Antonio, & Q. Caſſio Tribunis plebis, quoniam interceſſionibus id Senatuſconſultum impediebant, urbe pulſis; mandatum ab Senatu Conſulibus, & Cn. Pompeio ut viderent, ne quid Reſpublica detrimenti caperet, C. Cæſar bello inimico perſecuturus, cum exercitu in Italiam venit: Corfinium cum L. Domitio, & L. Lentulo cepit, eoſque dimiſit. Cn. Pompeium, cæteroſque partium ejus, Italia expulit.

QUUM inter hæc novi Tribuni plebis iniſſent, C. Curio ſtatim in principio acceptæ poteſtatis ferventiſſime concionari inſtituit; quaſi Reipublicæ cura & amore tangeretur. Sed ille C. Cæſarem non aliam ob cauſſam oderat, quàm quia contemptus erat ab homine, qui ſervulos etiam libertoſque potentium paulo gratioſiores, qualibet impenſa ſolebat adjungere. Id acrius urebat adoleſcentem; & quod voluptatibus atque libidinibus, & comparandis quorumlibet ſtudiis effuſo patrimonio, magnum æs alienum contraxerat. Nam ſeſtertium ſexcenties aliquando debuiſſe legitur. *Curio Cæſari adverſus. Diodorus. Liv. Epitom. Cic. Famil 8. 4.*

II. Idcirco Cæſar neceſſitate ac ingenio hominis cognito, vænalem linguam, ne ſibi noceret, omnino redimendam ratus, æs alienum ejus omne diſſolvit; eoque tranſduxit ingenium nequam, ut ſimulatione pro Republica, contra Pompejum & Cæſarem, ſed revera pro Cæſare ſtaret. Hac re perfecta Conſulibus L. Æmilio M. F. Paullo, C. Claudio C. F. Marcello eaſdem machinas admovit. Sed Marcello quidem firma adverſus pecuniam conſtitit integritas: Paulus hactenus flexus, ut adverſari deſineret, acceptam mercedem, ſeptuagies quinquies ſeſtertium, Baſilicæ ſuæ impendit, quam poſt anni ſequentis incendium, juxta Forum extruxit, quo loco prius Fulvia ſteterat. quaſi perituram timeret peſſimi facinoris memoriam, niſi admirandi operis dedicatione conſecraretur. *Magna pecunia placatur. Sueton. Cæſar cap. 29 a. Urb. cond. an. 703. Itemque Conſul Paulus. Diodorus. Val. Maxim. 9. 1. 6.*

III. His Conſulibus lana pluit circa caſtellum Coſſanum, ubi loci non multo poſt occiſus eſt Milo. mula pariens, bonorum interitum, mutationem legum, turpes matronarum partus ſignificaſſe credita eſt: ſed non erat prodigiis opus, quum pericula & libertatis interitus, jam oculis hominum obverſarentur. Quotidianæ enim de ſucceſſione Cæſaris contentiones erant: quum adverſus Pompeii potentiſſimam factionem, ille haud minore robore reſiſteret: neque plus illi proderant qui amicitiam profitebantur, quam qui ſimulabant odium. Cujus rei ſum- *Contentiones quotidianæ de ſucceſſione Cæſaris. Lucanus 1. 270. Sueton. Cæſar. 29 a. Appianus. lib. 2. Civil.*

Errores in anno conſtituendo.

mus artifex Curio, minabatur in ſpeciem Cæſari, conſilia communicabat cum Pompejanis: ut & illorum perdiſceret intimos ſenſus, & donec animum nudare opportunum videretur, plus ex occulto noceret.

Curionis artes. Plutarch. in Cæſ. cap. 43. Plin. lib. 15. c. 20. Jul. Obſeq.

IV. Maximum hominis vaframentum in eo erat, ut multis ſed inanibus effuſis in Cæſarem dictis, ſenſim ad ea quæ Pompejum & optimates offenſura erant, progrederetur. tamquam neutrarum partium, & libertatis cuſtodiam cuivis gratiæ anteponens. Nec eo animo iſta proponebat, ut decretum iri ſperaret, aut omnino cuperet decerni: ſed his negatis anſa dabatur ei, & quæ contra Cæſarem parabantur, citra ſuſpicionem impediendi. Igitur his contentionibus quum temporis permultum eſſet conſumptum, indigne ſe id ferre ſimulans: ut intercalaretur poſtulare cœpit, tamquam ſpatio indigens ad perferenda quæ vellet.

Intercalandi ratio. Liv. Epitom.

V. Erat autem intercalandi apud Romanos, ex magno veterum errore in anno conſtituendo orta neceſſitas: deinde ex ambitione aut ignorantia Sacerdotum, quibus ea commiſſa cura fuerat, mirabilis confuſio: Quum enim ad Lunæ curſum inſtitutus à Numa Pompilio annus eſſet; cito apparuit legibus univerſi hunc ordinem non congruere: futurumque ut quibus menſibus bruma fuiſſet; iiſdem poſt annos haud plurimos meſſis erat futura. Igitur dies qui ad Solarem annum deerant, inſeri conſtituto jam anno oportuit.

Et ritus. Cic. Famil. 8. 8. Macrob. Saturna. 1. 15. Varro de ling. Lat. lib. 5. Macrob.

VI. Hæc inſertio *Intercalatio* appellabatur, ex eo quod nova Luna Pontifex calata, hoc eſt, vocata, in Capitolium plebe, quot numero dies ad nonas ſuperelſent, indicebat. unde etiam dies qui primus calabatur, *Kalendarum* nomen tecinuit. & quoniam aliorum menſium quintanæ ſunt nonæ, aliorum ſeptimanæ; calabatur cum hoc diſcrimine, ut pro ratione menſis, aut *dies te quinque calo Juno novella*, aut *ſeptem dies te calo Juno novella*, pronunciaretur. Cæterum non ſingulis annis, ſed per octennia moris erat intercalari. eaque ipſa res quando que propter ſuperſtitionem omiſſa erat: nonnunquam vero intempeſtive uſurpata, quum publicanorum cupiditati quidam Pontifices gratificati, productiorem aut breviorem annum ex illorum commodo facerent.

Curio palam pro Cæſare loquitur. Cic. Famil. 8. 4. Diodorus. Cæſ.

VII. Non alio autem menſe, quam Februario intercalari fas erat, Terminalibus jam peractis. Id eo quoque anno fieri Curio quum poſtularet, non ignorans alienum eſſe, nam & ipſe erat eo Sacerdotio præditus; cæteri Pontifices reclamabant. Igitur quum obtineri non poſſet de Intercalatione, neque etiam hoc volebat; quaſi per iram, ne cæterarum quidem rerum quidquam agi paſſus eſt. Mox apertius pro Cæſare loqui cœpit, & quo agitaret Optimates, multas jactare leges: non quod perferri poſſe ſperaret; ſed obtentui habiturus ad interceſſiones quas parabat. *Alimentariam* in primis, qua *numerus* definiebatur *vehiculorum & comitum iter facientibus*, prætextu, opinor, Clodianæ necis, aliaque *de muniendis ſternendiſque viis continebantur*; *utque ea curatio ſoli in quinquennium daretur*, ferebat.

Referetur de ſucceſſione Cæſaris a Cicerone lege Agr. 2. 8.

VIII. Atqui hoc caput contra Liciniam Æbutiamque leges pugnare non ignorabat, ideoque Rullum Agrariæ legis auctorem, quum ſimilia peteret, vehementer exagitatum fuiſſe: ſed conſulto promulgabat, quod à Pompejanis reprehenſum, juſtam ſibi cauſſam iſtis partibus iraſcendi dediſſe videretur. Quum inter hæc Kalendæ Martiæ veniſſent, quibus ex Senatuſconſulto referri de ſucceſſione Cæſaris oportebat, Cujuſque Marcellus ea de re verba feciſſet; pleriſque adſentien-

tibus collega Marcelli Paullus fuit: Curio laudato Marcelli animo, *addendum* monebat, *ut pariter Pompejus provincias & exercitus suos dimitteret*.

IX. Sciebat hoc minime facturum Pompejum Curio: sed prætextum quærebat, per quem Cæsar quæ habebat, excusatius retineret. Igitur *iniquam rem postulare Curionem* Patres dicebant, Scipio præsertim, qui & nuper sententiam dixerat, *ne quid conjunctim referretur: quod tempus imperii Pompejo nondum exierat*. Contra Curio *summam Rempublicam agi* vociferabatur: *neque aut pacem aut libertatem in tuto fore, nisi aut ambo deponerent imperium, aut ambo retinerent. Nam & ab inermibus nihil periculi, & si uterque habeat exercitum, contra alterius cupiditates, in altero præsidium fore*. Curio tendit & Pompeio succedi debere. Appianus: lib. 2 Civil. Cic. Famil 8. 8.13.8.9.

X. Hæc in speciem tam honesta populo mire probabantur, cui alioquin ob legem ambitus, qua largitiones accisæ fuerant, cœperat Pompejus esse vilior. Sed apud cæteros mortales auctoritas ejus & fama longe erat maxima, idque hoc tempore apparuit, quum Campaniam obiens, Neapoli graviter ægrotare cœpisset. Tum enim auctore Praxagora, Neapolitani pro salute ejus publice vota suscoperunt, qui ante eum honor nemini Romano contigerat: & hoc exemplum, aliis amore, multis per simulationem paria facientibus, universa imitata Italia est. Deinde postquam convaluit, inaudita passim lætitia & gratulatio orta, coronati Neapolitani, coronati Puteolani, feriæ ubivis per multos dies fuerunt. Pro Pompeio ægrotante vota concipiuntur per Italiam. Diodorus. Plutarch. Pompeio. cap. 56.

XI. Quocumque adisset, infinita multitudo procedebat obviam: vici portusque sacrificantium epulantiumque agminibus complebantur: excipiebatur cum facibus, in deducendo floribus spargebatur. Atque ea res mirifice inflavit Pompejum, ut jam valde inciperet contemnere Cæsarem, minusque se pararet ad tam grave certamen. Præmisit tamen ad Senatum literas, & Cæsaris honorifica facta mentione, adsuarum rerum enumerationem transiit: quas ab initio ad ea usque tempora gessisset. Pompeii litteræ ad Senatu Velleius. 48.2. Cicero. Tusculan. 2. 35. Juvenal. 10. 283.

XII. *Neque se adfectasse nimios honores: sed tertium Consulatum, exercitumque & provincias ultro delatas, quo præsidium constituendæ Reipublicæ haberet, accepisse. Nunc autem, quæ ingesta recusanti essent, volenti se reddere repetentibus, licet nondum exactum imperii tempus haberet*. Hoc eo pertinebat, ut & suam modestiam commendaret, & invidiam faceret Cæsari, qui ne finito quidem imperio decederet. Mox ad Urbem quum venisset, in eamdem sententiam loquutus; *idem etiam placere Cæsari* adfirmabat; *post tot exantlatos pro Republica labores, victoriarum suarum præmiis in Urbano otio, honoribusque & sacerdotiis frui desideranti*. Fingit exercitus & provincias redditurum. Cic ad Attic. 8.15.9 4. Plutarch.

XIII. Sed astutiam ejus Curio coarguit, *siquidem eo esset animo, statim deponere potestatem* jubens: *neque hoc agere, ut ipso retinente imperium, Cæsari successor mittatur*: postremo aperte invectus in Pompeii cupiditatem; *nisi nunc metu Cæsaris cogatur in ordinem, nunquam deinde abiturum imperio* dictitabat. *Idcirco sibi placere decerni, uti ambo simul accipiant successores: utique, nisi voluntati Senatus paruerint, hostes judicentur; legionesque scribantur ad bellum*. Hac sententia maxime texit fraudem, ut æqualiter animatus in utrumque, neque emptus à Cæsare crederetur. At Pompejus supra modum irritatus, cum multis in Curionem minis, ad suburbana prædia se recepit. Sed astutiam ejus detegit Curio. Diodorus. Appianus.

XIV. Senatus jam utrumque suspectum habere cœperat: modestiorem ta- Et ne quid contra Cæsarem decernatur, Senatum dimittit.

Hirtius de bello Gall. 8. 54. Diod. lib. 40.

men Pompejum judicabat, & quam eſſet contemptim à Cæſare Conſule habitus, recordabatur. Igitur multi ea in ſententia erant, *non ante dimittendos à Pompejo exercitus, quam Cæſar provincia deceſſiſſet;* cujus abſentiam & ſpiritus minus civiles vehementius perhorreſcebant. Adverſus hos quum pugnando nihil efficere Curio poſſet, ne quid forte contra Cæſarem decerneretur, pro Tribunitia poteſtate Senatum dimiſit. Tum primum ſerio doluiſſe Pompejum ferunt, quod eam poteſtatem à Sulla propemodum abolitam, reſtituendi auctor fuiſſet.

Duæ legiones abducuntur à Cæſare; Hirtius.

XV. Nihil igitur decretum, niſi *ſingulas legiones à Cæſare & Pompejo in Syriam ad Bibulum mitti propter Parthicum bellum amplioribus copiis egentem.* Non fallebat Cæſarem hoc ab inimicis agi, ut duabus ipſe legionibus ſpoliaretur. quippe Pompejus, quam poſt Titurii cladem miſerat, tamquam ex ſuo numero dabat. Tamen & hanc remiſit incontanter, & ex ſuis quintam decimam, quam in Gallia citeriore habuerat. militibus ducenos quinquagenos denarios dono dedit. Hos qui adduxerant, dolo an ſtultitia incertum, mire deprimebant Cæſarem, *nihil eo apud exercitum odioſius eſſe, cunctis finem laborum, conſpectum patriæ, & ab diuturna dominatione libertatem & otium reſpicientibus: neque dubitare, tranſituros ad Pompejum univerſos, ſimul atque reducti in Italiam forent.*

Hirtius. Plutarch. Catone c. 44. Appian.

Parthi recedunt. Cic. Famil. 2. 17 Dicdorus; Sueton. Cæſar 30. 6.

XVI. Id quoque negligentiorem effecit Pompejum cuncta ſibi, ſimul annuiſſet, proclivia fore exiſtimantem. Legiones, quia Parthi receſſiſſe nunciabantur, retentæ nihilominus in Italia, Capuæ hiemarunt. Namque Bibulus provinciæ ſuæ pacem, conflato inter Parthos civili bello procuraverat. Ornodapantes Satrapa, infeſtus Regi Orodi, ut receptum apud Romanos haberet, cum Bibulo amicitiam inſtituerat. Hunc igitur crebris nunciis impulit, ut Pacoro Rege conſtituto, bellum Orodi faceret. At Cæſar neque lubenter poſiturus imperium, cui tam diu adſueverat, & ſi deponeret, in poteſtate futurus inimicorum: omnes rationes ſuas ita parabat; ut ſi volentibus obtinere quod cupiebat nequiret, vel invitis omnibus adſequeretur.

Cæſaris artes ad retinendâ potentiæ vim. Diodorus. Sueton. Cæſar. 26. 4. Plin. 86. 17. 7.

XVII. Igitur jam à multo tempore nihil quod aut ad gratiam hominum parandam, aut ad opes ſuas ſtabiliendas pertineret prætermiſerat. Forum inchoaverat de manubiis, ſolo tantum ſeſtertiûm millies empto; munus populo epulumque pronunciarat in filiæ memoriam, quum in mortibus matronarum id adhuc nemo feciſſet: legionibus ſtipendium in perpetuum duplicaverat: frumentum ſæpe ſine modo ac menſura præbuerat: mancipia, prædia viritim diſtribuerat: Regibus captivorum millia dono dederat: & citra Senatus populive juſſum auxilia quotiens & quo petiſſent, miſerat: Italiæ, Galliæ, Hiſpaniarum, Aſiæ quoque & Græciæ urbes munitiſſimas præcipuis operibus exornarat.

Cæſar Galliæ tributum imponit. Diodorus; Appian.

XVIII. Tum vero & milites conſcripſit, & pecuniis coacervandis ſtuduit, omnique modo exercitum ſibi quam benevolentiſſimum efficere. Inter hæc & provinciam ordinavit ſumma humanitate; niſi quod impoſito tributo, victam ſe fateri Galliam coëgit. Id quoque pro magnitudine & opibus provinciarum modicum; *quadringenties in ſingulos annos ſtipendii nomine conferri* juſſit. Deinde per ſpeciem commendandi M. Antonii, auguratum petebat, in Galliam Togatam tranſgreſſus, municipia & colonias appellavit: haud minoribus exceptus honoribus, quam antea Pompejo fuiſſe exhibitos ſcripſimus.

Appii ſevera Cenſura.

XIX. Hæc omnia Cæſar eo fecerat ſtudioſius, quod adverſarii ejus valde ex-

ſultabant Conſulibus deſignatis L. Lentulo, C. Marcello, & Ser. Galba repulſo, qui legatus Cæſaris fuerat; quamquam is gratia ſuffragiiſque plus valuiſſet. Quippe plurimum in urbe Pompejus poterat, pleriſque ſuffragantibus, & inter hos App. Claudio Cenſore. Nam & poſtremam liberæ Reipublicæ Cenſuram Appius hic, collega L. Piſone exercuit. Et Piſo quidem ſtudebat genero Cæſari: Appius inimicus dum nocere conatur, plus etiam invitus inſciuſque proderat. Nam Piſo ob adfinitatem Cæſaris, & alioquin negotiorum minimè appetens (quippe opinionibus Epicureorum deditus, ne Cenſuram quidem ſuſcipere voluerat) notabat neminem: Appius multos Equites Senatoreſque notando, ut poſtmodo Cæſaris partibus cupidius ſe adplicarent, efficiebat. Hirtius de bello Gall. 8. 49. Sex. Ruf. c. 6. Vellei. 2. 39. 2.

XX. Jam primum libertini generis quotquot erant, movebat Senatu: deinde multis etiam nobilibus eamdem impingebat ignominiam. Hos inter & Salluſtius Criſpus Curia exactus eſt: quum Cenſoribus in Senatu *ſe non matronarum ſed libertinarum ſectatorem eſſe* reſpondiſſet. Notavit & C. Atejum, virum bonum & civem egregium; qui M. Craſſo ad bellum Parthicum proficiſcenti Tribunus plebis obnunciaverat. *Ob eam cauſſam* ſubſcripſit Cenſor, *populum Romanum calamitatem maximam accepiſſe*. Similis ejuſdem, ſed juſtior, ſeveritas in eos, qui ſigna tabulaſque ad ornamenta munerum à ſociis mutuati, poſtea pro ſuo retinuerant. Salluſtius Senatu motus. Sueton. Cæſare 25. 1. Eutropius.

XXI. Sed maxima cum Curione dimicatio fuit. Notaturus enim & hunc Appius, quamquam Piſone Collega, & cognato Curionis Paullo deprecantibus, ſententiam ſuam in Senatu palam oſtenderet, quæ res acerrimos excitavit motus. Quippe Paullus præ dolore veſtem ſcidit: at Conſul Marcellus, ſperans hac occaſione contra Cæſarem aliquid decretum iri, ea de re ſtatim referri cœpit. Curio primum repugnare, *nec jure nec more factúrum* dicere, *ſi de ſe ſententias roget*: mox animadverſo, magnam præſentium partem Cæſaris totam eſſe, cæteros pleroſque ne quid adverſus illum audeant, metu prohiberi; *ego vero*, inquit, *vitam actioneſque meas ita inſtitui, ut illius non pudeat; hæ ad patriæ pertineant utilitatem*. Curionis dimicatio cum Conſule Marcello. Hirtius.

XXII. *Neque recuſo vobis rationem omnium reddere Patres conſcripti. Vos uti videbitur è Republica & fide veſtra, de me ſtatueritis*. Ibi C. Marcellus Conſul ita Curionem accuſavit, ut damnatum iri plane confideret. Sed poſtquam plurium ſententiis abſolvi reum, atque adeo defendi ornarique vidit, ita correptus, Senatu ſe proripuit. Plane is erat animorum habitus, ut proniores in Pompeii cauſſam Patres eſſent; ſed tamen ſæpe Cæſarianorum violentia ſuperati his utiliora decernerent. Et Conſules quidem deſignati Pompejanarum partium erant. Igitur Cæſar literas ad Senatum miſit, *ne ſibi beneficium populi adimeretur; aut ſaltem reliqui etiam Imperatores ab exercitibus diſcederent*. Cæſaris literæ ad Senatum. Plutarch. Pompeio. Diodorus. Cic. in Piſon. c. 23.

XXIII. Erant hæc aſtutiſſime excogitata: quidquid enim eſſet factum, pro Cæſare futurum erat. Nam ſi tam æqua conditio repudiaretur, favorem hominum erat habiturus, tamquam ab inimicis contra fas & æquitatem premeretur: relicta poteſtate, magis confirmabatur; ſin & Pompejus dimitteret exercitum, celerius ſe convocaturum veteranos ſuos, quam Pompejum novos milites ſperabat. Has literas quum pro concione recitaſſet Curio, ſeque diceret *enixe laboraturum, ut Rempublicam omni metu liberaret*; maxi- Pro concione recitantur. Cic. in Salluſtium. Aſcon. in Horat. Satyr. 1. 2.

Armatur Pompeius in Cæſarem.

L. Æmil. Paul. C. Claud. Marcel. Coſ.

mo favore plauſuque populi exceptus eſt, floreſque & ſerta in eum jacta.

Sententia Senatus de provinciis Cæſaris. Cic. de divin. 2. 16. Cic. Attic.

XXIV. At ubi eſt his de rebus in Senatu relatum; Cæſari pletique omnes abrogarunt imperium; relinquebant Pompeio: nam aſtutia Conſulis ſeorſim de utroque relatum erat. Igitur Curio denuo conjunctim referre cœpit, *placeretne diſcedere utrumque ab armis, exercituſque dimittere?* Ibi duobus tantum & viginti renuentibus, trecenti ſeptuaginta in ſententiam Curionis diſceſſerunt. Hoc ubi factum eſt, C. Marcellus Senatum dimittens, *Vincite*, exclamat; *ut dominum habeatis Cæſarem.* Interceſſione tamen amicorum Pompeii, adjuvante Conſule, res effectu caruit.

Marcellus Pompeio bellum mandat contra Cæſarem. Cælius ad Cicer. famil. 8. 14. Dioderus.

XXV. Sed & falſo rumore venientis cum exercitu Cæſaris Urbs exterrita trepidabat: quo uſus C. Marcellus Senatu coacto retulit *de legionibus*, quas retentas fuiſſe Capuæ diximus, *uti contra Cæſarem mitterentur*. Sed obſiſtebat C. Curio, *fuſtraque hoc dici credique* teſtabatur. Ergo Conſul, *Quandoquidem*, inquit, *de communi Senatus ſententia Reipublicæ conſulere prohibeor; at ego ſaltem pro poteſtate mea conſulam.* Simul exiliens Curia, in ſuburbium, ubi Pompeius agebat, procurrit; porrectoque ei gladio, *Jubemus te*, inquit, *contra Cæſarem bellare pro patria, copiaſque tibi tradimus, & quæ nunc Capuæ, aut per cæteram Italiam ſunt; & quas ex novis parare delectibus voles.*

Pompeius imperium accipit. Sueton. Cæſar. 29 30. Plutarch. Cæſar. cap. 33.

XXVI. Nam una ſecum Conſules deſignatos adduxerat: ne res à ſe ſolo ſuſcepta parum haberet momenti. Jam enim in exitu Conſulatus ei erat; ſub quod tempus deſignatorum jam multum valebat auctoritas; quibus & literæ tradebantur ad Senatum ſcriptæ; & alia quædam gerere pro Conſulibus licebat. At Pompius quum ſemper fuiſſet in ejuſmodi rebus accuratus & diligens: cupidius quam prudentius oblatum accepit imperium, neque a quibus ſibi, neque quomodo mandaretur conſiderans: in ſpeciem tamen modeſtiæ, hic quoque illud ſuum, *Niſi quid melius*, ſubjecit. Hoc pacto palam ſuſceptis cum Cæſare inimicitiis, quum ſegnius cætera, quam pro magnitudine rei adminiſtraret, nihil profecit ultra; quam ut Cæſari retinendarum legionum honeſtiorem prætextum conciliaret; ſimul laxaret vincula ſpei & pudoris, quibus hactenus retenta cupiditas ejus, ambiguis inter pacem & arma conciliis fluctuaverat.

Curio & Antonius repugnant. Appianus. lib. 2. civil. Plutarch. Pompeio. cap. 58. Hirtius de bello Gal. 8. Plutarch. Sueton.

XXVII. Sed Curio cognitis quæ eſſent acta, quum aliud pro Cæſare nihil poſſet, continuis concionibus apud populum *tempora Reipublicæ* deflebat; Pompeium & Conſules accuſans: jubebatque hos *edicere, ne quis nomen daret conſcribenti milites Pompeio.* Quod ubi fruſtra tentatum eſt, atque interea Tribunatus tempus exivit, ſibi quoque timens, ad Cæſarem excurrit, qui tum recens cum peditum millibus quinque & equitibus trecentis (tertia decima legio erat) Ravennam pervenerat; quæ extrema provinciæ ejus urbs, eademque Italiæ proxima erat. Ne tamen inimicos Pompeius in Urbe deſideraret, M. Antonius inito Tribunatu plebis, rogationem promulgavit, *ut legiones duæ Partbici belli cauſſa in Italiam deducæ, ad M. Bibulum mitterentur: Pompeio ſcribendi militis jus ne eſſet: neve quis delectum habenti reſpondere ad nomen cogeretur.*

Cæſarem adverſatis pacifci jubet ſuos. Hirtius. Oroſius 6. 15.

XXVIII. Quin & in concione populi A. D. X. Kal. Jan. habita in Pompeium invectus, omnia ejus acta, jam uſque à toga pura petulantiſſime traduxit. Interea Cæſar comitet exceptum Curionem, in conſilium adhibuit de præſentibus. Neque dubitabat ille, *quin arceſſendus propere exercitus, & experiundum ar-*

Imperium Cæſari abrogatum.

mis eſſet. At Cæſar ſpeciem præferens æquitatis & clementiæ; quum interim nihilo ſegnius pararet bellum, ad amicos in Urbem ſcribit, *uti cum adverſariis paciſcantur, quo dimiſſis octo legionibus, Tranſalpinaque Gallia, Ciſalpinam & Illyricum cum duabus legionibus retineret, donec Conſul iterum factus eſſet.*

Cæſar iterum ad Senatum ſcribit. Diod. lib. 40.

XXIX. Simul Curioni dedit ad Senatum literas, quibus poſt commemorationem *eorum, quæ per tot annos pro Republica ſtrenue fortiterque geſſiſſet*, purgabat *objecta ſibi crimina: paratum* oſtendens *ab exercitu diſcedere, ſi Pompejus idem faciat. ſine vero, neque ſe commiſſurum, ut inermis objiciatur inimicorum crudelitati; ſed adfuturum impigre, quo Reipublicæ ſuamque injuriam defendat*. Has literas A. D. Kal. Jan. quo die C. Claudius M. F. M. N. Marcellus, L. Cornelius P. F. Lentulus inierunt, C. Curio Conſulibus tradidit: triduano curſu ad centum ſexaginta millia paſſuum emenſus. Sed neque pacta cum adverſariis; neque literæ quidquam ad concordiam valuerunt.

Urb. cond. an. 704. Fruſtra.

Cicero conciliare pacem conatur. Dio. Appian. Plutarch. Velleius. 2. 49.

XXX. Sane M. Cicero, qui recens reverſus è provincia, triumphi petendi cauſſa ad Urbem erat; magnopere conabatur, his malis mederi: jamque eo profecerat, ut Pompejus flecteretur: neque Cæſaris amici recuſarent, quo minus *una legione cum Illyrico provincia contentus Cæſar eſſet*. Sed mirus invaſerat furor hominum mentes, ut potius civili bello collidi cuperent: Lentulo præſertim implacabili, qui ſalva republica, ſalvus eſſe non poterat: & M. Catone negante *facturum ullas de Republica pactiones*. Quin neque literas Cæſaris in Senatu recitare Conſules volebant: quamquam Curione ſupprimerentur, in ipſa Curia exhibuerat: donec Q. Caſſius Longinus, M. Antonius Tribuni plebis recitari publice juſſerunt.

Cæſari imperium abrogatur in Senatu. Plutarch. Antonio.

XXXI. Erant illæ cætera quidem leniſſime ſcriptæ; ſed poſtrema verba effecerant, ut minaces & acerbæ viderentur. Sane quum recitarentur, *bellum haud obſcure denunciari* conclamatum eſt. Seceſſionem deinde facere Conſules cœperunt, veriti ne forte ſi voce ſententiæ dicerentur, multi verecundia, plures metu Cæſaris mitius cenſerent. Ibi quum de Cæſare referretur, *ipſumne ponere imperium vellent?* in eam partem omnes diſceſſerunt; Pompeium nemo ſuſtinuit offendere: armatus enim hic, & ad Urbem erat. Marcus tamen Marcellus *non ante referendum de Republica cenſuit, quam præſidium Senatus haberet, tuto & libere, quæ vellet decernendi*.

Senatuſconſultum adjectum. Cæſar. Civil. 1. 5. Cic. Famil. 12. 7. Appian. Dio.

XXXII. M. Calidius *Pompeium* jubebat *in ſuas provincias proficiſci, ne qua eſſet armorum cauſa*: eamdemque ſententiam M. Cælius Rufus modo Ædilitate perfunctus ſequebatur. Præterea C. Curio haud diſſimulanter pro Cæſare pugnabat. Sed horum ſine magiſtratu ſtudium levioris operæ fuit. M. Antonius Tribunitia poteſtate ſubnixus, quemadmodum Curio nuper, *de utroque conjunctim referendum eſſe* clamitabat cum adſenſu Patrum: & erant qui diſceſſionem flagitarent. Sed ea quidem res à Conſulibus impedita eſt: Senatuſconſulto, quod fiebat in ſententiam Metelli Scipionis, *uti ante certam diem exercitum dimitteret Cæſar, aut pro hoſte eſſet*, Tribuni plebis interceſſerunt.

Cui interdicitur. Plutarch. Cæſar. Dio.

XXXIII. Poſtridie quum iterum Senatus haberetur L. Piſo Cenſor, itemque Prætor L. Roſcius, quorum alter ſocer erat Cæſaris, alter legatus in Gallia fuerat, *ad Cæſarem ituros* obtulerunt, *ut eum docerent de rebus omnibus*: fuerunt & ab aliis ſententiæ dictæ, *legatos mitti ad Cæſarem oportere qui ei voluntatem*

exponant Senatus. Sed his omnibus Pompejana factio, Cæſariſque inimici, Conſul præcipue Lentulus, Scipioque & Cato reſtiterunt. Quum iterum hic dies ſic abiviſſet, ut decerni nihil poſſet, Senatus *veſtem mutandam* cenſuit: Tribunis tamen interceſſionem non remittentibus fieri Senatuſconſultum nequivit; auctoritas perſcripta eſt.

De interceſſione refertur. Cæſar de bello Gall. 5. 51. Appian. lib. 2. Civil.

XXXIV. At Pompejani patres veſte lugubri ſumpta redierunt in Curiam: confeſtimque *referri de interceſſione Tribunorum* poſtularunt; *Pompejanum exercitum præſidium ſuum, Cæſarem hoſtem Reipublicæ* appellantes. Quum acerbiſſimæ ſententiæ dicerentur, & Conſul Lentulus priuſquam perrogatum eſſet, *exire Tribunos, ſibique conſulere* juberet, *ne longe ab his ſacroſancta poteſtas eſſet*; exſurgens Antonius magno clamore *vim* incuſans *ipſiſque & Cæſari, & juri Tribunitio illatam*; ad poſtremum quaſi furibundus imprecari *diras*, vaticinari, *bella, cædes, exſilia, proſcriptiones* denunciare auſus, ex Curia profugit.

Fit Senatuſconſultum extremum.

XXXV. Exeuntem Collega Caſſius, Marcuſque Cælius & C. Curio ſequuti, ultimum diſcrimen haud multo anteverterunt. Jam enim armati è Pompejanis ventitabant cincturi Curiam. At illi proxima nocte ſervili habitu ſumpto, meritoria rheda ad Cæſarem perfugerunt. Exactis ex Curia Tribunis ſententiæ dicuntur, *ne illi atque eorum ſatellites pro Senatoribus habeantur*: ad illud extremum atque ultimum Senatuſconſultum, quo niſi in ſummo omnium periculo deſcenſum non fuerat, decurritur: *dent operam Conſules, Prætores, Tribuni plebis, quique proconſulibus ſint ad Urbem, ne quid Reſpublica detrimenti capiat*.

Pompejus delectus habere jubetur. Oroſius 6. Dio. Appian. Plutarchus Antonio.

XXXVI. Poſt paucos dies Senatu extra Urbem habito, uti Pompejus intereſſet, *tumultum eſſe* decreverunt. *Pompejum delectus habere tota Italia* juſſerunt, *veteranorum præcipue, donec ex eo genere centum triginta militum millia conficerentur*: *ſed & ex vicinis nationibus, uti quæque virtute præſtaret, mercede conducere*: *in eos uſus pecunias ex ærario ſumere*. Magnæ tamen ſummæ à privatis offerebantur: & per oppida miſſi, qui feſtinanter & acerbe conquirerent. Provinciæ quoque privatis datæ: duæ Conſulares, reliquæ Prætoriæ. L. Scipioni Syria obvenit: L. Domitio Gallia ulterior. nam citerior Prætoria Conſidio Noniano obtigerat. in reliquas prætorii mittuntur, quum neque ad populum ex more latum de imperio illotum eſſet, neque paludati votis nuncupatis exirent.

Cæſar apud milites concionatur. Appianus. Cæſar. Cic. Famil. 16. 12. Dio.

XXXVII. Sed Pompejus ad omnia ſatis ſe ſpatii habiturum rebatur, donec exercitum Cæſar è provinciis arceſſeret. Et ille quidem miſerat adducturos; ſed interim plus in celeritate quam viribus eſſe reputans ad primos belli terrores, apud milites quos habebat Ravennæ, concionatur: *omniumque temporum injurias inimicorum in ſe* commemorat (placet enim quæ à ſe tum dicta tradit, ipſius verbis exponere) *à quibus deductum & depravatum Pompejum* queritur *invidia & obtrectatione laudis ſuæ, cujus ipſe honori & dignitati ſemper faverit adjutorque fuerit. novum in Republica introductum exemplum, ut Tribunitia interceſſio armis notaretur, atque opprimeretur, quæ ſuperioribus annis armis eſſet reſtituta*.

Dignitatem ſuam defendi petit. Appianus. Cæſar. Cic. Famil. 16. 12. Plutarchus.

XXXVIII. *Sullam, nudata omnibus rebus Tribunitia poteſtate, tamen interceſſionem liberam reliquiſſe. Pompejum, qui amiſſa reſtituiſſe videatur bona, etiam quæ ante habuerit, ademiſſe. Quotieſcunque fit decretum, darent magiſtratus operam, ne quid Reſpublica detrimenti caperet (qua voce & quo Senatuſconſulto populus Romanus ad arma ſit vocatus) factum in perniciosis legibus, in vi Tribunitia, in ſeceſſione*

populi, templis lociſque editioribus occupatis: atque hæc ſuperioris ætatis exempla expiata Saturnini atque Gracchorum caſibus docet, quarum rerum illo tempore nihil factum, ne cogitatum quidem, nulla lex promulgata, non cum populo agi cœptum, nulla ſeceſſio facta. hortatur *cujus Imperatoris ductu IX. annis Rempublicam feliciſſime geſſerint, plurimaque prælia ſecunda fecerint, omnem Galliam Germaniamque pacaverint, ut ejus exiſtimationem dignitatemque* ab inimicis *defendant.* Cæſar. cap. 47. A ſeon in divinat.

XXXIX. Auctore Lælio primipili centurione, conclamant milites, *ſeſe paratos eſſe Imperatoris ſui Tribunorumque plebis injurias defendere.* Igitur Cæſar Tribunis centurionibuſque imperat, *uti relictis armis aliis, gladio tantum accincti cum delectis pergant Ariminum, eamque coloniam quanto poſſint ſilentio occupent.* Ita clam præmiſſo Q. Hortenſio, oratoris filio, cum cohortibus decem, qua *tantula manu terrarum orbem* (ut ait Livius) *adortus eſt;* ipſe, ne qua ſuſpicio oriretur, gladiatores perſpectavit: & formam, qua ludum erat ædificaturus, inſpexit, & ex conſuetudine convivium frequens ingreſſus eſt; ſed incipiente nocte diſcedens, tamquam leviter adfecto corpore, & rediturus, comiter compellatis convivis paucos amicorum ſecreto monuit, *ut cum equitibus alius alia via ſequerentur:* muliſque è proximo piſtrino ad meritorium vehiculum junctis, quum aliuditer ingreſſus, paulo poſt ad Ariminenſem viam exſtinctis luminibus deflecteret, per impedita loca diu oberravit. Ariminum occupat. Appianus: lib. 2. Civ. l. Lucanus 1. 275. Cæſar. Plutarch. Appian. Oroſius 6 15. Sueton.

XL. Sub lucem deinde duce reperto, per anguſtiſſimos tramites pedes evaſit; præmiſſaſque cohortes circa Rubiconem adſequutus eſt. Fluviolus is modicus eſt inter Ravennam, & Ariminum, hodie vocatur *Piſciatello.* Sed maioribus hoc termine Galliam ab Italia diſcriminare placuerat. Viſo Rubicone primum ſubſtitit Cæſar, quantam bellorum molem tranſitus hic excitaturus eſſet reputans: converſuſque ad proximos, quos inter & Aſinius Pollio aderat; *etiam nunc,* inquit, *regredi poſſumus: quod ſi ponticulum tranſierimus, omnia armis agenda erunt. Sed quid agam, ſi tranſitus meus humano generi calamitoſus eſt futurus, reditus mihi* Ad Rubiconem venit: Plutarch. Appianus, Sueton. Eumque tranſit. Io. Boccatius de fluminibus, poëta. Plutarch.

XLI. Dum ita cunctatur Cæſar, repente quidam apparuit in proximo canens arundine. quem ad audiendum videndumque, nam erat magnitudine & forma non vulgari, quum multi ex ſtationibus milites accurriſſent, interque eos & æneatores; rapta ille tuba procurrit in flumen, & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus, in alteram ripam evaſit. Tum Cæſar *eatur,* inquit, *quo deorum oſtenta, & inimicorum iniquitas vocat. Jacta alea eſt.* Statimque trajectis militibus, nihil moratus tenebras Ariminum pergit: idque oppidum ſub lucem ingreſſus occupat.

XLII. Ibi concione militum advocata, tribunos plebis, qui Urbe pulſi ſupervenerant, adhibuit, ut erant ſervili habitu tecti. Hæc tam fœda ſpecies mirifice inflamavit militum animos, quum præſertim neque Cæſar ipſe, neque Tribuni deeſſent, rem per ſe ſatis triſtem exaggerare verbis. Curio etiam, ut erat promptæ eloquentiæ, juſſu Cæſaris acta docuit milites, vehementer accendens ad vindictam animos. *nihil enim ultra rite ac ordine Romæ geri: non fas reſpici, non jus: ſacroſanctam poteſtatem conculcari: penes malos omnem potentiam, melioribus aut tacitam ſervitutem, aut ſi loqui auſint, fugam, cædem, pericula eſſe propoſita.* Et quo vehementiores adhiberet mendicis faces, flens Cæſar, & à pectore diſciſſa veſte, fidem militum invocabat. Adſenſere milites ingenti fremitu; Curio milites accendit ad bellum. Sueton. Petron. carm. Verſu 103. Appianus. Lucanus. Plutarch.

quum ad omnia promptos Imperatori liberalitas ejus, & fortuna faceret: errore quoque concionis extremæ adjuvante, quæ promiſſum omnibus jus aureorum anulorum cum Equeſtri conſu inde credidit; quia Cæſar ad ſatisfaciendum militibus anulum quoque æquo animo ſibi detractum dicens, ſæpius digitum lævæ manus oſtenderat. Sic incitatis cohortibus ad vicina quæque porrigens manus, quantum pro copia præſente poterat, opportuna loca recipere inſtituit.

Terror ex adventu Cæſaris. Suetou. Lucanus. Petronius. Plutarch. Catone cap. 76. & Pomp. cap. 107.

XLIII. Sed hæc non qualia erant, ſed multis modis majora terror ſubitus, & agreſtium fuga per Italiam, ac in urbe vulgaverat; venire Cæſarem cum omni exercitu, Gallorumque & Germanorum ingentibus auxiliis. Ergo ſævius quam ullo Gallico Cimbricove tumultu percuſſi omnium animi, ſine conſilio, ſine ſpe, trepidabant. Neque vulgi tantum hæc vecordia, ſed magis etiam Patrum erat: quum pavore & querelis Pompeius quoque, ne pro ſua virtute & peritia rebus præſentibus conſulere poſſet, turbabatur.

Querelæ in Pompeium. Cæſar. Civil. l. 6. Plutarch. Cæſar.

XLIV. Alii præterita objiciebant, quæ jam emendari non poterant: nunc dare ipſum pœnas ſpreti optimorum virorum conſilii, qui Cæſaris amicitiam ipſi patriæque funeſtam fore prædixiſſent. Hæc exprobranti Catoni Pompeius reſpondit, illum melius divinaſſe, ſe egiſſe ſimplicius & amicius. Plures erant, quos conditiones Cæſaris non admiſiſſe pæniteret. plerique cum Pompeio expoſtulabant, quid ita, quum eſſet tam flagitioſe imparatus, acerrimum ducem exercitumque provocaſſet. Nam quærenti L. Volcatio Tullo viro Conſulari, ecquid paratas haberet copias? hæſitanter reſponderat, duas legiones, quæ eſſent miſſæ à Cæſare, paratas eſſe: arbitrari & de novis delectibus legiones quinque cogi poſſe.

Tulli præſertim & Favonii Plutarch. Catone. Cic. Attic. 7. 11. Diod. lib. 42.

XLV. Ibi exclamavit Tullus, deceptiſti nos Pompei! nuper enim in Senatu legiones habere ſeſe paratas decem confirmaverat. M. Favonius adjecit, nunc eſſe tempus pede pereuntiendi terram. quod aliquando jactabundus dixerat; ubi pede terram pulſaſſet, affatim exſiliturus equitum peditumque copias. Et vincebat ille quidem adhuc Cæſarem militum numero, adjunctis Hiſpanienſibus; ſed à ſuis conſiliis trepidatione Patrum velut fluctu auferebatur. Tullus mittendos de pace legatos cenſere abnuere Cato: & Pompeio ſummam imperii decernere, eorumdem eſſe magna mala & facere & comprimere dictitans.

Abſcedit ab Urbe Pompejus. Dio.

XLVI. In hanc ſententiam itum: & Pompeius non eſſe in parietibus Rempublicam ferens, ſequi juſſis magiſtratibus omnique Senatu, & ſi quis remanſiſſet, pro hoſte habiturum denuncians, Urbem reliquit. Conſules ſtatim, ne ſaeris quidem ſollemnibus factis (quod ante id tempus acciderat numquam) ſequuti ſunt. Reliqui Patrum inopes conſilii ſtupentesque in Curia pernoctarunt. diluculo domum, paucis qui Cæſaris aut neutrarum partium erant, manentibus (quamquam & ex illo numero quidam dicuntur profecti) exceſſerunt.

Fugæ ſimilis profectio. Cic. Attic. 7. 13.

XLVII. Ergo tamquam ex hoſtili terra fit fugæ ſimilis profectio: complentur agminibus exeuntium viæ, completur clamoribus tumultuque cælum: fit deſerentium emittentiumque ſuos comploratio: moram charitas, feſtinationem metus imperat: nemini non res miſera, acerba, atrox videtur. Nam, & qui cum tota familia egrediebantur, deſperato reditu, vix poterant ab extremo patriæ conſpectu avelli: & qui ſuos relinquebant, plus angebantur; chariſſima pignora, mox in poteſtate ejus futura reputantes, contra quem ipſi ferrum ſtringerent. Plebs autem Romana conſiliis armiſque orbam, & expoſitam lubidini

Victoris Urbem reputans; ſuperiorum civilium bellorum mala, direptiones, cædes, incendia loquebantur: maiori timore, quod à Cæſare magna barbarorum adduci multitudo diceretur.

XLVIII. Adgravabant augebantque horrorem nunciata nuper prodigia numero & fœditate terribilia. Nam in ipſa Urbe lupi noctuæque frequentes apparuerant. ſanguineæ pluviæ, terræmotus crebri cum mugitibus, etiam Romæ, ſimulachrorum ſudores, multis ex locis nunciabantur. ſed & fax ab Occidente in Orientem ferri conſpecta erat: multa fana fulmine tacta; ipſum Capitolium, ubi & ſceptrum Jovis, & galea Martis percuſſa ſunt, itemque æra legum. ædificia multa, quæ inter & Quirini fanum, incendio hauſta: ſol totus obſcuratus eſt. Monſtroſi animalium partus editi: minacia carmina pro Sibyllinis vulgata; paſſimque furore correpti dira multa cecinerunt. In Cumano arbor ſubſedit paucis ramis eminentibus. Prodigiis auctus terror. Dio. Appianus. Plin. 17. 25. 4.

XLIX. Ob eam rem aditi libri, repertumque internecionem hominum fore, tantoque maiorem, quanto propius ab urbe oſtentum factum eſſet. Sed & omnibus accenſa eſt moris antiqui prætermiſſio, quod nullus feriarum Latinarum cauſſa præfectus Urbi creatus fuit: idque anno ſequente pariter omiſſum: vices Præfecti Prætoribus interim obeuntibus. Eodem anno M. Perperna mortuus eſt, noviſſimus omnium, quos Conſul in Senatu ſententiam rogaverat: neque plus ſeptem in vita reliquit ex iis, quos ante ſeptimum & triceſimum annum eum L. Philippo Cenſor in Senatum legerat. Dira eorum interpretatio. Dio. Val. Maxim. 8. 1. 13. Plin. 2. 5. 48.

L. Ea quoque res, quemadmodum & cætera quæ acciderant, finem Senatus, mutationemque Reip. viſa portendere. in hoc metu quum plerique mittendos ad Cæſarem legatos dicerent, non abnuente Pompeio, quin & mandata privati officii addente, L. Cæſar cujus pater legatus erat Cæſaris, & L. Roſcius Prætor Ariminum profecti, Cæſarem orare inſtituerunt, diſcederet ab armis, ſuaſque injurias Reip. donaret. Cæſar, paulo diverſa ab his quæ per epiſtolam poſtulaverat, reſpondit. Pompeius eat in Hiſpaniam: delectus & præſidia contra ſe comparata dimittantur. ſe ulteriorem Galliam Domitio, eiteriorem M. Conſidio Noniano traditurum: ad conſulatus petitionem venturum. neque jam velle rationem haberi abſentis; trinundinum petiturum. & quo facilius convenirer, petiit ut colloquendi cauſſa propius accedat Pompeius, aut ſe accedere patiatur. Reip. mutatio portendi credita. Virg. Annal. Dio. Cæſar. Cic. Famil. 16. 12. & Attic. 8. 13. Hirtius. de bello Gall. 8. 52.

LI. Cum his mandatis reverſi Pompeium & Conſules Theani repererunt, ante diem VIII. Kal. Febr. quo die ad eos T. Labienus, damnata Cæſaris cauſſa, venerat. Is diu ab inimicis Cæſaris ſolicitatus, à quo maximis auctus honoribus, omnibuſque nuper trans Alpes copiis præfectus fuerat; fortunam imbecillo animo ferens, Cæſarem, jam & ipſum propter inſolentiam hominis in amore frigidiorem, reliquerat: ſpeciem magis, quam vires, ut exitus docuit, prælatis partibus adferens. Labienus Cæſarem deſerit. Plutarch. Cæſar. cap. 51. Val. Maxim. 8. 14. 13. Cicer. Cæſar.

LII. Huic tamen Cæſar, pro ſolita animi magnitudine, pecuniam cuius ille prædives erat, & ſarcinas omnes remiſit. Conditiones Cæſaris nec rejectæ omnes, nec probatæ ſunt. de colloquio diſſimulatum. ſcripta mandata per eoſdem remiſſa ad Cæſarem, ut ille de his oppidis, quæ extra ſuam provinciam occupaviſſet, præſidia deduceret. Id ſi feciſſet, ad Urbem rediturus Patres, ut de iis ipſis conditionibus quas obtulerat, Senatus haberi Romæ poſſet. In Hiſpanias De conditionibus pacis actum. Sueton: Cæſar. 30. 7. Plutarch. Antonio cap. 9.

Thuanus lib. 11. Sueton. Neron. cap. 11. Cic. Attic. 7. 17.

iturum Pompeium eſſe. Neutri duum ſatis pax placebat. Pompeius, ſi populo Romano poteſtas omnis reſtitueretur, haud dubie inferiorem ſe gratia Cæſaris rebatur: Cæſar ab ineunte ætate cupidiſſimus imperandi, prætermittere occaſionem nolebat, gnarus non aliud ſibi ad principatum iter, quam per conculcatum Pompeium eſſe.

Reiecta à Cæſare. Florus 4. 2. 19. Lucanus 1. 462. Cic. Famil. Pisn. 3. 24

LIII. Itaque mala fide ſecum agi cavillatus, quod ante quam diem iturus in Hiſpaniam Pompeius eſſet, expreſſum non fuerat; toto animo in bellum verſus per omnem Italiam litteras mittebat: ſive jure ſecum ſive armis ageretur, paratum ad diſceptationem oſtendens; ſimul hortatus omnes, bono eſſent animo, neque ſe conjungerent res turbare cupientibus. non minus ſe his conſulturum pro ſuis, qui in neutra, quam qui in ſua caſtra veniſſent. quamquam Pompeius, auctore ſolo principum Domitio, pro hoſtibus ſe habiturum, qui Reipublicæ defuiſſent edixerat.

Is opportuna occupat loca. Flor. 3. 15. Cic. Attic. 7. 13. Lucanus. Cæſar.

LIV. Interim non expectato legatorum reditu, acerrime delectum habere Arimini, opportuna loca occupare, præſidia imponere. M. Antonius cum quinque cohortibus Aretium mittitur; ibique præſidium imponit: Fugit in Campaniam Scribonius Libo, qui tutari debuerat Hetruriam: Piſaurum, Fanum, Anconam, ab Arimino Cæſar ſingulis cohortibus occupat. Curionem cum tribus cohortibus, ad Iguvium recipiendum ire jubet, validum Umbriæ oppidum, quod à Quinto Minucio Thermo quinque cohortibus tenebatur, ſed ille voluntati diffilus Iguvinorum, quos addictiores Cæſari eſſe ſciebat, profugit. milites ejus in itinere diſcedunt, domumque ſe conferunt.

Cæſar ad utrumque paratum ſe oſtendit. Cic. Attic. 7. 20 7. 23. Cæſar. Lucanus.

LV. His rebus & municipiorum voluntate cognita, Cæſar aucta fiducia cum legione tertia decima Auximum proficiſcitur, Piceni urbem, quam P. Accius Varus præſidio tenebat, agendis in Piceno delectibus intentus. Auximates Varum terrent, & decedere oppido cogunt. Fugientem per impedita loca, quidam Cæſaris milites adſequuti conſiſtere cogunt. poſt brevem pugnam deſeritur à ſuis Varus: alii domum, plerique ad Cæſarem pergunt. Hæc Romam perlata, quum jamjam adeſſe Cæſar, conſpicique equites ejus falſo dicerentur, ſic exterruerunt Lentulum Conſulem, qui ex mandato Pompeii, quod A. D. VII. Id. Febr. per C. Caſſium Tribunum plebis Capuam erat adlatum, ad pecuniam promendam Pompeio venerat, ut aperto ſanctiore ærario, protinus ex Urbe profugeret.

Delectus Capuæ à Pompeianis habetur exiguo ſucceſſu. Cic. Attic. 8. 12. & 15. Appian. lib. 2 Civil.

LVI. Delectus intrà Urbem omittitur; neque ullo inter Romam ac Capuam fiditur loco: Capuæ demum ſe confirmant; ibique delectum inſtituunt agere, parum prolixe reſpondentibus Campanis, quod beneficio & lege Cæſaris deducti eam in coloniam fuerant. Gladiatores quos ibi Cæſar alebat (ad duo millia fuiſſe putantur) Lentulus equis attributis ſequi ſe juſſerat: ſed poſteaquam id reprehendebatur ſermonibus, ſingulis patribus familiarum binos Pompeius diſtribuit, cuſtodiæ cauſſa.

Cingulum & Aſculum Cæſari deduntur. Cic. Attic. 8. 12. Cæſar. Civil. lib. 1.

LVII. Sed Cæſar Auximo progreſſus, totum Picenum, volentibus præfecturis omnibus recepit. Etiam Cingulo, quamquam id oppidum Labienus ſua peeunia exædificaverat, legati ad Cæſarem venerunt. Quum interim legio duodecima aſceſſiſſet, Cæſar cum duabus legionibus Aſculum Picenum contendit; ubi Lentulus Spinther curabat, vir Conſularis, cum cohortibus decem. Sed neque

hic cæteris conſtantior, profugit ex oppido; deſertuſque à majore parte militum, reliquos L. Vibullio Rufo tradit, à Pompeio forte veniente, ad Picentes retinendos in partibus. Vibullius acceptis militibus, ex his & delectibus Pompeianis aliquot cohortes conficit: mox venit ad eum C. Lucilius Hirrus cum quinque cohortibus Camerino fugiens, ubi in præſidio fuerat.

LVIII. Hi magnis itineribus Corfinium proficiſcuntur: quo loco L. Domitius Ahenobarbus conſederat. Nam ille ſucceſſor Cæſari miſſus, cum quatuor millibus ex novo dilectu Galliam verſus iter inſtituerat: deinde occurſu Cæſaris cognito deflexerat in Pelignos, Marſoſque. Harum ex nationum delectibus, quum copias ſuas ad numerum cohortium duodecim adauxiſſet; jamque ad eum Vibullius & Hirrus cum undeviginti cohortibus acceſſiſſent; obſervare Cæſarem inſtituit, repugnaturus, ſi propius ad ſe acceſſiſſet: ſin vero ſecundum mare ad Pompeium ire cœpiſſet, confeſtim ducturus in Samnium, ut cum Pompeio ſe conjungeret. Domitius Corfinio conſedit; Cic. Attic. 8 17. Cæſar.

LIX. Sed Cæſar Aſculo recepto, conquiri milites qui à Lentulo diſceſſerant, inſtituique delectum jubet: nec amplius uno die moratus, Corfinium pergit. Occurrunt præmiſſæ à Domitio quinque cohortes, pontemque fluminis, ad tertium ab urbe milliare conantur interrumpere. Sed levi prœlio rejectæ ab antecurſoribus Cæſaris, in oppidum ſe recipiunt. Cæſar flumine ſuperato caſtra juxta murum Corfinii ponit. Domitius magno propoſito præmio regionum peritos ad Pompeium cum literis mittit; rogans & obteſtans, ne ſe cum tot cohortibus, magnoque Senatorum & Equitum Romanorum numero, recidere in poteſtatem Cæſaris ſinat. Cæſar ad Corfinium. Cic. Attic. 8. 19 8. 17. & 16. Cæſar. Dio.

LX. Ea res ſumma ſolicitudine Pompeium adfecit. nihil enim tam contrarium conſiliis ejus fieri potuiſſet. Tironi non audebat confidere: duas legiones quæ nuper prætextu Parthici belli abductæ à Cæſare fuerant, proniores illis partibus rebatur. Igitur omnes undique copias ad ſe convenire maluiſſet. at quoniam id propter vigilantiam atque celeritatem adverſarii nequibat; quatuordecim cohortes ex duabus illis legionibus contraxerat Luceriam, eo conſilio, ut ſi propius accederet Cæſar, Italiam relinqueret, ut paulo poſt factum eſt. Sed accepto, Domitium obſideri, ſive diſſimulans mentem ſuam; ſive putans tot & tales viros deſeri non oportere; ſcribit ad Lentulum Conſulem, magni intereſſe Reipublicæ, omnes copias primo quoque tempore in unum locum convenire. quod ab omnibus ita eſt acceptum, cum univerſis viribus Pompeium ad Corfinium venire conſtituiſſe. Domitius Pompei opem implorat. Appian 2. Civil. trab. Cicero. Orofius. 6. 15. Cæſar.

LXI. Hac opinione pauliſper recreati ſunt hominum animi; nunciataque Domitii conſtantia, qui ſane ſuos cohortatus, tormenta diſpoſuerat in muris, & cætera tamquam ad tolerandam obſidionem adminiſtrabat. Etiam, ut promptiore exercitu uteretur, militibus quaterna jugera agri, centurionibuſque & evocatis pro rata parte promiſerat ex ſuis poſſeſſionibus. nam occaſione Sullanorum temporum ad maximas opes pervenerat. Sed accidit ei, quod futurum Pompeius ei ſcripſerat; ut nec expedire poſſet copias tribus in oppidis diſtributas (partem enim Albæ, partem Sulmone collocaverat) nec cum iis quos habebat ſecum, ſatis firmus ad reſiſtendum eſſet. Domitius ad defenſionem ſe comparat. Cic. Attic. 8. 19. 20. Lucanus.

LXII. Namque Sulmonenſes, miſſu Cæſaris venienti Antonio aperuerunt Sulmo Cæſari

deditur: Cæſar cap. 51. Senec. de ben. 3. 24. Plin. 7. 53. 10

portas, univerſique & oppidani & milites (ſeptem ibi cohortes Domitius collocaverat, quum Antonius quinque tantum adduceret) obviam gratulantes exierunt. Q. Lucretius Senator & C. Attius Pelignus, qui oppidum præſidio tenuerant, de muro ſe dejecerunt. Lucretius effugit. Attius ab Antonio deductus ad Cæſarem, & ab eo incolumis dimiſſus eſt. Pompeiani proditum ab eo fuiſſe Sulmonem credidere unt. Cæſar quum & illis cohortibus auctior eſſet, & ad eum legio octava, cohorteſque ex novis Galliæ delectibus duæ & viginti veniſſent, cum trecentis circiter equitibus, quos ei Rex Noricus miſerat; altera caſtra ad alteram oppidi partem ponit; Curione præfecto, qui cum præſidiis, quę in Umbria & Thuſcis fuerant, ad eum acceſſerat.

Domitius de fuga cogitat. Sueton. Ner. cap. 2. Cæſar. Lucan. Liv. Epitom.

LXIII. Inde circumdare obſeſſos operibus inſtituit. quorum parte maxima perfecta, literæ Domitio redduntur, quibus negabat Pompeius, ire ſe ſubſidio poſſe; jubebatque, ſi ulla ratione etiam tunc efficere poſſet, explicaret ſeſe, & Brunduſium veniret. Sed hoc jam ſerum erat, obſeſſo atque circummunito oppido. Igitur Domitius clam cum paucis familiaribus de fuga colloqui cœperat: ſed quamquam voce conſilium non prodebatur; ex trepidatione vultuque & hoc genus indiciis patuit. Idcireo milites inter ſe colloquuti, Domitium publice cuſtodiunt; legatoſque mittunt ad Cæſarem, paratos eſſe portas aperire, & L. Domitium vivum tradere.

Lentulus à Cæſare incolumitatem obtinet. Cic. Attic. 8. 11. 8. 3. & 9. Lucanus 4. 697. Cic. Attic. 8. 23

LXIV. Sed quia ſerum diei erat, veritus Cæſar, ne per nocturnam licentiam oppidum diriperetur, id quod ſuis rebus erat futurum alieniſſimum, quas opinione clementiæ confirmare cupiebat; adſervari interea oppidum à Domitianis militibus jubet. Ipſe ſuorum vigilias ſtationeſque denſas circumponit, non adverſus eruptionem modo; ſed etiam adverſus furtivos egreſſus ſingulorum. Circa quartam vigiliam Lentulus Spintther de muro Cæſarianos inclamat, deducique ad Cæſarem petit. deductus orat ut ſe pro priſtinis ſuis beneficiis incolumem velit, omnia enumerans, quod per Cæſarem in collegium Pontificum veniſſet; quod ex Prætura Hiſpaniam habuiſſet provinciam; quod in petitione Conſulatus fuiſſet ab eo adjutus.

Domitius venenum à medico petit. Cic. Attic. 9. 9. 8 Cæſar.

LXV. Cæſar plura commemorari non paſſus, neminis odio, ſed ut Tribunos plebis in ſuam dignitatem, & populum Romanum paucorum factione oppreſſum in libertatem reſtitueret, arma cepiſſe interfatur. Ergo Lentulus jam ſecurus de ſalute ſua, petit ut in oppidum reverti liceat, quo ex ſua incolumitate cęteri ad ſpem revocentur. eſſe enim nonnullos, qui de morte conſciſcenda deliberent. Sane Domitius Cæſaris iram metuens, cui ſemper fuerat adverſatus, à medico eodemque ſervo ſuo venenum poposcerat. Sed idem lenitate cognita victoris, deplorare conditionem ſuam cœpit, quod quam relicturus fuiſſet inimicus, ſibi ipſi vitam homo temerarius ſtultuſque præcidiſſet.

ſoporiferam pro venęno potionem accipit. Cic. Attic. 9. 9. & 16. Cæſar. Lucanus. Plutarch. Appian.

LXVI. Ibi medicus, qui adoleſcenti Domitio rem aperuerat, ſeque juſſerat adſervari, donec eventus docuiſſet, utrumne venenum datum patri foret; tantummodo ſoporiferam potionem ſe dediſſe indicavit. Hac re exhilaratus (neque enim Lucano credendum eſt, in gratiam Neronis, cujus hic Domitius abavus fuit, omnia alia fingenti) manumiſit medicum; atque ita, poſtquam illuxit, cum cæteris ad Cæſarem deductus eſt. erant Senatorii ordinis Domitius & Lentulus Conſulatu functi. præterea L. Vibullius Rufus, Sex. Quintilius Varus Quæ-

flor, L. Rubrius: præterea multi adolescentes nobiles Equitumque Romanorum, & decurionum, quos Domitius ex municipiis evocaverat, magnum agmen. cap. 1. Diod. lib. 48

LXVII. Hi à Cæsare increpiti, quod neutiquam convenientem meritis suis gratiam retulissent, incolumes omnes dimittuntur: seque ad Pompeium recipiunt. Aurum etiam, quod secum Corfinium deportaverat Domitius, sestertium sexagies quamquam pecunia publica esse diceretur, Domitio reditum: quia Cæsar non minus fugiendam sibi inopiæ, quam crudelitatis famam judicabat. Ita Cæsar, septem omnino dies ad Corfinium commoratus, Domitianas cohortes protinus in Siciliam mittit. Ipse in Apuliam ducere instituit. His rebus auditis Scipio Luceriam omisit, militibus Brundusium transductis, quo Pompeius expeditus legiones antecesserat. Incolumis dimittitur à Cæsare. Cæsar. Attic. 8. 9. Vellejus 2. 51. Sueton. Cæs. cap. 56.

LXVIII. Eo conduci jusserat, quidquid habebat copiarum, nullum auxilii genus aspernatus; nam & ex pastoribus servisque equites circiter quadringentos effecerat. Sed Cæsaris per Apuliam cursus majorem ei delectuum partem, passim relictis præsidiis fugientium abscidit. Alba L. Manlius Torquatus Prætor cum sex cohortibus discesserat; Tarracina, cum tribus, Prætor Rutilius Lupus. Sed Rutilianæ cohortes, quum equitatum Cæsaris conspexissent; cui Vibius Curius præerat, ad eum signa transtulerunt: idem reliquis itineribus, à nonnullis cohortibus, quæ in Cæsarem aut equites ejus inciderant, factum. Pompeius Brundusium copias ducit. Plutarch. Cæsar. cap. 49. Cic. Attic. 9. 15. & 16. 9. 17.

LXIX. Venit & in potestatem Cn. Magius, præfectus fabrûm Pompeii: quem Cæsar cum mandatis ad Pompeium remisit; interesse Reipublicæ, ut quoniam iturus Brundusium esset, una colloquerentur. Neque diu contatus, cum legionibus sex A. D. VIII. Id. Mart. Brundusium venit; cuius exercitus magna pars ex recentibus delectibus, & iis quos in itinere exceperat, confecta erat. Sed Pompeius jam Cn. filium majorem ex duobus, cum socero Scipione in Syriam, auxilia gentium ac Regum concituros; Consules autem Dyrrhachium præmiserat, cum triginta cohortibus. Ea res abrupit negotium pacis. nam & Lentulus Consul a Cornelio Balbo, cuius pater Lentuli erat familiarissimus, mandata Cæsaris habent conveniri non potuit; & quum Scribonius Libo, qui erat Sex. Pompeii socer, à Caninio Rebilo inductus, cum Pompeio de conditionibus egisset, responsum est, quod Consules absint, sine illis de compositione agi non posse. Magius ad Pompeium mittit. Cæsar. Dio. Appianus. lib. 2 Civil. Plutarch. Pompeio.

LXX. Nec deerant, qui existimarent, dimissos à Pompeio Consules finisse, ne quid novi consilii contra suas rationes caperent, suspecta præsertim levitate Lentuli. Sed neque Magius remissus ad Cæsarem est; si Cæsari credimus. Cæterum ille multa, suæ causæ serviens, de industria perperam edidit; quod & Pollio Asinius adfirmare est solitus, qui cum eo transiit Rubiconem, rebusque his interfuit. Ex iis hanc de Magio querelam esse puto, quum ipse Cæsar iisdem diebus ad Oppium & Cornelium Brundusio scripserit; à Cn. Pompeio missum esse Cn. Magium de pace: seque visa fuissent respondisse. De conditionibus nihil convenit. Frontinus. Strateg. 2. 5. 40. Cæsar. Plutarch. Lucanus.

LXXI. Sic pacis cogitatione quibuscumque de causis penitus abiecta hoc agere cœpit, ut aut Pompeium quam primum trajicere cogeret; aut exitu prohiberet. Igitur castris ad portas oppidi positis, opus magnum & multorum dierum, propter altitudinem maris, instituit, ab utroque portus cornu moles jaciens. Ejus operis ratio non melius exponi, quam ab eo ingenio potest, à quo excogitatum jussumque fuit. Quia fauces erant angustissimæ portus, molem atque aggerem Cæsar Brundusii portum claudere instituit. Cæsar. Appianus. Plutarch. Dio. Lucanus.

Liv. Epitom. Cic. Attic. 8. 7.

ab utraque parte litoris jaciebat, quod his locis erat mare vadosum. longius progressus, quum agger altiori aqua contineri non posset, rates duplices, quoquoversus pedum XXX. è regione molis collocabat. has quaternis anchoris ex quatuor angulis destinabat, ne fluctibus moverentur. his perfectis, collocatisque, alias deinceps pari magnitudine rates jungebat, has terra atque aggere contegebat, ne aditus atque incursus ad defendendum impediretur: à fronte, atque ab utroque latere cratibus ac pluteis protegebat. in quarta quaque earum turres binorum tabulatorum excitabat, quo commodius ab impetu navium incendiisque defenderet.

Pompeius portum tuetur. Lucanus: Plutarch. Cic Attic. 11. Dio. Cic. Attic. 6. 11. Lucanus 2. 623.

LXXII. Contra hæc Pompeius naves magnas onerarias, quas in portu Brundusino deprehenderat, adornabat. ibi turres cum ternis tabulatis erigebat, easque multis tormentis, & omni genere telorum completas, ad opera Cæsaris appellebat; ut rates perrumperet, atque opera disturbaret. sic quotidie eminus utrimque fundis, sagittis, reliquisque telis pugnabatur. Quum ad hunc modum dies exacti novem essent, naves quæ consules transportaverant, Brundisium redierunt. Harum adventu Pompeius, sive Cæsaris operibus permotus, quorum ferme dimidia pars effecta erat, sive quia jam ab initio consilium Italiæ relinquendæ ceperat; una de re solicitus, quemadmodum tuto discederet, portas obstruit, partemque viarum aliis parietibus inædificat, aut fossas transversas præducit, easque stipitibus præacutis replet, cratibus humoque aggesta insidias tegens.

Brundisio abscedit. Liv. Epitom. Cic. Attic. 8. 7. Lucanus.

LXXIII. Aditus autem duos, qui extra muros ad portam ducebant, maximis acutissimisque trabibus, in densum ordinem structis obsepit. Brundisinos, quibus parum confidebat, domi se continere jubet. His paratis milites silentio conscendunt naves: tum expediti, quos ex vocatis sagittariis atque fundítoribus, ad speciem retinendæ urbis in muro dispoluerat, certo signo revocantur: relictis actuariis navibus, quibus per itinera nota digressi, suos adsequerentur. Dum hæc geruntur, Brundisini ex tectis profectionem Pompeianorum nutu significabant. ergo Cæsariani scalis positis muros transgressi, in fossas & sudes incidissent; nisi monici ob oppidanis, & longo itinere circumducti ad portum forent.

Gloria ejus hoc facto imminuta. Plutarch. Dio. Cic Attic 8. 7. 11.

LXXIV. Ibi duas adhuc naves, cum militibus qui inerant, ad molem Cæsaris hærentes lintribus scaphisque circumvenerunt; injectisque ferreis manibus retraxerunt ad litus, repugnantibus aliquot interfectis. Sic expulsus Italia Pompeius, non modo Rempublicam, sed omnem gloriam suam, omnem virtutem perdidisse, factusque planæ alius esse videbatur, pristina ejus facta cum hoc recenti comparantibus. Urbem, quam defendi totius Imperii periculo æquius erat, adversario reliquerat, pecunia refertam, præsidio vacuam; Themistoclis usus consilio, quum tempora Periclem magis poscerent.

Comparatio hujus discessus cum prioribus gestis. Dio. Cic. Attic. 9. 11. 8. 25. 9. 14. 19. Lucanus 2. 363.

LXXV. Nunc etiam Italiam sedem Imperii, robur & seminarium Romanæ militiæ deserebat: ex eodem portu legiones & opes quas poterat avehens, contra cives usurus, in quem olim captivum aurum & Orientis spolia locupletandæ patriæ invexerat; dimissis eodem loco militibus, ut timere cives sui desinerent. Et qui antea Barbarorum immensas regiones populo Romano subjecerat; is nunc ibat illorum copias excitum, ut Italiam & Romam vastaret atque premeret:

meret: jam olim hoc consilio dimissis, qui classem Alexandria, Colchis, Tyro, Sidone, cæterisque omnibus insulis, mariti misque civitatibus aut Regnis, quorum ille studia habebat, ad intercludendos commeatus Italiæ, & ad occupandas frumentarias provincias cogerent. Ergo etiam priusquam excederet Brundisio, magna pars optimatum in Urbem redierat, Prætoresque & Ædiles partibus suis, tamquam in pace fungebantur. Nec hi tantum dolores Pompejum urebant, sed futuri metus & solicitudo plus angebant hominem, prodigiis etiam terrificis & minacibus. Ut enim primum Dyrrhachium appulit, priusquam litus tangeretur, milites quidam fulmine percussi; signa telis aranearum sordidata sunt: & quum Pompejus exscendisset, cunctis vestigia serpentes advoluti delerunt.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

C. Cæsar Massiliam, quæ portas ipsi clauserat, obsedit: & relictis in obsidione urbis ejus legatis, C. Trebonio, & D. Bruto, profectus in Hispaniam, L. Afranium, & C. Petrejum legatos Cn. Pompeji, cum septem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit, omnesque incolumes dimisit: Varrone quoque legato Pompeji cum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis civitatem dedit. Massilienses duobus navalibus præliis victi, post longam obsidionem potestati Cæsaris se permiserunt. C. Antonius legatus Cæsaris, malè contra Pompejanos in Illyrico rebus gestis, captus est. In quo bello Opitergini Transpadani Cæsaris auxiliares, rate sua ab hostilibus navibus clausa, potius quam in potestatem hostium venirent, inter se concurrentes occubuerunt. C. Curio legatus Cæsaris in Africa cum prospere adversus Varum Pompejanarum partium ducem pugnasset, à Juba Rege Mauritaniæ cum exercitu cæsus est. C. Cæsar in Græciam trajecit.

C. Cæsar intra sexaginta dies in potestatem Italia redacta, quum propter inopiam navium, sequi Pompejum, priusquam ille transmarinis auxiliis confirmaretur, non posset; sed nec Italiam propter duces Pompejanos, qui erant in Hispania, tuto relinqui putaret: Brundisii, Tarenti, Siponticque singulas legiones collocavit, ad maritimos exitus adventusque claudendos. Ipse quam primum in Urbem decurrere statuit, ubi jam olim ut quam plurimi Senatores essent, enixè contenderat, quo nimirum speciem aliquam auctoritatis publicæ suis armis circumdaret: ea re perfecta profecturus in Hispaniam, *ut veterem Pompeji exer-*

Cæsar in Urbem recurrit. Plutarch. Cic. Attic. 9. 3. 9. 18. 9. 3. 10. Cæsar. Dio. Appian. lib. 2. Civil. Sueton. Cæsare 34. a Plutarch. Cæsar. cap. 54.

Lucan. 5. 67. Florus 4. 2. 2.

cinum, quemadmodum inter ſuos erat profeſſus, *donec eſſet ſine duce, opprimeret; inde reverſurus ad ducem ſine exercitu.* Sed ut rei frumentariæ provideret, duo Italiæ horrea Sardiniam à Q. Valerio legato, Siciliam à Curione occupari jubet: quorum Valerio legionem unam, Curioni tres attribuerat.

Cato Sicilia cedit: Appian. Cicer. Attic. 10. 4. 10. 11. 10. 14. Cæſar. Plutarch. Catone c. 78. Dio. Cælius in Epiſt. Cic. Famil. 8. 15.

II. Hunc enim proprætore mittebat, cum ſex faſcibus laureatis, & mandato, recepta Sicilia protinus in Africam tranſmittendi. His rebus auditis, priuſquam venire Valerius in Sardiniam poſſet, Caralitani M. Cottam, qui eam provinciam obtinebat, oppido ſuo ejiciunt; atque ille Sardorum mente cognita, ſtatim in Africam profugit. Siciliæ Cato præerat; atque hactenus egregie ſe comparaverat ad bellum, habendis in inſula & vicina Italia delectibus, & claſſe conficienda: ita ut ſpes magna eſſet, teneri Siciliam nullo negotio poſſe. Sed ubi præmiſſus Afinius Pollio interroganti *utrumne Senatus, an vero populi juſſu veniſſet? mandatu ejus adeſſe* reſpondit, *qui tum Italiam haberet in poteſtate*, ſimul Pompeji fugam, & Curionis nunciavit adventum: pro concione oſtendit *ſatis ſibi virium eſſe ad expellendum Siciliæ Pollionem; ſed quia tum aliis copiis Curio exſpectetur, ſe innoxios exitioſo bello implicaturum non eſſe. cæterum mirari conſilia eorum, & perplexas abſtruſaſque rationes, qui Pompejo multa prava incipienti ſemper faviſſent: nunc pro libertate patriæ pugnantem deſererent.* pauca deinde queſtus eſt de Pompejo, *qui rebus omnibus imparatiſſimus, tantas turbas commoſſet, Senatuique perſuaſiſſet, omnia ad bellum egregie proviſa & comparata ſe habere.*

Cæſar Senatu habet Romæ. Appianus. Cæſar. Suetonius Cæſar. 34. 2. Plutarch. Cæſar. cap. 54. Dio.

III. Hæc in concione loquutus, Corcyram abnavigavit, ut Pompejo ſe conjungeret. Interea Cæſar, militibus in proxima municipia deductis, ut à labore reficerentur, ad Urbem profectus, de Republica cum Patribus qui tum aderant ſatis frequentes egit. Quippe Senatum M. Antonius, Q. Caſſius Tribuni plebis, extra pomœrium coëgerant. Ibi Cæſar commemoratis *inimicorum injuriis, ſuaque lenitate, in eos qui civibus ſuis præter neceſſitatem facerent bellum*, non ſine gravi imprecatione invectus eſt. *De ſe vero ſperare omnes omnia juſſit, qui & alios permultos adverſariorum conſervaſſet, & præcipuè L. Domitium dimiſiſſet, cum magna pecunia.* Fuit & auctor *mittendæ Senatus nomine legationis ad Pompejum & Conſules; neque enim ſe reformidare, quod Pompejus dixiſſet, ad quos legati mitterentur, iis auctoritatem attribui, timoremque eorum, qui mitterent, ſignificari.*

Et populum conſolatur. Dio. Appianus. Velleius 2. 50. 2. Cæſar. Plutarch.

IV. In eamdem ſententiam cum populo quoque, qui & ipſe ad eum ex Urbe confluxerat, loquutus, *miſerrima neceſſitudine* excuſata, *quod adverſariorum armis ad arma cogerctur; frumentum* promiſit *ex inſulis, & trecentos nummos viritim.* Ita ſpecie reverſa pacis, Senatus ad veſtitum rediit. Cæterum neque ſatis levatus hominum timor eſt, ſimilia Mariûm olim, ſimilia Sullam pollicitos eſſe reputantium, donec cupita adſequerentur: præſertim quum Urbs plena Cæſaris militibus eſſet. Irrita quoque fuit de legatis mittendis deliberatio; nec enim reperiri poterant, qui mitterentur: & qui delecti fuerant, id munus ancipiti metu ſubterfugiebant. Nam & Pompejum timebant, ne tamquam relictas ſæviret; & Cæſarem, ne aliud, quam quod præ ſe ferret, ſentiret cuperet. Idque poſtea magis eſt creditum, ubi *Piſonem licet ſocerum, offendiſſe fama fuit, quod ea de legatione verba liberius feciſſet.*

Ærarium à Cæſare effractum.

V. His diſputationibus excuſationibuſque triduum periit, quæ res ubi feſtinanti Cæſari cœpit eſſe faſtidio, nihil jam nomen Patrum, aut juris antiqui moratus imaginem, cætera ex uſu præſenti adminiſtravit. Igitur contempta L. Metelli Tribuni plebis interceſſione, quam inimici Cæſaris comparaverant; *quas tu leges advocas*, ait, *non belli ſed pacis reſpiciunt tempora: nunc Reipublicæ conſulendum eſt. Nec opus eſſet tibi reddi rationem factorum meorum; in quem animadvertere, ſicut & in cæteros quos cepi adverſarios, jure meo potuiſſem.* His dictis ad Ærarium profectus, quod erat in æde Saturni, quia claves ablatæ à Conſulibus fuerant, effringi jubet. Eodem & Metellus accurrit, ut vim prohibeat à foribus. Ibi vero Tribuno mortem minatus eſt Cæſar, hac voce addita: *Atqui, adoleſcens, non te latet, facilius hoc mibi quam dicto eſſe facilius.*

Ærarium effringit. Dio. Cæſar. Plutarch. Lucan. l. 3. Plutarch. Apophteg. Romanorum. cap. 43. Plutarch. Pompeio. cap. 203.

VI. Perterritus hac denunciatione Metellus, non ægre auſcultavit monenti Cottæ tempori cedere. Quod niſi eſſet factum, non dubitatur, quin itum in cædes foret, ſemel depoſita ſimulatione pacis. nam & iratus ultro Cæſar erat, & à multis incitabatur. Amoto Tribuno, quum adhuc obſtare religio videretur, quia ſanctius ærarium recludi præterquam tumultus Gallici cauſa, magnis additis exſecrationibus atque diris, majores vetuerant; *abiviſſe jam tempus iſtius curæ* dixit: *ſua enim opera proviſum eſſe, ne Gallos ulterius Roma timeret.* Protuliſſe tum ex ærario Cæſar dicitur auri pondo quatuor millia centum triginta quinque; argenti prope nongenta millia apud Oroſium leguntur: majorem longe ſummam Plinius indicare videtur, laterum aureorum ſex & viginti millia commemorans. Etiam laſerpitium, pondo centum undecim, inde prolatum à Cæſare idem Scriptor adnotavit. Offendit ea res plebis animos, nec obſcurum id Cæſari fuit.

Magnaſque inde opes profert. Cic. Attic. lib. 4. Lucan. Appianus. Oroſius. l. 15. Plin. l. 33.

VII. Idcirco quum ei certiſſimum fuiſſet, antequam proficiſceretur, concionem habere, non eſt auſus. Igitur rebus ut poterat conſtitutis, Ariſtobulum Judæum cum duabus legionibus in Syriam mittit, Pompejana conſilia turbaturum. Proſcriptorum à Sulla liberis jus honores petendi reddit: M. Æmilium Lepidum Urbi præficit; M. Antonium Tribunum Italiæ, & quas in ea relicturus erat copiis. Hujus fratri Cajo Illyricum; Licinio Craſſo citerior Gallia traditur. Paratur & gemina claſſis, ad ſuperum inferumque mare tutandum. Alteri harum, quæ ad Adriaticum mare excubabat, P. Cornelius Dolabella; alteri Q. Hortenſius filius Oratoris præficitur. At Cæſari primum ad legiones iter Ariminum fuit; inde trans Alpes in ulteriorem Galliam profectus, cognovit Vibullium Rufum, quem Corfinii dimiſerat, Pompeji mandato in Hiſpaniam iſſe; L. Domitium ad occupandam Maſſiliam profectum.

Cæſaris conſilia & apparatus. Cicer. Dio. Joſeph. 14. 13. Appianus. Cic. Phil. 4. 2. Cic. Attic. lib. 10. 4. Oroſius. Cæſar.

VIII. Quippe Domitius, quum diu incerti de eo rumores fuiſſent, in Coſanum ſuum ſe contulerat, ibique & in objecta Coſæ inſula Igilio, naves actuarias ſeptem à privatis coactas, ſervis, libertis, colonis ſuis compleverat. Forte ſub idem tempus Maſſilienſium legati revertebantur, quos ab Urbe diſcedens Pompejus erat hortatus. Horum adventu Cæſaris in Hiſpaniam feſtinantis expeditionem Maſſilia moratur: portas claudit: omnibus viribus ad tolerandam, ſi opus foret, obſidionem ſe comparat. Cæſar evocatis quindecim primis, cum his agit, *ne initium inferendi belli à Maſſilienſibus oriatur.* Illi quum ad ſuos ſe recepiſſent reverſi, ex auctoritate publica memorabile reſponſum referunt; *eſſe ſe ſocios populi Romani, omnibuſque Gallicis Hiſpaniſque bellis communia cum illo*

Maſſilienſes Cæſari portas claudunt. Cic. Attic. l. 2. 2. 2. 3. 4. 11. 18. Cæſar. Velleius. 2. 51. Dio. Lucan. Florus 4. 2. 20.

populo fata habere voluiſſe. Nunc etiam eamdem ſibi mentem, idem propoſitum manere, ſi contra externos hoſtes aquilæ Romanæ moveantur. ſed intelligere populum Romanum in partes diſceſſiſſe, Pompeio & Cæſare ducibus, patronis civitatis ſuæ. Utrius cauſa ſit æquior neque ſe inquirere curioſe; neque tantarum rerum arbitria peragere poſſe.

L. Domitium recipiunt. Lucan. Cæſar. Liv. Epitom.

IX. *Igitur pari utrimque jure, paribus beneficiis, uter veniſſet inermis, ei ſe aditum in urbem ſuam, honoremque & beneficia deferre. Sed neutrum duorum contra alterum juvare, oppidoque aut portubus recipere.* Non erat difficile ſentire Cæſaris animum hoc reſponſo mirifice offenſum fuiſſe, neque æquo animo paſſurum excludi ſe Maſſilia, cui caput terrarum Roma patuiſſet. Igitur hoc metu, & quia proniores in Pompejum erant, L. Domitium advenientem recipiunt, urbique præficiunt: onerarias naves, quas ubique poſſunt, exceptas in portus ſuos deducunt, frumentum in publicum conferunt, reliquas merces recondunt. Ergo Cæſar tribus adductis legionibus urbem obſidet, turres vineaſque agere inſtituit: naves longas duodecim Arelate fieri imperat. his intra triceſimum diem quam cæſa materia fuerat, ædificatis armatiſque D. Brutum præficit.

Obſidentur à Cæſare. Cæſar. Civ. l. 1. 36. Dio. Oroſius. 6. 15. Liv. Epitom.

X. Erat haud procul muris tumulus, æquali faſtigio, & ſatis ad caſtrorum ſpatium patenti, ubi Cæſar conſederat. Inter hunc & adverſam oppidi partem, quæ pari altitudine erat conſpicua, profunda vallis intercedebat. Id ſpatium explere Cæſar decreverat, inſani laborisopus; ſed ille jam multa talia, inauſa aut inaudita cæteris perfecerat. Prius tamen viſum, urbem qua terræ committitur (nam tres fere oppidi partes mari alluuntur) circumvallare, ductis utrimque à loco caſtrorum ad mare foſſis aggeribuſque, & per idonea ſpatia turribus interpoſitis. Ad hæc opera quum materia deeſſet, antiquæ religionis lucum exſcindi juſſit; militibuſque ſuperſtitione contantibus primus arripuit ſecurim. Cæterum proſpiciens longioris moræ negotium eſſe, quam ipſius rationes paterentur, C. Trebonium obſidioni præfecit, in Hiſpaniam profecturus, quo jam C. Fabium legatum cum legionibus ſex præmiſerat.

Cicero ad Pompeium ſe conferr. Cic. Attic. l. 14. Plutarch. Cic. cap. 38. Dio. Plutarch. Pomp. c. 70. Plutarch. Catone c. 58. Cæſar.

XI. Maſſilienſium factum, quum & per ſe luculentum eſſet, & prope certam ſpem faceret, in Hiſpaniis pro Pompejo eſſe omnia, quia ſi ſecus eſſet, homines & vicini & diligentes minus animi habituri videbantur; M. Cicero poſt longam & ancipitem dubitationem, ad Pompejum abnavigavit: ejuſque exemplum alii quidam Senatores, qui nondum exceſſerant Italia, ſequuti ſunt. Itaque his ad eos adjunctis, qui ante tranſgreſſi fuerant, major in caſtris Pompeii, quam in Urbe ſpecies Senatus erat; & quaſi de ſententia Patrum multa decernebantur. quorum illud plurimum favoris adjunxit partibus, quod Catonem ſequuti *civem Romanum præterquam in acie neminem occidi; neque oppidum ullum, quod populo Romano pacatum eſſet, diripi debere* ſanxerant. Ciceronem tamen clam corripuiſſe Cato dicitur, *quod præter neceſſitatem in caſtra veniſſet, plus profuturus patriæ, ſi medium ſe geſſiſſet, idoneum conciliatorem habituris partibus, quandocunque redire ad ſanitatem cœpiſſent.*

Bellum in Hiſpania incipit. Dio. Cæſar. Lucanus 4. 8.

XII. Inter hæc C. Fabius adhibita celeritate, præſidium L. Afranii ex Pyrenæo ſaltu dejecerat; magniſque itineribus ad exercitum Afranii contendebat. Sed Afranius cæterique legati adventu Vibullii Rufi, qui fuerat à Pompeio miſſus, ita compoſuerant, *ut Petrejus cum omnibus copiis ad Afranium proficiſceretur,*

Varro cum duabus legionibus Hiſpaniam ulteriorem omnem obtineret. Petreius & Afranius Aſturum Vettonumque & Celtiberorum coactis auxiliis, cæterarumque gentium, quæ ad Oceanum colunt; Ilerdam (quæ hodie leviter tranſpoſitis elementis Lerida vocatur:) belli ſedem deligunt, propter opportunitatem loci.

Pompeianorum copiæ in Hiſpania. Lucanus Cæſar. Dio.

XIII. Quippe in colle modico ad Sicorim amnem poſita, pontem lapideum habebat; campoſque circa patentes & fertile ſolum. Nec longe abinde Cinga fluvius, in Iberum evolvens aquas. Juxta tumulus erat paulo editior. eum ceperunt caſtris locum, omnibus eo contractis copiis. Afranius tres habebat legiones, duas Petreius: auxilia magna Hiſpanorum coëgerant, cohortes circiter octoginta, equitum utriuſque provinciæ circiter quinque millia. Duces communi conſilio parique jure adminiſtrabant omnia, & alternis ſignum toti exercitui dabant. Fabius contra hos caſtra metatus ad Sicorim duos in flumine pontes effecerat, inter ſe diſtantes millia paſſuum quatuor. his pontibus pabulatum crebro mittebat: quod idem quum & ab hoſtibus fieret, crebræ velitationes erant: nec ſine magno præſidio emitti pabulatores poterant. Accidit igitur, quum legiones Fabianæ duæ flumen tranſiſſent, impedimentaque & omnis equitatus ſequeretur, ut pons vi jumentorum & aquæ magnitudine interruptus, maximam partem equitum à legionibus divelleret. Hoc ubi ex aggere & cratibus, quæ prono flumine deferebantur, hoſtibus cognitum eſt: Afranius celeriter equitatum omnem legioneſque quatuor ſuo ponte tranſduxit.

Cæſar venit in Hiſpaniam. Dio. Cæſar. Front. Strat. l. 3. c. 8.

XIV. Ergo L. Plancus qui legionibus Fabianis præerat, locum ſuperiorem occupat, cujus auxilio adverſus multitudinem hoſtium ſe tutaretur. Prœlio ab equitibus commiſſo, procul viſa ſunt ſigna duarum legionum, quas C. Fabius, id quod erat ſuſpicatus, ſubſidio ſuis ulteriore ponte miſerat. Harum adventu prœlium dirimitur: copiæ utrimque in caſtra revertuntur, quum aliquam multi Fabianorum eſſent deſiderati. Eo biduo Cæſar ſupervenit, cum equitibus nongentis, quos ſibi præſidio retinuerat; & ponte noctu refici juſſo, cum omnibus copiis, præter ſex cohortes, quæ ponti caſtriſque præſidio relinquebantur, ad Afranii caſtra proficiſcitur, pugnandique poteſtatem hoſtibus facit. Quum hoſtes pugnare nollent, Cæſar ad quadringentos paſſus ab imis radicibus collis, quo in colle caſtra hoſtium erant, caſtra ponere ſtatuit: ſed veritus ne vallum eminus conſpiceretur, tantummodo foſſam pedum quindecim à fronte duci juſſit. idque opus, quum prima & ſecunda acie in loco ubi erant inſtructæ perſtantibus, tertia acies faceret, ignaro hoſte perfectum eſt.

Pugnam ad Ilerdam. Cæſar. Dio. Lucan.

XV. Intra hanc munitionem nocte tranſacta, poſtridie quia longius agger petendus erat, tota caſtra quemadmodum inſtituerat, permunit, ſingulis legionibus ſingula latera tribuens: ipſe cum reliquis tribus Afranium Petreiumq; ad turbandum opus venientes abſterret. Ita caſtris permunitis impedimenta & cohortes, quæ ſuperioribus in caſtris reliquerat, eodem traduci jubet. Erat inter oppidum & Afraniana caſtra planicies paſſuum circiter trecentorum, & in medio fere ſpatio tumulus ſurgebat, quem ſi occupaſſet Cæſar, oppido & ponte prohibiturus hoſtes videbatur. Igitur eductis inſtructiſque tribus legionibus, unius antеſignanos curſu contendere ad capiendum locum jubet. Sed Afraniani propiore ſpatio præcipiunt collem: ortaque pugna Cæſaris milites repelluntur. Igitur

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſubſidio adducta legio nona, quum invicem pepulisset hostes, fervore certaminis cedentes insequuta iniquum in locum successit.

Aquarum inundatio. Lucanus, Cæsar, Appianus lib. 2. Civil.

XVI. Quinque horis ibi dimicatum est; magno Julianorum periculo, in quos ex superioribus locis tela certo ictu adigebantur. Multo tamen plus vulnerum quam cædis fuit. hostium supra ducentos ceciderunt: Cæsar amisit circiter sexaginta. Victoriam utraque pars adscribebat sibi: Pompeiani propter tumulum retentum, qui pugnandi causa fuerat, & coactos terga vertere hostes; hi, quod numero & loco impari prælium tot horis sustinuerant, & ad extremum virtute conisi adscenderant montem, adversariosque inde in oppidum fugaverant. Majus inter hæc periculum, resolutis montium nivibus aquarum subita inundatio interminata est; quæ una die utrumque Cæsaris pontem interrupit. Castra erant inter duo flumina Sicorin & Cingam, quod spatium erat passuum circiter millia triginta. Inter hos conclusus tantus exercitus, neque juvari ab amicis civitatibus, quæ trans flumina erant positæ, nec ab iis comitatibus, qui permagni ex Gallia Italiaque veniebant, adiri poterat: & qui longius erant pabulatum egressi, ne ad castra reverterentur, magnitudine fluminum excludebantur.

Cæsar in magnis difficultatibus. Dio.

XVII. Ex proximis autem locis frumentum olim ab Afranianis comportatum Ilerdam fuerat; reliquum superioribus diebus copiæ Cæsaris absumpserant. At hostibus frumentum ante provisum erat: adhuc quotidie undique comportabatur: eratque pabuli & rerum omnium magna copia, quum ponte saxeo ad Ilerdam secure uterentur, & loca trans flumen integra, quo pervenire Cæsar non poterat, sine periculo haberent in potestate. Idcirco magnis in difficultatibus Cæsar erat multosque amittebat quotidie, qui pabulandi frumentandive causa progressi, ab Hispanis facile excipiebantur. Hispani enim, quia sine utribus in bellum ire non consueverunt, in hos vestimenta conjiciebant, ipsi cetris suppositis facile superabant flumina. Aliquot dies manserunt aquæ. Per quos comitatum, qui ex Gallia veniebat ad Cæsarem, Afranius subito aggressus, intercepit sagittarios Ruthenorum circiter ducentos, cum equitibus Gallis paucis, quum reliqui in montes proximos refugissent.

Cæsaris fames. Plutarch. Cæsar cap. 54. Dio. Cæsar. Lucanus.

XVIII. Inter hæc ingravescebat in castris Cæsaris fames: tanta jam caritate annonæ, ut denariis quinquaginta in modios frumentum emeretur. Hæc quum etiam inflatiora quam erant, Romam perscriberentur, multi eorum qui adhuc in Italia hæserant, ad Pompeium profecti sunt: alii ut principes hoc perferrent nuncium; alii ne post omnes venisse viderentur. At Cæsar frustra sæpius tentata pontium reficiendorum spe, quum irritus ejus conatus aquarum & hostium vi redderetur, naves facere instituit, quales Veneris ac Britannis in usu sunt, Pado aut mari stagnantibus. Carinæ fiebant ex levi materia: reliquum corpus viminibus contextum, coriis integebatur. Has idoneo numero profectus Cæsar carris junctis noctu ad millia passuum duo & viginti à castris deportat: ibique militum aliquo numero trajecto continentem ripæ collem communit; priusquam adversarii rem cognoscerent.

D. Brutus Massilienses vincit. Lucanus, Cæsar. Sidon. Dio.

XIX. Eo postea transducit legionem, & utraque rippa potitus, pontem sine molestia perficit biduo. sic ad eum perveniunt, qui ex Gallico comitatu evaserant, quique frumentandi causa profecti ex prioribus castris fuerant. Eodem die transmittit equites, & per has maximam hominum jumentorumque multitudinem,

quæ pabulatum egressa fuerat, intercipit, & de cetratis cohortibus, quæ subsidio suis venerant, unam longius procurrentem, secludit à reliquis atque delet. Ita res frumentaria privatim expeditur. Eodem tempore D. Brutus Massilienses navali prælio vicit. Longas illi habuerant septendecim, è quibus erant undecim tectæ: his complura minora navigia addiderant, retrorem ipsa specie multitudinis illaturi. inerat magnus sagittariorum numerus, magnus Albicorum, qui supra Massiliam incolunt, montanum durumque genus, & exercitatum in armis. Suos quoque servos & pastores L. Domitius in naves imposuerat, *si bene & gnaviter fegerent, libertate* promissa.

XX. Brutus pauciores quidem naves ducebat, sed fortiores, delecto virorum robore repletas. quippe Cæsar fortissimos ex antesignanis legionum id muneris poscentes, in classem imposuerat. Igitur hi virtuti confidentes, & quia celeritate navium & arte gubernatorum vincebantur, manicas & uncos præparârunt, quibus hostium naves retinerent. Massiliensium ea ratio fuit, ut donec liceret, maritimis artibus uterentur; quoties deprehensi essent, armis montanorum fiderent, qui non multum inferiores virtute Romanis erant. Igitur post acrem pugnam, quum singulæ ferme Romanæ naves, binis hostilibus prehensis, in utrumque latus dimicarent; hic pugnæ fuit exitus, ut magno Albicorum & pastorum amisso numero, Massiliensium naves caperentur aut deprimerentur novem. Nescio an isto prælio: (bis enim pugnatum est classibus:) illo certè bello, memoranda C. Acilii virtus exstiterit; qui decimæ legionis miles, abscissa dextra, quam in puppim hostium injecerat, læva retinuit navem: deinde in eam insiliens, umbone propulit hostes, neque prius pugnare destitit, quam captam profundo mergeret. C. Acilii virtus; Dio. Cæsar. Lucanus. Sueton. Cæsar. c. 69. Val. Maxim. l. 3. c. 2. Plutarch. Cæsar. cap. 26.

XXI. His ad Ilerdam nunciatis, ubi jam pontem Cæsar effecerat, omnia repente mutantur: hostes ex maxima fiducia in maximum metum veniunt, Cæsaris res omnibus modis fiunt superiores. Igitur aliquot Hispanorum populi, qui Pompeianarum partium semper fuerant, ad Cæsarem defecerunt. Oscenses & his contributi Calagurritani, Tarraconenses, Jacetani, Ausetani, Illurgavonenses, quinque magnæ civitates. Ab his frumento adiutus Cæsar, difficultates omnes pulchre explicat: quibus rebus permoti alii populi longius colentium, & quia falsum fuisse rumorem apparebat, *Pompeium cum legionibus per Mauritaniam venire*; ad Cæsaris amicitiam se transtulerunt. Perterritis hinc adversariis ut acrius instaret Cæsar: fossas pedum triginta ducere instituit, quibus pars aliqua fluminis averteretur; quo vado transiri posset, neque longo circumitu per pontem transmittendi equites forent. Cæsaris res mutantur in melius. Cicer. Dio. Florus. 4. c. 2. Lucanus.

XXII. Hoc opere prope confecto, Afranius & Petreius timentes, ne prævalido Cæsaris equitatu penitus frumento pabuloque intercluderentur, bellum ad Iberum fluvium in Celtiberiam transferre statuunt. Igitur ad Octogesam, quod ad Iberum est oppidum, pontem fieri imperant: legionibusque duabus Sicorim transductis castra muniunt. Hæc ubi sunt Cæsari per exploratores cognita, noctes dieique labore continuato eo rem deduxit, ut jam licet ægre, possent tamen atque auderent equites ejus flumen transire. Igitur hostes festinandum rati, præsidio Ilerdæ imposito, omnibus copiis Sicorim transeunt, & se eum præmissis legionibus conjungunt. Cæsar legiones immittere non poterat amne interposito: & si per pontem duceret, interea hostes evadebant, non amplius Hostes Octogesam petunt. Dio. Appian. lib. 2 Civil. Cæsar.

viginti paſſuum millibus diſtante quam petebant Octogeſa, quæ confici ab exercitu eodem die poterant.

Cæſar inſequitur. Dio. Cæſar.

XXIII. Igitur quod ſolum erat reliquum, *equites tranſire, & morari agmen* jubet. Hi tranſmiſſo flumine commodum ſuperveniunt, ut noctu moventibus tumultum facerent, iterque prohiberent. Ea res ſpectari luce reddita ex collibus, qui conjuncti Cæſaris caſtris erant, poterat. Accenſi ergo milites tantâ occaſione victoriæ, per tribunos & centuriones Cæſarem orant, *ut ſe trans flumen duceret; qua equitatus tranſiſſet, ea ſe quoque audere tranſmittere.* Cæſar etſi timebat exercitum tantæ magnitudinis & rapiditatis flumini objicere, tamen alacritatè ſuorum, & ſpe bene gerendæ rei excitatus, magnum jumentorum numerum infrà ſupraque conſtituit: *medio ſpatio tranſire milites* jubet. Erat adhuc ea fluminis altitudo, ut tantummodo humeris & ſummo pectore extarent, tranſducti tamen ſunt incolumes, quum paucos qui fluminis vi abrepti fuerant, equitatus excepiſſet.

Hoſtium profectionem impedit. Lucanus. Cæſar. Front. Strat. l. 6. 5. 2. 3.

XXIV. Strenue deinde pergentes, ut ſimul corpora frigore aquarum adfecta curſu refoverent; ad horam diei nonam adſequuti ſunt eos, qui de tertiâ vigilia exiverant. Hoſtes viſo Cæſaris exercitu, locum ſuperiorem ceperunt, aciemque ſtruxerunt. Cæſar interim ſuos requieſcere jubet; deinde iterum progredientes hoſtes inſequitur. Illi quum haud amplius quinque millia paſſuum abeſſent à montoſis & anguſtis locis, quæ ſi modico præſidio occupaſſent, immunes ab equitatu Cæſaris, ad Iberum pervenire, eumque tuto tranſmittere poterant; tamen totius diei pugna & itinere defatigati, caſtra poſuerunt. Nocte proxima excepti ab equitibus aquatores, Cæſarem certiorem fecerunt, *adverſarios ſilentio proficiſci.* Idcirco *ſignum dari, vaſa militari more conclamari, & præter adverſariorum caſtra mulos agi cum fremitu, ſonumque continuari* juſſit: hoc aſtu adeptus quod quærebat, ut ſine fatigatione ſui militis hoſtes detinerentur: nam illi audito tumultu, nocturnam pugnam, aut Cæſaris equitatum veriti, conſilio mutato copias in caſtris tenuerunt.

Ad præoccupandos montes feſtinat. Frontin. Stratagem. 5. Cæſar.

XXV. Poſtero die quum Petreius locis exploratis rediſſet, deliberatum à ducibus eſt, quando exeundum caſtris foret. Tandem nocturno itinere damnato, quo neque fallere Cæſaris diligentiam, neque vim repellere poſſent, prima luce ſequentis diei conſtituerunt proficiſci. Quod ubi tempus advenit, Cæſarem cum omnibus copiis retrocedere viderunt, tamquam Herdam reverteretur. Id propter inopiam fieri reputantes, quod ſine jumentis impedimentiſque profectum animadverterant; læti procurrebant ex caſtris, contumelioſiſque vocibus Julianos proſequebantur. Sed alia longe mens Cæſari fuit: qui ad præoccupandos montes feſtinans, quia caſtris adverſariorum præcluſum iter erat, per tranſverſas vales, & aſpera ſaxa enitebatur, ut his ſuperatis haud longo circumitu in deſtitutam partem flecteret. Id ubi eſt ab Afranianis animadverſum, tam ſegnis nemo fuit, quin effuſo curſu eoldem petendos eſſe montes putaret.

Hoſtes in magnas difficultates conjicit. Dio. Cæſar. lib. 1. Civil. Lucanus 5.

XXVI. Eo res erat deducta, ut ſi præveniſſet Cæſar, omnia in ejus poteſtate eſſent futura: præventus ab hoſtibus, impedimentis tamen, & cohortibus quæ in caſtris eorum erant relictæ, potiretur. In hoc certamine celeritatis Cæſarem difficultates viarum male habebant; Afranius & Petreius per Cæſaris equites impediebantur. Hæc moleſtior mora fuit: priorque Cæſar itinere confecto

aciem

aciem in planicie inter magnas rupes sita struxit. Afranius à Julianis se circumventum videns in colle quodam constitit: emissisque cohortibus cetratis quatuor, montem qui erant in conspectu excelsissimus, occupari jussit, castra ibi positurus. Sed cetrati ab equitatu Cæsaris ad unum omnes interficiuntur. Hoc facto pugnandi cupiditate Cæsaris copiæ accenduntur, prœliumque postulant: *si hæc prætermittatur occasio, se postea quum Cæsar vellet, non esse pugnaturos* minantur.

XXVII. Cæsar tamen neque suos objicere vulneribus & periculo volens, neque eives occidere, quibus clementiam suam omnibus modis approbare studebat, abstinuit prœlio, futurum sperans, ut sine pugna bellum conficeret, quod & aqua & re frumentaria hostes intercluserat. Igitur castra quam proxime hostem posuit: & postridie quum Pompeiani frequentes aquatum exivissent, immisso equitatu nihil eis totum aut tranquillum esse passus est. Ea re cognita Afranius atque Petreius id consilii capiunt, ut à vallo ad aquam brachiis ductis, aquationem expediant. Hujus operis causa quum longius paulo discessissent, liberam colloquendi facultatem nacti milites, de pace agere incipiunt: paulatimque eo progrediuntur, ut incolumitatem ducibus pacti, per primores centurionum Cæsari pollicerentur, *se signa ad eum translaturos esse*. Milites Pompeiani de pace cogitant. Appianus. Cæsar. Dio. Lucanus 4. 291.

XXVIII. Quum jam omnium voluntate pro confecta pax haberetur, tamquam una ex duobus castra facta essent, permixti milites, ut quisque suos in tentoria abduxerat, aut sequuti fuerant; multa lætitia & gratulatione noctem celebrabant. His rebus auditis, Afranius in castra recurrit, ita comparatus, ut quidquid accidisset, lacturus non iniquo animo videretur. At Petreius familiam armat, & cum hac & Prætoria cohorte, & paucis barbaris equitibus beneficiariis suis, subito advolat, & quotquot deprehendere Cæsaris militum potest, obtruncat; tanto furore, ut etiam tribunum è suis, qui retinere impetum ejus voluerat, contoderet. Deinde flens circumit manipulos, *ne se, neu Pompeium absentem deserant prodantque* obtestatur. Miles, subito immutatis animis, in Prætorium concurrit. Ibi jusjurandum concipit Petreius, *se exercitum ducesque non proditurum, neque deserturum, neque sibi separatim à reliquis consilium capturum.* in hæc verba jurat ipse prior: adigit & Afranium in eadem; tribuni centurionesque, deinde manipuli sequuntur. Petreius eam turbat. Lucanus. Cæsar. Appian. Dio. Sueton. Cæsar. 78.

XXIX. Juliani, qui adhuc in castris essent, produci jubentur. qui producti sunt, interficiuntur in Prætorio. pleroſque tamen ii qui receperant, celant; noctuque per vallum emittunt. Cæsar tamen admissam in se perfidiam non sustinuit imitari, quamvis multos sane suorum amiserat: sed conquisitos, qui Pompeianorum sua in castra venerant, remisit omnes, exceptis aliquot tribunis & centurionibus, qui sponte apud eum remanserunt. Renovato bello Afraniani pabuli & aquarum inopia premebantur: frumenti nonnullam copiam habebant, quod ab Ilerda cibaria dierum duodecim extulerat. sed auxiliares, quod unius diei se inire iter putabant, neque ad portanda onera erant adsuefacti, fame infestabantur. Ideirco ex eo genere crebra ad Cæsarem transfugia fiebant. In his angustiis nihil erat Pompeianis ducibus reliquum; quam ut vel Ilerdam reverterentur; el Tarraconem pergerent. Tarraco longius aberat; & Ilerdæ nonnihil frumenti erat relictum: igitur hoc probato consilio, profectionem instituunt. Renovatur bellum. Lucanus. Cæsar. Sueton. Dio.

Sed impeditâ Cæsare. Frontinus Strateg. 2. 13. Cæsar.

XXX. Cæsar cum legionibus sequitur, equitatu carpit novissimos. ad hunc repellendum sæpe se convertunt hostes; ita simul inceditur: simul sine intermissione pugnatur. Quum ægre ad millia quatuor confecta viæ esset, montem excelsum capiunt, & à fronte muniunt quasi castra metaturi. Sed onerata jumenta retinuerant; & postquam Cæsarem castra posuisse, & equites pabulatum dimisisse sensissent, sub meridiem subito discesserunt, ut priusquam revocare Cæsar equites posset, aliquantum itineris conficeretur. Is quoque vanus eis conatus fuit. Cæsar statim cum legionibus subsequutus, & post paucas horas equitatus supervenions, castra ubi minime voluissent, metari coëgit. Substitit etiam in propinquo Cæsar: sed tabernacula poni non est passus; quo paratus esset ad insequendum, quandocumque movissent. Nam prælio abstinere superioribus de causis decreverat.

In maximas incidunt calamitates. Plutarch. Cæsar. cap. 54. Florus. 4. 2. 28. Cæsar. Front. Strat. 2. 2. 12.

XXXI. Afraniani tota nocte castra proferunt, commodiorem captantes locum; sed quo plus procedebant opera, longius ab aqua discedebatur; eoque res deducta erat, ut priora mala non nisi aliis malis corrigi possent. Ea nocte aquatum nemo profectus est. Postero die, præter castrorum præsidium, universus exercitus ad aquam educitur: pabulatum it nemo. Tum Cæsar, ut his incommodis vexatos ad deditionem sine pugna cogeret, vallum fossamque circumducere cœpit, ne qua possent erumpere. At illis omnis in hoc uno spes erat reliqua. Idcirco & inopia pabuli, & quo expeditiores essent, omnibus farcinariis jumentis interfectis, tertia die, quam circumvallari cœperant, circiter horam octavam, aciem pro castris constituerunt. Eduxit & Cæsar suos, sed ita paratus animatusque, ut lacessentibus repugnaret; signa non inferret prior.

Colloquio petito. Front. Lucanus. 4. 277. Cæsar. Dio.

XXXII. Præter pristinas rationes alienum dimicationi tempus arbitrabatur, quod adversarios ira & necessitas stimulabant: quæ res etiam ignavis animum viresque facere consueverunt. Accedebat ad hæc, quod in tanta vicinitate castrorum, vix enim mille passus intercrant, nihil ad summam erat profecturus parato hostibus, si pellerentur, receptu. Sic neutris pugnam incipientibus, quum ad noctem usque perstitissent acies, in castra reductæ sunt. Postridie dum Cæsar operibus suis perficiendis instat; Afraniani vadum Sicoris tentare cœperunt. Cæsar, ut hanc quoque spem illis amputaret, *Germanos levis armaturæ cum equitum parte transire flumen, crebrisque stationibus observari ripas* jubet. Quum ita quartum in diem equi hostium pabulo carerent; ipsi aqua, lignatione, frumentatione prohiberentur, & in maxima siti terram fodiendo, frustra puteos intra castra quæsivissent, *colloquium* defessi duces petunt; *& id si fieri posset, remoto à militibus loco.*

Afranius suppliciter orat veniam. Appianus. lib. 2. Civil. Lucanus.

XXXIII. Colloquium concessum est, de loco negatum. Igitur utroque exercitu coram, Afranius excusare incipit, *quod fidei, suo Imperatori servandæ caussa, contra Cæsarem tetendissent. Id se adeo nullo Cæsaris odio fecisse, sed præoccupatos legatione à Cn. Pompejo, priusquam ulla civilis belli suspicio exstitisset. Omnia expertos eo devenisse necessitatis, ut victos se esse fateantur. tandem misericordiam Cæsaris* suppliciter appellat.

XXXIV. Cæsar ad hæc leviter exprobrans *ducum pertinaciam, qui neque Cæsaris lenitatem; neque suorum ipsi militum desiderium reveriti quæsitam con-*

ſectamque pacem pati noluiſſent, accidere ipſis ait, *quod ſoleat hominibus nimiæ arrogantiæ, ut quod paulo ante contempſerint, flagranter expetant. Se tamen neque illorum culpa, neque opportunitate temporum poſſe permoveri, uti ab ſua priſtina manſuetudine diſcedat. Igitur, quantumlibet ſibi in manuſit, retinere victas legiones; idque etiam facere debeat, ſi eaſdem illas contra ſe & paratas, & tot per annos retentas eſſe reputet; tamen ſe contentum fore, ſi effecerit, ne hoc exercitu adverſarii contra ſe amplius uti poſſint. Unam igitur hanc eſſe conditionem pacis, ut Afranius & Petreius Hiſpaniis excedant, copiaſque dimittant. Id ſi fiat, nemini ſe nociturum.* Ea res acceptiſſima militibus Afranianis fuit: quod ultro commodum haberent miſſionis, qui à victore pœnam timuiſſent. Idcirco, quum de loco & tempore dimittendi cœptum eſſet agi, geſtu ac voce ſignificarunt, *ſtatim mitti velle. nec enim poſtea fidem promiſſorum præſtituros duces, ſi præſens neceſſitas abſceſſiſſet.* Tandem ita convenit, *ut qui poſſeſſiones haberent in Hiſpania ſtatim; reliqui ad Varum flumen*, qui Galliarum & Liguriæ terminus eſt, dimitterentur.

Concedit ei Cæſar certa conditione. Dio. Cæſar; Appianus. Liv. Epitom. Lucan. Strab. lib. 4.

XXXV. Proximo biduo milites, ſi quas inter ſe controverſias haberent, ultro ad Cæſarem in jus adierunt. Interea tertia ferme copiarum dimiſſa parte, Q. Fufio Kaleno legato Cæſar deducendos reliquos dedit. profectio ſic inſtituta eſt, ut duæ legiones Cæſaris antecederent, cæteræ ſequerentur, in medio Afranani eſſent; & terna caſtra in vicino ponerentur. Ubi perventum ad Varum, reliquus exercitus dimiſſus eſt. Duces cum inſignioribus centurionum & militum ad Pompeium profecti ſunt; aliorum magnus numerus feliciora auſpicia ſequi certus ſacramento apud Cæſarem dixit. Cæſar his rebus geſtis, quamquam multis magniſque cauſis in Italiam revocabatur; tamen niſi perpacata Hiſpania excedere nolebat: veritus, quia in citeriore provincia maximas clientelas Pompeius habebat, ne iterum bellum ingens exſiſteret.

Pompeiani excedunt Hiſpania. Appianus. Cæſar. cap. 54. Dio. Cæſar. Civil. 2. 18.

XXXVI. Idcirco Q. Caſſio Longino Tribuno plebis cum duobus legionibus præmiſſo; ipſe ſexcentos equites magnis itineribus ducit Cordubam, quo convenire magiſtratus principeſque provinciæ juſſerat. Nulla fuit civitas, quæ detrectaret imperium. Contra Varroni, qui hactenus eam, provinciam obtinuerat, & compleris duabus legionibus triginta cohortes alarias adjecerat; ſubito infeſta omnia fiunt. Cordubenſes præſidium ab eo miſſum, in ſua poteſtate habent; Carmonenſes ejiciunt. Varro Gades ire deſtinaverat, in ea inſula frumento navibuſque comparatis, duci bellum poſſe ratus: oppidoque C. Gallonium familiarem Domitii præfecerat. Sed is Gaditanorum minis territus profugit. Varroni quum Gadium, quum Italiæ præcluſus aditus eſſet, & una legio ex duabus, ipſo inſpectante, diſceſſiſſet è caſtris, alteram, cum publicis rationibus, & pecunia quam habebat, Cæſari tradidit.

Varro Cæſari ſe dedit.

XXXVII. Cæſar Gades profectus, *pecunias monumentaque referri in templum Herculis* jubet, quæ erant inde juſſu Varronis deprompta. Gaditanis civitatem Romanam dat; idque beneficium poſtea populus Romanus habuit ratum. Provinciæ Q. Caſſius præficitur; quod Quæſtor olim Pompeii gentis mores perdidiciſſe credebatur; eique legiones quatuor attribuuntur. Nemini ulla fit à Cæſare injuria, præterquam quod pecunia ubique grandis exigebatur. His

Cæſar conſtituit Hiſpaniâ. Liv. Epitom. Dio. Appianus. Cæſar.

Maſſilienſes Cæſari ſe dedunt.

rebus ita conſtitutis, Cæſar Varronianis navibus Tarraconem revertitur, ibique conventum provinciæ citerioris agit: & quemadmodum in ulteriore fecerat, publice privatimque præmia bene meritis diſtribuit. Pedeſtri deinde itinere Narbonem digreſſus, quum per Pyrenæum pergeret, trophæum nullum poſuit; quod ea res Pompeio quoque crimini erat data: ſed aram haud procul Pompejanis monumentis ingenti mole ex polito lapide ſtruxit, Alexandrum imitatus, qui ad imitationem Herculis & Liberi multis locis, ad propagandam victoriarum ſuarum memoriam aras erexiſſe ferebantur.

Maſſiliam proficiſcitur: Flor. 4. 2. 24. Dio.

XXXVIII. Quum Narbonem perveniſſet, cognitis quæ interim erant ad Maſſiliam geſta; eo proficiſci ſtatuit. Quippe Maſſilienſes nihil damno navalis pugnæ deterriti, C. Trebonio quem obſidioni præfecerat Cæſar, ſtrenue reſtiterant: & maxima ejus opera tormentorum multitudine, & loci natura ac munitione adjuti perruperant, ea machinarum violentia, ut afferes pedum duodecim ferreis præfixi cuſpidibus, ingentibus balliſtis per quatuor ordines eratum tranſacti in terram penetrarent. Interim L. Naſidius imprudente Curione per Siculum fretum, cum navibus ſeptemdecim ad Maſſilienſium caſtellum Tauroeuta pervenit: auctorque fuit civitati, ut denuo maritimæ pugnæ fortunam tentaret. At Brutus, ad priorem claſſem additis navibus, quas de Maſſilienſibus nuper ceperat, iterum eos profligavit: navibus demerſis quinque, quatuor captis. una cum Naſidianis navibus diſceſſit, quæ vix cœpto certamine profugerant.

Eamque recipit. Florus. Cæſar. Cic. Philip. 6. Oroſius 6. 15. Iod. lib. 42. Cicer. Strab. lib. 4.

XXXIX. Nec tamen eo ſecius in defenſionis ſuſcepto propoſito perſeveratum fuit: quamquam Cæſari jam Hiſpanias acceſſiſſe fama tulerat. Ingentia deinceps opera Trebonii & incenſa ab hoſtibus & à Trebonio refecta ſunt: quorum adnotare rationem nihil attinet, quum Cæſaris commentarii vivant, quibus tota iſta obſidio inimitabili noſtris temporibus elegantia deſcribitur. Ad ultimum omnibus defatigati malis, nam ad incommoda belli è victu tenui & corrupto (hordeo & panico vetere alebantur) peſtilentia malum acceſſerat; Cæſaris fidei ſe permiſerunt. Fuerat iis Cæſar, nec ſine cauſſa iratiſſimus. igitur præter vitam, & libertatem nihil ferme reliquit victis. arma, naves, pecuniæ ſtatim, cætera mox adempta ſunt. Poſtea tamen ſubinde remiſit aliquid iræ, nomini parcens & vetuſtati civitatis.

Dictator dictus. Cic. Attic. 9. 9. 10. Dio. Liv. 4. 31. 2. Plutarch. Cæſar. cap. 54.

XL. Sed paucis ante diebus quam in poteſtatem Cæſaris Maſſilia concederet, L. Domitius eum una nave profugerat. His rebus ita geſtis Cæſar, præmiſſis aliquot legionibus in Italiam; proficiſci ad Urbem ſtatuit: quod ſe Dictatorem eſſe dictum Narbone cognoverat. Rem tantam temporum potius licentia, quam jure & more Miorum M. Æmilius Lepidus Prætor perfecerat, is qui poſtea cum Antonio & Octaviano Cæſare Triumviratum invaſit. *Falſo credi* iactabar, *niſi à Conſule Dictatorem dici non poſſe: nam & olim à Tribuno militum A. Cornelio Mammercum Æmilium dictum eſſe de ſententia collegii, quum itidem propter intempeſtivam quorumdam dubitationem Augures conſuli Senatus cenſuiſſet.* Ita exteris invitiſſimis propoſitum Lepidus tenuit; *Senatus* tamen obtendens *auctoritatem populique juſſum*: quum in his nominibus nihil tum præter ipſa nomina foret.

Nona legio ſeditionem movet.

XLI. Sed arma hoſtium, atque jura civium pari impetu proterentem, pars exer-

ci.us, quo adjutore hæc omnia egerat, terrere ſeditionibus cœpit. Nona legio, præmiſſa cum aliis in Italiam, poſtquam Placentiam attigerat, tumultum movit: *miſſionem* poſtulans; *quam olim etiam decreto Senatus juſſam, tot iniquis laboribus vulneribuſque abunde meruiſſent. Præterea ſibi ad Brundiſium denarios quingenos promiſſos, neque dum repreſentatos eſſe.* Verior tamen cauſſa erat, militum cupiditas & ira; quod prædæ ſuæ cuncta ceſſura ſperantes poſt victoriam, ab omni injuria temperare cogebantur. ſimul ea opinione ferociam augebant, quod armato adhuc Pompejo, ſuæ opis egere Cæſarem arbitrabantur. At ille inſolens eogi, ſemperque in maximis periculis maximum animum habere ſuetus, minime ceſſit tumultuantibus: quamquam eo jam eſſet provecta ſeditio, ut in perniciem Imperatoris eruptura videretur. Lucan. 5.237 Sueton. Cæſar. 70. 2. Cic. Famil. 8. 8. 18. Dio. Appian. lib. 2. Civil. Front. Strat. 3. 9. 4.

XLII. Vocatos igitur in concionem milites (nam audito hoc motu celeriter Maſſilia advolaverat) ſimul adeſſe juſſis quos ipſe adduxerat præſidii cauſſa; & ut plures diſcerent, quam immotum adverſus ejuſmodi terrores Imperatorem haberent; ita circumfuſos adfatus eſt. *Quis novus hic inceſſit animus veſtris furor, ut omnibus his bellis tranquilli & obſequentes, hoc maxime tempore ſeditionem captetis, quo ego, fine jam inſtante laboris, de præmiis veſtris attentiſſime cogitabam? quæ vos omnia vaecordiſſima audacia corrumpitis: priora merita oblitteratis: me, quem ſuper veſtri cupidiſſimum eſtis experti, ex Imperatore veſtro inimicum atque hoſtem redegiſtis. An enim ſtolidas illas minas, & temerarias voces veſtras, terrore potius quam ira pectui hoc repleturas putaviſtis? Scilicet, qui barbarorum ferociſſimos domui; civium potentiſſimos coegi in ordinem, non timui Pompejos, non timui Scipiones, militum meorum voces, militum meorum manus timeam!* Cæſaris oratio ad ſeditioſos. Sueton. Lucanus.

XLIII. *En adſum C. Cæſar? nudumque pectus & paratum percuſſoris offere. peragite ſcelus, & cujus ante hanc fortunam imperio ſemper paruiſtis, nunc omnium late victorem, ſi audetis, contemnite! Quod ſi vero, uti res docet, tantum animorum non eſt, ut vel conſpectum meum ferre poſſitis; quanto intervallo meam veſtramque conditionem fata diſcreverint, diſcite. Miſſionem poſtulatis, tanquam carere vobis hoc tempore nequeam. Ecce autem do quod petitis, voſque à ſignis meis diſcedere jubeo. An enim exſtimatis, ſi à vobis deſeror, defuturas mihi manus, quibus paucas has bellorum reliquias profligem? Bonus & felix Imperator ubivis reperit milites; & ſi nulli uſquam eſſent, abducerem vel ex hoſtium caſtris. Utrum ego vobis, an vero vos me magis indigeatis, hæc tam recentia, tam certa documenta admonere vos non potuerunt?* Negat ſe illorum opera indigere. Front. Strat. 2. 9. 4. Lucan.

XLIV. *Nuper tantum bellum cum paucis cohortibus orſus, intra viceſimum diem ſupra quatuor legiones hoſtium meas feci. atque illi milites læti lubenteſque imperata faciunt; & quod me potius Imperatore ferunt arma, fortunæ ſuæ gratulantur. Vos quoque, ſi aliis ſub ducibus merentes in meam venuſſetis poteſtatem, idem faceretis. Nunc ſecunda tantum, Imperatoris veſtri virtute, non veſtra (ne erretis) experti; neque cui militetis, neque qui vos ipſi ſitis, agniſcitis. Agite ſi placet, & vel ad Pompejum tranſite. ecquis veſtrum tam eſt arrogans, ut non multis modis T. Labieno ſe fateatur inferiorē? At ille meis auſpicus ubiq; magnificus ubiq; victor, cum Imperatore mutavit fortunam, & quaſi repente factus eſſet alius, ignarus antea timoris & fugæ, nunc nuſquam locorum audet conſiſtere. Ite, ite,* Sibi vel ab hoſtibus militū copiam fore.

& hoc exemplum ſequimini, quando vos felicitatis veſtræ piget.

Legioni decimationem minatur. Appian. lib. 2. Civil. Dio.

XLV. *Stipendia vobis juſto tempore dantur; annona nunquam defuit; nihil operæ vobis, nihil periculi injunctum eſt, cujus vos pœnitere debeat. Majore ſudoris quam ſanguinis impenſa res omnium precioſiſſimas, ſecuritatem, gloriam, victoriam quæſiviſtis. neque dona vobis atque præmia defuerunt, quæ ſemper larga manu diſtribui; in pœnis paretur, nec temere ultra verborum caſtigationem progreſſus. At nunc, ut ſentiatis quem provocaveritis, utque veſtræ pœnæ exemplum à pari inſania Romanos exercitus abſterreat, morem majorum, & clariſſimorum ducum inſtituta ſequutus, legionem decimabo. Sane amari ſemper à militibus meis, quam timeri malui. Sed quoniam alterum, quum præſtare deberetis, omiſiſtis: alterum, quod effeciſtis neceſſarium, ſubite.*

Sed multitudini dat veniam.

XLVI. Quum hanc ad vocem orta militum comploratio eſſet, tribuni centurioneſque exquiſitiſſimis precibus placare Cæſaris iram niſi, vix tandem effecerunt, ut flecti videretur. Igitur reſumpto ſermone: *Nihil quidem concedi*, ait, *oportebat, ita meritis; ſed tamen contentus pœna paucorum, dabo multitudini pœnitentiæ locum. Vos autem, quibus hæc venia conceditur, quid actum ſit hodie, & qua ſpe pactoque dimittamini, diligenter mementote. Nam ſi poſtea vel minimi motus aut auctores aliis, aut ſocii fueritis, veteris ſimul recentiſque delicti pœnam non effugietis. Militem non ſolum indefeſſum ad labores, impigrum ad prælia: ſed etiam vel maxime morigerum duci eſſe oportet: hoc ſi abſit, reliqua ſæpius in perniciem omnium*, quam *cujuſquam commodo cedunt. Majores noſtri, penes quos aliquot ſæculis ſumma belli gloria per homines fuit: nullius rei diligentiores, quam diſciplinæ militaris, cuſtodes fuerunt. Iiſdem illis certum immotumque ſemper fuit, plus in duce quam in exercitu reponere.*

Tantum duodecim puniuntur.

XLVII. *Atque hoc univerſa rerum natura docere pauliſper attentos debuiſſet. ubique minoris eſt quod regitur, quam quod imperat. Ideoque Jovem, cujus in poteſtate omnia eſſe credimus, optimum maximumque vocamus: & in homine membris omnibus totoque corpore, una mens à qua reguntur, potior eſt. Hæc prius intelligere vos volu ſem, & erat melius: ut tamen ſimul & neceſſariæ ſeveritatis, & ſolitæ clementiæ meæ ratio habeatur; in paucos edam exemplum quod in totam legionem oportuiſſet. Centum & viginti ſeditionis auctores depoſco, inde duodecim ad pœnam ſorte vocentur; & erit aliquod pœnitentiæ ſignum, ſi peſſimos homines, obedienter tradideritis.* Sortes ita de induſtria ſunt temperatæ, ut ſeditioſiſſimus quiſque duceretur. Sed quum ex hoc numero unum tempore ſeditionis abfuiſſe conſtaret, *centurionem, cujus calumnia nomen delatum innocentis fuerat, pro illo* Cæſar *occidi* juſſit. His ſecuri percuſſis, exauctorata legio non ferens ignominiam, quum repudiari ſuam operam cerneret, non deſtitit ſatisfacere Imperatori, donec multis & ſupplicibus precibus exorato, priſtinum in Sacramentum reciperetur.

Cæſar Romæ dictaturam init. Front. Strat. 4. 5. 2. Sueton. Cæſar. 76. 2. L. can. 5 374. Plutarch. Cæſar. 54. Cic. Atti. 9. 11.

XLVIII. Placentina ſeditione cõpoſita, Cæſar legiones maximis itineribus in Apuliam & Bruttium mittit; navium undique contrahendarum cauſſa: ipſe Romam in faciem pacis cum inermi comitatu profectus, Dictaturam iniit, ut roganti ſcilicet populo Romano gratificaretur. Cæterum ille Conſul in annum ſequentem creari voluerat, ut tyrannicam poteſtatem quam uſurpabat, legitimi magiſtratus vocabulo obtegeret. Simul ſervari ſpeciem Reipublicæ volebat, &

quia Conſules ambo ſequuti Pompejum fuerant, nec Prætoribus creandi Conſules jus eſſe dicebatur; neceſſario faciundum putavit, ut Comitiorum habendorum cauſſa Dictaturam adſumeret.

XLIX. In hoc magiſtratu exſulibus, præter T. Annium Milonem, reditum decrevit; & proſcriptorum à Sulla liberis jus petendorum honorum contra legem Corneliam dedit. Ariſtobulum quondam Judææ Regem, deinde triumphatum Pompeio, remiſit daturum in Syria turbas. Sed *ille* quidem *à Pompeianis veneno eſſe interceptus* traditur: filium Alexandrum, acceptis ea de re Pompeii literis, Luc. Scipio ſecuri percuſſit Antiochiæ, latrocinia objiciens. Habuit deinde comitia, ſeque & P. Servilium deſignavit Conſules. is enim erat annus, quo Conſulatum ei gerere per leges licebat; quarum vim quum vi majore ſolveret, ſpeciem ubivis magna veneratione ſectabatur. L. Piſonem collegam adſumpturus videbatur. Sed quia *legatos ad Pompejum mittendos* Piſo cenſuerat, eratque eam ob cauſſam increpitus ab Iſaurico; *illi* honorem libertas abſtulit, huic adulatio dedit. Comitia cæterorum quoque magiſtratuum ſunt habita; Pontificum etiam, in loca demortuorum: Feriæque Latinæ celebratæ.

Ejus Acta Urbana. Dionyſ. Halic. 8. 92. Sueton Cæſar. 41. 4. Joſeph. 14. 13. 14. 15. Dio. Cæſar Civil. Lucan. Plutarch.

L. Oppreſſis deinde ære alieno conſulendum putavit; ſed ita, ne ſubruere fidem, & dum aliorum neceſſitati cupidius conſulit, aliorum juri vim facere intolerandam videretur. Conſtituit igitur, *ut arbitri darentur* (nam ipſius verba lubentiſſime pono) *per quos fierent æſtimationes poſſeſſionum & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuiſſet, atque eæ creditoribus tranſderentur*, Hi arbitratores, ne quis alteri parti addictiores electos quereretur, ſorte creabantur. Hac conditione quarta fere pars crediti deperibat: ſed facile patiebantur homines, quia timor novarum tabularum, quæ vulgo poſtulari cœperant, tollebatur. Quia deinde rumor percrebuerat, multos aurum argentumq; ne creditoribus ſolverent, ſupprimere; horum nequitia abuſus, legem tulit, *ne quis ſupra ſeſtertia ſexaginta in numerato* haberet. ſic providebatur, ne quis magnarum opum fiducia adjicere ad res novandas animum poſſet. Plebs ad hæc addi poſtulabat, *ut præmia ſervis, qui dominos in hanc legem peccantes detuliſſent, decernerentur*: ſed abnuit Cæſar, juratuſque negavit *ſervis adverſus dominos creditorum*.

Ejus de alieno ære æquiſſima conſtitutio. Sueton. Cæſare 42 3. Appian. Dio.

LI. Inter hæc tam proſpera non modicam accepit per duces ſuos in Illyrico cladem. P. Cornelium Dolabellam, quum à Cæſare naves haberet, M. Octavius & L. Scribonius Libo, quos Liburniæ atque Achaicæ claſſi Pompeius præfecerat, victum, exutumque copiis Dalmatia expulerunt. Sed ille quidem amiſſa claſſe, perfugit ad C. Antonium, qui ad Curictam (Japodum litoribus adſita eſt inſula, ad maris Adriatici fauces) caſtra habebat. Sed ipſum quoque Antonium, quum ulciſci Dolabellam cuperet, cum Q. Hortenſio qui ab infero mari claſſem adduxerat, Pompeiani duces ſuperarunt. quamquam ei L. Minucius Baſilus, C. Salluſtius Criſpus, ex ſingulis legionibus quibus præerant, cohortes aliquot ſubſidio miſiſſent.

In Illyrico Cæſaris duces rem male geſunt. Luc. 4. 402. Oroſius 6. 15. Sueton. Cæſar. 36. 1. Florus 4 2. 31. Strab. lib 7. Ptolomæus. Dio.

LII. Antonius Curictam refugit, aſperitate ſitus, & incolarum virtute confiſus. Sed ubi Octavius & Libo cum ingentibus copiis claſſicorum adfuerunt, deſertoſque à ſociis urgere fames cœpit, & ad Pompejanas partes palam tranſgreſſus vir fortiſſimus T. Puſio ſolicitare; Antonius ſe cum quindecim cohortibus dedidit: omneſque ad Pompeium à Libone deducti ſunt. Evaſere tamen prius pauci

C. Antonius ſe dedit. Lucan. Dio Cæſar. Civil. 3 68. Oroſius. Florus.

ad Baſilum, qui copias inſtructas ex adverſo litore oſtenderat. Ea ſpes audaciam parti militum fecit, ut nova ratione tentarent per mare fugam. Namque refluxu exſpectato rates conſcenderunt ita contextas, ut geminatis cupparum ordinibus incumberent, quo inter utrumque ordinem occulto remigio provecherentur. Series cupparum ad firmitudinem catenis ferreis colligabantur. In medio ratis erecta turris erat; unde, ſicubi vim faceret hoſtis, defendi poſſet.

Opiterginorum ratis deprehenditur. Dio. Lucan. Flor. Jo. Sarisber. Polic. 27.

LIII. Ex tribus ejuſmodi ratibus prima & ſequens æſtus beneficio litus optatum tenuerunt: tertia, quæ vehebat Opiterginos in occultos quaſi caſſes incidit, quos Pompeiani Cilices, uſitata ſibi quum adhuc piraticam facerent arte, funibus ſub mari circumductis paraverant. His deprehenſa ratis, & ad ſcopulos unde religata vincula fuerant attracta, quum ab hoſtibus terra marique oppugnaretur; defenſa tamen eſt, quia ſupervenientes tenebræ prælium diremerant. Præerat Opiterginis tribunus, Vultejus nomine. Hic quum neque vincula rumpere tentantibus res ſuccederet, neque aliud ſperari effugium poſſet; *parvum*, inquit, *deliberandi ſpatium noctis hujus mora præſtat, milites. neque etiam multa deliberandi aut anceps materia eſt. Si poſſemus & mortem & ignominiam effugere, hoc nimirum prorſus eſſe faciundum nemo ambigeret.*

Vultejus, hortante Quintil. 3. 8.

LIV. *Nunc quoniam alterutrum neceſſario legendum eſt; utrum ſit optabilius aliqua eſse dubitatio timidis & ignavis, & Cæſarem prodituris poſſet. Nobis quidem neque ingratis eſse adverſus eum, cujus maximis beneficiis ſæpe uſi ſumus, libeat: neque virtutis noſtræ gloriam, turpi commaculare infamia. Quid igitur adferri poteſt, quo minus libertate, donec adeſt, utamur; & in præſtantiſſimam conditionem nos vindicemus; ut neque adverſariis quidquam in nos liceat, & facinus noſtrum æterna fama ſequatur. Præſertim quia fortes ab ignominia mors abſolvit; poſt ignominiam nihilominus ſubeunda mors eſt. Promittent haud dubie vitam: ſed quid nobis opus eſt vita agenda precario? quid ſi vero fallant fidem? & qui mori per virtutem potuimus, turpes irriſique alieno arbitrio cervicem demus? quid ſi ad longius neque ſimplex ſupplicium ſervati, ad Pompejum adducamur, tam inimicum nobis ſemper, quam propitius Cæſar fuit? ad Marcellum, cujus animum ſupplicio Novocomenſis illius experti ſumus?*

Mutuis vulneribus ſe conficiunt. Liv. Epitom. Dio.

LV. *Hos videre, bis ſupplicare, Tranſpadanus quiſquam poterit? Hoc ne conjuges quidem liberique noſtri velint; ob quæ nomina quandoque conſilium mutarunt, qui de ſe decreverant. Pro Cæſare perire omnes optent, quam vel regnare cum hujus inimicis. Sed neque meo res eſt; quin omnia ſunt in poteſtate Cæſaris, & ſi hunc offendimus, illi perierunt. Sic eadem via quæ nobis ad gloriam & libertatem patet, à civitate noſtra famam proditionis, iram victoris, metum, periculum, cladem avertimus, Cæſarem que magis etiam ei conciliamus. cujus equidem quia notiſſima nobis eſt liberalitas, quis futurum ambigat, quin & nos ille laudet, & ob noſtrum factum univerſæ genti pretium tribuat.* Nec feſellit eum animus. quippe Cæſar, ubi propter ipſum mille circiter Opiterginos, ut fidem ei ſervarent, in eadem rate mutuis vulneribus concidiſſe didicit; priuſquam ab Urbe proficiſceretur, non illi ſolum oppido, ſed omnibus omnino Tranſpadanis civitatem Romanam dedit.

Curio in Africâ tranſjicit.

LVI. Cæji deinde Curionis referenda clades eſt, ſub idem tempus in Africa occiſi. Sed illi quidem principia nimis læta fuerunt. Recepta ſine certamine Sicilia,

cilia, sicut jussus erat à Cæsare, in Africam transjecit legiones. Provinciam eam obtinere L. Tubero debuerat, ex Senatusconsulto sortitus: sed illo contante P. Attius Varus, qui Auximo profugiens Uticam pervenerat, clamore multitudinis ad se delatum imperium arripuit; Tuberonemque venientem, quamquam earumdem partium esset, exclusit provincia: nec filium quidem valetudine adfectum exponere, sed nec aquam haurire passus. Atque iste quidem Varus provinciam eam prius ex Prætura obtinuerat, quo facilius ei fuit, propter hominum locorumque notitiam delectus agere, & alia tuendæ provinciæ parare. Igitur duas jam legiones habebat sub signis: nec minus reponebat spei in Mauri Regis amicitia, cui transditum à patre Hiempsale erat hospitium cum Pompejo, & maxima cum Curione simultas, qui in Tribunatu legem *de publicando Jubæ Regno* publicaverat.

Dio. Suetonius. Cæsar. 64? Appianus. Cæs. Civil. 2. 40. Cic. pro Ligario cap. 7. Oroſius. 6. 15. Luc. 4. 668. Cæsar. Civil. 2. 25. Appianus. Dio. Liv. Epitom. Læta tantò trahit.

LVII. Adversus hos duas legiones Curio transportavit, & quingentos equites, navibus longis duodecim, & multis onerariis. Ad hujus classis conspectum L. Cæsar adolescens, qui ad Clupeam adventum Julianorum cum decem rostratis opperiebatur, multitudine velorum territus, Adrumetum perfugit. Curio præter Uticam ad flumen Bagrada progressus, exscensione facta, castra locat. Inde ad exploranda castra Cornelia (nobilitatem nomenque loco prioris Africani expeditio fecerat) cum equitatu pergit, levique prœlio victis Numidis, qui ut tutum agrestibus receptum facerent, ex castris Vari oppido conjunctis excurrerant, & adventu longarum navium audacior, pronunciat navibus onerariis; quæ numero circiter ducentæ stabant ad Uticam, *pro hostibus se habiturum, qui non extemplo cursum ad castra Cornelia direxissent.*

Appianus. Cæsar. Dio. Cicer. Lucan.

LVIII. Obsequuti sunt universi, exercitumque Curionis omnium rerum copia repleverunt. Mox iterum in castra ad Bagradam se recepit Curio, quia adversarii castra Cornelia occupaturum divinati, aquas veneno infecerant; & acclamatione totius exercitus appellatus *Imperator*; postero die movet Uticam, & castra prope oppidum ponit. Nondum perfectis operibus, fit certior adesse magna Jubæ Regis auxilia, Uticamque sine timore pergere: igitur equitibus immissis hos disturbat, & magnum interficit peditum numerum, qui tam celeriter in oppidum se recipere nequiverant. Sed proxima nocte quum centuriones Marsi duo cum manipularibus aliquot ad Varum perfugissent, in spem ille venit, totum corrumpi Curionis exercitum posse. Igitur eductis legionibus, ut inter se & Curionem una tantum vallis interesset, tentare milites per Sex. Quintilium Varum cœpit, qui L. Domitii Quæstor ad Cortinium fuerat. Igitur notos sibi centuriones militesque compellans, *ut ad prius sacramentum redirent*, obsecrabat, *relinquerentque illos, à quibus capti perfugarum in numero haberentur, & per summam contumeliam hoc vocabulo notarentur*. Postremo *largitionem à se & P. Attio* ostentat, *si prioribus partibus concederent*.

Ejus milites solicitantur ad proditionem. Appian. Cæsar.

LIX. Ad hæc neutram in partem significatione voluntatis facta, exercitus in castra reducti sunt. Sed tentati militum animi castra Curionis timore & suspicione compleverant. Nam paucis mutatis centurionibus, iidem ordines manipulique manebant, quales eo tempore fuerant, quum ad Cortinium à Cæsare caperentur; præterea genus erat hominum, ex municipiis Pompejo addictissimis, Peligni Marsique. Hæc omnia non parum magnas timendi causas adferebant;

Inde metus in castris Curionis.

& quod ſuperiore nocte inter transfugium paucorum excepti graviores quidam militum ſermones, nonnulli & conficti erant. Igitur in principiis de ſumma rerum ſententiæ dicebantur. alii *regrediendum in caſtra Cornelia cenſebant*; quidam *oppugnanda hoſtium caſtra*. neutrum conſilium Curioni placuit, alterum abjecti nimis animi, alterum temerarii videbatur.

Curionis concio.

LX. Igitur dimiſſo concilio milites ad concionem vocat: *quantum eorum fidei Cæſar credat*, exponit. *non debere hunc deſeri, à quo maxima ſint expectanda præmia; præſertim dijudicata jam fortuna belli, duabuſque Hiſpaniis receptis. Fruſtra jactare prius ſacramentum adverſarios, non legiones illud, ſed ducem Domitium abrupiſſe. proditos ab eo milites, à Cæſare conſervatos non beneficii modo gratia, ſed in verba Cæſaris ſponte adactos, nova religione teneri. Quod ſi cauſſam à Cæſare deſciſcendi nullam habeant: in ſe quoque nihil eſſe ſperare, quod offendat. Præclaram ſibi erga milites voluntatem conſtare: diligentiam duce dignam præſtitiſſe hactenus: etiam fortunam adfuiſſe conatibus. Atque hæc omnia nuper adeo conſenſu univerſorum eſſe adprobata, quum ſit Imperator ab iis appellatus. Cujus honoris gratiam ſe ipſis facere, ſi pæniteat.*

Pugna inter Curionem & Varum.

LXI. Adhuc dicentem interrupit militum clamor, indigne ferentium, *quod ſuſpecti proditionis eſſent: & ad omnia pericula fidem ſuam operamque* offerentium. Unde Curio jam animoſior, poſtridie eodem loco quo antea, in acie adſtitit. Eduxit & Varus ſuos, uterque legionum Domitianarum fiducia, quas Curio manſuras in recenti ſacramento, Varus redituras ad vetus putabant. Sed ubi vallem tranſire Vari equitatus omnis cum parte levis armaturæ cœpit; equites Curionis cum duabus Marrucinorum cohortibus impetu facto, relictos à ſuis velites ceciderunt. Qua re Varianos perturbatos cernens Rebilus, legatus Cæſaris, quem ob periciam rei militaris ex Sicilia Curio ſecum adduxerat, *inſtare, atque tempore uti* jubet.

Curionis audacia & victoria. Lucanus. 4. 752 Cæſar Civil. 2. 35. Appian. lib. 2. Civil.

LXII. Nec moratus Curio, ut erat acer & audax, primus procurrit in vallem; impeditam adeo, ut ab altera parte, niſi adjuti à ſuis, adſcenſum difficulter molirentur. Sed hoſtes animis perculſis, neque ullius niſi fugæ memores, priuſquam ad jactum teli perventum eſſet; in caſtra omnes refugerunt, tanta conſternatione, ut in portis & anguſtiis viarum, plures obtriti oppreſſique à ſuis ſine vulnere morerentur, quam interfecti in prœlio fuerant. Et niſi Curionis milites tantum ad pugnam profecti ſola ſecum arma extuliſſent; eodem impetu expugnari caſtra potuerunt. Memorabile tum facinus Pelignus quidam nomine Fabius edidit. Namque fugientibus immixtus magna voce *Varum* identidem invocans requirebat. Ubi ille credens unum è ſuis reſtitit, *quis eſſet, & quid vellet*, interrogans; Fabius ſtricto gladio cum petiit: & interfeciſſet, niſi ſcuto ſublato vitaſſet ictum Varus. Fabium qui proximi forte erant milites occiderunt. iſque ſolus Curionis militum ea pugna cecidit, adverſariorum deſiderati circiter ſexcenti, & mille præterea vulnerati ſunt.

Rex Juba mover adverſus Curionem. Dio. Cæſar.

LXIII. Varus quum ſuos mirifice perterrefactos animadverteret, exercitum de tertia vigilia ex caſtris in oppidum reduxit. Curio circummunire oppidum inſtituit; magna ſpe, quod Hiſpanienſem Cæſaris victoriam, quæ multorum literis ac nunciis in Africam perferebatur, omnium animos inclinaturam in has partes rebatur. Idcirco quum *Regem Jubam venire cum ingenti exercitu* audiſſet,

vix credere potuit: donec minus quinque & viginti millibus abesse didicit Regis copias: tum in castra Cornelia se recepit, ubi tuto bellum duceret, donec ex Sicilia duæ aliæ legiones, & reliquus equitatus adveheretur. Sed in optimo consilio permanere licitum ei non fuit per Uticensium quosdam, qui in castra ejus perfugerant. *Iis revocatum Lepitanorum bello Regem discessisse cum maxima copiarum parte* nunciabant: *Saburam duce modicum manum pergere Uticam, jamque haud procul oppido distare.*

LXIV. Sed ea fraus Maurorum erat: præmissusque Sabura rumorem eum sparserat. cæterum Rex cum omnibus copiis sequebatur. At Curio præmissis prima nocte equitibus, quarta vigilia cum legionibus ad castra Saburæ contendit. Huic equites occurrunt, *rem à se bene gestam* nunciant. cupiditas hominis magis inflammatur. quærit ex captivis, *quis castris ad Bagradam præsit?* respondent *Saburam*. Illo studio conficiendi itineris quærit ultra nihil, conversusque ad suos, *videtis*, inquit, *eadem omnia & hos, & perfugas Uticenses dicere*. Summa deinde festinatione procedit ad hostem. At ille simulatione timoris paulatim cedit, juvenilemque animum magis magisque vanæ alacritatis implet. Sic in patentes campos protractus, equitatu Numidico circumvenitur. Fessi erant Romani equites peditesque itineris longinquitate, sedecim millibus passuum confectis; equites etiam superioris noctis prælio. igitur quum neque timidis ad fugam, neque fortibus ad pugnandum vires superessent, occidione totus exercitus cæditur. Ipse Curio, quum Cn. Domitius præfectus equitum hortaretur, *ut fuga salutem peteret: nunquam se venturum dixit in conspectum Cæsaris, amisso quem suæ fidei credidisset exercitu.* atque ita, ut res temeritate sua perditas morte sequeretur, prœlians interfectus est. Eumque cum toto exercitu delet. Lucanus 4. 717 Front. Strat. 2. 5. 40. Appianus.

LXV. His rebus auditis, naves quæ ad castra Corneliæ stabant, cum paucis militibus, qui ad primam rei famam eo decurrerant, in Siciliam celeriter se receperunt. Reliqui (nam quinque cohortes præsidio relictæ castris fuerant) Varo se dediderunt. Cæterum Juba *suæ victoriæ præmia alieno arbitrio minui non posse* dictitans, magnam eorum partem interfecit, cæteros misit in Regnum; frustra conquerente Varo, *suam fidem ab eo læsi*. Sed eum adeo Rex contemnebat, ut in oppidum invectus, multis populi Romani Senatoribus prosequentibus, quæ fieri vellet Uticæ atque in provincia, pro imperio constitueret. quibus effectis rebus paulo post cum omnibus copiis in Regnum rediit. Hæc postquam in Urbem, & in Macedoniam nunciata sunt, diversam pro dissensione animorum, à Romanis mercedem Juba tulit. Jubæ arrogantia. Liv. Epitom. Oros. 6. 15. Cæsar. Florus 4. 2. Eusebius.

LXVI. Pompejus & qui cum eo erant honorem ei habuerunt, *Regemque* appellarunt: at Cæsar & Urbani judicarunt *hostem, Bocchumque & Bogudem*, quod ejus essent adversarii, *Reges appellandos esse* censuerunt. Interim in Dalmatia M. Octavius, post discessum Liburnicarum navium, quibus Antonianos milites ad Pompejum Libo deducebat; Issam, insularum eo tractu nobilissimam ab amicitia Cæsaris avertit: Salonas, quum frustra tentasset, oppugnare statuit. At illi quum ob paucitatem resistere non possent, servos puberes manumiserunt, & mulierum præfectis crinibus ad tormenta sunt usi. Octavius horum pertinacia cognita, quinque castris oppidum clausit. M. Octavii gesta in Dalmatia. Dio. Lucan. 5. 561 Cæsar. Oros. 6. 15. Strab. lib. 7.

LXVII. At quum oblessi negligentius agi excubias apud hostem cernerent;

Cæſar adverſum Pompejum proficiſcitur. Cæſar. Civil. 3. a. Joan. Sariſber. Policrat. 3. 10. Dio.

pueris atque mulieribus in muro collocatis, ut ſpecies propugnatorum ſervaretur; eruptionem in proxima caſtra faciunt: hiſque perruptis (nam propter æſtum multi milites ex ſtationibus diſceſſerant) eodem impetu cætera omnia expugnant, Octaviumque majore copiarum amiſſa parte, cum reliquis in naves compellunt. Octavius tantam cladem paſſus, quum de Salonis expugnandis deſperaſſet, jamque inſtaret hyems, Dyrrhachium ad Pompejum reverſus eſt. Dum hæc in Illyrico & Africa geruntur, Cæſar depoſita in ſpeciem civilis animi Dictatura, ſub alio nomine eadem omnia habiturus, Brundiſium pergere ſtatuit, quo etiam legiones præmiſerat, Pompejum petiturus: quem in uſum tum aliis è fanis, tum ex ipſo Capitolio donaria pleraque omnia ſuſtulerat.

LVIII. Neque mediocriter ſpem ejus erexerunt, objecta tum & paulo poſt omina. Quippe dum adornat iter, in comitatum ejus lauream ſupervolans milvus injecit: & poſtea ſacra eo faciente Fortunæ, taurus adhuc intactus effugit, paludemque nactus, eam tranavit. Reſponderunt aruſpices *Cæſaris fata ſic adumbraſſe deos; manentique exitium, mare tranſeunti vitam victoriamque portendi*. Quamvis igitur hyems eſſet, & ob tempeſtates difficilis trajectus ſperaretur; ordinatis à tergo omnibus, Brundiſium intendit iter. Exeuntem proſequuta ingens hominum multitudo *pacem* orabat, *& cum Pompejo reditum in gratiam*; ſatis enim apparebat, ſi vi victus alteruter eſſet, eumdem libertati quem bello finem fore. Profecto jam Cæſare, pueri ludiera pugna concurrerunt Romæ, ſuperioreſque exiterunt: qui *Julianorum* ſibi nomen indiderant.

Bonis ominibus. Florus. 4. 2. 36. Appianus. lib. 2. Civil.

LXIX. Poſtquam Brundiſium Cæſar venit, quo *legiones duodecim, & omnem equitatum convenire* juſſerat, vix tantum reperit navium, ut quinque legiones tranſportari, cum ſexcentis equitibus poſſent. Igitur pro concione hortatus eſt milites, *ut æquo animo relinquerent impedimenta ſua, quo plures imponi pugnatorum poſſent*: atque ipſis alacriter acclamantibus, ſine mora compleri naves juſſit. Cæterum ventis reflantibus per aliquot dies hæſerunt ad anchoras: quo temporis intervallo & Conſulatum Cæſar iniit Brundiſii: & aliæ duæ legiones ſupervenerunt. Septem igitur legiones ſed infrequentibus ſignis, quia bellis Gallicis & longo ab Hiſpania itinere, ad hoc autumni gravitate in Calabria, valde erant deminutæ, in naves oncrarias impoſuit; roſtratis, quarum habebat haud magnum numerum, ad præſidium Siciliæ Sardiniæque relictis. Hæc claſſis, quum pridie nonas Januarias ſolviſſet, tota nocte propter malaciam propinquis locis hæſit; poſtero die Græciam attigit, tempeſtatibus ad Ceraunios delata montes; ibique navibus omnibus incolumibus, milites expoſuit.

Brundiſio tranſmittit in Græciam. Plutarch. Cæſar cap. 55. Appianus.

Urb. cond. an. 705. Numerus legionum tranſportatarum. Cæſar. Lucanus. 5. 430. Liv. Epitom.

FINIS LIBRI CX.

Digitized by Google

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

M. Cælius Rufus Prætor quum ſeditiones in urbe concitaret, novarum tabularum ſpe plebe ſolicitata, abrogato magiſtratu pulſus urbe, Miloni exuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, ſe coniunxit: Uterque quum bellum molirentur, interempti ſunt. Cleopatra Ægypti Regina à Ptolemæo fratre regno pulſa eſt. Propter Q. Caſſii Prætoris avaritiam crudelitatemque, Cordubenſes in Hiſpania cum duabus Varianis legionibus à partibus Cæſaris deſciverunt. Cn. Pompeius ad Dyrrhachium obſeſſus à Cæſare, & prædiis ejus cum magna clade diverſæ partis expugnatis, obſidione liberatus, tranſlato in Theſſaliam bello, apud Pharſaliam acie victus eſt. Cicero in caſtris remanſit; vir nihil minus quam ad bella natus: omnibuſque adverſarum partium, qui ſe poteſtati victoris permiſerunt, Cæſar ignovit.

Pompeii apparatus. Appianus. Cæſar.

INTEREA temporis occupato per varia negotia Cæſare, Cn. Pompeius, quum annum ad apparanda, quæ vellet, liberum habuiſſet; ingentes terra marique vires contraxerat. Quinque legiones cum adjunctis equitibus trajecerat ab initio: unam deinde effecerat ex Sicilia, quæ facta ex duabus, *Gemella* vocabatur; & unam ex veteranis, qui in Creta & Macedonia ſedes fixerant, duas in Aſia conſcribendas curaverat Lentulus. Præterea cum duabus Syriacis legionibus, exercitus Craſſiani reliquiis, Scipio Metellus exſpectabatur. Sagittarios tria millia habebat: funditorum cohortes ſex: equitum ſeptem millia; maximam partem ex Regum auxiliis.

Ejus claſſis & duces. Lucan. 5. 420. 5. 8. Velleius 2 51. Cæſar. Appianus.

II. Naves inſuper roſtratas inſtructas habebat ſexcentas: quarum præſtantiſſimæ centum Romanis generis milites vehebant: onerariarum præterea maximus numerus aderat. Eam claſſem per omnem maritimam oram diſtribuerat: quæ tranſitu Cæſarem prohiberet. Navibus Ægyptiis Cn. Pompeius adoleſcens præerat; Aſiaticis D. Lælius, C. Triarius; Syriacis C. Caſſius; Rhodiis C. Marcellus cum C. Coponio; Liburnicæ atque Achaicæ claſſi Scribonius Libo, M. Octavius. Sed univerſæ rei maritimæ præfecturam M. Bibulus gerebat; cui omnes reliqui dicto audientes eſſe debebant. Civitates præterea Dyrrhachium, Apolloniam, cæteraſque ad eam oram hybernis occupare decreverat.

Senatus Pompeianus Apolloniæ. Plutarch.

III. At Lentulus Marcelluſque Conſules, quum eorum in exitu annus eſſet, Senatum convocarunt. Civilis enim diſcordia Senatum quoque geminaverat, ut & qui Romæ, & qui Apolloniæ erant, hoc ad ſe vocabulum traherent. Nam apud Pompeium haud minus ducenti Senatores erant: tantum ei paraverat auctoritatis ſuſcepta, ut putabatur, libertatis

Summa rerum Pompeio permiſſa.

decimo. Igitur & quidam ætatis extremæ, præterea claudus altero pede ad eum ſe contulerat; & M. Brutus, quamquam ad id tempus Pompeium, cuius juſſu pater Bruti fuerat interfectus, neque ſalutare, neque reſpicere ſolitus. Ut autem omnia, quam fieri poſſet, proxime morem majorum agerentur; Theſſalonicæ per Augures templum conſtituendum curaverant, ubi Senatus cogi poſſet, quod alio loco facta Senatus conſulta pro juſtis non habebantur.

Pompeio: cap. 106. Dio. Varro apud Agell. 14. 7. Lucanus.

Pompeio unì ſumma rerum permittit. Cæſar. Lucanus. Appianus.

IV. Eo poſtquam convenit exul Senatus, verbâ de Reipublica facere Lentulus inſtituit *ante omnia decernendum huic cœtui hunc eſse verum juſtumque populi Romani Senatum; qui Romæ ſint, deſertores cauſſæ publicæ, amicos tyranni, purgamenta potius ampliſſimi ordinis, quam membra, nequidquam uſurpare vocabulum Curiæ, cuius jura prodiderint. Proximum eſse, ut provideant, quomodo & per quos in poſterum gerenda ſit Reſpublica. nec enim Conſulum habere comitia attinere, quod de eorum imperio ferri lege curiata nequeat. Idcirco reliquos quidem proconſulibus & propratoribus, ſuo quemque loco Reipublicæ navaturos operam: ſed tamen unum ſummum conſtitui ducem oportere, neque dubitandum, quin Pompeius is eſse debeat.* Erat ſane jam anno ſuperiore datum Pompeio ſummum imperium, ſed Conſulibus adiunctis. Tum vero *ſummam belli rerumque omnium uni permitti* placuit.

Pompeii oratio.

V. Atque is ut animos ad meliorem ſpem erigeret, huiuſmodi orationem habuit, *Ego vero nullum prò vobis & Republica laborem, nullum diſcrimen deprecor, Patres Conſcripti: poteſtatem impoſitam recuſarem, niſi vobis omnibus adjutoribus uſuro neque conſilium, neque collega defuturi eſſent. Idcirco magna mihi ſpes optimi cuiusque ſolicitum animum conſolatur: modo vos quaque bono animo ſitis, neque magis ambitus eruat & vocabula, quam rebus ipſis moveamini. Scio à multis conſilium meum Urbem relinquendi reprehenſum eſse: cuius nunc quoque adeo non pœnitet, ut hac ratione conſervari potuiſſe rem Romanam exiſtimem; perdendamque nobis in perpetuum Urbem fuiſſe, niſi relicta ad tempus foret. Segregavimus à nobis improbos cives, ſegregavimus timidos: & qui manendo ab illis imputari, ab his deſerti, hoſtem inſtantem, copias ambiguas, conſilia impedita habuiſſemus, egregie explicavimus omnia. vires terreſtres maritimaſque maximas evegimus: pecunia, commeatu regum atque populorum auxiliis abundamus. neque corpora ſua tantummodo nobis præſtabunt hæ copiæ; ſed animis etiam nobiſcum votoque ſtabunt.*

Cæſarem accuſat. Lucan. Appian. Juſtin. 2. 12. 14.

VI. *Teneat ſane vacuam ille Urbem, & deſertas à dominis domos: dum hic ſit Senatus, hic Romana civitas, quæ profecto non in ædificiis conſiſtit, ſed in civibus: quemadmodum & olim clariſſimorum populorum exemplis præjudicatum eſt. Athenienſes bello Medico urbem, peritturam ſecum ſi manſiſſent, reliquerunt: ut ſalvi atque incolumes glorioſius recuperent haberentque. Quid majores noſtri? Quum Urbem Galli occupaſſent, nonne ab Ardea & Veiis Romanum exercitum eduxit Camillus, alter Urbis Imperiique noſtri conditor? Quid igitur vetat, quo minus eadem ſequuti conſilia, parem ſperare eventum debeamus? cum eo homine nobis res eſt, qui ſummam, & incredibilem cupiditatem imperandi ne nunc quidem tegere poteſt, manente bello & incerto rerum exitu. Quid illum facturum cenſetis, quod omen dii prohibeant, victorem, qui nunc arbitratu ſuo*

erat magistratus, distribuit exercitus, dilargitur provincias, omnia legum populique, omnia Senatus jura sibi uni vindicat?

VII. *Cum hoc tam superbo, tam impotente tyranno sic est decertandum, ut omnino victoriam vindicatamque speremus; sed tamen, etiamsi contra daret Fortuna, perire potius optemus, quam omnium modo terrarum gentiumque dominos, insolentissimum dominum pati. Mihi certe fixum decretumque est, non modo, quam semper in imperiis praestiti adhibere virtutem, fidem, diligentiam; sed etiam si fieri posset, augere omnia, majoraque & intentiora praestare. Neque me sic antiquus ille deseret deorum favor, ut fortunatum in omnibus, demum in optima causa jacere patiantur. Nam de apparatu nostro, quem juxta mecum scitis; quid opus est dicere? Tot civium Romanorum legiones, tot sociorum Regum atque civitatum auxilia, tantae toto mari classes, excitare vel ignavos possent. Vos modo, quod felix faustumque sit, eam adhibete curam atque industriam, quam tempora nostra & Reipublicae desiderant.*

Dese pollicetur omnia.

VIII. Similem deinde ad milites, qui aderant, concionem habuit; laeta omnium acclamatione. Eodem tempore laudati ab hoc Senatu sunt sociorum promptissimi; *donaque & honores decreti Rhodiis, Spartanis, Athenienſibus. Utque Massilienſium fidei quod posset praemium redderetur; Phocaeam, cui suam originem debebat Massilia, liberam esse* jusserunt. Cotyi, quoque, qui Sadalem filium è Thracia cum equitibus quingentis miserat, actae gratiae, reguloque munera missa. Isdem honoribus Rex Deiotarus adfectus est, qui sexcentos adduxerat equites; & Rhuscipolis, quem sequuti erant ex Macedonia ducenti. Sed effusa maxime in Iubam studia fuerunt, cuius victoria magnam civiles belli profligatam partem credebant. Ptolemaeus quoque Auletae filius, cui tutor ab Senatu datus Pompejus fuerat, *Rex* appellatus est: *sororque Cleopatra abstinere Regno jussa*, quod à propinquis & amicis pueri ereptum, in Syria colligendo copias, repetitum ibat.

Pompeiani Senatus decreta. Lucanus. Diod. lib. 40. Caesar.

IX. His ita ordinatis Pompeius, quum ob tempus anni transmissurum mare Caesarem non arbitraretur; Thessalonicae hiemare constituerat. Eadem opinio praefectis classium fraudi fuit, quo negligentius litora custodirent. M. Bibulus naves centum decem Corcyrae habebat: sed quia neque naves ornatas, neque remiges paratos tenuerat, prius ad continentem Caesar appulit, quam occurri posset. Neque Lucretius Vespillo, & Minucius Rufus, qui cum octodecim Laelianis navibus erant Orici, opponere se ausi erant; quamquam Caesar haud plures duodecim rostratas praesidio duxerat. Igitur Bibulus comperto Caesaris adventu, quum adhuc aliquas excipi naves posse speraret, vacuis occurrit, quas cum Fufio Kaleno legato, Brundisium Caesar, ad transportandas reliquas copias remiserat.

Pompeianorum negligentia in custodiendis litoribus. Eutropius. Lucanus. Caesar. Liv. Epitom. Flor. 4. 2. 16. Strabo lib. 17. Appian. Dio.

X. Ex eo numero nactus triginta, cum ipsis nautis dominisque navium combussit, ut supplicii foeditate ceteros absterreret. Summa deinde diligentia usus, à Salonis Oricum usque totum mare classibus praetexuit; ipse per asperrimam hiemem excubans in navibus, neque laborem ullum aut munus despiciens. At Caesar misso ad Pompeium L. Vibullio Rufo, quem semel apud Corfinium, iterum in Hispania captum, praestiterat incolumem, idcoque ad perferenda de pace mandata judicabat idoneum; statim atque milites exposuerat, per asperos ang ustosque calles, sed ignorantibus adventum ejus hostibus inexploratos, Oricum proficiscitur, ubi L. Torquatus praerat: qui quum frustra Graecos *arma ca-*

Caesar Oricum occupat. Appianus Caesar.

pere juſſiſſet, quod *contra Conſulem Romanum ea capturos* negabant, apervit portas, & à Cæſare conſervatus eſt.

Mox Apolloniam. Dio. Appian. Cæſar.

XI. Inde protinus Apolloniam itum: & profugiente L. Staberio, poſtquam itidem Apolloniatas ad Cæſarem inclinare ſenſerat, id quoque oppidum, voluntate incolentium receptum eſt. Nec mora fuit, quin Bullide & Amantia cæteriſque finitimis civitatibus, & ex tota denique Epiro legati venirent ad Cæſarem, omnibus imperata facere paratis. Haud procul inde Dyrrhachium aberat; horreum Pompeii, quo omnis generis apparatus magnam vim contulerat. Hoc Cæſar oſtendit militibus, & *quia Fortuna tam favente eſſent uſi, ut per infeſtum tempeſtatibus & hoſtibus mare incolumes tranſirent; totque civitates parvo tempore redegiſſent in poteſtatem; ne deeſſent favori deorum* hortatus eſt, *parumque adhuc laboris adderent, quo priuſquam advenire Pompeius poſſet, Dyrrhachio potirentur. Eam rem & abundantia hiberna præſtituram in præſens & ad ſummam belli magnæ utilitati fore.*

Pompeius. Dyrrhachium contendit. Cæſar. Appianus.

XII. Sed Pompeius celeriter accepto nuncio, quippe Vibullius, ut ei Cæſaris adventum cito nunciaret, die noctesque, mutatis etiam jumentis, iter continuaverat, nihil ad ſummam diligentiam reliqui fecit, quo conatum hoſtis præveniret. In eo itinere, quum neque diebus, neque noctibus intermitteretur, & vix ad cibum capiendum ſatis daretur ſpatii, Pompeii milites in eum metum venerant, ut adeſſe hoſtem ubique putarent: & in Epiro finitimiſque regionibus ſigna prope omnes relinquerent, complures arma projicerent. Evaſit tamen ad Dyrrhachium Pompeius prior, caſtriſque prope oppidum poſitis, exercitum ex vehementi conſternatione recepit.

Cæſar & Pompeius propinqua caſtra habent. Dio. Ptolemæus Cæſar. Lucanus 5. 470.

XIII. Ibi Labienus princeps jurare cœpit, *ſe cum non deſerturum, eoſdemque ſubiturum cum eo caſus*. idem deinceps tribuni centurioneſque, & poſtremo milites fecerunt. Igitur, priuſquam Antonius cum reliquis copiis ſe Cæſari conjungeret, huic nocere poſſe ſperans, ad flumen Apſum proceſſit, quod fines Dyrrhachinorum Apolloniatiumque diſterminat. Simili ſpe contra movet Cæſar. Sed ubi ventum ad flumen, majoreſque Pompeii vires cognovit, in finibus Apolloniatium poſuit caſtra; ut inter duos exercitus flumen intereſſet; cæterum videre invicem, & colloqui poſſent. Eo loco Cæſar expectare Brundiſinas copias ſtatuit. Sed illæ quum à Fuſio Kaleno adducerentur, literæ Cæſaris ad Kalenum allatæ ſunt, quibus *omnes portus litoraque teneri claſſibus adverſariorum* ſignificabat.

Cæſar ocndi. tiones tentat. Dio. Cæſar:

XIV. Igitur Kalenus, quum paulum progreſſus à portu fuiſſet, Brundiſium repetiit. Una navis, quæ milites nullos vehebat, quum imperio contempto profecta eſſet, ad Oricum expugnata eſt à Bibulo, omneſque puberes, qui in ea erant, ſupplicio adfecti. Cæſaris legiones, quas idem periculum exſpectabat, literis ejus tempeſtive perlatis, Fortuna ſervavit. Per eadem tempora Cæſar, ſive revera cupidus pacis, ſive quod magis eſt credibile, temporis ducendi gratia, donec auctiores habuiſſet copias; ſimul adverſariorum pertinaciæ gnarus, & ex hac odium illis omnium parans, nullam occaſionem tentandarum conditionum prætermiſit. Ad Oricum legati Cæſaris M. Acilius, L. Statius Murcus, cum Bibulo & Libone colloquuti (nam his mare, illis litus obtinentibus, ejus rei facultas inciderat) in ſpem eam venerant, aliquid ad concordiam profici poſſe, quia Pompeiani duces *cupere cum Cæſare loqui* dixerant.

XV. Idcirco Cæſar, quum forte cum una legione Buthrotum profectus, literas legatorum accepiſſet, ſtatim recurrit Oricum. Sed quum neque Bibulus ad colloquium proceſſiſſet, & Libo legatorum, quos Cæſar ad Pompeium mittere cupiebat, præſtare periculum nollet; ne inducias quidem concedere voluit; nihil aliud ab hoſtibus quæri ſentiens, quam ut aqua rebuſque aliis, quibus indigebant, induciarum obtentu, claſſem reficerent. Nam ſicut illi mare, ita terram in poteſtate Cæſar habebat; ſtationibuſque per litora diſpoſitis, non aquandi, non lignandi, ne religandi quidem naves facultatem dabat. Unde & M. Bibulus, quum in ſummo frigore & inopia per multos dies, quamquam corpore æger, diſcedere ex navibus nollet, neque ibi curari poſſet; aucto morbo diem ſuum obiit. In ejus locum ſuffectus eſt nemo: ſed ſingulis claſſibus præpoſiti, ſuo eas arbitrio regebant. M. Bibuli mors.

XVI. Interea L. Vibullius, qui mandata Cæſaris exponendi otium nondum fuerat nactus, cum Pompeio agere inſtituit. At ille interfatus; *Quid mihi*, inquit, *aut vita, aut civitate opus eſt, quam beneficio Cæſaris haberi videbor? cujus rei opinio tolli non poterit, quum in Italiam, ex qua profectus ſum, reductus exiſtimabor*. Bello perfecto Cæſar hæc dicta cognovit, ab iis qui interfuerant: interfuerunt autem Scribonius Libo, L. Lucceius, & ſcriptor hiſtoriarum Theophanes, quibuſcum res maximas communicare Pompeius conſueverat. Sed tum etiam alio facinore Pompeiani declaraverunt averſam à pace voluntatem. Crebra inter milites utrimque colloquia fiebant, modico interfluente amne. eo P. Vatinium mittit Cæſar, qui magna voce ſæpius proclamaret, *liceretne civibus ad cives legatos de pace mittere, quod prædonibus & fugitivis licuiſſet?* Reponſum eſt ab altera parte, *A. Varronem poſtero die ad colloquium venturum*. agitur una etiam utrimque, quemadmodum tuto legati venire, & quæ vellent, exponere poſſent. Pompeius de pace tractare dedignatur. Strab. lib. 5. Cæſar.

XVII. Sed quum in conſtitutum locum P. Vatinius veniſſet, & eum eo loqui T. Labienus cœpiſſet, ex improviſo tela ſunt in Vatinium conjecta: quæ ille militum armis protectus vitavit. centuriones aliquot militeſque Cæſaris vulnerati ſunt, exclamante Labieno, *deſinite ergo de compoſitione loqui, nam nobis, niſi relato Cæſaris capite, pax eſſe nulla poteſt*. Iiſdem temporibus Romæ M. Cælius Rufus, Prætor novarum rerum materiam quærebat, non amore Reipublicæ, aut quod æquum eſſe quod agebat crederet, ſed dolore atque indignatione motus, ſicut ipſe confitetur. Homo erat eloquio animoque Curioni ſimillimus, cujus etiam pellectus amicitia, & odio Appii, quem ſciebat in diverſis partibus fore, ad Cæſarem ſimul ex Urbe profugerat; idque ob meritum Præturam nuper erat conſequutus. Sed quia C. Trebonium Prætorem Urbanum non ſors, ſed Cæſar effecerat, omnibus in rebus illi ſe opponere inſtituit. Niſi forte homo ingentoſiſſime nequam, quaſi honeſtiorem hanc cauſſam prætexuit, potius æris alieni magnitudine, ut alii multi, ad res novandas impulſus; quod ſervari ſe poſſe in otio deſperabat. M. Cælius res novas molitur Romæ. Liv. Epitom. Cic. Famil. 8. 17. Vellei. 2. 68 Cicer.

XVIII. Idcirco tribunali juxta ſellam C. Trebonii collocato, *ſi quis appellaſſet, auxilio fore* pollicebatur *debitoribus*. Sed quia Trebonius juxta Cæſaris conſtituta judicabat; ſummamque in omnibus æquitatem atque moderationem adhibebat, nemo repertus eſt, qui appellare vellet. Iis enim temporibus Cauſſam debitorum ſuſcipit. Vellei. Cæſar.

nondum tantâ quisquam erat impudentiâ, ut quum se debere fateretur, integras tenere possessiones suas postularet.

Leges fert novas. Dio. Velleius. Cicero. Cæsar.

XIX. Idcireo Cælius, ne nihil effecisse videretur, legem promulgavit, *sexenni die, sine usuris, creditæ pecuniæ solverentur*. Id quoque vanum inceptum fuit, Consule Servilio, magistratibusque reliquis repugnantibus. Tum Cælius ea lege sublata, duas promulgavit novas: unam qua *mercedes habitationum annuas conductoribus* donabat; alteram *tabularum novarum*. Hæc & grata tenuioribus erat, & ab homine diserto jamdudum seditiosis conditionibus alienatam plebem inveniebat. Facile igitur inducta est, ut in C. Trebonium faceret impetum, cumque vulneratis nonnullis, de tribunali deturbaret. Sed is quidem mutatâ veste fugit. At Servilius Consul, advocatis ex itinere militibus, qui in Galliam destinabantur, præsidioque hoc Curiam muniens, de his rebus ad Senatum retulit. Patres *removendum à Republica Cælium* censuerunt. Tamen propter intercessionem Tribunitiam Senatusconsultum non potuit fieri : auctoritas perscripta est.

Foro & Curia excluditur. Liv. Epitom. Dio. Quintil. 6. 3. 20. & 40. Cæsar. Cicer. Velleius. 2. 52. 3.

XX. Sed Consulem tabulas legum promulgatarum tollere aggressum, Cælius per vim & seditionem repulit. Iterum ergo coactus, adhibito, præsidio Senatus *videre Consulem* jussit, *ne quid Respublica detrimenti pateretur*. Hac acceptâ potestate sellam Cælii eurulem fregit. at ille posuit alteram loris intentam : tacite illudens Consulem, qui *aliquando flagris cæsus ab Isaurico patre* dicebatur. Ad extremum tamen superior & jure & potentia Consul Cælii partes alii cuidam Prætori demandavit: ipsum & Foro, & Curia exclusit, volentemque concionari de Rostris detraxit. Cælius ignominiâ simul iraque permotus, ad Pompejanos seripsit, *in Urbem* eos advocans, *nudatam præsidiis futurum & studio populi proniorem in illas partes, vacuamque Italiam* ostentans : quod etiam saluberrimum illis partibus fuerat.

Milonem concitat. Cæsar. Dio. Velleius. l. IV. Epitom. Orosius. 6. 15.

XXI. Misit etiam ad T. Annium Milonem clandestinos nuncios, quem inimicissimum Cæsari noverat, propterea, quod restitutis exulibus, solus ille reditum non impetraverat. Magnorum hæc esse motuum initia poterant, viris claris & audacibus talia molientibus, occupato alibi Cæsare, & incertissimis plane temporibus. Cæterum ex tanto metu celeriter & citra detrimentum hi conatus in nihilum evaserunt. Quippe Milonem contracto fugitivorum exercitu profectum in Campaniam, & quasi mandato Pompeii homines solicitantem, quotquot ob æs alienum, aut facinora credebat idoneos, pauci sunt secuti : Capuaque frustra tentata, confugiendum ei Thurios fuit. Ignarus horum, & meliora sperans Cælius, conjungere se eum illo cupiebat. Sed quia occulta fuga nec satis tuta videbatur, & majus ad omnia momentum erat, si quasi Prætor proficiscereturr, commeatum à Consule petiit, tamquam *purgandi sui causa Cæsarem aditurus*. Consul simulari hæc suspicatus, Tribunum plebis adjunxit, qui res novas molientem coërceret.

Et ad eum præfigit. Cæsar. Dio.

XXII. At Cælius haud longe dum profectus, audito Milonis incommodo, in itinere substitit: unde cognito ejus consilio Tribunus hominem in Urbem reducebat. Sed interea Senatus *Milonem hostem* judicaverat; *Cælio manere ad Urbem* justo. Id quum esset factum, isque se negligentius custodiri sensisset, in Campaniam profugit, vires & consilia cum Milone juncturus. Nam ex

Audax Cæsaris in Græciam trajectus.

magnis in Ædilitate datis muneribus aliquem reliquum habebat gladiatorum numerum. *Hos* igitur *Neapolim clam* jussit *ingredi*, proditionem oppidi sperans. ipse Casilinum venit, & sub idem tempus signa ejus militaria Capuæ comprehensa sunt. Ita consilio patefacto, quum nihil procederet, Campanique eum pro hoste haberent, agrum Thurinum petiit, ubi pulsum Campania Milonem agere compererat.

XXIII. Et sane, si reperisset superstitem, moliri aliquid conjuncti poterant. Sed Milo jam occiderat, in oppugnatione castelli Cosani lapide ex muro ictus. Paulo post etiam Cælius haud mitiore fato defunctus est, quum Thurios pervenisset. Nam ab equitibus Gallis & Hispanis, quos præsidii caussa Cæsar miserat, quum iis contra Cæsarem nummos polliceretur, interfectus est. Iisdem temporibus, quum in Epiro præter equestria certamina, his illisque vado facile transeuntibus modicum amnem, nihil rerum gereretur (nam Pompeii conatum transducendi copias pons interruptus destituerat) Cæsar audacissimo facinore moranies Brundisii legiones adducere paravit. Quum enim Pompejanæ classes maria obsiderent undique, hybernum sibi tempus aptissimum judicabat: dum hostes tempestatibus deterriti vacuum & incustoditum trajectum relinquerent.

Sed mox ambo intereunt. Cæsar. Velleius. Dio. Appianus. lib. 11 Civil. Plutarch. Cæsar. cap. 56. Florus. 4. 2. 37.

XXIV. Sed Bibuli primum, deinde Libonis diligentia factum erat, ut Antonius portu exire non auderet. Quippe Libo parvam insulam, portui Brundisino objectam, qua necessarius erat transjecturis egressus, occupaverat. & quamvis propter inopiam aquæ, & acceptum ab Antonio detrimentum, alio coactus erat se recipere; hiems mare claudebat. Idcirco Cæsar impatiens moræ, fortassis etiam suspectans Antonium, ne expectare eventum vellet; sub alteram vigiliam ignoratus excessit castris, conscensoque vehiculo perrexit ad locum, ubi naviculam & optimum gubernatorem opperiri per servos præmissos jusserat; tamquam nuncium Cæsaris transjici oporteret. Cum his servis (tres omnino erant) ipse quoque servili habitu fortunam dissimulans, navem scalmorum duodecim conscendit, licet horrente tempestatibus mari, & ventis pertinacissime flantibus.

Cæsaris summa audacia. Dio. Cæsar. Florus. Lucanus. Plutarch. Apoph. Rom. cap. 43. Appianus. Plutarch. Cæsar.

XXV. Magno labore, licet prono alveo, perventum ad ostium amnis erat; quum ventis & æstu adverso remorum irritum laborem fore apparuit. Ibi desperanti gubernatori vir ingens animi, & fortunæ suæ cuncta cessura putans, *quid times*, inquit? *Cæsarem vehis*. Ad hanc vocem attonitis omnibus, & summo conatu intendentibus nervos, ostium superatum est nequidquam. ventus enim subinde ad litus rejiciebat lembum, donec vicina jam luce, timenti gubernatori, ne ab hostibus conspicerentur, Cæsar invitissimus redire permisit. Quia tamen omnino faciendum putabat, ut donec vehementiores venti essent, transitum tentarent sui; hoc maxime auxilio perrupturi, quos in tranquillo mari certum ab instructissimis hostium classibus exitium manebat; Posthumium in Italiam misit, cum epistolis severioribus.

Et vox memorabilis. Appian. Plutarch. Lucanus. Florus.

XXVI. Plures enim dederat, ut si Gabinius, aut Antonius, aut Kalenus consarentur, quibus erant priores tradendæ literæ, Posthumius haberet, quas exhibere militibus posset, quibus eum sequi quotquot voluissent, jubebantur. Imperabat autem *quando portus ab adversariis tenebantur, ut ad Apolloniatium litora ejicerent naves; earum jactura se nihil commoveri: modo viros habeat, per quos adipisci possit omnia*. Cæterum Gabinius à navigando abhorrens, longo circumitu

Jubet suos hibernoma ire Græciam transiicere. Cæsar. Appianus. Plutarch. Antonio. cap 10.

per Illyricum copias, quibus præerat, inſtituit ducere. Antonius & Kaſenus potius cum periculo tentandum brevius iter exiſtimabant, quam ad imperium & neceſſitatem Cæſaris ſerius occurrere. Et erat ſumma militum alacritas, & ad Cæſarem proficiſcendi ardor; eorum etiam, qui paulo ante *ſe laboribus fractos objici periculis, quanta firmiſſimi vix ſuſtinere poſſent*, erant queſti. Quare minimo negotio perſuaſerunt iis duces, ut Auſtro flante conſcenderent naves, ſeque fluctibus traderent.

Idque ſuccedit feliciter. Cæſar. Lucan. Appianus.

XXVII. Inter hæc Pompeius, ut priuſquam auctiores copiæ Cæſaris fierent, pugnaret, iterum inſtructam aciem tranſducere conatus incœpto repente deſtitit, ringentibus omnibus, & *pulcherrimam occaſionem dimitti* jactantibus. Sed deterritus adverſo omine fuerat, quia duo milites vadum tentantes ab Cæſariano uno erant interempti. Namque felicitas Cæſaris omnia, etiam temere cœpta in bonum ei vertebat. Itaque & audaciſſimum ejus cœptum, legiones hiberno mari transjiciendi, non incolumes modo copias illi præſtitit, ſed ultro ceſſit adverſariis ingrave detrimentum. Quippedum Dyrrhachium prætervehuntur Cæſaris naves, Q. Coponius, qui Rhodiæ claſſi præerat, conſpectas eum roſtratis viginti ſequebatur, & remiſſore jam vento propemodum attigerat, haudquaquam æquo certamine longis navibus onerarias oppugnaturus, quum ſubito intendi ventus cœpit, Julianoſque longe ab hoſtibus divellere. Atque illi Nymphæum tenuerunt, haud procul Apollonia, quamquam haud ſatis tutum Auſtro flante portum; nempe minoris navium quam legionum interitum æſtimabant.

Rhodia claſſis tempeſtate perit. Appianus. Cæſar. Plutarch.

XXVIII. Ibi mira felicitate ſubito converſus eſt ventus, & pro auſtro ſpirare Africus cœpit; contra quem illa erat tutiſſima ſtatio. Repentina igitur commutatione rerum, qui modo in periculo fuerant, ſpectaculo periclitantium hoſtium perfruebantur. Quippe naves Rhodias tam ſæva tempeſtas comprehendit, ut in clauſo & importuoſo mari conſtratæ illorum, numero ſedecim, ad unam omnes elliderentur. remiges atque propugnatores, quibus fluctus pepercerant, partim interfecti ſunt à Julianis; alii capti; quos Cæſar conquiſitos diligenter conſervavit, domumque remiſit. Duæ tamen Cæſaris naves captæ ſunt ab hoſtibus, diverſo vectorum fato. Contra Liſſum ad anchoras ambæ conſtiterant, ignaræ quorſum reliqua claſſis curſum intendiſſet. Idcireo Octacilius Craſſus, qui Liſſi præerat, multis minoribus navigiis cinctas ad deditionem hortabatur, incolumitate promiſſa. Tum vero quantum ſit hominibus in firmitudine animorum & experientia caſuum præſidii apparuit. Nam tyrones altera navi vehebantur, ii quum ſe dediſſent, Octacilii perfidia omnes ſunt interempti: veterani ſimulatione deditionis extracto tempore, navem impulerunt ad litus: & exſcenſione facta, equites ab Octacilio immiſſos repulerunt, & ad ſuorum præſidia pervenerunt incolumes.

Militum cum Antonio tranſvectorum numerus. Plutarchus. Cæſar.

XXIX. Octacilius etiam Liſſum amiſit, quia conventus civium Romanorum, Antonii audito adventu, ad Cæſaris partes ſe applicuerat, cujus beneficio datum ſibi oppidum atque munitum meminerat. Legiones omnino tres Antonius tranſvexit, unam tyronum (hæc erant circiter viginti militum millia) equites octingentos. Horum adventus eodem ferme tempore Cæſari Pompeioque cognitus, utrumque excivit, ut eodem die caſtra moverent: hic ut occurreret venientibus, & ne cum Cæſare conjungi poſſent, impediret; ille

Pompeii caſtra includere parat Cæſar.

ut conatus Pompeji vanos efficeret. Uno die celerius occurrit Magnus, quia nullum illi tranſcundum flumen fuerat; Cæſarem vadum quærendum tardaverat. Sed adverſus vim hoſtium Antonius caſtris ſe tenuit: ſuperveneu deinde Cæſaris Pompejus ad Dyrrhachium poſuit caſtra, loco idoneo, Aſparagium vocant.

Cæſaris conſilia. Plutarch. Cicero. c. 54. Diod. lib. 41. Cæſar. Florus 4. 2 38. Lucanus.

XXX. Theophanem deinde, quo præfecto fabrûm utebatur, miſit, qui Rhodios amiſſa claſſe conſolaretur, *non ab hoſtibus accepto detrimento, ſed illato tempeſtatibus, neque navalem illorum deliquiſſe gloriam, & quod virium deceſſiſſet, id abunde beneficio Senatus atque Pompeji recuperaturos ex victoria, quam certam exploratamque eſſe in manibus.* At Cæſar jam abundans copiis, Cn. Domitio Calvino tres legiones cum equitibus quingentis; L. Caſſio legionem tyronum & equites ducentos, C. Calviſio Sabino cohortes quinque cum paucis equitibus attribuit: ut per illum Macedonia, per iſtum Theſſalia, per hunc Ætolia reciperentur: ſimul res frumentaria horum opera fieret expeditior. ipſe Pompejum inſequutus, caſtra caſtris ejus oppoſuit: & poſtridie copiis inſtructis poteſtatem pugnandi fecit.

Pompeii caſtra circumvallare inſtituit Cæſar. Cæſar. Dio. Florus. Lucan.

XXXI. Sed Pompejo caſtris ſe tenente, poſtero die per circumitum tectaſque arbuſtis vias Dyrrhachium properat. Recurrit eodem Pompejus, ſed quia Cæſaris conſilium aliquanto ſerius cognoverat, excluſus ab oppido, propinquo colle (*Petram* vocabant Dyrrhachini) caſtra poſuit. Cæſar fruſtra expugnatione tentata, propter inexpugnabilem ſitum loci, mature revocavit ſuos. Quippe Dyrrhachium in extrema Macedoniæ ora, quam olim Illyrica natio Parthini tenuerunt; præter exiguum collem, undique mari cingitur, inacceſſis propter fluctuum violentiam rupibus impoſita. Igitur Cæſar admirabili, & hodie vix reperturo fidem conſilio, Pompeji caſtra operibus circumdare occipit: his ferme rationibus permotus. Equitatu valebat Pompejus, & commeatuum copia: quarum rerum altera vexare & male habere Cæſaris frumentatores poterat, altera facultatem ei tribuebat ducendi quoad vellet belli. Neutrum horum Cæſari placebat, cui nihil æque in votis erat, quam ut maturrime ad manus veniretur.

Ejus operis ratio. Appian. lib. 2. Civil.

XXXII. Igitur animadverſa loci natura, quod circum caſtra Pompejana permulti erant editi & aſperi colles, primum ibi caſtella poſuit: deinde opera è caſtello in caſtellum inſtituit ducere, ut à mari ad mare perpetua munitione, caſtra Pompeji circumveniret. *Sic equitatus hoſtilis nullum eſſe uſum* videbat, *eumque ultro concluſum in anguſto loco pabuli inopia adfligtum iri; ſibi interea liberam frumentandi rationem relinqui; & quod in bello maximi eſſet, audito Pompejum obſideri, neque prœlio audere contendere, magnam illi deminutionem auctoritatis, cum ſua ſumma exiſtimatione fore.* Pompejus cui neque pugnandi copiam fieri probabatur, neque diſcedere à Dyrrhachio, ubi apparatum omnem belli collocaverat, ratio erat, quod unum videbatur eſſe reliquum, laborem augere Cæſari, quam latiſſime extenſis præſidiis inſtituit.

Præparatur ad opera. Lucan. Cæſar. Appian. Dio.

XXXIII. Quindecim millia paſſuum complexus, multa intrinſecus caſtella excruxit, eaque ipſa conjunxit operibus, ne qua parte Cæſar perrumperet. Neque tamen hic fatigabatur, quamquam creſceret opus, & ad millia paſſuum centum quinquaginta tenderetur. Continua interim ſed parva prœlia in occupandis præſidiis committebantur. Inter quæ nona legio Cæſaris, quum præſidium quoddam occupaturum munire conaretur; à ſagittariis funditoribuſque Pompeii, &

magna vi levium armorum, quamquam præsente Cæsare, tam vehementer vexata est, ut, quoniam sisti non poterat, relinqui locum oporteret. Sed receptus ipse quam pugna videbatur periculosior: quia per declive regredientibus ex superiore loco hostis imminebat.

Difficilis receptus Iulianorum.

XXXIV. Idcirco *Pompejus apud suos dixisse* fertur, *non se recusare, quin nullius usus Imperator existimaretur, si sine maximo detrimento Juliani se recepissent.* Et Cæsar ut suis, quod posset, consuleret, *crates* jussit *in summo tumulo constitui, quibus tecti milites fossam mediocri latitudine facerent, & quantum possent, locum impeditum redderent.* ipse fundítores idoneis locis disponit, quibus sequuturi hostes prohiberentur. Sed Pompejani hoc audacius institerunt, quod cedere Cæsarem metu arbitrabantur. Ergo M. Antonius, qui ei legioni præerat, jussu Cæsaris suos cohortatus, à medio fere spatio impetum in hostes fecit. Atque illi ex inferiore loco in adversum collem cursu incitati pepulerunt Pompejanos; interfectísque plurimis, suorum amissis admodum quinque, non ulterius persequuti fugientes, neque ultra lacessíti, se receperunt.

Eorumdem inopia frumenti. Velleia. 2. 52. Cæsar. Flor. 4. 2. 39. Appianus. Plutarch. Pomp. c. 107. Lucan. Plutarch. Cæsar (apud) 7. Sueton. Cæsar. c. 3.

XXXV. Erat nova & mirifica obsidionis forma, quod plures à paucioribus, omni copia rerum abundantes à famelico exercitu claudebantur. Quippe Pompejanis patebant maria, neque ventus flare ullus poterat, quin aliqua ex parte commeatui subvehendo utilis esset. Contra Cæsaris milites in magna frumenti penuria carnibus maxime (nam pecoris ex Epiro suppetebat copia) victitabant. Sed & radicibus herbísque vellendis quærebant solatium inopiæ. præsertim uno genere utebantur, quod vocabatur *chara*; id admixto lacte in similitudinem panis subigebant. Ejusmodi panes, quum in colloquiis Pompejani famem illis exprobrarent, vulgo conjiciebant in eos; *donec hoc genus radices tellus ferret, numquam se dimissuros obsidionem* dictitantes. *imo prius cortice victuros ex arboribus.* Unde ad se delata *Pompejum dixisse* ferunt, *cum feris sibi rem esse; & protinus amoveri jussisse pecus, neque cuiquam ostendi, neque sermones vulgari, ne pertinacia hostis cognita placesceret.*

Sed valetudo bona. Polyæn. Strat. lib. 8. Cæsar. Lucan.

XXXVI. Sed hæc incommoda spe propinquæ messis levabantur; quod jam frumenta incipiebant maturescere, simul, quia optima valetudine, aquarumque, & præter frumentum, commeatus cæteri copia utebantur, forte sua contenti erant: præsertim quia crebris Pompejanorum transitionibus audiebant *in illorum castris præ inopia pabuli vix equos sustentari; cætera jumenta interisse; ex cadaverum fœtore in angusto spatio morbos invulgari*, accedentibus præsertim laboribus quotidianis, & aquæ summa inopia, quod omnes rivos & flumina, ne per Pompeji præsidia decurrerent, magnis operibus Cæsar averterat. Interea hæc, ut tam propinquo hoste, & in nova ratione belli, nihil satis tutum aut quietum erat, & subinde nova nocendi cavendique artes excogitabantur.

Uno ale sex circita. Fictus. 2. 40. Cæsar.

XXXVII. Pompejani animadverso cohortes Cæsaris nocta ad munitiones excubare, loco stationis ignium indicio deprehento, confertim accedebant silentio, & simul universi mittebant sagittas intra vallum, & è vestigio se recipiebant ad suos. hoc pacto quum multi sauciarentur, id repertum remedium est, ut alio loco excubaretur, alio ignes fierent. At sicut in tempestate quidam pro cæteris gravi mole fluctus sunt, quos *decumanos* appellant; ita inter crebra certa-

nrſna dum hi tentant eruptionem, illi repellant; uno die tribus ad Dyrrhachium prœliis, totidem ad munitiones concurſum eſt. quippe Pompejus diſtinendi hoſtis cauſſa, pluribus locis tumultum excitaverat; ſed ubivis improſpere. Quippe Volcatius Tullus cum tribus omnino cohortibus legionem Pompejanam loco depulit: Germani eruptione in oppugnantes facta, compluribus interfectis, incolumes redierunt. Sed præcipuæ ferociæ prœlium una cohors legionis ſextæ edidit, in caſtello quod *Minucii* vocabant.

XXXVIII. Eo Pompejanæ legiones quatuor; per confraga & obſita dumetis occulto itinere venerant. Neque territi, licet re improviſa, Juliani, tam paucis militibus, vim tantam per aliquot horas ſuſtinuerunt; centurionis unius incredibili virtute animati. M. Cæſius fuit, cui *Scævæ* cognomen. is ſtrenua pugna multos qui propius acceſſerant, interfecit, cuſtodiamque portæ commiſſæ fortiſſime retinuit; quamquam ſauciato capite, femurque & humerum transfixus, poſtremo etiam oculum ſiniſtrum amiſerat. Tum vero Pompejanum centurionem notæ virtutis appellans, *mitti* petiit, *à quo deditus perduceretur*. Accurrerunt viri duo, tanto labore & his vulneribus nullum non robur exhauriri potuiſſe ad ſummam imbecillitatem rati. Sed ille confoſſo altero, altero vulnerato, ſuis addidit animum, ut tenerent locum, donec ex caſtris ſubveniri potuit.

Virtus incredibilis M. Scævæ. Sueton. Lucan. 6. 126. Val. Maxim. 3. 2. 23. Plutarch. Cæſar. cap. 23.

XXXIX. Quippe Cæſar ad Dyrrhachium admoturus partem copiarum, P. Sullam caſtris præfecerat. Is ergo cum duabus legionibus ſuppetias ferens adfuit; cujus ne conſpectum quidem ferre Pompejani potuerunt. Sulla tamen inſtare quamquam perculſis nolult: multis inculantibus, qui judicabant *bellum eo die finiri potuiſſe*. Sed Cæſar *alias legati atque Imperatoris partes eſſe* demonſtrans, *nihil à Sulla præter rationem factum eſſe dictabat*. His omnibus prœliis non ultra viginti ſuorum deſideravit Cæſar; quum ex Pompejanis ad millia duo cecidiſſent.

Alia legati atque Imperatoris partes. Appian. Cæſar.

XL. Sed in caſtello Minucii nemo militum intacto corpore relictus eſt, quatuorque centuriones ex ea cohorte perdiderunt oculos. millia ſagittarum circiter centum triginta, quæ fuerant ab hoſtibus intra vallum ejus præſidii conjecta, Cæſari renumeraverunt. quarum unus ille Scæva magnum numerum exceperat, ſcuto illius ſupra centum viginti foraminibus confoſſo. quem ob egregiam virtutem & commilitones in magna veneratione habuerunt; & Imperator pecunia donatum ab octavis ordinibus ad primipilum deduxit: cohortique ſtipendium duplex, frumentum, veſtem, cibaria, donaque militaria largiter dedit. Dum hæc ad Dyrrhachium geruntur, in Macedonia & Græcia legati Cæſaris variam fortunam habuerunt. Sub idem enim tempus, quo in provincias illi perveneranr, Scipio Metellus generi literis excitus, cum legionibus adfuit: nudata in metu Parthici belli Syria, & provinciis per quas iter habuerat, per varia exactionum nomina crudeliter exhauſtis.

Scipio ex Syria in Macedoniam venit. Sueton. Cæſar. Val. Maxim. Florus. Lucan.

XLI. Quin & ex Epheſino templo pecunias ſuſtulerat; niſi dum id agit, epiſtola Pompeji; *poſthabitis omnibus, iter maturare* juſſiſſet. Igitur ſumma celeritate uſus per Macedoniam in Theſſalos cucurrit, ubi cum ſua legione Caſſium Longinum agere cognoverat. Eodem & Sadales Regulus cum Thracio equitatu venit. Ideirco Caſſius, detrimentis quibuſdam acceptis, ad montana deflectens Ambraciam petebat. Hunc Scipio ſequebatur, quem ſi eſſet conſequutus, du-

Caſſium Longinum fruſtra perſequitur. Dion. lib. 42. Cæſar.

Favonium periculo eximit Scipio.

bium non erat, quin Cassiani omnes se dederent, aut trucidarentur. Sed avocavit Scipionem M. Favonii periculum, qui relictus ad Haliaemonem amnem cum cohortibus octo, & totius exercitus impedimentis, à Cn. Domitio petebatur. Ea res & Cassio salutem attulit; & Favonio: quum die ac nocte continuato itinere, sub idem ferme tempus, quo Domitius imminebat, Scipio occurrisset.

Castra opponit Domitii Castris. Dio. Cæsar.

XLII. Domitio, ne Macedoniam omnem, multis ad eum accedentibus, occuparet, Faustus Sulla restiterat: igitur adsumptis Ætolis & Acarnanum & Locrorum, quos Amphilochos vocant, auxiliis, quæ gentes recens opera Cassii Longini, aut Calvisii Sabini receptæ erant, in Thessalorum fines processerat. Postquam eodem, uti diximus, Scipio venit; Domitianis pugnam optantibus, hoc refugiente, castra castris collata sunt, & parva ex insidiis prœlia facta, quibus superiores Juliani fuerunt. Inter hæc Cæsar plura quoque tentanda ratus, Fusium Kalenum misit, qui Cassio & Sabino adjunctis longius progrederetur. Isque Phocidis & Bœotiæ quibusdam urbibus voluntate incolentium receptis, quibusdam expugnatis, in Achajam tamen Isthmo à Pompejanis munito penetrare non potuit. Rutilius Lupus tum obtinebat Achajam, successor à Pompejo missus App. Claudio, qui nuper oraculi deceptus ambage, quum sibi læta quæque pollicerentur, fato concesserat.

Ap. Claudii superstitio & mors. Lucan. 5. 67. Cic. de divin. 2. 58. & de leg. 2. Val. Maxim. 2. 2. 10. Orosius 9. 15. Liv. 31. 47. 2.

XLIII. Quippe homo psychomantiæ, & auguriis deditus, cujus in vanitatis studio multum operæ posuerat; quo scilicet certiore prædictione futura disceret, desitum à multis annis consuli oraculum Delphis solicitarat. Ibi responsa antiquitus per virginem reddebantur, quæ recepto maligno spiritu, magno vitæ periculo, jactari inter fata canenda consueverat. Igitur & Phœbas (sic vocabant fatidicam virginem) ad tripodas adire metuens, simulavit responsum; & Appius rerum istarum minime rudis, agnovit fraudem, imperioque inhibito cogit in specum descendere. Tum vero responsum a furente redditur: *Nihil ad te hoc, Romane, bellum: Eubœæ Cœla obtinebis.* Sic tum appellabatur sinus Euboicus, quatenus hinc ad Rhamnuntem Atticæ, inde Carystum Eubœæ oppidum pertinet.

Cæsar cum Scipione & Lentulo de pace agit per internuncios. Cæsar. Vellei. 2. 51. 3. Cic. Famil.

XLIV. Hanc in regionem quum se condidisset Appius, aliter atque existimaverat, morbo solutus belli discrimen evasit. Dum ista fiunt, resque variis locis armis geritur, Cæsar nequaquam consilia pacis omnino deposuerat: quin saltem ad alios potentes viros mitteret, quatenus de voluntate Pompeji desperaverat. Scipionem quidem per Clodium utriusque familiarem tentavit; Lentulum prioris anni Consulem, per Cornelium Balbum, qui summa audacia Scipionis castra Pompeji est ingressus, ut sermones cum Lentulo conferret, certissimo, si deprehenderetur, exitio. Sed neutrubi successere conatus. Lentulus dubitando quanti se venderet, eousque rem extraxit, donec acie decretum est. Scipio, quum ab initio præbuisset aures, à M. Favonio castigatus, Clodium ultra ad colloquium non admisit.

Allobroges ad Pompeium perfugiunt. Lucan. Cæsar. Macrob. Sat. § 3.

XLV. Interim ad Dyrrhachium ab utroque Imperatore quotidie producebantur instructi exercitus. à Cæsare, quia pugnare summopere cupiebat; à Pompejo, quia nolebat eam de se famam spargi, quasi Cæsari lacessenti non auderet resistere. Sed ut necessitatem pugnandi vitaret, pro castris constituit aciem, non longius primis excurrentibus ordinibus, quam quo de vallo telum tormento emissum pertingere posset. Quum hac ratione multi consumpti dies essent,

Pom-

Pompeius, pabuli máxime inopia coactus, erumpere totis viribus ſtatuit. Hoc conſilium agitanti: opportune Roſcillus & Ægus Allobroges oblati ſunt, qui propter interverſa equitum ſtipendia objurgati à Cæſare transfugiebant. Hos igitur per omnia præſidia circumductos, ut ſuorum animos augeret, multis ornavit laudibus, civitate quoque promiſſa: quod irriſiſſe Cicero dicitur, atque dixiſſe: *egregium vero Imperatorem, qui Gallis alienam civitatem pollicetur; nobis noſtram non poteſt reddere.*

XLVI. At Pompejus ab his edoctus omnia, qua ratio munitionum, quæ excubiarum atque ſtationum apud hoſtes eſſet, quod munus quo tempore, & quibus accurantibus fieret; imperat militibus, *ut ſibi quiſque tegmen faciat ex vimine, ad galeam contegendam, & ut aggerem comporter.* Hoc ubi factum eſt, noctu aggere & leviter armatis ſagittariiſq; multis in ſcaphas & actuarias impoſitis, *munitionum Cæſaris eam partem, quæ ad mare pertinebat, & à maximis ejus caſtris erat remotiſſima, peti* jubet; *eodem à Dyrrhachio naves longas ſubigi*: eodem ipſe cum ſex legionibus contendit. Duo diverſa caſtella eo loco Cæſar effecerat, fexcentorum paſſuum intervallo, quorum alterum in hoſtem erat converſum, interius diverſam partem ſpectabat, hanc tranſverſo vallo ſecundum mare duo conjungere Cæſar inſtituerat. Pompeiusmunitiones Cæſaris aggreditur. Cæſar. Diod. lib. 4. Lucan.

XLVII. Sed ea munitiones ſpatium octodecim ferme millium complexæ, ob magnitudinem operis abſolvi nondum potuerant. Prima luce ſe oſtenderunt Pompeiani ad obiectum caſtris ſuis vallum: ſimul navibus circumvecti milites alterum aggreſſi ſunt. ſtrenue tem utrique gerebant, foſſas complebant aggere, ſcalis admotis ſuperare vallum conabantur. adverſus ictus lapidum, quod unum Julianis telum erat, vimineis galearum tegminibus muniti. Lentulus Marcellinus Quæſtor cum legione nona hac caſtrorum parte curabat. Ab hoc auxilio miſſæ cohortes metu fugientium una ablatæ conſternationem clademque augebant. Fœda ibi cædes & fuga fuit, graviter impulſis Cæſarianis. Aquila quoque legionis tantum non in poteſtatem hoſtium venit. Julianorum grave periculum. Dio. Cæſar. Oroſius. 6. 15. Liv. Epitom. Velleius. 2. 51. Plutarch. Cæſar cap. 55.

XLVIII. Sed aquilifer gravi vulnere adfectus eam equitibus forte prætervehentibus reſtituit: ab his ad Cæſarem relata eſt. Jam & caſtra Marcellini victor petebat, haud dubio reliquarum ejus cohortium exitio; quum ex ſuperiore loco conſpectus cum cohortibus duodecim M. Antonius deterruit hoſtem, exercituſque magnam partem iterum ſervavit. Neque multo poſt Cæſar, ſumo admonitus (quem excitari, ſi quæ parte erumperet hoſtis, præceperat) cum aliquot cohortibus accurrit. Sed jam disiectæ à Pompeianis munitiones erant: iisque contra mare (quæ ratio fabulationem in ipſis liberiorem, & navium uſum maximum præſtabat) caſtra protuleranr. Igitur hac parte nihil tentari poſſe cernens, ut tamen aliquo detrimento hoſtem contra adiceret, legionem animadvertit, quæ forte Torquato dicente in caſtra quædam vacua transferebatur. Nam ante aliquam multos dies eo loco Cæſaris nona legio tetenderat, poſtea mutante conſilium Cæſare deducta inde erat, relictis integris munitionibus. Cæſar vicifſim aliquid tentat. Plutarch. Antonio c. 11. Lucanus. Cæſar.

XLIX. Idcirco eas munitiones occupaverat Pompejus, & quia plures ibi locaturus legiones erat, interiori vallo alia caſtra circumdederat, ut illa priora his omni ex parte inſuderentur. Huc Cæſar raptim ductis tribus & triginta cohortibus, priuſquam ſentire Pompejus poſſet, exterius vallum expugnavit. & deleri Sed errore quodam ſuo. Oroſius. Lucan. Cæſar. Front. ſtrat. 2. 17. 4.

legio potuiſſet, niſi dextrum Cæſaris cornu brachium valli à caſtris ad flumen tutioris aquationis cauſſa deductum fefelliſſet. Huc enim delati, caſtrorumque partem putantes portam quærebant: donec animadverſo errore, qua proximum erat, nec enim defendebat quiſquam, tranſcenderunt aggerem, eadem etiam ſequutis valli proruta parte equitibus. Hæc mora Pompejo ſpatium dedit, re cognita, legionem ab opere deductam ſubſidio mittendi laborantibus. quo illi conſpecto acrius ſe defendere; contra Cæſariani, præſertim equites, in locis anguſtis & impeditis receptui timentes, cum magna conſternatione retrocedere cœperunt.

In magnum diſcrimen incidit. Sueton. Cæſar. 68. Dio. Plutarch. Appianus. Cæſar. Lucanus. Plutarch. Apoph. Rom. cap. 44.

L. Horum fuga cæteros omnes pavoris & tumultus implevit, ut nihil prohibere Cæſaris præſentia poſſet, quin paſſim ſolutis ordinibus palarentur. Quidam ſigniferi Cæſare ſigna prehendente manibus, & jubente conſiſtere dimiſſis illis fugere perſeverarunt: Tum etiam ipſe Cæſar in diſcrimen ingens incidit, quum retinenti aquiliferum quemdam, magnarum virium hominem, ille cuſpidem intentaret: ſed aquiliferum qui cum Cæſare erant, ſtatim confoderunt: Multos milites hoc gemino prælio deſideravit Cæſar, tribunos etiam militum & centuriones triginta: ſigna inſuper militaria duodetriginta amiſſa ſunt. Quod niſi Pompejus receptui cecinisſet, totum deleri hoſtium exercitum potuiſſe adeo certum habetur, ut ipſius Cæſaris vox adnotata ſit: *ea die ſummam victoriam penes adverſas partes fuiſſe, ſi ducem vincendi gnarum habuiſſent.*

Pompeius occaſionem victoriæ negligit. Plutarch. Cæſar. Appianus. Cæſar.

LI. Sed ille ſive quo civibus parceret propria pietate, aut Catonis facto permotus, qui viſa Julianorum ſtrage flens operto capite diſceſſerat; ſive Labieni ſententiam ſequutus, fugientibus inſtitit, de cætero non ſolicitus. Certe captivos tranſdidit petenti Labieno, atque ille verbis graviter increpitos, in conſpectu omnium interfecit. Nihil umquam ſatis evenire feliciter ignaris utendi hominibus poteſt. Apparebat vinci Cæſarem poſſe: ſed Pompejani dimiſſa victoriæ cura, jam de præmio inter ſe litigabant. Cæſarem, ſuper inſitum ardorem, ad intendendum præſentibus animum neceſſitas inſtigabat. Itaque conſilium mutandum videns, ſuos idonea oratione contolatur: cladem in *paucitatem militum, iniquitatem loci, errorem perturbationemque ſuorum, denique in Fortunæ inconſtantiam* conferens, *aliorum quæ multa fortiter feliciterque recens feciſſent*, admonet. *virtute, uti alias, & ad Gergoviam eſſet factum, ferri incommodum poſſe & oportere, quod Fortuna intuliſſet.*

Cæſar in Theſſaliam caſtra movet. Appianus. Cæſar. Dio. Velleius 2. 52.

LII. Quum hæc dixiſſet, ignominia notavit ſigniferos, quorum eminebat culpa, locoque movit: ſuæ potius clementiæ, quam voluntati legionum obſequutus. Tantus enim pudor veteranos ejus intraverat, ut ultro ſe offerrent pœnæ, *decimari*que peterent: deinde leni reſponſo Imperatoris vix adducti ad ignoſcendum ſibi, perſeverarunt *ad ſupplicium* poſtulare *ſigniferos, qui cauſſam initiumque flagitio ei dediſſent.* Jamque etiam ab dolore pugnam poſcentes, quoſdam ſuperioris ordinis movebant, ut *manendum, & acie certandum* putarent. Sed Cæſar neque militibus perterritis committendum ratus, neque donec illi recipterent animum, inopia frumenti dante ſpatium, diſcedere loco ſtatuit, & in Theſſaliam proficiſci, ubi commodiorem bello ſperabat regionem fore, expeditis commeatibus per Longinum & Calviſium, qui nonnulla iis locis oppida receperant, adjuvante ex Theſſalis Petrejo, ſummæ nobilitatis juvene.

Cæsarem Pompejus in Thessaliam insequitur.

LIII. Quum præmissa trans Genusum amnem majore parte copiarum, Cæsar *conclamari vasa* jussisset, quo simul utilitati simul famę consuleretur; apud Pompejum sententiis variabatur. Multi auctore Afranio *Italiam peti*, *alii bellum trahi* volebant: Pompejo neutrum satis probabatur: *pro Italia bellum se gerere* dicebat, *nec oppressurum quæ defensa & servata cupiat*; *neque dandum hosti perterrito spatium*. Ergo recedentem ad priora castra Cæsarem, quæ fuerant contra Asparagium posita; vicissimque inde moventem, strenue insequutus; postquam adipisci posse desperavit, ad Scipionem properare cœpit, ei timens, ne à Cæsare opprimeretur. Hæc enim ferme summa consilii utriusque erat, ut Cæsar, si sequeretur Pompejus, æquioribus locis bellum gesturus videretur; sin verò transmitteret in Italiam, eodem per Illyricum contendere. postremo omnibus locis excluſus, exercitum quem Scipio nuper adduxerat obsidendo, retrahere Pompejum posse putaret.

Pompeius insequitur. Dio. Plutarch. Cęsare cap. 59. Appianus. Vellejus. Cæsar.

LIV. Pompejus similiter sive Scipionem aggredi Cæsar statuisset, ad auxilium festinabat; sive propter copias, quæ ab Italia exspectabantur, discędere ab ora maritima nollet, Domitianum exercitum deleri posse rebatur. Quum Cæsari necessario prius adeunda Apollonia esset, ut saucios deponeret, stipendium militibus daret, animosque sociorum alloquio & præsidiis datis firmarer; Pompejus expedito per Candaviam itinere, prior in Macedoniam venit. Ibi Fortuna, vix quatuor horarum interposito spatio, Domitium & objecit maximo discrimini, & eripuit. Ignarus ille omnium, quippe missi ab illo ad Cæsarem, aut ad illum à Cæsare, propter infesta itinera penetrare nequibant, quum per aliquot dies castra castris Scipionis opposita habuisset, rei frumentariæ caussa discesserat: & tum ad Heracleam Sinticam, quæ est subjecta Candaviæ, iter habens, in ipsum Pompeium incidisset; nisi quod neque sua diligentia cognoscere, neque doceri à suis partibus potuerat, hostium beneficio didicisset.

Domitii insperatum periculum.

LV. Allobroges, qui cum Roscillo & Ægo nuper transfugerant, repertis per viam exploratoribus Domitii, sive propter veterem consuetudinem, quod in Gallia unà militaverant, sive gloria elati, omnia expromserunt. Ita deflexo itinere Domitius, qua Cæsarem venire audiverat; vitavitque Pompeium, & ad Æginium cum Imperatore suo conjunctus est. Jam quocumque Cæsar adiret, prœliorum Dyrrhachinorum fama præcurrerat; igitur Gomphos venienti, quod primum est contra Epirum Thessaliæ oppidum, Prætor gentis Androsthenes portas clausit: dimissis ad Pompeium Scipionemq; nunciis auxilii accelerandi caussa. Sed Cæsar edoctos milites, quantum ad famam necessitatemque præsentem ea res pertineret, sic accendit, ut post horam nonam oppugnatione cępta, ante noctem loco potirentur. Quum urbs diriperetur, intolitum spectaculum in quadam domo irrumpentium oculos tenuit; senes viginti jacentes in cœnaculo cum calicibus, similes ebriis, sed vita cassi; sedentique alius gestu præbentis potionem. Nempe nobilissimus quisque morte asperiora timentes ad medicum convenerant, eumdemque habuerant & ministrum mitioris exitus, & comitem.

Et insperata salus. Florus 4. 2. 41. Cæsar. Appian. lib. 2. Civil.

LVI. Cæsar obiter refectis militibus, Metropolim oppidum & ipsum Thessaliæ contendit, ea celeritate ut famam cladis Gomphensium anteiret. Quasi bacchabundo agmine perventum est; quod miles vino apud Gomphos reperto

Gomphenses & Metropolitani documęnto cęteris Thessaliæ ad

dedeodum ſe Cæſari. Dio. Plutarch. Cæſar. Appianus.

ſe ingurgitaverat, Germani ante omnes veteri gentis & tenace probro. Sed ea quoque res commodo Cæſari ceſſit; nam & morborum jam inter eos ingraveſcentium ſemina largiore vino diſcuſſa ſunt, & alacritas militum aucta eſt. Metropolitæ, quum ad reſiſtendum ſe pararent, viſis Gomphenſium captivis, & cognito quod acciderat, ſe protinus poteſtati fideique Cæſaris transdiderunt. Cæſar hos diligenter conſervavit: breviq; rerum earum diſperſo rumore, Gomphenſium malis rebus & Metropolitarum tolerabilibus omnes permotæ civitates, ad Cæſarem ſe contulerunt, excepeis Lariſſenſibus, ad quorum urbem Scipio jam acceſſerat.

Pompejani moram imperatoris accuſant. Florus 4. 2. 43. Plutarch. Pompejo. rap ati. Cæſar. Lucan.

LVII. Paucis poſt diebus, quum adventu Pompeii in Theſſaliam duo magni hoſtium exercitus conjuncti eſſent; adeo crevit hominum audacia, ut belli tantum non immemores, id modo cogitarent, qua ratione maximum è victoria fructum pro ſe quiſque perciperent. Igitur jam increpari *Pompeii moram* quotidianum erat, *qui exploratam victoriam non alia cauſſa differret, quam quo diutius talibus viris imperaret; Regem Regum* Domitius vocabat, *& Agamemnonem*, quod is quoque, belli cauſſa, pari dignitate præditis imperarat. M. Favonius *per Pompejum ſtare* dictitabat, *quo minus eo anno ficus Tuſculanas eſſent*: L. Afranius, quem Attius Rufus *pretio accepto prodidiſſe exercitum* arguerat, *demirari ſe* ajebat, *quemadmodum cum Icitatore legionum tantus Imperator non auderet confligere.* Sed Pompeius atterendum hoſtem mora & incommodis recte cenſuerat. omni apparatu ſuperior, & ea Juliani militis conditione, ut adſuetum vincere nulla acies ſuſtineret; defeſſus ætate frangi laboribus & tædio poſſet.

Inter ſe jam contendunt de præmiis victoriæ. Julian. Cæſar. Cæſar. Plutarch. Appian. Cic. Attic. 11. 6.

LVIII. Cæterum reliquorum amentia non ſinebat hominem inſiſtere ſuis conſiliis. Amentia enim certe fuit: quum tanto hoſte oppoſito, Lentulus Spinther, & Scipio, & Domitius, graviſſimis inter ſe contentionibus *de Pontificatu maximo, quod Sacerdotium Cæſar gerebat*, agitarent: *Urbanam gratiam* Domitio, Lentulo *ætatem* allegante, *Pompeii neceſſitudinem* Scipione, à quo perhonorifice tractabatur: ut *alterum ei prætorium tendi Pompejus, & apud illum etiam claſſicum cani* juberet. Sed & magna fuit in conſilio controverſia, *haberine rationem comitiis Prætoriis L. Hirri oporteret; quem ad Parthos legatum Pompejus miſerat: quum fidem in id Pompejus dediſſet*; cæteri negarent *in pari labore & periculo unum anteponendum omnibus eſſe.* Domitius etiam gravem *de iis, qui in Italia remanſerant*, ſententiam dixit: *placere ſibi, ut de ſingulis ternæ tabellæ darentur Senatoribus, qui in bello ſequuti Pompejum eſſent, ut de illorum cauſſa cognoſcerent. unam fore tabellam, quæ omni periculo abſolveret; alteram, quæ pro hoſte habendum cenſeret; tertiam, quæ mulctandum pecunia.*

Pompejum cogunt pugnæ rem committere. Appianus. Plutarch.

LIX. Nihil horum latere Cæſarem poterat: itaque ſimul ſatis ex priore conſternatione ſuos recepiſſe viſus eſt, non abſiſtebat, quin copiis quotidie productis pugnandi faceret poteſtatem. idque adeo inter initia cautius egerat: deinde confirmatus eo, quod Pompejus ſuos intra munitiones tenebat, longius à ſuis caſtris, in loca hoſti æquiora degrediebatur. Ea quoque res accendit Pompejanorum animos, qui ferme omnes, quamquam alius alia de cauſſa, contationem oderant. At Pompejus *hoc ipſo argumento abſtinendum prælio* differebat, *quod appareret, id ſummopere Cæſarem, tamquam ſibi maxime neceſſarium, expetere.*

Comparant se ad pugnam utrique.

LX. Postremo, quum neque vincere suorum animos, neque ferre invidiam posset; abjecto salubri consilio, ad pugnam se parare cœpit. Multa tum concurrerunt incitamenta, ut magnam omnes victoriæ spem conciperent. fiducia in viribus, in Imperatore, in caussa: præterea res duæ novæ quantivis utique momenti: una quod *Pompejus confirmaverat, prius quam fere ad manus videretur, exercitum Cæsaris in fuga fore: propterea quod equites*, quorum multitudine abundabat, *sibi recepissent, se dextrum Cæsaris cornu statim initio pugnæ circumdaturos atque turbaturos esse*: altera, quod Labienus, demonstrato *præsentes Cæsaris copias magnam partem ex aliis militibus constare, quam qui Gallias subegissent; in caput suum exsecratis fuerat, si in castra, nisi victor, reverteretur*; idque jusjurandum sequuti deinde omnes erant. At Cæsar, sive per exploratores re cognita, sive præsagio animi, revocatis tribus legionibus, quas frumentatum emiserat, de media nocte sacra Marti & Veneri Genetrici fecit, quam *suæ gentis auctorem esse* dictitabat; *templum* quoque *eidem vovit ex manubiis*.

Magna spe concepta victoriæ. Polyæn. Strat. lib. 8. App. anus. Lucanus.

LXI. Quum utrimque sedisset animis pugnandi voluntas, ut ferme in magnarum rerum exspectatione miscere se prodigia solent; multa visa aut ficta sunt. Victimæ in castris Pompeii, quum admoverentur aris, fugerunt: examina apum in militum signis, & altaribus sederunt: interdiu fuerunt tenebræ: Pompejus nocte quæ prœlium antecessit, per quietem in theatro suo sedere imaginatus est, & maximo populi plausu excipi. Inter hæc castra ejus fulminibus petita sunt: excubias circumeunte Cæsare, fax à castris ejus in Pompejana decurrere visa est, atque ibidem extingui. Nocturni quoque terrores in exercitu Pompeii fuere sub ipsam lucem, auxitque consternationem mane apud principia cum pullo conspectus Imperator. Spes tamen prævalvit apud pertæsos moræ animos, & ex apparatuum magnitudine belli eventum metientes.

Quum tamen interpellant prodigia. Florus. Diod. lib 41. Iul. Obseq. Val. Maxim. l. 6 12. Plutarch. Cæsare cap. 61. Appianus.

LXII. *Igitur & facem in sua castra delatam suæ claritudinis omen* accipiebant, & insomniis Pompeii tidebant. nam is sopito castrorum tumultu, quieti redditus, altissime indormiverat; excitatusq; ab amicis, *modo se per somnum Romæ fanum Veneris Victricis ded. casse* juraverat. At incertus consilii Cæsar, & desperato prœlio, ex superiore consuetudine Pompeii, Scotusam castra moturus erat. Jam detendebantur tabernacula; quum *Pompejanam aciem longius solito ante vallum progressam* relatum est. Igitur expeditum agmen quod jam in portis erat cohortatus, proruto vallo, quasi hostium castris mox potituros, eduxit statim, hostique processit obviam. Acies utrimque sic ordinata stetit.

Omnium Pompeii. Cæsar. Plutarch. Appian. Lucan. Front. Strat. a 7. 22.

LXIII. Sinistro Pompeii cornu, cum duabus legionibus, quas per caussam belli Parthici abductas à Cæsare diximus, ipse cum L. Domitio constitit: Scipioni cum Syriacis legionibus mediam aciem commiserat: cohortes Hispanæ, quas secum Afranius deduxerat, cum Ciliciensi legione dextrum cornu obtinebant. hoc erat exercitus Pompejani robur. tyronum legiones inter mediam aciem & cornua interjecerat. Quælibet acies denos in latitudinem ordines habebat. Peditum his omnibus Romanorum quadraginta quinque millia continebantur. Equitatus fere omnis, & quod sagittariorum atque funditorum habebat, in sinistro cornu, haud procul Pharsalia locatus est: dextro, quod flumen Enipeus impeditis ripis muniebat, sexcenti sufficere equites visi. At Cæsar uti consueverat, legionem decimam in dextro cornu, nonam octavamque in sinistro constituit. *Hic Antonium, ibi P. Sul-*

Acies Pompeii. Cæsar. Lucan. Plutarch. Antonio cap. 11. App. an. Plutarch. Cæsar.

Digitized by Google

lam curare juſſit; *in medio Cn. Domitium*, eum quadraginta cohortibus, ipſe in dextro ſuo cornu verſabatur, ut Pompejo ſe opponeret. Legionarios in aciem deduxit univerſos, millia circiter duo & viginti, mille equites. nec enim exſpectare militum ardor patiebatur Q. Cornificium, qui duas adducebat legiones; aut Fufium Kalenum, qui cum cohortibus quindecim erat in Attica. Hæ civiles utrimque vires fuere: auxiliorum numerus amplior utique, ſed varie traditus. *Haud minus trecenta millia pugnaſſe* quidam, qui plurimum, *quadraginta* ponunt.

Imperatorum comparatio. Appianus. Florus. 4. 2. 44. Cæſar. Lucan. Frontinus. Dio. lib. 42.

LXIV. Sed Cæſar animadverſo Pompeii conſilio, ne dextrum ſuum cornu circumveniretur metuens, ex tertia acie, ubi Domitius curabat, celeriter ſex cohortes detraxit, & ex his quartam inſtruxit aciem ad res ſubitas. Ibidem & equites ſuos locavit, quia ſiniſtrum cornu paludibus applicatum hoc præſidio indigebat minus, & delectos pedites, Germanos maxime, qui prœliari inter equites conſueverant. His rebus utrimque paratis, cohortandi ſuos materies Imperatoribus minime defuit: vix enim umquam tantis rebus geſtis, tantaque belli gloria par aliud concurrit nobilius. Pompejus primæ ætatis decora, & triumphalem adoleſcentiam Africanis Hiſpaniſque bellis præferebat: inde maximos Reges, ferociſſimas gentes domitas, & Orientem adjectum Imperio, Romanique populi vires unius ductu, atque una expeditione duplicatas. Neque minoris erat ex parte Cæſaris, recens Britanniæ Galliarumque devictarum gloria: quarum nationum altera prorſus inaceeſſa atque incognita maioribus; altera maximo perpetuoque terrori fuiſſet: & eadem adhuc arma, eadē corpora retinebat, quibus tantę patratę res fuerant.

Craſtinus committit pugnam. Appianus. Lucanus. Florus. Cæſar. Plutarch.

LXV. Steterunt tamen aliquamdiu quietæ acies, mutuo metu, an quia quantumvis atroces animos pudor & tœdium fundendi cognatum ſanguinem invaſerat. Tandem pugna cœpit à Craſtini centurionis impetu, qui concionanti Cæſari *futurum* receperat, *ut ſe aut vivum laudaret Imperator, aut mortuum*. Spatium erat inter duas acies, quod utrimque ſuffieeret concurſuris; ſed conſilio C. Triarii Pompejus immotos tenuit ſuos; rem minime probatam Cæſari, qui *vires alacritatemque militum valde incitari curſu* judicabat.

Pompeiani vincuntur. Oroſius. 6. 15. Florus. Frontinus. Strateg. 4. 7. 32. Cæſar. Lucanus. Sveton. Cæſar. 75. 5.

LXVI. At Juliani cęptum curſum, poſtquam adverſarios ſtare viderunt, parumper intermiſerunt: deinde iterum concitati pila miſerunt in hoſtem, gladioſque celeriter ſtrinxerunt. Idem & ab Pompejanis factum: eodemque tempore horum equites & levia arma Cæſaris dextrum cornu cęperunt impellere, quia Juliani tot partibus paueiores tantam procellam ſuſtinere non poterant. Igitur quartam ſuam aciem excitat Cæſar, eaque tam vehementem facit in effuſos impetū, ut protinus terga verterent Pompeiani equites. Nam ex præcepto Cæſaris ora hoſtium oculoſque petens miles, averſa facie cedere coēgit. & *hoc ita futurum* Cęſar, *atque hinc initium fore victoriæ*, pro ſummo quem habebat rei militaris uſu, prædixerat. Funditores & ſagittarii ab equitatu deſtituti, extemplo circumventi cæſique ſunt. Pompeius victa parte ſuorum, in qua plurimum fiduciæ collocaverat, damnare ſpes ſuas cępit; acieque relicta fugere. Tum vero cæſis fugatiſve ducibus, nulli rei præterquam turbando invicem idonea copiarum magnitudo, ad ſatietatem hoſtis cæſa eſt; donec miſertus Cæſar *parci civibus* juſſit. Hoc imperio per ordines vulgato milites, uti cui Romano occurrerant, *ſtare ſecurum* juſſerunt: in auxilia tota belli ira incubuit, eorumque ingens conciſa multitudo eſt.

Caſtra expugnatur.

LXVII. Cæſar, quamquam fatigatus prœlio miles æſtu quoque aggravaba-

tur; nam ad meridiem extracta pugna erat; tamen monendo *ni caſtra hoſtium expugnentur, imperfectam victoriam relinqui*; perpulit ut eodem impetu vallo hoſtium ſuccederent. nam ſuper auctoritatem Imperatoris, & elatos ſucceſſu animos, præda caſtrorum, quam ſciebant ampliſſimam fore, incendebantur. Caſtra aliquamdiu à Thracibus magis quam à Romanis (cohortes ſeptem caſtris caſtelliſque præſidio Pompeius reliquerat) defenſa, venerunt in poteſtatem victoris. *Tum vero Pompeium, qui hactenus in Prætorio ſederat tacitus, hæc verba loquutum*, etiamne in caſtra? *mutato habitu fugiſſe tradunt*.

LXVIII. Interim & caſtella, dedentibus qui tenuerant, à P. Sulla capta ſunt. Cæſar adhuc impetravit à ſuis, ut relicta præda novum inſuper laborem ſuſciperent, expugnandis Pompeianis, qui è caſtris refugerant in proximum montem: & quia locus aquæ erat inops, jugis eius Lariſſam verſus ſe recipiebant. Id quoque eadem die perfectum eſt; quamquam & paſſuum aliquot emetienda millia, & præterea muniendo ſecludendus à monte alio, quem hoſtes ceperant, fluvius fuit. tanta erat & Imperatoris illius, & exercitus, tamque invicta armis & laboribus alacritas. At Cæſar, ſicut prædixerat, in caſtris hoſtium exacta nocte, captis deditiſque omnibus ignovit: maxime lætus M. Bruto Cæpione ſervato, à quo poſtea interfectus eſt. Is à Lariſſa, quo ſe contulerat ex fuga, ſcripſit ad Cæſarem, cupidiſſimeque ſuſceptus eſt. Sed & ſingulis amicorum poteſtatem fecit, unius quem quiſque vellet adverſæ partis ſervandi.

Cæſaris clementia. Cæſar. Liv. Epitom. Lucan. Dio. Plutarch. Veller. 2. 52. 4. Plutarch. Bruto cap. 9. Sueton. Cæſar. 75. 5.

LXIX. Literas ad Pompeium à multis ſcriptas, atque inter prædam repertas, ſtatim cremavit; ne forte deprehenſis quorumdam conſiliis, iraſci pluribus, quam ſtatuiſſet, cogeretur. In ſumma moderationem & clementiam plane ſingularem atque admirabilem exhibuit in omnibus. Hæc eſt nobilis illa Pharſalica pugna, quæ jam aperte libertatem populi Romani ſubruit; uniuſque omnes ſubiecit poteſtati. Cæſar haud amplius ducentos, aut ſecundum alios, mille ducentos amiſit milites, ſed centuriones, viros fortes, circiter trecentos. Ipſe militis ſimul Imperatoriſque partibus omnibus ſtrenue obitis, præcipuam victoriæ ſuæ laudem retulit: inter legiones decumanorum maxima exſtitit virtus: ſed ſingulorum ante Craſtinum nemo fuit. Idcirco cadaver ejus (nam adacto in os gladio poſt ferociſſimam pugnam ceciderat) militaribus donis ornatum Cæſar, proprio ſepulchro inferendum curavit; quum cæteri uno communi tumulo humarentur.

Præcipua virtus in prælio. Cæſar. Appian. Florus.

LXX. *De Pompeianis circiter millia quindecim cecidiſſe* Cæſar adfirmat; qui magis augent, *viginti quinque millia*: ſed Aſinius Pollio, qui rerum iſtarum hiſtoriam Græco ſermone contexuit, *ſex omnino millia militum occiſa* tradidit, *reliquam multitudinem ſervorum fuiſſe, interfectorum maxime dum caſtra capiuntur*. dedita ſunt amplius millia viginti quatuor, quæ ferme apud victorem ſacramento dixerunt. Equites Romani quadraginta cæſi ſunt, de illuſtribus: Senatores decem. in quibus L. Domitium, ex caſtris in montana fugientem, Antonius cum equitibus ſuis occupavit. Signa militaria ad Cæſarem relata ſunt centum octoginta, aquilæ novem.

Cæſorum numerus. Cæſar. Appian. Plutarch. Dio. Cic. Philip. 2. 29.

LXXI. Hæc victoria Cæſaris, qua pugnatum eſt die, in remotiſſimis terrarum nunciata eſt. Nam & ſtrepitus armorum, pugnantiumque tumultus quum alibi locorum auditus eſt, tum Antiochiæ in Syria bis: idemque accidit Ptolemaidi: & Trallibus ad ſtatuam Cæſaris, quæ dedicata in fano Victoriæ fuerat,

Victoria Cæſaris in remotiſſimis terris prodigio è nunciatur.

Dio. Cæſar. Plutarch. Jul. Obſeq.

non ex humo, ſed ex duro & ſtrato ſilicibus ſolo, palma magnitudine matura enata eſt: & Pergami in templo Liberi patris, in interiore parte ædis, quo præter ſacerdotes aditus eſt nemini, tympanorum cymbalorumque ſonitus increpuit. Elide in templo Minervæ ſimulachrum Victoriæ, quod Minervæ ſigno obverſum fuerat, ſe convertit, valvaſque templi reſpexit.

C. Cornelius augur Patavii videt Pharſalicam pugnã. Plutarch. Agel. 15. 18. Dio. Jul. Obſeq.

LXXII. Sed nihil expreſſius, quam quod è municipe & familiari ſuo C. Cornelio auditum Livius tradidit: Is forte Sacerdos Patavii tum operam augurio dabat: quum viſis avibus nonnullis, vaticinantis in modum, *prælium committi* confirmare præſentibus cœpit: idemque poſt paulo *videre cedentes alios, alios urgentes, variamque fortunam & inſtaurationem pugnæ*: tandem exſiliens exclamavit, *vincis Cæſar*. mirantibuſque & fidem adhibere contatis, dempta de capite corona, *hanc*, inquit, *non ante reſumam, quam certis nunciis comprobata prædictio teſtimonium præbuerit arti*. Et tam exacte reſpondernnt omnia, ut non modo prœlii tempus, ſed omnem viciſſitudinem pugnandi, vaticinantis vocibus & motu expreſſam fuiſſe conſtaret.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

TREPIDATIO villarum partium per diverſas orbis terrarum partes, & fuga referuntur. Cnæus Pompejus quum Ægyptum petiſſet, juſſu Ptolemæi Regis pupilli, auctore Theodoto præceptore, cujus magna apud Regem auctoritas erat, & Pothino, occiſus eſt ab Achilla, cui id facinus erat delegatum, in navicula, antequam in terram exiret. Cornelia uxor, & Sex. Pompejus filius, Cypron refugerunt. Cæſar poſt tertium diem inſecutus, quum ei Theodotus caput Pompeii & annulum obtuliſſet, & infenſus eſt, & illacrimavit, ſine periculo Alexandriam tumultuantem intravit. Cæſar dictator creatus, Cleopatram in regnum Ægypti reduxit, & inferentem bellum, iiſdem auctoribus Ptolemæum, quibus Pompejum interfecerat, cum magno ſuo diſcrimine vicit. Ptolemæus, dum fugit, in Nilo naviculæ ſubſedit. Prætereà laborioſum M. Catonis in Africa, per deſerta cum legionibus iter, & bellum à Cn. Domitio contra Pharnacem parum proſpere geſtum continet.

Cicero reſtitutus Dyrrhachii. Liv. Epitom.

I. COGNITAM celeriter Pompeii cladem, nec enim celari res tanta poterat, paſſim trepidatio & fuga partium excepit. Primi, nam & proxime aberant, rem didicere, qui Dyrrhachii remanſerant in prioribus caſtris,

quorum

Ridicula Ciceronis dicta.

quorum & M. Cicero fuit; vir nihil minus quam ad bella natus; & jam inde à principio, Cæsaris cauſſam, Pompeii conſilia damnando, neutris partibus utilis, & moleſtior quibus acceſſerat. Nec enim abſtinebat acerbis facetiis ſenſus ſuos prodere, *habere quem fugiat* dictitans, *quem ſequatur non habere*. Sed & quum ad Pompejum accederet, dicentibus *ſero eum veniſſe*; *Nihil*, inquit, *paratum video*. Igitur neque uſus eo Pompejus eſt, & aliquando dixiſſe dicitur: *Cupio ad hoſtes tranſeat Cicero, ut nos timeat*. Cic. Phil. 2. 15. Cic. Attic. Macrob. Saturnal. 2. 3. Plutarch. Catone cap. 54.

Bellum ſuadentibus adverſatur.

II. Quo facilius, quum à Dyrrhachio Pompejus moveret, hic & relictus eſt, & manſit, præſertim quum acceſſiſſet corporis infirmitas. Sed poſtquam ex prœlio Pharſalico Labienus Dyrrhachium refugit, conſiliumque vocavit Cato; diverſæ præſentium ſententiæ fuerunt. Multis adhuc bellum placebat, quia Labienus vera falſis miſcendo, *Cæſaris gravi vulnere fortunam partium æquatam fuiſſe* confirmarat. Et conquirebantur alia inflandis animis. *ſupereſſe ſeptem aquilas* Nonius dicebat: *Pompejo victoriam deberi* Labienus, neſcio quorum numinum *oraculis*. His quoque dicta repoſuit Cicero; Nonio, *recte eum conſidere, ſi pugnandum ſit cum graculis*: Labieno, *hoc ſtrategemate jam amiſſa caſtra eſſe*. Macrob. Cic. Attic. 11. 4. Cic. de divin. 1. 32. Front. Strat. 2. 7. 11. Plutarch.

Catonis conſilium. Plutarch. Catone cap. 54. Lucanus 9. 30. Cicer.

III. Catoni hæc animo ſententia ſederat, ut ſiquidem Pompejus cecidiſſet, tranſportatis in Italiam, quos ſecum habebat, patriæque reſtitutis; ipſe exſulatum proficiſceretur quolibet: ſuperanti autem copias ab eo acceptas cum fide ſervaret. Hoc animo navigavit Corcyram, ubi claſſis ſtabat. Erat omnino fugæ ſimilis profectio. igitur & frumentum ex horreis raptum vias angiportuſque conſtraverat: & quia non modo jam hoſtis, ſed ſuæ quoque copiæ terrori Pompejanis erant, ſubito metu perterriti conſcenderunt naves. nec injuſtus ille timor fuit. nam noctu ad oppidum ex curſu reſpicientibus, magnum incendium reluxit flagrantibus onerariis, militum audacia, nolentium conſcendere.

Rhodii semigis vaticinatio. Cæſar. Civil. 3. 5 Cic. de divin. 2. 32. & 59. Lucan. 5. Plutarch. Cic. & Caton.

IV. Tum & Rhodia claſſis deſeruit ſocios, domumque diſceſſit. Hæc omnia paucis ante diebus Rhodiæ quinqueremis remigem, velut numine adflatum, prædixiſſe, C. Coponius qui ei claſſi præerat, homo cum primis prudens atque doctus, tribus facile doctiſſimis Romanorum, M. Tullio, M. Catoni, M. Terentio Varroni expoſuerat. Hoc ita ab ipſo Cicerone narratum, non poëtarum modo, ſed etiam Græcorum fabulas, qui revixiſſe hominem & à morte vaticinatum finxerunt, evidenter coarguit. Corcyræ, quum iterum de præſentibus eſſet deliberatum, Cato numquam non obſervans legum, *Ciceroni ſe cedere* profeſſus eſt, *quod ille Conſulari dignitate anteibat*.

Cicero Brundiſium revertitur. Cic. pro Deiotaro & Attic. 11. 4. Plutarch. Cic. & Caton. Cæſ. Civil. 3. 100.

V. At Cicero, qui ſemper pacis auctor fuerat, & omne fugerat belli munus, tantum ab accipiendo imperio abfuit, ut potius *armorum non deponendorum*, *ſed abjiciendorum* ſuaſor eſſet. Ibi gravis eum excepit Pompejanorum indignatio, fuiſſetque à Cnæo interfectus, ni Cato ſeductum pauliſper adoleſcentem leniviſſet. ita navigio accepto Brundiſium vectus, eo in oppido Cæſaris tempora exſpectabat. Interea loci & D. Lælius, qui objectam Brundiſio inſulam, quam antea Libo tenuerat, conſilio pari, pervicacia majore inſidebat: & C. Caſſius multis Julianis in Sicilia crematis navibus, poſtquam acceperant de prœlio, cum claſſe diſceſſerunt.

VI. Neque piget principum virorum, etiam ſingulorum conſilia referre &

Pompejanorum varia conſilia. Cic. Attic. 11. 6. & 15. Cic. Famil. 6. 2. 4. 12. 13. 29.

fatâ. Duo ferme genera erant univerſim, qui Cæſaris clementia fidere poterant, ubivis locorum ſubſiſtebant, donec per deprecatores quid fieri ille vellet, comperirentur: cæteri quibus nimia odia quidlibet tutius quam Cæſaris arbitrium fecerant, ubilibet terrarum rebellionem meditabantur. Q. Cicero filius, quum Corcyra diſcederetur, Patras venit, ubi pater ejus tum agebat: qui una cum multis aliis Senatoribus ad Fufium Kalenum ſe contulit, quem à Cæſare miſſum fuiſſe in Achajam prædiximus. Ex eo numero Ser. Sulpicius, A. Torquatus, M. Marcellus Athenis ſubſtiterunt: in Bithyniam ſe T. Antiſtius ad hominem familiarem A. Plancium recepit, pluresque alii per diverſas Aſiæ provincias victoris clementiam exſpectarunt.

Pompeii fuga Cic. Famil. 6. 5. 6. 4. 7. Florus 4. 2. 51. Lucan 8. 2. Cæſar. Civil. 3. 36. Plutarch. Pompejo. cap. 20. Appian. lib. 2. Civil. Oroſius. 6. 15.

VII. Atque his omnibus ocyus ſerius, ut cuique ſors fuit, ignovit Cæſar, quorumdam etiam opera deinceps uſus eſt, magiſtratuſque iis & provincias dedit. At quibus renovare bellum placuit, partim in ipſo conatu exſtincti ſunt; plerique in Africam ſe contulerunt. Pompejus, uti diximus, è caſtris ſuis equo fugiens, Lariſſam: inde per Theſſalica Tempe, etiam per noctem continuato curſu, cum equitibus triginta ad mare venit. Ibi conſcenſo parvo & fluviatili navigio paulum provectus, in oſtio Penei amnis onerariam conſpexit prætervehentem, agnituſque à domino navis, tum maxime ſomnium ſuum exponente vectoribus ſuſceptus eſt. Quippe per quietem, Pompejum longe diſpari quam eſſe conſueverat cultu, opem ſuam expoſcentem viderat.

Cæſar. Velleius. 2. 53. 1 Plutarch. Lucan.

VIII. Tranſcenderunt cum eo L. Lentulus, qui ſuperiore anno Conſul fuerat, & P. Lentulus Conſularis, & M. Favonius Prætorius. deinde & Regem Dejotarum, equo properantem ad litus conſpicati, recepere. Inde per Thermaicum ſinum, & deinceps præter Macedoniam vecti, ad Amphipolim jecerunt anchoram: quam ad urbem edicto convenire juniores Græcos civeſq; Romanos juſſerat; reparandarum virium ergo, ſi ſpatium habuiſſet: an magis ut fuga, quam moliebatur, tanto eſſet occultior. Certe Cæſaris adventu cognito Lesbum tranſmiſit, ubi initio belli Corneliam conjugem ſepoſuerat. Invitantibus in urbem ſuam Mitylenæis, atque offerentibus omnia, non paruit, ſed recepta Cornelia rebuſque ejus biduum tantummodo moratus per tempeſtatem, quacuo: additis actuariis, quæ à Rhodiis & Tyro venerant, in Ciliciam avectus eſt.

Rhodii Pompejum diſcedere jubent. Diod. lib. 42. Plutarch. Lucan. Cic. Famil. & ad Attic. 12. 24. & 5.

IX. Eo in curſu & Sextus filius eum conſequutus eſt; & magnus numerus Senatorum: & naves quædam cum militibus ex Cilicia occurrerunt. Expoſito igitur Dejotaro, qui ultimum Orientem in auxilium Pompeii commoveret, ipſe præter Epheſum & Colophonem, interjacenteſque inſulas Rhodum petiit. Rhodii, poſtquam alius eſſe jam cæperat Pompejus, adverſus illum iidem eſſe deſierant: igitur oppido portuque prohibitum, miſſis ad eum & Lentulos nunciis *ex iis locis diſcedere* juſſerunt. Primam urbium, nuſquam prius auſi conſiſtere Attaliam inierunt in Pamphylia: quum jam recollecti ex fuga Senatores circiter ſexaginta eſſent.

Pompeius externas opes reſpicit. Lucan. Florus. Stephan. Velleius. Dio.

X. Deinde, quia Pompejus commodos aquationi rebuſque neceſſariis portus, ſimulque remotiores abſtruſioreſque ſequebatur, Syedra conceſſit, delectum Iauriæ ſcopulum, quod navale Selinuntiorum erat. Ibi demum celatum hactenus conſilium nudare cœpit, *ſe diffiſum provinciis omnibus, externas opes quærere*. Quum in æſtimationem omnia circum Regna veniſſent, ad Par-

thum inclinabat ſententia, ſed hic amicitia Pompeii rejecta nuper, etiam legatos ab eo miſſos habuerat in vinculis: præterea ad interfectores Craſſorum Corneliam adduci, quæ nupta Publio fuerat; & ad proiectiſſimos in libidinem, iuvenem formoſam, alienum videbatur. Appianus. Iuſtin. l. 13. Plutarch.

XI. Jubam fidiſſimum partibus Regem peti, vetabat inſolentia barbari, & in Varo populi Romani deſpecta majeſtas: & levitas inſita genti. In Ægyptio Rege ætas maxime diſplicebat, & quod tredecim annorum puer, à nutriciis & pædagogis regebatur. At Theophanes, quo plurimum Pompeius uti conſueverat, *inſanum eſſe* rebatur, *ſi de alio ullo potius, quam Ægypti Rege cogitaretur. Illum ea ætate eſſe, ut ſcire beneficia patri à Pompeio præſtita, & intelligere poſſit: præterea reverentiam ei fore dati ab Senatu tutoris. Neque puritiam ejus metuendam. adultos & uſu tritos ex præſenti hominum fortuna favorem & odia temperare; adoleſcentibus honeſta placere etiam cum periculo.* Theophanes Ægyptum peti ſubet: Velleius. Lucan. Appianus. Plutarch. L. Ampelius. Triſt. Cæſar.

XII. Hac probata ſententia Cyprum tendunt. Ibi cognoſcunt Antiochienſium civiumque Romanorum, qui ibi negotiarentur, conſenſu, *arceri finibus Pompeianos, nunciis etiam dimiſſis in vicinas civitates, ne quis ex eo genere Antiochiam adiret; qui feciſſet, magno capitis periculo facturum.* Hæc adverſa demum graviſſimos duos errores deplorandi ſerum Pompeio ſenſum attulerunt; unum, quod procul mari, qua parte virium firmiſſimus fuerat, conflixiſſet: alterum, quod fugam potius intendiſſet hæc in loca, quam ad claſſem ſuam, & exercitum, quem duce Catone jam in Africam perveniſſe rumor ferebat. Pompeii duo graviſſimi errores. Plutarch. Appianus. Dio.

XIII. Sed inopinato prœlii eventu ſemel perturbatus, neque confirmare animum tam vetus Imperator; neque providere, quid in rem eſſet, ulla ex parte potuit: ſæpe querens, *tantum ſe fuiſſe falſum opinione, ut à quo genere hominum victoriam ſperaviſſet, inde ſibi enatum cladis initium fuerit.* Igitur *contracta quanta poterat pecunia, armatiſque hominum duobus millibus cum uxore triremem Seleucidem conſcendit. reliqui partim longis* navibus, alii onerariis ſunt ſequuti. Hoc modo Peluſium perventum: ubi tum magnæ copiæ Ptolemæi Regis erant, bellum gerentis cum ſorore Cleopatra, cuius caſtra nec longe ab Regiis aberant. Eius profectio in Ægyptum. Cæſar. Plutarch. Lucanus.

XIV. Pompeius id quod erat coniectans, certum hominem miſit, demiſſe petens, *ut ſibi tutum apud Regem perfugium eſſet.* Ipſe, dum tutores pueri coacto conſilio de præſentibus deliberant, in navi ſolicitus opperiebatur, quid de ſe Pothinus ſpado (hi erant capita rerum) & Ægyptius Achillas, & præceptor pueri Theodotus Samius decreſſent: princeps Romani nominis, & qui beneficio Cæſaris ſervari miſerum & deforme exiſtimaret. Quum aliis recipiendum, aliis contra videretur; Theodotus forte cupiens oſtendere facundiam, erat enim profeſſione Rhetor, *neutrum conſilium ſalubre eſſe* differuit: *altera ſententia dominum Ægypto, & bellum cum Cæſare recipi: alteri offendi Pompeium, nec iniri gratiam ab Cæſare. nihil melius, quam morte viri formidinem ab ipſo tollere, ſimulque demereri eum, qui rerum potiretur.* Adieciſſe & proverbio jactatam vocem dicitur, *mortuos non mordere.* Theodotus Pompeii mortem ſuadet. Appianus. Plutarch. Florus. Liv. Epitom. Velleius 2. 53. 2. Lucan.

XV. Hæc ubi placuere omnibus, Achillæ negotium permittitur, homini ſingularis audaciæ. atque is cum parvula navicula ad Pompeium accedit; *litus* exeulans, *quod vadoſum & infidum maiora navigia non pateretur.* Minime placebat Achillas ad interficiendū eum mittitur. Cæſar. Lucanus.

Cæsar Pompejum insequitur.

truncataque signa reponebantur (*faviſas* Romæ vocabant) donec Adrianus Cæsar Imperium totum undique perluſtrans, quum in Ægyptum veniſſet; & effigies reperit ornavitque; & tumulum inquiſitum refici repurgarique juſſit.

L. Lentuli vox & fatum. Dio. Marcell. 22. Val. Maxim. Cæsar. Oroſius.

XIX. Vix relatu dignum, tamen ad ineptam hominum cavendam ſolicitudinem non inutile tradunt auctores, *ex vaticinio quodam Caſſios ſemper ſuſpectos Pompeio fuiſſe: quum nemo hominum hoc nomine, ſed mons ſcilicet Caſius fatalis ei prædictus eſſet.* Poſtridie mortem Pompeji ſequutus illum è Cypro L. Lentulus advenit; ignarus omnium quæ acciderant: ſed conſpecto in litore rogo, neſcio qua occulta vi commovente animum, *eecui hic*, inquit, *juſta tam exiliter fiunt?* nec longo interpoſito ſpacio; *fortaſſis tibi Cn. Pompeji!* Divinavit amici caſum, unde ſuam quoque fortunam pendere non neſciebat. Nec diu ſuperfuit: comprehenſus enim ab Rege, ad Peluſium in cuſtodia necatus eſt.

Cæsar Pompeji fugam inſequitur. Appian. Cæsar Civil. 3. 102. Plutarch. Bruto cap 9. Cæsar.

XX. At qui in Cyprum refugerant diverſa exinde loca petiverunt. Interim Cæsar poſt victoriam biduo tantum honori ſimul deorum, & quieti militum dato, omiſſis curis aliis, Pompejum quocumque terrarum ſe contuliſſet, ſequi certus, hoc uno angebatur, quod neque nunciis, neque fama fiebat certior quam in partem Pompejus intendiſſet fugam. Poſtremo quum interrogatus ea de re Brutus, argumenta quædam protuliſſet, *in Ægyptum fugiſſe videri*, credidit, eoque ſtatuit accedere. Igitur adſumpto equitatu, & una legione minoribus itineribus ſubſequi juſſa, per Theſſaliam in Macedoniam profectus eſt. Theſſalis ob navatam in bello operam, præbitaque auxilia, ſimul terram honorans victoriæ ſuæ teſtem, libertatem reddidit.

Athenienſibus ignoſcit. Plutarch. Cæsar. cap. 69. Suetou. Cæsar. 60. 1. Dio.

XXI. Athenienſibus etiam rata tum ſors fuit, quam inter initia condendæ urbis impoſuiſſe deos fabulæ vulgarunt; *Neptunum, uti ſemper temere conſulerent; Minervam, uti nihilominus commoda fortuna uterentur.* Nam tum quoque Cæsar ignovit deprecantibus, ſevere increpitans, & hac voce adjecta: *quouſque vos veſtro merito pereuntes, majorum ſervabit gloria?* Deinde quum per Macedoniam Amphipolin perveniſſet, Helleſpontum petiit, in Aſiam tranſmiſſurus. Ibi eum è maximo periculo admirabilis fortuna eripuit; quum inopia triremium vectoria navicula trajiciens, in paratiſſimam hoſtium claſſem, & acerrimum ducem incidiſſet.

Mira fortuna Cæsaris. Appianus. Plutarch. Bruto.

XXII. Corcyræ trecentæ Pompeji triremes ſteterant. inde quum diſcederetur, cum majore numero reliquos, ut eſt expoſitum, transjecit in Africam Cato, triremes ſeptuaginta C. Caſſio datæ; quibus Pontum Pharnacemque adiret, illum quoque Regem conciturus. Tum autem, audito adeſſe Cæsarem, quaſi deprehenſus ipſe eſſet, ſupplices è navi tendens manus; veniam ſibi ſuiſque orabat. Agnovit Cæsar fortunam ſuam, & non contentus hac victoria, ne dum incolumitate, dubitavit an reciperet: fuitque à Bruto, cujus ſororem Caſſius duxerat, exorandus.

Cæsar Aſiam obiter conſtituit. Lucan. Cæsar. Appianus. Dio. Strabo lib. 14

XXIII. Hæc ita ſequutus auctores, qui *C. Caſſium in Helleſponto deditum ſcribunt*, poſui: cæterum Suetonius & Dio ſcriptores minime ſpernendi *L. Caſſium tradiderunt roſtratas decem habentem ſupplicem Cæsari factum.* Sane à præfracto contumacique C. Caſſii ingenio per multum ea vilitas diſſider. niſi, quod Appianus cenſet, fortunæ Cæsarem efferenti cedere tum omnia debuerunt. At Cæsar prætervectus oram Aſiæ, Epheſum attigit, ibique Senatores omnes ex provincia, ſub eoſdem dies eo convocatos eſſe cognovit à T. Ampio Balbo, qui

ad tollendam ex templo saeram pecuniam testibus his uti cogitasset. Sic iterum servata Ephesiæ Dianæ pecunia, Jonas cæteraque gentes Asiæ, missis legatis deprecantes venia prosequutus, insuper provinciam publicanorum injuriis, & triente soliti tributi levavit: nec tamen omisit locupletiorum publicare fortunas, quos favisse Pompejo constabat: quorum Pythodorus ex Asiarcharum numero, quum duobus talentorum millibus amplius possideret, redemit à Cæsare opes suas; neque minores reliquit liberis: unde mox ad Regale fastigium adscenderunt.

Rhodum navigat. Plutarch. Cæsar. Strabo. Lucan. Appianus.

XXIV. Tum vero & Gnidiis immunitas data propter Theopompum, qui inter Græcos amicos præcipue gratiosus & potens apud Cæsarem erat. Sed Cæsar paucis diebus in Asia moratus, jamque minus dubitans in Ægyptum isse Pompejum, quod Cypri visum esse cognoverat; Rhodum navigavit, & collectis quot subito poterant navibus, virisque, cum equitibus octingentis, duabusque legionibus, una, quam sequi ex Thessalia jusserat, altera, quam à Fusio legato evocaverat ex Achaja, navibusque longis Rhodiis decem, Asiaticis paucis, sub noctem inde solvit: ignaris cæteris quo tenderet. Sed gubernatores *interdiu vexillum Prætoriæ navis, noctu pharum sequi* jusserat.

Alexandriam venit. Cæsar. Dio. Liv. Epitom. Plutarch. Pomp. cap. 79.

XXV. Sic tertio post die Alexandriam pervenit. Sed in his legionibus tria millia ducenti haud amplius milites erant. reliquos vulnera, laborque, festinantem Imperatorem consequi vetuerant. Sed Cæsar animi magnitudine & fama rerum gestarum fretus, omnem sibi locum, quantumlibet infirmis præsidiis tutum fore existimabat. Tamen quia tumultuantes recenti morte Pompeji Alexandrinos repererat, veritus litori se credere, anchoras jecit: donec ad eum Theodotus venit, caput & annulum Pompeji (ensifer leo insculptus erat, ut Plutarchus tradidit; ut Dio, tria trophæa) tamquam fidei pignus offerens.

Pietas visa capite Pompeii. Liv. Epitom. Dio. Sueton. Cæsar. c. 30.

XXVI. *Ibi Cæsarem agnito generi capite flevisse* referunt, *aversatumque portantem esse; personam mœrentis adsumpta, quamquam intimo gaudere morte æmuli putaretur.* Reliqua ne non ejus mansuetudo facile declarat, veras illas, non simulatas lachrumas fuisse. princeps enim omnium esse volebat certe; nec excogitari necessitudo ulla posset, quam is hoc præmio proposito violandam esse non existimaret: sed hoc dedisses, erat hominum omnium mitissimus, & qui amplissimum quemque cupidissime servaret, tanto majorem gloriam suam futuram ratus, quanto potentiores nobiliores que viri suo beneficio viverent. Quocumque animo, vultum certe servans, caput Pompeji pluribus & pretiosissimis odoribus conrematum, honeste funerandum curavit in suburbio, ubi post debellatam Ægyptum ædem condidit Nemeseos, quæ sub Trajano demum diruta est ab Judæis rebellantibus.

Cæsar Regiam occupat. Val. Maxim. Dio. Appian. Historia Miscella. lib. 5. Cæsar. Liv. Epitom. Lucan. Orosius 6 15. Ejus dissimulatio. Lucanus.

XXVII. Inter hæc appulsus Alexandriam Cæsar, quum navi primum egrederetur, magno tumultu exceptus est, concurrente milite quem præsidio urbis Ptolemæus reliquerat, & fremente vulgo, cui præferendis Cæsari fascibus, imminuti majestas Regia videbatur. Igitur ipse concessit in Regiam: pars militum, quod exarmari commilitonum suorum nonnullos viderant, in arcem se receperunt, donec omnes simul naves applicarent.

XXVIII. Non fallebat Cæsarem quanto suo periculo inter infidos & validos in populosissima urbe commoraretur; videbatque Regis & cæterorum erga se non aliam fidem fore, quam in Pompejum fuisset: sed hæc illis tenebatur, qui sunt

Alexandria navigantibus adverſiſſimi venti. Ergo diſſimulando animo, donec vires contraheret, templa cæteraque celebriora urbis ædificia luſtrabat, audiebatque ſapientiæ profeſſores ſtans & populo immixtus, aliiſque rebus omnibus captum ſe pulchritudine locorum & Alexandrinæ vitæ æmulatione teſtabatur: unde illi mira vulgo gloria atque gratia quæſita eſt. præſertim quum etiam comiter exeipiendo ſingulos licentioribus conviviis penitus laxare animum videretur: jam propemodum effecta conſuetudine, ut pernoctaret inter epulas, quod ille vitandarum inſidiarum cauſſa uſurpabat, quas ſibi ſentiebat à Pothino ſtrui. Sueton. Cæſar. c. 35. Florus 4. 2. Velleï. 2 54. 1. Cæſar. Diod. 1. 38. Appian. Front. Strat. 1. 8. 5. Plutarch.

XXIX. Nec enim ab hoc prætermittebatur quidquam, quod ad invidiam Cæſaris, & exaſperandos in eum quoslibet pertinebat. Pecunia maxime deerat Cæſari, ergo etiam Aſiam prætercurrens, quum fuiſſet in omnibus liberalis & clemens, ſtipendium tamen imperaverat: & nunc Alexandriæ mutuum repoſcebat. Nam Auletæ Ptolemæo grandem ſummam expenſam ferebat, ſupra ſeptingenties ſeſtertium: cujus pecuniæ partem magnam liberis Regiis condonaverat olim, reliquum quadringenties cum maxime repoſcebat. Nec eo contentus, arbitria quoque cœperat agere diſſidentium Regum, quod *eorum controverſias ad populum Romanum, & ſe populi Romani Conſulem pertinere* dicebat, *ex teſtamento patris Ptolemæi*. Pothinus inſidiatur Cæſari. Dio. Plutarch. Cæſar.

XXX. Eo teſtamento major filius, majorque filia hæredes ſcripti erant: populumque Romanum *per omnia ſacra fœduſque in Capitolio ſanctum* Rex obteſtabatur, *ut judicium ſuum ſalvum eſſet*. Hæc vero mirum in modum angebant Regios ſatellites, Pothinum maxime, qui Cleopatræ Regno expellendæ auctor, reditum illius, ut mortem ſuam, horrebat. Igitur primo cum Cæſare agere: *diſcederet ad majorum rerum componendos tumultus; creditum, & cætera per commodum, & maxima cum gratia recepturus*. Sed ille negans *cujuſquam Ægyptii conſilio ſibi opus eſſe, ad ſe venire Reges dimiſſo exercitu, & de ſceptare de jure ſuo* juſſit. Tanto plura au invidiam ejus & contumeliam Pothinus facere: frumentum vetus & corruptum diſtribuere militibus, & ubi querebantur, *patienter ferendum* dicere, *jam enim eos de alieno tolerari, cunctis in poteſtatem Cæſaris concedentibus*. Pothinus cauſſæ. Oroſius. 6. 15. Cæſar. Plutarch.

XXXI. Convivia quoque figlina ligneaque ſupellectile inſtruebat, *argentea & aurea vaſa Cæſari ut judicium dari debuiſſe* excuſans. Quin & ſacram pecuniam hac præſcriptione tollebat è templis, rem Ægyptiis acerbiſſimam, qua gente nihil fuit umquam ſuperſtitioni addictius. arguebatque etiam *iniquitatem Cæſaris, qui tantam ſine cauſſa pecuniam peteret, ut qui Ptolemæo, dum Socius & Rex appellaretur, nihil recuſanti, ſuo Pompejique nomine prope ſex millia talentorum abſtuliſſet*. Miſit & ad Achillam nuncios de ſuo aliorumque ex Regiis amicis conſilio, quos ad eamdem mentem impulerat, *cum exercitu* jubens *Alexandriam accedere*. Pothinus Achillam & exercitum advocat. Orosius Dio. Sueton Cæſar. 54. 6.

XXXII. Sed in ſpeciem amica erant omnia, & tumultum Alexandrinæ plebis reverſus à Peluſio Rex puer placaverat. & Cleopatra quoſdam amicorum miſerat, qui ſuam cauſſam ageret. Sed paulo poſt, Cæſaris intellectis moribus, ſuæque formæ & venuſtati confidens, omnino conandum exiſtimavit, ut ab homine muliereſo conſpiceretur. Cæterum ſi palam veniſſet, vim ab tutoribus inimicis metuebat. Igitur modica conſcenſa biremi, corruptis pecunia qui Cleopatra ad Cæſarem venit. Lucanus. Dio. Plutarch.

clauſtra Phari cuſtodiebant, primis tenebris ad Regiam venit. & ne conſpici à quoquam poſſet, *culcitam ſibi circum adſtringi loro, deportarique per Apollodotum Siculum,* cujus fidei credebat, *ad Cæſarem* juſſit.

Eumque forma c pit. Florus 4. 2. Lucan. Plutarch.

XXXIII. Id primo commentum admiratione muliebris ingenii percuſſit Cæſarem: ut deinde ad miſericordiam ſimul amoremque ciendum temperato vultu adſtitit, eximia forma & ſingulari quadam gratia ita dementavit hominem, ut *Alexandrini belli hanc ſolam fuiſſe cauſſam* plerique exiſtiment. Sed illa plurimum etiam verborum blanditiis Veneribuſque pollebat: compoſitoque ad mæſtitiam vultu procumbens, *En adſum*, inquit, *Cleopatra tot Regum ſoboles, tuaque complector genua Cæſar: nihil indignum faſtigio meo facere putans, ſi tibi, quem Dii ſupra omnium hominum majeſtatem extulerunt, tamquam communem Regum atque gentium arbitrum, debitum honorem exhibeo.*

Et verbis.

XXXIV. *Per annos prope trecentos, poſtquam regnare ſemel domus noſtra cæpit, ſine intermiſſione tenuit hanc Regiam: & par huic vetuſtati mos eſt, eadem cum fratribus poteſtate ſociatas matrimonio regnare fœminas. Id non ſuo magis judicio, quam priorum omnium, pater meus nunc quoque fieri juſſit: ſed voluntas ejus ſpernitur, teſtamenti vilis eſt religio, unaque populi Romani, ſed & tua, Cæſar, deſpicitur auctoritas. Nec de fratre queror. puer eſt, & quæ ultimæ ſortis eſt indignitas, famulis ſuis ſervit. Non ille me dejecit Regno, mei quantum licuit amans: ſed ejuſdem id ſcelus eſt, cujus & Romani quondam nominis princeps interfectus: quem ſi ob veterem gloriam, & in noſtram domum merita noluiſſet, debebat vel quia gener tuus olim, vel æmulus nuper fuit, revereri.*

Pothinum indiati Cæſari rguit.

XXXV. *Princeps terrarum populus ducibus hinc Cæſare, inde Pompejo concurrit: quis inter hæc aliquas eſſe credat eunuchi partes? At (audaciam hominis!) ille ſibi vel primas vindicat. Tu fugaſti Pompejum; ille occidit: tu profligaſti partes; ille ſuſtulit ducem. Atque utinam ſit unis opimis contentus! felici ſcelere vacors latro, de tua jam nece agitat, quando interfector Magni, nullam ampliorem palmam appetere, quam trucidandi Cæſaris poteſt. Nec ſimplici ſtimulo incitatur ad facinus. temeritatem metus acuit: quod caput Pompeii mœrens adſpexiſti; quod vultu, gemitu, voce, lachrumis teſtatus es dolorem; vindex timeris perfidiæ, cujus approbator eſſe noluiſti.*

Se tradit In manus Cæſaris.

XXXVI. *Neque longinquos aut incertos metus adfero. Solicitatus Pothini nunciis Achillas motis à Peluſio caſtris cum omnibus copiis paulo poſt aderit. Hic me impulit terror, ut machinata quod vides, ad te per quodlibet diſcrimen penetrare ſtatuerem; conarerque ſalvum præſtare eum, ſine quo ſalva eſſe ipſa nequibam. Igitur non modo cauſſam meam, ſed etiam famam perſonamque in tuas manus contradidi: & nunc quoque non tam de meo jure, quàm de ſalute tua ſum ſolicitior. Ita me dii deæque omnes, & quam præcipue veneror, aurea Venus amet; teque, progeniem ſuam, optimæ voluntatis compleat, ut orbatam patre, orbatam fratre & viro, poſſeſſione Regni dejectam, contemptam, pulſam, oppugnatam à famulis, tuendam ornandamque ſuſpicias!*

Ptolemeus ad conſpectum ſororis iraſcitur.

XXXVII. Jam dudum Cæſarem forma puellæ, blanditiæque vultus & verborum, decenter interpoſitis lachrymulis ſuſpiriiſque perculerat. ideoque nihil non promittens ſeriis rebus amantium nequitiam miſcuit. eademque nocte una fuerunt.

fuerunt. Inde pleriſque non eximitur, Alexandrinum bellum præter neceſſitatem ſuſceptum eſſe à Cæſare, tantummodo, ut mercedem adulteræ Regnum Ægypti daret. Orta luce Cæſar ad ſe Ptolemæum vocat, & cum eo de reconciliatione ſororis agit. Ut vero & ipſa prodiit in conſpectum, ira commotus puer proripuit ſe foras, abiectoque diademate *proditum ſe* vociferans, excitavit populi turbam. Lucanus lib. 10. Plutarch. Cæſar. cap. 70. Dio.

XXXVIII. Sed eito retractus à Cæſaris comitibus plura conari non potuit: & Cæſar de ſuperiore loco alloquutus Alexandrinos, *nihil opus eſſe tumultu* dixit, *nec enim ſe exiſtimare aliud illos velle, quam quod ultro facere conſtituiſſet.* Recitato deinde teſtamento patris Ptolemæi, *quod in eo fides populi Romani invocabatur, ad ſe pertinere* dixit, *& patris tueri judicium, & liberis proſpicere. Quod igitur fauſtum felixque foret, Ægypti Regnum duorum eſſe debere Ptolemæi & Cleopatræ: minori Ptolemæo cum Arſinoë ſorore matrimonium, & ſuo populique Romani dono dotalem Cyprum fore.* Sed Cæſar omnia conciliat.

XXXIX. Sic in præſens ſeditione compoſita, convivium Cleopatra Regali luxu exhibuit, omnibus nova reconciliatione lætis. Enimvero Pothinus in haud dubio periculo ſe conſtitutum ſentiens, ſi tam infenſa nec immerito Cleopatra Rege & Regno potiretur; occidendi inter epulas Cæſaris conſilium cœpit. Erat inter quotidianæ operæ ſervos tonſor quidam Cæſari, mortalium omnium timidiſſimus. hic quum nihil non obſervaret anxia cura, deprehendit inſidias, detexitque. Idcirco Cæſar, jam olim Pothinum ſuſpectum inviſumque habens, convivio militibus circumdato interfecit. De morte Pothini conſentitur inter omnes: de tempore mortis & ordine diverſa traduntur. Sed nihil magis congruere prudentiæ temporique Cæſaris viſum eſt, quam quod poſuimus. Et Pothinum interficit. Lucan. Plutarch.

XL. Inter hæc Achillæ nunciato adventu, Cæſar Regiam claudit, ſuos armat: cum Ptolemæo agit, ut quos habeat ex ſuis maximæ auctoritatis mittat ad Achillam, jubeatque incœpto deſiſtere. Serapion & Dioſcorides miſſi, qui ambo legati Romæ fuerant, priuſquam edere mandata poſſent, juſſu Achillæ percutiuntur: alter ſtatim occiſus eſt; alterum accepto vulnere ſui pro mortuo ſuſtulerunt. Achillas *non Regis hæc imperia eſſe dictitans, qui in aliena poteſtate ipſe eſſet*, occupata præter eam partem quam Cæſar tenebat Alexandria, Regiam irruna pere primo ſtatim impetu conatus eſt. Achillas cum exercitu adeſt. Lucan. Cæſar. Dio.

XLI. Numquam in majore periculo Cæſar fuit. Paucos habebat milites: inter infida infeſtaque omnia, locis parum munitis, à maxima multitudine oppugnabatur. Neque incondita, aut rudis bellorum turba erat. Millia haud minus viginti ſequebantur Achillam, pars magna Romanus miles, qui olim adductus à Gabinio; mixtuſque connubiis, mores Alexandrinos licentiamque inbiberat. His acceſſerant Syri Cilicesque prædones, & quidquid in finitimis provinciis audacia turbulentum fuerat. Præterea duo millia equitum erant, inveterata Ægyptiis bellis manus. His copiis Achillas oppidum ingreſſus, majorem populi partem ſibi ſtatim adjunxerat. Cæſarem in maximum periculum conjicit. Lucan. Plutarch. Cæſar. Oroſius. 6. 15. Dio.

XLII. Nam præter nobilitatem ingenii, bellorum incommoda Cæſarem advehere ſibi indignabantur, jam ante irati numinibus, quod minimo tum incremento Nilus ſolitam ubertatem frugum, eo anno interpellaverat. Contra vim horum Cæſar Regiam & vicina ædificia tumultuario opere, foſſa valloque ad mare uſque deductis muniverat, eo facilius defendi potuit, cohortibus per vias diſpoſi- Is tamen ſe defendit. Plin. 3. 9. Dio. Cæſar.

tis. Sed eodem tempore ad portum pugnabatur, ubi præter ſolitum Alexandriæ præſidium, roſtratas duas & viginti, aliæ naves longæ Ægyptiæ quinquaginta ſtabant: inſtructæ ornatæque, uti modo poſt Pompeii fugam, cui erant auxilio miſſæ, redierant. has ſi occupare Achillas poſſet, videbat intercluſum omnibus auxiliis commeatuque Cæſarem, cito futurum in poteſtate.

Bibliotheca Alexandrina perit. Lucan. Florus. 4. 2. Senec. de tranquil. animi. 9. 9. Oroſius. Agel. 6 17. Lipſ. de Bibl. cap. 12. Athenæ. 12. 10. Lampelius.

XLIII. Sed quæ ad oppugnandum Ægyptios, eadem ad reſiſtendum incitabat Cæſarem cauſſa, tanto actioribus ſtimulis, quia non tam de victoria, quam pro ſalute pugnabat. & juvabatur claſſe qua erat advectus. Idcirco obtinuit ad extremum, & quia tueri tam parvis copiis omnia nequibat, *incendi quidquid erat in portu navium* juſſit. Hæc flamma, quum & vicina portui ædificia comprehenſa eſſent, ſimul arſit Bibliotheca, elegantiæ Regum curæque egregium opus. Millia librorum tum periſſe, quadraginta alii, qui plurimum, ſeptingenta tradunt. Primus & maximus ejus operis auctor Ptolemæus cognomento Philadelphus fuit, perquam eruditus princeps, & erudito patre natus. quo curante, ſacrorum quoque voluminum interpretatio, quæ ſeptuaginta vocatur, prodiit.

Unde illa cõparata fuerit. Voſſ. de hiſtor. Græc. 1. 10. Joſeph. Ariſteus apud Euſeb. Athenæ. Ammian. Cæſar. Lucanus.

XLIV. Ille à Nileo quodam empta bibliotheca, quam Ariſtoteles collegerat, ſimul iis libris, qui erant ipſi Athenis & Rhodi comparati, Serapeum adornavit, magnoque deinceps ſtudio & ſumptu per Demetrium Phalereum inſignem ſtudiis & civilibus artibus virum, quidquid inveſtigari potuit, conquiſivit. Sed & in poſteris eius quidam variæ doctrinæ ornamentis enituerunt. inter quos & Evergetes fuit, Ariſtarchi diſcipulus.

Phari ſitus & conditores. Plin. 5. 31. Odyſſ. 4. Mela. 2. 7. Scalig. in Euſeb. num. 2711. Ammian. Cæſar. Tzetzes. 33. 644 Appian. 7. 429. Euſeb. & ibi Scalig. Suidas.

XLV. Cæterum occupatis in reſtinguendo igne Alexandrinis, Cæſar per noctem militibus ad Pharon expoſitis, clauſtra occupavit præſidio: quum haberet in partibus cuſtodes, qui dudum erant à Cleopatra corrupti. *Fuit quondam inſula Pharos, unius diei navigatione diſtans à continenti*, ſi quid Homero credimus; *deinde Nilo*, ut putant, *limum admoliente prope litori coniuncta*: multum abnuentibus qui *totum illum tractum ſaxis aſperum eſſe compererunt*. Id conſtat, quum paulo plus nongentis paſſibus abeſſet, ſuperiorum Regum opera, jactis in altum molibus, & ponte ſuperpoſito connexam eſſe. quod opus fruſtra Cleopatræ huic ultimæ quidam ſcriptores vindicant: maior etiam incuria eorum eſt, qui *ab eadem exſtructam* putant *cognominem inſulæ turrim, magnitudine maximam, & elegantia pulcherrimam: quam ad præluccndum noctu navigantibus à Soſtrato Cnidio conſtructam eſſe*, certior fides eſt, *impenſa Ptolemæi primi, aut ſecundi certe, talentis octingentis*.

Arſinoe ad Achillam tranſfugit. Plin. 36. 12. Cæſar. Strab. lib. 17. Dio. Lucanus.

XLVI. Erat in hac inſula vicus oppidi magnitudine, nec, invitis qui tenebant, quiſquam ex alto poterat Alexandriam appellere. Hoc occupato Cæſar loco, protinus ad arceſſenda ex propinquis locis auxilia miſit: & quia de cætero, propter anguſtias viarum, æquo Marte diſceſſum fuerat, per omnes inſequentes dies quam tenebat oppidi partem, munitionibus tutiorem efficere inſtituit. At Arſinoë, quæ cum ſorore Cleopatra in Syriam profecta, mox pace facta Alexandriam reverterat; inter hos tumultus occupandi Regni caſum oblatum putans, Ganymedis Spadonis ingenio reperit fugæ viam, & ad Achillam trajecta, communiter adminiſtrare bellum cœpit. Sed ut inter improbos & malitioſos haud diuturna potentiæ ſocietas eſſe poteſt, cito inſidiari invicem, & augendis largitionibus ſibi quiſque licitari militum ſtudia cœpere.

Hiſpaniel tumultus.

XLVII. Eodem anno quo pugnatum ad Pharſaliam, & Alexandrinum dein-

de bellum conflatum est, Hispania maximo tumultu inhorruit, propter avaritiam & crudelitatem Q. Cassii, quem provinciæ Cæsar præfecerat. Ille primum appetitus insidiis, & accepto vulnere, quum in conscios partim animadvertisset; unum atque alterum (ita cum sævitia certabat in eodem animo pecuniæ amor) nummis acceptis dimisisset: non ideo tollere odium commune, quo tam apud milites, quam provinciales laborabat, potuit, præsertim quum eadem illa quotidie licentius faceret, ob quæ jam olim exosus esse cœperat. Cæsar. Liv. Epitom. 111. Hirtius de Bel. Alex. c. 52. Val. Maxim. 9. 4. 2.

XLVIII. Itaque duæ Varronianæ legiones duce delecto T. Thorio Italicensi, non à Cassio tantum, sed etiam à Cæsare defecerunt, Pompeii nomine scutis militum inscripto. Mox tamen profecti Cordubam, quum ad eam causam neque conventum Cordubensem, neque M. Marcellum, qui missus à Cassio urbem tenebat, adducere possent, convenit inter omnes, *ut deleto Pompeii nomine, Cæsaris omnes essent, sed Q. Cassium consensu oppugnarent; & ad hæc Prætore* (hoc ei nomen imponebant, quum esset Quæstor) *M. Marcello Æsernino uterentur*. His cognitis Q. Cassius cum legionibus & equitatu, qui fidem non mutaverant, Cordubam tendit; ubi Marcelli castra erant. deinde vastato agro Cordubensi, Ullam progressus, quod oppidum sibi fidum credebat; ab insequuto Marcello operibus & vallo cum ipsa Ulla circumdatur. M. Marcellus & Q. Cassius invicem bellant. Liv. Epitom. Hirtius. Dio.

XLIX. Sed quum ad auxilium eius Rex Mauritaniæ Bogud cum una legione Romana, & Hispanis cohortibus veniisset; multa prœlia facta: castra quoque diversis partibus Cassius & Bogud adorti, haud multum abfuere, quin opera perirum perent. neque tamen depelli ab opere Marcellus potuit. Tandem M. Lepidus ex citeriore Hispania quam obtinebat, legionariis cohortibus triginta quinque magnoque equitatu, & auxiliorum numero adfuit: ea mente, ut sine studio & ira controversias ejusdem partis hominum componeret. Et Marcellus quidem sine exceptione paruit advenienti; Cassius moras nectebat: eoque, ut putatur, conscio, sub oculis Lepidi castellum, quod Marcellus Regi objecerat, oppugnatum est. Sed intercedente Lepido pax fit. Liv. lib. 113. apud Priscian. lib. 6.

L. Quia tamen resistere tot legionibus nequibat, eodemque tempore C. Trebonius proconsule provinciam & exercitum accepturus veniebat (namque legatis Hispaniæ injurias deferentibus successorem Cassio miserat Cæsar) liberum abitum pactus, navem conscendit, & in ostio fluminis Iberi cum rapinis suis tempestate est obrutus. Sic à magnis belli minis Hispania parumper quievit. Cassius enim, tanta erat hominis vecordia, gessisset & cum Trebonio bellum, si Bogudem trahere in societatem furoris potuisset. M. Marcellus, quod se tempori accommodasse visus erat, primo quidem iratum expertus Cæsarem, procul patria vitam egit: postea tamen revocatus, honores etiam petiit gessitque. Hoc maxime modo Hispaniensis motus acrior quam pertinacior initia finemque habuit. Q. Cassii interitus. Dio. Hirtius.

LI. In Illyrico majoris aliquanto dimicationis rem M. Octavius effecerat. eam provinciam Q. Cornificius Cæsaris quæstor propræture fortiter feliciterque obtinebat, captis etiam multis Octavii navibus, quum is ex Pharsalica fuga in sinum Iadertinum se recepisset. At Cæsar, intellecto multos hostium ob propinquitatem locorum Illyricum petisse, ibique colligere dispersas suorum reliquias, A. Gabinio scripserat, *uti cum legionibus tyronum, quas habebat, Illyricum peteret, conjuncta cum Cornificio opera defensurus; transiturus quinimo in* Illyrica bella.

Macedoniam, si res pateretur: nam in Macedonia renovatum iri bellum, nondum cognita Pompeii fuga crediderat.

Salonæ à viris & mulieribus defensæ. Appianus: lib. II. Civil. Hirtius. Dio.

LII. Sed Gabinium peritum belli hominem, & hactenus felicis audaciæ, Fortuna adeo destituit, ut multa nequidquam conatus, amissa magna parte exercitus vix Salonis tutus esset. Nam & Salonas oppugnare ausi hostes, oppidanorum virtute, & insigni ad memoriam facinore mulierum repulsi sunt. Nam illæ noctem atram nactæ, crinibus sparsis, Furiarum habitu cum facibus ad castra procurrerunt; exterritisque vigilibus multis locis injecerunt ignem: quum repente viri insequuti cum armis, complures præ consternatione vix sui compotes, alios adhuc somno implicitos occiderunt: castrisque & stationem navium expulerunt Octavium.

A. Gabinius moritur.

LIII. Sed ille non multo post reparatis viribus prælio vicit Salonenses, iterumque admovit obsidioni copias. Inter hæc ex ægritudine contracto morbo A. Gabinius interiit. Hæ res excitarunt spem Octavii, ut icto cum barbaris fœdere provinciam recipi posse confideret. Sed eum hac exspectatione virtus & diligentia P. Vatinii cito depulit: qui crebris Cornificii literis evocatus, quamquam per valetudinem vix se regeret, cum paucis longis navibus, & magno actuariarum numero, quibus rostra imposuerat, Brundisio profectus est. Hujus adventu M. Octavius, qui interim Epidaurum erat aggressus, ab oppugnatione oppidi rejectus, ad Tauridem insulam substitit, hoc consilio, ut, siquidem insequeretur Vatinius, classe dimicaret.

P. Vatinius M. Octavium vincit. Dio. Hirtius.

LIV. Nam Vatinianas naves pleraque justo minores infirmioresque esse cognoverat. Sed virtute militum quod robori navium deerat, largiter explente, victor Vatinius multas depressit hostium naves, multas cepit. Alii auctores magnam ejus laudis partem Vatinio abjudicant, *ne tentata quidem pugna Octavianos ad illum defecisse: quod auditus jam Pharsalici prælii eventus fuerat*. Quocumque modo superior Vatinius, provectus Issam, in qua oppidum nobile erat, conjunctissimum Octavio, ab Issensibus recipitur. Ibi cognoscit *M. Octavium, quum sua quadriremis mergeretur, scapha exceptum, atque illa itidem depressa faucium, adnatasse ad myoparonem suum, Issamque venisse. inde cum paucis parvisque navigiis vento secundo petisse Corcyram.*

Cn. Pompeii adolescentis gesta. Cæsar. Civil. 3. 28. Dio.

LV. Vatinius re celeriter & præclare gesta Brundisium rediit. Jam inde à principio post acceptam cladem, omnium utique Pompejanorum perfugium Corcyra esse cœperat. huc ante Octavium & alii se receperant, & illustriores aliis C. Cassius, Cn. Pompejus adolescens. Cnæus ante summam dimicationem cum Ægyptia classe Epirum ambiens, Oricum, cui M. Acilius Cæsaris legatus præerat, oppugnaverat, magno, sed ad extremum irrito conatu. Quum enim esset ad claudendum portus introitum oneraria navis ab Acilio submersa, quæ scaphis magna saxorum mole oneratis teneretur; per urinatores extracta parte lapidum, hano quidem funibus multis contendens deduxit remulco: aliamque ei conjunctam navem, in qua turris ad defensionem excitata fuerat, vi cepit. nactusque molem oppido objectam in speciem insulæ, quatuor biremes subjectis sculis impulsas vectibus in partem interiorem transtulit: atque ita utrimque aggressus naves longas vacuas, quæ erant ad terram deligatæ, quatuor ex his abduxit, reliquas incendit. cum his & magna pars oppidi deflagravit: fuisset-

que receptum Oricum, niſi vulnere Pompeii remiſſiores facti Ægyptii forent.

LVI. Igitur nec ſanato eo, munitionibus interea auctis difficiliorem futuram oppugnationem reſumere auſus, Liſſum tentavit. ſed repulſus, paucis amiſſis navibus, tamen onerariis, quas M. Antonius ibi reliquerat, incenſis triginta; vagari circum litora & expoſitis ſubinde militibus vaſtare cum Cæſare ſentientium agros inſtituit: donec clade patris cognita, deſertus ab Ægyptiis, ad Catonem ſe contulit. idemque tum & C. Caſſius fecit, & L. Afranius. His cæteriſque adjutoribus, priuſquam longinquæ ſpes tentarentur, Peloponneſum retinere ſtatuit, Patraſque occupavit præſidio, multoſque & ibi ſuarum partium, in quibus & Petreius, & Pompeii gener Fauſtus fuerunt, recepit: & donec Athenis Megariſque oppugnandis diſtentus Fufius Kalenus fuit, in poteſtate habuit oppidum. Catonis acta: Cæſar. Dio.

LVII. Nam licet amiſſo Pyræo Athenæ reſtiterant. mox his à Cæſare veniam adeptis, Megarenſes pertinacius repugnantes expugnavit Fufius, multiſque occiſis vendidit reliquos, ſed neceſſariis eorum, & minimo pretio, ut libertati reſtituerentur. hic modus placuerat ita ulciſcendæ contumaciæ, ne tamen veteſtiſſima civitas prorſus interiret. Neque ſilentio prætereundum propter novitatem caſus, quod inter capiendum oppidum, ſoluti leones, quos ibi C. Caſſius Ædilis deſignatus alebat, in ipſos Megarenſes, qui auxilium aliquod inde exſpectaverant, irruerunt, adeoque diſcerpſerunt multos, ut hoſtibus etiam dolori ſpectaculum eſſet. Kalenus Megara capit. Plutarch. Brut. cap. 33.

LVIII. A Megaris Patras itum. Sed Cato cæterique recepto præſidio, magna claſſe Cyrenen petierunt. Dum hæc diverſis Imperii partibus geruntur, Roma, non jam caput rerum, ſed præda victoris, utri ſerviendum foret, expectabat. Ut enim militum Cæſaris & Conſulis Servilii præſens metus tacere Pompejanos, & diſſimilem animo vultum induere coëgerat; ita clanculum rumuſculi captabantur, & dum quidlibet timetur, aut creditur, ſæpius eadem die contrariis nunciis animi diverſos in adfectus diſtrahebantur. Poſtremo Pharſalicæ pugnæ fama, vix tandem credita (nam & Cæſar per ſpeciem modeſtiæ ſcribere ad Senatum noluerat) Julianos omnes redegit: certatimque hoc agebatur inter nobiliſſimos, ut pro ſe quiſque maxime gaviſus hac victoria videri cuperet. Romæ ſtatus. Dio. Lucanus 9. 42. Cic. Philip. 14 8.

LIX. Igitur, quod ſic animatis proximum eſt, ruentes in adulationem, quidquid excogitari potuit, decreverunt; non jam metu ſolum, ne odiſſe felices viderentur, ſed ipſe quoque honorum opumque, quas à Cæſare expectabant, tamquam aliquid ei dare poſſent, quod non prius ei dediſſet victoria. Putabant tamen (nec fallebantur) magni æſtimaturum, ſi jam quæ alias ſuo arbitratu & vi armorum facturus erat, id jure facere exiſtimaretur. Igitur & alia honorum cuiquam antea decreta contulerunt, & nova pleraque: *uti de Pompejanis quemadmodum ei videretur, ita ſtatueret: bellum cui vellet, faceret; pacem cui vellet, daret. uti Conſulatum in quinquennium, Tribunitiam poteſtatem in perpetuum, Dictaturam in annum integrum acciperet: triumphum quoque de Juba, quamquam bello nondum cepto, geri*, decreverunt. Decreta Urbanorum in honorem Cæſaris.

LX. Neque minore ſtudio plebs agebat, ſciſcendis quæ grata futura victori crederentur. Hoc illud tempus Hirtiæ legis eſſe reor, qua *Pompejani honores* Cæſar iterum Dictator.

Aquæ dulcis inopia laborat Cæſar.

petere vetabantur. At Cæſar, qui tum erat Alexandriæ, Senatus populique Romani cognita voluntate, Dictatura, quamquam extra Italiam agebat, iterum inita; *Magiſtrum Equitum M. Antonium* dixit. Is quoque magiſtratum eum toto anno geſſit; multum ringentibus auguribus; quorum à pleriſque vanitas deridebatur, fas in Magiſtro Equitum negantium, quod in Dictatore probaverant.

Plutarch. Cæſare cap. 73. Dio. Cic. Philip. 13 16 a 21. Urb cond. an. 706.

LXI. Sed in pleriſque Annalibus Conſulatu Q. Fufii Q. F. C. N. Caleni, P. Vatinii P. F. hic annus notatur: quamquam illi magiſtratus ejus nomen (vis enim penes Cæſarem erat) extrema demum anni parte receperunt. Calebant interim Alexandrini tumultus, & acribus utrimque animis res gerebatur. diviſam in partes urbem hinc Ægyptii, inde Cæſar magnis operibus communiebant: & ab utriſque unde poterant, auxilia ciebantur. Apud Cæſarem adhuc Ptolemæus erat, intentiuſque ſervabatur, ſi nihil aliud ſolatium vindictæ præbiturus pereunti: atque interim ſuorum animos vel miſeratione pericuſi, vel auctoritate nominis flexurus.

Conſules tantum nomine. Alexandrinis bellum fervet. Hirtius de bello Alex. cap 1. Cæſar de bello Civil. 3. 109. Lucan. 10. 4. 6

LXII. Igitur & in ſuperiorem locum productus increpavit *audaciam, non contra ſe minus, quam Cæſarem ferentium arma*, juſſitque *ponere. ſibi enim optime convenire cum Romanis, ſuaque dignitatis & imperii firmum certumque præſidium habere in amicitia Cæſaris.* At illi non tam verba loquentis quam tempora reſpicientes, & magis quid velle, quam quid dicere videretur, nihil remiſſa contumacia inſtiterunt cœptis. Ne mors quidem Achillæ finem aut moram bello attulit, quem ſuſpectum inviſumque per Ganymedem occupavit Arſinoë, percuſſorique imperium copiarum tradidit. Atque ille militibus largitione placatis, haud ſegniter adminiſtrare bellum orſus, aquationem adimere Cæſari magnę molis operibus inſtituit.

Dio. Achillæ mortuo ſuccedit Ganymedes. Hirtius. l. 10. Plutarch.

Is corrumpit aquas Cæſaris.

LXIII. Jam ante qui pertinebant in Regiam aquæductus interrupti ab Achilla fuerant. Sed aderant ſpecus & putei, unde licet anguſte Cæſaris milites, pro præſenti tamen neceſſitate ſatis aquabantur. Eorum ſpeeuum hæc erat ratio: Nilus aquam turbidam atque limoſam vehens, quæ multos varioſque morbos efficiebat, antiquitus admonuerat Alexandrinos, ut ſuffoſſis domibus aquam è flumine exceptam ſervarent: donec ſpatio temporis liqueſcens potui aptior fieret. Igitur Ganymedes à ſolertibus hominibus, quales erant permulti Alexandriæ, admonitus, *corrumpi aquam in parte Cæſaris immiſſa marina poſſe*, ingenti molitione ſpecus ſic interſepit, ut incorrupti manerent ad ſuam partem pertinentes; Julianis falſæ aquæ, quas ex mari rotis atque machinationibus continenter educebat, adfunderentur. Quum ita paulatim falſior aqua, ex proximis ædificiis traheretur; admirabantur primum Cæſaris milites, unde ergo mutatio illa procederet, præſertim quum remotioribus adhuc locis qualis prius aqua eſſe videretur.

Unde maximus militibus terror.

LXIV. Sed poſtquam ſenſim illa quoque falſum trahere ſaporem cœpit, conjicientes quod erat, in eum adducti ſunt metum, ut *conſcendendas extemplo naves, & fuga, licet pleniſſima periculi, conſulendum ſaluti omnium* arbitrarentur. Ibi Cæſar: *Vana vos exercet cura, milites; ſed niſi provideatur, in veram coſſura perniciem. Aquæ penuria movemini: neque aliter evitari malum hoc poſſe creditis, quam in aliud ruendo, cui nullum ſit furorum remedium, quum ſuperius illud ſit medicabile. Puteos fodientibus deeſſe aqua dulcis non poterit, quæ naturaliter litoribus omnibus ineſt. quod ſi ſit alia quam reliquorum Ægypti litoris na-*

Victi navali pugna Alexandrini.

tura, at quotidie nobis aqua ſubvehi navibus poterit. mari libero utimur, claſſem noſtræ parem non habent hoſtes: & ne ventis prohibeamur, diverſis ex partibus, hinc à Pæætonio, inde ab inſula petere aquam licet; quam utramque navigationem eodem tempore nulli præcludere venti poſſunt.

Qui increpantur à Cæſare.

LXV. *Qui vero fugam reſpiciunt, ii Hercule, non modo meæ dignitatis obliviſcuntur, ſed etiam ſalutis ſuæ. ſic quoque, licet opportunitate ædificiorum & operum adjuti tantam multitudinem ægre ſuſtinemus. quid fiet nobis, ubi relictis quæ nos defendunt locis, in apertum proceſſerimus? quanta mora, quique tumultus ſit expectandus inter conſcendendum quis neſcit? præſertim ex ſcaphis in excelſas naves, & in iſta trepidatione, & metu? Igitur pauci & properantes, pleni timoris, pleni tumultus, iniquo & tempore noſtro & loco, aut diligentiam atque velocitatem Alexandrinorum effugiemus; aut adverſus paratos & infinitis partibus plures nos tuebimur manu?*

Et confirmantur.

LXVI. *Abſit vero hæc ab animis veſtris tam perniciosa cogitatio, milites: & unum omnibus propoſitum eſſe ſalutis iter omnes norint, victoriam. Atque illa profecto me duce vobis militibus longius abeſſe non poteſt, quam donec aliis ex provinciis accitæ copiæ (miſi autem circumquaque) veniant. Interim locis noſtris nos teneamus, & virtute, quemadmodum hactenus, propulſemus hoſtilem impetum. Fugere vero minas Alexandrini populi & latronum arma, non mihi modo qualibet morte ſit gravius, ſed vobis etiam eſſe deberet, qui & Romani eſtis, quos victores omnium gentium ſuperiora demonſtrarunt bella, & mei milites, quos inter ipſos Romanos virtute excellere, recens victoria noſtra declaravit. Interim reliquis intermiſſis operibus, ad puteos fodiendos laborem conferamus.*

Puteis foſſis aquæ copia reperitur. Hirtius. de bello Alex. cap. 9.

LXVII. Ita confirmatis militibus, & ad fodiendum converſis, una nocte dulcis aquæ venæ copioſæ ſunt inventæ: modicoque labore operoſiſſimis Alexandrinorum molitionibus occurſum eſt. Forte ſub idem tempus Cæſar ſit certior, ad litus Africæ, paulo ſupra Alexandriam, ad anchoras ſtare naves legionem vehentes ſeptimam & triceſimam ex dedititiis Pompejanis militibus. Nam cognito Cæſaris periculo Domitius Calvinus, cui Aſia cum finitimis provinciis commiſſa erat, legionem unam terreſtri itinere per Syriam, alteram cum frumento armiſque & tormentis, navibus miſerat. ſed prius confectum eſt bellum, quam, ea quę per Syriam ducebatur, legio poſſet occurrere: naves, Euro continenter flante, pervenire Alexandriam nequibant.

Cæſar Alexandrinos navali prælio vincit.

LXVIII. Igitur Cæſar, ut in re præſenti certius conſilium caperet, cum omni claſſe eo proficiſcitur. quod ubi cognitum eſt Alexandriæ, neque ullum Romanum militem eſſe in navibus, quippe paulo longius proceſſurus Cæſar, nudare municiones noluerat, quidquid habebant navium paratum propugnatoribus complent, & redeunti Cæſari occurrunt. Ille neque remigibus ſatis confidens, neque ſub noctem cum hoſte locorum gnaro dimicare tutum ratus; prœlium vitabat: donec una navis Rhodiorum longius a cæteris ſe abrumpens, quum ab Ægyptiis circumveniretur, impatientem ignominię Cęſarem, aleam jacere coëgiſſet.

Alexandrini portum obſtruunt. Diod. lib. 47. Hirtius.

LXIX. Virtute tamen & ſcientia Rhodiorum, penes quos diu præcipua fuit rei maritimæ gloria, vicit, multiſque hoſtium interfectis, captas aliquot naves remuleo traxit Alexandriam. Magna ea res deſperationem Ægyptiis attulit, quod jam ſine robore Romani militis, tantummodo à claſſiariis erant ſuperati. Igitur

jam etiam, ne à claſſe Cæſaris oppidum eorum oppugnaretur veriti, os portus, ſpatio ad egrediendum relicto non magno, obſtruxerunt iniecto aggere. Neque tamen homines mari aſſueti, diu abſtinere potuerunt. & quamquam ſupra centum decem naves amiſerant, haud difficulter reparari poſſe claſſem reficiendis veteribus navibus, & cogendis, quæ ad exigenda portoria per omnia oſtia Nili erant diſpoſitæ, rebantur.

Euphranor Rhodius.

LXX. Neque conjectura falſi paucis diebus quadriremes duas & viginti, quinqueremes quinque confecerunt: quas intra portum remigio pericitati, cum minoribus apertiſque navibus multis repleverunt. Huic paratæ ad dimicandum claſſi Cæſar cum quadriremibus decem, quinque remibus totidem quot hoſtes habebant, minoribuſque navibus undeviginti, Pharon circumvectus ſe oppoſuit. Anguſtus inter utroſque per vada tranſitus erat, & qui prior ingrederetur, in locum iniquum ſe erat demiſſurus. Quum utrimque contarentur, præfectus Rhodiæ claſſis Euphranor, vir animo & ſcientia maritimæ rei nulli poſtponendus recipit Cæſari, *ſe progreſſum facile moraturum eſſe Alexandrinos, donec ſubſequutæ ceteræ naves explicare aciem poſſent.*

Alexandrini denuo vincuntur.

LXXI. Nec plura promiſit ille quam præſtitit. Scientiaque Rhodiorum, & virtute militis, quum pro ſalute ſua & eorum etiam, qui relicti in oppido erant ſicut nomine Romano, & ultima neceſſitate dignum erat, dimicaret; Alexandrini, licet numero navium hominumque multo ſuperiores, victi ſunt. paucas tamen amiſerunt naves propter propinquum perfugium: & quia ex molibus & ædificiis litori imminentibus defendebantur. Idcirco Cæſar, quo hanc eis adimeret opportunitatem, omnino ſibi conandum exiſtimabat, ut Pharum, & qua Pharus Alexandriæ committitur molem in ſua poteſtate haberet.

Cæſaris periculum. Oroſius. 6. 16. Hirtius. Plutarch. Cæſare c. 72. Dio. Oroſius.

LXXII. Neque difficulter expugnata eſt inſula: ſed ad portum quem oppido ſuo propinquiorem Alexandrini tuebantur, majoris certaminis res fuit. & quum remiges claſſiariique Cæſaris injuſſu Imperatoris pugnę ſe miſcuiſſent, deinde ſubito perterriti etiam pavorem injeciſſent militibus, fuga omnium ad naves facta, multi occiſi ſunt ab hoſtibus, magnus numerus inconſulte irruentium, cum ipſis navibus demerſi. In hoc periculo Cæſar quum profligatis ſuccurrere cupiens, non ab hoſtibus modo, ſed etiam ſuis navigium onerantibus timeret; ejecit ſe in undas, & quia paludamentum natatum prohibebat, illo relicto, per ſpatium ducentorum paſſuum adnatavit ad eas quæ longius abſtiterant naves.

Egregia virtute diſcuſſum: Hirtius. Plutarch. Dio. Flor. 4. 2. 59. Sueton. Cæſar. 64. 1.

LXXIII. Utrumque conſilium ſalutare fuit. nam & navis quam reliquerat, præ multitudine ſubſedit; & paludamentum hoſtes petierunt telis, dum ille ignoratus & neglectus evadit. Neque indignum relatu eſt, quod traditur: *libellos quos forte manu tenebat, inter natandum ſupra aquam elevaſſe, ne madeſcerent. paludamentum traxiſſe aliquamdiu mordicus, ne hoſtes eo potirentur.* At Alexandrini victores eodem loco caſtellum cum magnis munitionibus, multiſque tormentis conſtituerunt: trophæumque erexerunt, in quo & paludamentum de Cæſare captum ſuſpenſum eſt.

Alexandrini Regem ſuum remitti orant. Appian. lib. 2. Civil. Dio Hirtius.

LXXIV. Hac clade non tam perturbati, quam erecti incenſique ſunt militum animi: adeo quidem, ut poſt hoc incommodum formidabiliores fierent Alexandrinis, quam antea fuiſſent; quod neque ſecundis rebus quieſcere, neque frangi adverſis videbant. Igitur legatis ad Cæſarem miſſis, *Regem ſuum ſibi remitti* orant: *pertæ-*

pertæsos imperium puellæ & crudelitatem Ganymedis, quod Regi placuisset, facturos. atque illius apud Cæsarem gratiam præsidio sibi fore, quo tutius ad amicitiam officiumque redeant. Ibi Ptolemæus flens orare Cæsarem cœpit, *ne se dimitteret. nihil sibi conspectu ipsius esse jucundius.* Sed adeo fictæ fuerunt eæ lachrumæ, ut adventu ejus Alexandrini, si quam antea cogitationem pacis habuissent, eam omnem deponerent, bellumque acrius quam umquam prius administrarent.

LXXV. Jam ex Syria & Cilicia confluere auxilia ad Cæsarem cœperant, commeatusque navibus apportari. His intercipiendis Ægyptii ad Nili ostia ignes excitabant: quibus decepti, quum ibi præsidia Cæsaris esse putarent, nonnulli inciderunt in hostium manus. donec Quæstor Ti. Claudius Nero, pater ejus Tiberii, qui postea imperavit, cum classe ad Canopum provectus, submovit Ægyptiorum stationes, plurimumque eo facto ad victoriam contulit. Amissus tamen ea expeditione cum sua quadriremi Rhodius Euphranor, rei bene gestæ tristem imposuit notam. Auxilia confluunt ad Cæsarem. Oroſius. 6. 15. Dio. Hirtius. Sueton. Tiber. 42.

LXXVI. Inter hæc Mithridates Pergamenus, initio belli missus à Cæsare validas in Syria atque Cilicia copias contraxerat. Erat enim magnæ apud civitates auctoritatis, propter singularem virtutem in bello, & summam nobilitatem domi, quippe ad Gallograeciæ Tetrarchas referebat genus, & quia pellice Mithridatis Magni erat editus, amici materni hoc ei nomen imposuerant, ut Rege prognatus existimaretur. Certe Mithridates quum Pergami magnam Tetrarchici generis stragem edidisset, hunc parvulum non servavit tantum, sed & transportavit secum in castra, multosque per annos disciplinis Regiis educandum curavit. Mithridates Pergamenus. Sueton. Hirtius. Strabo lib. 12. Plutarch. de virtut. Mulier. cap 44. Dio.

LXXVII. Sed hic ostio Pelusiaco conatus ingredi, quum ab Ægyptiis navibus prohiberetur, perrexit ad fossam, qualibus ea regio multis ex amne principe deductis irrigatur: atque in eam translatis navibus (nec enim ad mare pertingebat, sed iterum in flumen erat aversa) Nilo fluvio subvectus Pelusium venit. Ibi quum pacati responderetur nihil, firmum enim præsidium Achillas ibi collocaverat, ex itinere oppugnationem orsus, eodem die oppidum pugnando cœpit. Insignis in ea victoria totoque deinde bello fuit Antipatri opera; qui ab Hyrcano tribus Judæorum millibus adductis, primus murorum, quæ ipsi evenerat, partem dejecit. Pelusii capit. Marcel. 22. Strab. lib. 17. Hirtius. Joseph antiq. 14. 14.

LXXVIII. Idem & Arabas hospites suos, Soæmique filium Ptolemæum, & Jamblichum Regulos, multasque præterea Syrorum civitates ad mittenda Mithridati auxilia impulerat. Cæterum deinde iter ad Cæsarem contendenti pacatius præter nomen Cæsaris, & auctoritatem victoriæ, idem Antipater præstitit, Ægyptios Judæos, conspectu suo, & Pontificis ostensa epistola, in partes pertrahendo. Ita & qui Oniæ regionem incolebant Judæi, arma quæ prohibendo itineri sumpserant, posuerunt: & omnia hospitaliter præbuerunt exercitui. Ab Onia Simonis filio Judæorum Pontifice, loci nomen deductum est, qui vastante Hierosolymam Antiocho in Ægyptum fugiens, concedente Ptolemæo templum ad similitudinem Patrii in Heliopolitano pago exstruxerat. Oniæ regionem occupat. Hirtius. Joseph. de bello Judaico. 1. 7. 7. 37. Eusebius. num. 2856.

LXXIX. Haud procul inde Memphis aberat, (stadia centum octoginta intererant) cognitoque successu Mithridatis, inde quoque legati venerunt, oppidum dedentes. Eo recepto Mithridates ad Ægyptium Delta processit. Insula est haud procul Alexandria, quam in ejus literæ formam, una parte mare, Et Memphin. Hieronym. in Dan. c. 9. & 11. Joseph. antiq. 14. 14.

Hirtius. Marcellinus Strabo.

duabus Peluſiacum & Canopicum Niliaſtia conſtringunt. Appropinquanti miſſæ à Ptolemæo copiæ occurrerunt; eorum pars, non expectatis ſubſequentibus, flumen quo Delta clauditur tranſgreſſa, tenentem ſe munitis Romana forma caſtris Mithridatem temere lacceſſiſſit.

Ægyptios profligat. Diod. lib. 43. Joſeph. Hirtius.

LXXX. Sed improviſa Mithridatis eruptione magnus numerus cum Duce Dioſcoride occubuit. cæteros notitia locorum texit, aut quibus flumen tranſierant, navigia reportarunt. In hoc etiam prœlio inſignis Antipatri opera fuit, qui laboranti Mithridati ſubvenit, Ægyptioſque jam ſua opinione victores pepulit. Quum deinde cætera multitudo adveniſſet, Mithridates denuo cœptus oppugnari, nuncios ad Cæſarem de rebus ſuis miſit. Ergo ſub idem tempus & hic ad recipiendum Mithridatem, & Rex ad opprimendum proficiſcuntur.

Cæſar. Ptolemæi copias ſuperat.

LXXXI. Neque Ptolemæus, quamquam venerat prio, roperæ pretium facere potuit, antequam Cæſar adveniret; aut hoc præſente prohibere, ne copiæ conjungerentur. Hoc facto, quum jam metueret, ne ad ſe iretur, equitatum omnem cum delecto pedite miſit ad flumen ex Nilo deductum, quod ſuperandum Cæſari erat: & donec eminus pugnatum eſt, loco adjuti facile reſtiterunt. poſtquam Germani equites vadis repertis tranarunt, legionarii magnis exciſis arboribus, quæ ripam utramque magnitudine contingerent, & aggere ſuperinjecto ſigna tranſtulerunt; terga vertunt hoſtes nequidquam. pauci enim refugerunt ad Regem, cæteros celeritas victorum occupavit.

Interitus Ptolemæi Dio. Flor. 4. 2. 60. Hirtius. Plutarch. Cæſar. cap 72. Oroſius. 16. 16. Liv. Epitom.

LXXXII. Ægyptii horum clade ſuoque periculo anxii, legatos ad Cæſarem de pace mittunt. ille perfidam & imbellem gentem cogitans, victoria finire bellum maluit. alteroque ſtatim die caſtra Regis undique ſimul adortus, quamquam præter manufactas munitiones, hinc editiſſimo loco, inde palude aut Nilo tuta, expugnavit. Magna ibi cædes pugnantium fugientiumque eſt edita: nam *viginti millia Regiorum cæſa referuntur*; *quingenti ex victoribus*. Rex ipſe quum navigio conſcenſo fugeret, præ multitudine adnatantium inſilentiumque, in Nilo navicula ſubſedit.

Alexandrini ſe dedunt. Florus. Capitol. in Maxim. cap. 111. Oroſius. Appian. lib. 12. Civil.

LXXXIII. Cadaver expulſum fluctibus, limoque obrutum, indicio aureæ lorieæ repertum. nam id in bello geſtamen erat Ptolemæorum Regum. Cæſar lorica Alexandriam præmiſſa, cum equitatu ſtatim ſubſequutus, per media hoſtium præſidia intravit urbem. nec enim audito eo prœlio amplius de bello cogitaturos proſpexerat. atque illi ſupplice veſte geſtuque, ſacriſque prolatis omnibus, quorum religione depreeari offenſorum Regum iram conſueverant, occurrerunt victori, fideique ejus ſine exceptione ſe permiſerunt. Duodecim adhuc armatorum millia erant, naveſque longæ ſeptuaginta. Hæc novem ferme menſium ſpatio geſta: intra quod tempus & in Africa Pompejanæ partes coaluerunt; & Pharnaces paternum regnum recuperavit.

Cato Cyrenen navigat. Lucan. 9. 32. Plutarch. Catone c. 132. Lio. Plutarch. Pompejo.

LXXXIV. M. Cato cum ingenti numero navium Corcyra profectus, Cyrenem petierat, eſtque receptus à Cyrenenſibus, quamquam Labieno diebus aliquot ante advecto portas clauſerant. Eo in curſu naves ad eum venerunt, eum Sex. Pompejo noverca Cornelia crudeliter interfecti viri triſte nuncium perferens. Id auditum totaque elaſſe mox vulgatum ſic exterruit animos, ut plerique convertere vela, ſeque victori permittere cogitarent, exſtincto, pro quo arma tuliſſent, Pompejo. Sed Catonis oratione revocati ſunt plurimi: pars (ne-

que enim retineri quemquam invitum Catoni placebat) in Italiam abnavigavit cum Cornelia, cui nihil à victore metuendum constabat. atque deinde nescio quas Pompeji reliquias nacta sepelivit in Albano.

LXXXV. Catoni cum cæteris petenda provincia Africa videbatur, quo appulisse L. Scipionem audierat, Varumque habere magnas ibi copias, & fidum partibus Jubam: sed neque mari tutus erat transitus; & pedibus circumituro Syrtes per deserta & arida laboriosum iter, molesta sitis, infesti serpentes, insuperabiles pene difficultates objiciebantur. Catoni tamen nulla videbatur ponitenda via, qua servitutem effugeret: tantumque abundavit ille vir animo, ut plerisque suorum ad eadem conanda inferere posset audaciam. Dimissis enim qui sequi noluerant, inter quos & C. Cassius recta profectus ad Cæsarem erat; tamen plures decem millibus eduxit. Africam petit. Plutarch. Catone. Liv. Epitom. Velleï. 2. 54. 3. Dio. Cic. Famil. 15. 24.

LXXXVI. Sed quia per squallentia loca proficiscenti timenda inopia aquarum erat, magnam asinorum multitudinem oneravit utribus: plaustra quoque multa secum traxit, & adversus venena serpentium Psyllos, qui & exsugere virus ex vulneribus erant soliti, & carminibus vim nocendi anguium hebetare. His ita præparatis, quamquam bruma erat, quo anni tempore mitius uritur ea regio, per æstatem sole torrida, & sperari pluviæ poterant; divisis in partes copiis, quo commodius aquarentur, periculosissimum iter ingressus est. Ipse pedes ante signa ibat, laboris sitisque præ aliis patiens, totique exercitui exemplum, & deficiendi pudor. Per arenosa loca, in quibus plerumque viarum notas violentissimi flatus abolent, ægre ad Ammonis ædem perventum. Difficillimo itinere. Strab. lib. 17. Plutarch. Florus 4. 11. 10 Lucan.

LXXXVII. Ibi refectis nonnihil copiis, reliquum iter absolvit. tricesimo, quam erat Cyrenis profectus, die circumgressus est Syrtin: inde pari ferme temporis spatio per cultiora paulo loca Leptin ventum, quę *minor* vocatur, ibique reliqua pars hyemis ad quietem militi concessa. Sed Mithridatis filius Pharnaces occasione temporum ulutus, Phanagorenses diu oppugnatos, mox Colchidem omnem receperat: deinde in Pontum conversus, Sinope erat potitus, atque invitante successu, per absentiam Dejotari Regis, Armeniam minorem, & Cappadociam Ariobarzanis Regnum vastare atque occupare cœperat; quum Dejotari precibus, & Amisenorum periculo, qui interim oppugnari cœpti erant à Pharnace, Domitius Calvinus excitus, Pharnacem *abstinere Sociorum Regnis* jussit, quo plus auctoritatis denunciatio haberet, cum omnibus copiis subsequutus. Pharnacis bellum. Lucanus. Strabo. Sueton. Cæsar. 35. 52 Appianus. Mithrid. Dio. Hirtius de bello Alex. cap 36.

LXXXVIII. Ea constabant ex legione XXXVI. quam solam retinuerat, duabus ad Cæsarem missis; duabusque Dejotari legionibus, quas ille Romanum in morem armatas instituta sque jam à compluribus annis habebat. His accessit ex tumultuariis militibus in Ponto confecta legio, cum auxiliis Cilicum, & centum Dejotari, totidem Ariobarzanis equitibus. Pharnaces adventu Domitii paulisper territus, fraudes moramque nectere, *Cappadociam* longius difficam *dimittere, non dimittere Armeniam*, denique postulare *ut Cæsari res integra servetur*. At Domitius indignum nomine Cæsaris & populi Romani putans, intermittere expeditionem, & Bosporano relinquere prędam, Nicopolin processit, Armeniæ minoris oppidum. Cum Domitio Calvino.

LXXXIX. Ibi quum castra vicina hostibus haberet, factum est, ut ex literis interceptis, Cęsarem in magno esse discrimine Pharnaces disceret. Idcirco su- Prælium inter hos.

Dio. Hirtius. Liv. Epitom. turum ratus, ut omnino diſcedere Domitius cogatur, trahendi temporis cauſſa, ſine detrimento auctoritatis, numquam longius produxit copias, quam quoad foſſæ, quibus ab utroque latere locum muniverat, pertingerent. equitatum, quo erat ſuperior, extra foſſas habebat. Et proceſſit ei conſilium, quippe Domitius quum morari diutius non poſſet, infecta re diſcedere turpe putaret, iniquo loco improſperum prœlium fecit.

Et victoria Pharnaces. Hirtius. Dio. Petronius. Plutarch. Cæſar cap. 73. Appian. XC. Pontica legio tota ferme interiit. Dejotari copiæ vix conſpectum hoſtium tulerunt: ſexta & triceſima legio quum totus Regis exercitus eam adortus eſſet, virtute ſe defendit, amiſſiſque militibus omnino ducentis quinquaginta, in loca ſitu tuta ſe recepit. Inde Domitius collectis reliquiis ſuorum, per Cappadociam in Aſiam rediit. Pharnaces mire elatus hac victoria, multas extorſit populo Romano ſociiſque provincias, Bithynia, Cappadocia, finitimiſque regionibus occupatis, pulſiſque qui beneficio Romanorum hæc obtinuerant Regulis. Recepit & Pontum, nullo jam defendente. Amiſoque expugnata, ſæviſſime tractavit & cives Romanos qui ibi negotiabantur, & oppidanos: interficiendo puberes, exſecando pueros, nullo prætermiſſo genere, aut ignominiæ aut crudelitatis. Inde jam per Bithyniam paterna veſtigia premens, Aſiam cogitabat invadere: feciſſetque niſi Aſandri nunciata defectione fuiſſet revocatus, quem Boſporano Regno præfecerat. Hæc pro magnitudine rerum celeribus & calidis nunciis ad Cæſarem delata, merſum voluptatibus, & Ægyptiis deliciis mancipatum, ad Rempublicam capeſſendam, duobus acerrimis ſtimulis, excitarunt.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXIII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CONFIRMATIS in Africa Pompejanis partibus, imperium earum P. Scipioni delatum eſt; Catone, cui ex æquo deferebatur, cedente. Et quum de diruenda urbe Utica propter favorem civitatis ejus in Cæſarem deliberaretur, idque ne fieret, M. Cato tenuiſſet, Juba ſuadente, ut dirueretur; tutela ejus, & cuſtodia mandata eſt Catoni. Inde Pompejus Magni filius in Hiſpania contractis viribus, quarum ducatum nec Afranius, nec Petrejus excipere volebant, bellum adverſus Cæſarem renovavit. Pharnaces Mithridatis filius Rex Ponti, ſine ulla belli mora victus eſt. Quum ſeditiones Romæ à P. Dolabella Tribuno plebis, legem ferente de novis tabulis, excitatæ eſſent, & ex ea cauſſa plebs tumultuaretur,

inductis à M. Antonio Magiſtro equitum in urbem militibus, octingenti è plebe cæſi ſunt. Cæſar, veteranis cum ſeditione miſſionem poſtulantibus, dedit: Et quum in Africam trajeciſſet, contra copias Jubæ Regis cum diſcrimine magno pugnavit.

CÆSAR Ægyptiis ad deditionem coactis, quum provinciam facere poſſet, novarum ſcilicet rerum metu, ſi forte nacta violentioris ingenii præſidem fuiſſet, noluit: revera præmium libidinum Cleopatræ dedit, juncto in matrimonium Regnumque ſuperſtite Ptolemæo, qui puer admodum mariti Regiſque ſuſtineret nomen: opere potentiaque Cæſari & Cleopatræ relicta. adeo non diſſimulatus adulter, ut & continuo ſecum haberet Reginam, & convivia ſæpe in primam lucem cum ea protraheret: denique per ſpeciem cognoſcendæ antiquitatis, eadem thalamego, ſequentibus navibus quadringentis, Nilo flumine ſubiit, vel ad Æthiopiam penetraturus, ni ſequi exercitus recuſaſſet. Cæſar interim cum Cleopatra deliciatur. Sveton. Cæſar. 35. 2. 52. 2. Plutar h. Cæſar. cap. 72. Hirtius. Dio. Appianus. lib. 11 Civil.

II. Thalamegos princeps invenit Ptolemæus Philopater, ea ſtructura, quam accurata deſcriptione Callixenus exſequutus eſt. Neque dubitatur, aut diutius hæſurum in Ægypto Cæſarem, aut ſecum deducturum illam fuiſſe, niſi interveniſſet coërcendi Pharnacis neceſſitas. Idcirco abducta ex Regno Arſinoë, ne moleſta ſorori eſſet; legiones duas reliquit præſidio novis Regibus, ſimulque cuſtodiæ, ne qua occaſione mutare animum poſſent. ipſe cum ſexta veterana pedeſtri itinere contendit in Syriam. Ibi civitatibus, quarum auxiliis adjutus fuerat, magna beneficia tribuit, Judæis præcipue, quorum principatum firmavit Hyrcano, civitatem Romanam cum immunitate dedit Antipatro, utrumque abſolvit incuſatos ab Ariſtobuli filio Antigono, procuratoremque Judeæ declaravit Antipatrum. Inde contendit in Syriam Athenæ 5. 9. Diod. lib. 42. Joſeph antiq 14. 15. Joſeph. de bello Jud. 1. 8.

III. Hyrcano petenti poteſtatem conceſſit inſtaurandi muros Urbis ſuæ, quos Pompejus dejecerat. unde mox fœdus eum legatis eorum renovatum eſt Senatuſconſulto, quum ex literis Cæſaris ea de re in æde Concordiæ L. Valerius L. F. Prætor retuliſſet, A. D. Idus Decembres. His ita conſtitutis, tyranniſque & dynaſtis, ut merita cujuſque erant, itemque civitatibus donatis mulctatiſve, & controverſiis cognitis, gentili ſuo Sex. Cæſare legionibus præpoſito, cum claſſe quam ſequi juſſerat, in Ciliciam contendit, ad Pharnacis bellum iturus, quo maturius rebus in Urbe, & per provincias undique motis poſſet occurrere. Mox in Ciliciam. Tacit. Hiſt. 3. 5. Joſeph. antiq. Hirtius.

IV. Nam & ex Urbe ſeditiones nunciabantur, & in Africa atque Hiſpania non contemnendæ Pompejanorum vires coalcſcebant. Jam ad cæteros duces, qui in Africam erant tranſvecti, Cato pervenerat, ejuſque ſapientia & auctoritate res ibi ex incertis variaque æmulatione fluxis conſtitutæ firmataeque erant. Quippe P. Varus, quod *ſe jam diu præfuiſſe Africæ, ſociumque victoriæ Jubæ* ferebat, nolebat nobilitati dignitatique L. Scipionis concedere. & Jubam uterque adulabatur, in hoc maxima ſpei parte repoſita: ſuperbuſque Rex ſuo ingenio, eo pervenerat arrogantiæ, ut primo congreſſu Catonis, inter hunc & Scipionem mediis conſideret. Catonis adventu Pompejanæ partes in Africa confirmantur. Appianus. lib. 11. Civil. Liv. Epitom. Dio. Plutarch. Catone c. 53.

V. Sed Cato non ferens publicam ignominiam, in alterum latus tranſtulit ſellam ſuam, Scipionemque in medium accepit; quamquam invidum hominem & iniquum, & qui tanto melioris viri famam etiam ſcripto edito attrectare non fuerat veritus. Sed & poſtea deferentibus imperium omnibus, noluit accipere, Cato imperiū oblatum recuſat. Dio.

Velleï. 2. 54. 3. Plutarch. Liv. Epitom. *turpe futurum* dictitans, *ſi pro legibus dimicans, contra leges imperaret. præſentibus enim Conſularibus, imperare Prætorem non oportere.* Inſiſtentibus *ut igitur æquata cum Scipione poteſtate præeſſet rebus*, id quoque recuſavit; addens, *unius auſpiciis adminiſtrari omnia conſultius eſſe.*

De Uticenſium excidio deliberatur. Liv. Epitom. Dio. Plutarch. VI. Sic ad Scipionem ſumma rerum rediit, nominis quoque favore adjutum, bellumque terra marique haud ſegniter apparari cœptum. Nam & Siciliam Sardiniamque infeſtabant claſſibus, captaſque naves abſtrahebant, arma præcipue ac ferrum quærentes, quibus rebus egebant: & in Africa quidquid adverſum partibus videbatur, validis præſidiis occupabant: aut vires nocendi detrahebant ſuſpectis. Maxime conſultatum eſt de Utica, prævalida urbe, & in partes Cæſaris proniore. Infenſiſſimus Uticenſibus Juba erat, eoſque *concidi omnes, urbem ſolo æquari* jubebat: cæterique metu aut adſentatione concedebant in ſententiam.

Cn. Pompeius bellum in Hiſpania movet. Liv. Epitom. Plutarch. Dio. Hirtius de bello Afric. cap. 22. Cic. Attic. 12. 2. Auctor. de bello Hiſpan. cap. 2. VII. Ibi Cato ſummis viribus obnixus, ſalvum oppidum retinuit: ſponſoremque obtulit pro Uticenſibus, eaque gratia cuſtodiam Uticæ, finitimique & maris & agri, mandante Scipione lubens recepit: utilemque partibus, & rerum omnium velut horreum effecit, arma, commeatus, machinas hinc exercitibus miniſtrando; quam inconſulta cæterorum ira deletam cupiverat. ita crudelitas & amentia ſæpe in ſua præſidia ſæviunt. Ejuſdem Catonis hortatu paulo poſt etiam in Hiſpania, magnum bellum Cn. Pompejus adoleſcens excitavit. Nam hominis graviſſimi verbis ſtimulatus, *pro claritudine paterna, relictiſque ab eo clientelis, magno animo* jubentis *Reſpublicam capeſſere*; profectus ab Utica in Regnum Bogudis, repulſuſque à Mauris, trajecit in Balcares inſulas. inde, cognitis Hiſpaniæ turbis, quarum ex Caſſiano tumultu magnæ & acres reliquiæ erant, brevi tempore inſignes in ulteriore provincia progreſſus fecit, & quia nec Afranius nec Petrejus exſpere delatum ab ipſo imperium volueranr, ulteriora ſubinde moliri, & per ſe adminiſtrare bellum cœpit.

Cæſar Cappadociam conſtituit. Appianus. lib. 12. Civil. Hirtius de bello Alex. cap 56. Strabo. Cic. Famil 15. 2. Diod. lib. 31. VIII. At diverſis longe orbis partibus Cæſar conventu Cilicum Tarſi acto, per Cappadociam magnis itineribus Comana venit, ibique ſacerdotio Lycomedi tradito, qui è Regio Cappadocum genere ducebat ſtirpem, hujus in gratiam quatuor ſchænos agri ad priores ſacerdotii poſſeſſiones adjecit Cæſar: & Ariarathi fratri Regis Ariobarzanis (is obtinuiſſe prius id Sacerdotium videtur) quædam attribuit: ne otioſus & egens fratri ſuſpicionem, ſibi periculum crearet; præſertim quum & antea fuiſſet ſolicitatus à quibuſdam gentis principibus, ut regnare vellet. Ariobarzani autem, pro his quæ imperio ejus decedebant, partem Armeniæ minoris ademptam Dejotaro dedit.

Dejotaro deprecanti ignoſcit. Hirtius. Dio. IX. Quum enim ad Gallograeciæ fines acceſſiſſet, depoſitis Regiis inſignibus & ſupplicis habitu ſumpto Dejotarus occurrit, exculans *quod in ea parte terrarum poſitus, ubi nulla præſidia Cæſaris eſſent, præſentibus imperiis paruiſſet.* Adverſus ea Cæſar commemoratis *beneficiis ſuis, tamen ætati ejus dignitatique & amicis deprecantibus dare* dixit *ejus delicti veniam: de controverſiis Tetrarcharum poſtea cogniturum. interea legionem Romanam diſciplina conſtitucam à Dejotaro, equitatumque omnem adduci ad bellum Ponticum* juſſit. Pharnaces intellecto Cæſaris adventu omittere Aſandrum coactus in Pontum recurrit; de pace legatos præmittens, quod Imperatoris acerrimi timebat impetum, licet exiguis tane copiis inſtructi.

Legati à Pharnace ad Cæſarem.

X. Nam ſexta legio, quam ex Ægypto deduxerat, adeo multis erat præliis diminuta, ut minus mille militum haberet: Dejotari legio, nec genere hominum, nec uſu rei militaris cenſebatur: duas habebat præterea, quæ nuper ſub Domitio eladem paſſæ erant. Cæſar legatos mitibus reſponſis ludificatus, nihil de velocitate itineris remittebat. Quum uni, quum alteri oratores ſic ad Regem rediſſent; ut verba Cæſaris ad pacem, feſtinatio ad bellum ſpectare viderentur, tertia legatio venit, aureamque coronam adferens: petenſque *ut ſocii atque amici Regis donum acciperetur.*

Pharnacis legationes ad Cæſarem. Dio. Hirtius.

XI. *Neque enim ullum adverſus Cæſarem Pharnacis delictum exſtare, niſi quod contra vim Calvini jus ſuum coactus defendere, quum abſtinere bello in totum maluiſſet, injuriam propulſarit. Quanti enim fecerit amicitiam tuam* (inquiebant) *quo alio clariore documento cognoſci potuit, quam quod auxilia petenti Pompejo nulla miſit: atque ei Pompejo, cujus & in ſe libertatem, & in patre vim atque potentiam largiter erat expertus. Qui igitur adverſario tuo victore, ne vivere quidem, nedum regnare potuiſſet, eum à te conſervari æquum eſt. præſertim, quum pro mirabili tua clementia iis etiam ignoveris, à quibus duriſſimo tuo tempore es oppugnatus. Quis acerbior tibi hoſtis, quam Dejotarus exſtitit? qui non contentus mittere quantas omnino potuit copias, ipſe ad bellum profectus eſt, hac ætate, cujus excuſatione, ſi non Rex & amicus & hoſpes Pompeii, ſed libertus, aut unus de grege militum fuiſſet, uti potuiſſet.*

Oratio legatorum. Dio. Hirtius. Cic. pro Deiot. cap. 5.

XII. *Sed tamen hunc abſolutum hoc delicto, in numerum amicorum recepiſti. Nec aut reprehendit iſta Pharnaces, aut Dejotaro felicitatem ſuam invidet. Tui te exempli, tui moris admonet, oratque ut eo inſtituto uti pergas, quo haud pauciores adverſarios, quam quibus invictus es armis, ſuperaſti. Quod ſi propter commiſſum cum Domitio certamen iraſcendum putas, at ſaltem Regis ſatisfactionem accipe. aut docebit hæc à te vindicari non oportere; aut quidquid imperaveris faciet. hoc unum deprecatur, ne ſibi adventu ad ſummam ſe deſperationem adigas.*

Bellum deprecantur. Hirtius.

XIII. *Dejotarus cæterique finitimorum amicitia Pompeii freti, laceſſere non deſierunt, donec Regem ad ea arma cogerent, quibus & ipſorum comprimeret audaciam, & bello victor, paternæ hæreditatis partem recuperaret. Et quamquam difficile eſt in bello, præſertim felicibus armis, tenere modum, neque calore victoriæ ſupra fines juris efferri; ea tamen modeſtia Pharnacis fuit, eſtque, ut neque plura quam appetere debuit attrectaſſe putet, & hujus ipſius cauſæ judicium tibi deferat. Nec ſane aliam ob cauſam cum Domitio dimicatum eſt, quam quod ille rem integram ad tuam cognitionem relinquere noluit; Pharnaces præter te quemquam arbitrum pati non potuit. Hac potius, quam armorum fiducia, licet egregium & duobus atque viginti præliis expertum, omnibuſque victorem exercitum trahat, quietus in caſtris ad Zielam expectat reſponſum, quod à te moderatum amicumque referri, tum perpetuæ manſuetudinis tuæ, tum etiam Rei Romanæ, præſenti quidem ſtatu rerum, intereſt.*

Cuius cauſſas in alios transferunt.

XIV. Cæſar adhæc *reportari ad Regem* jubens *coronam, tum ſe dona tamquam ab amico* reſpondit *acceptarum, quam promiſſa præſtitiſſet. fruſtra eum ſe venditare eo, quod amicum deſeruiſſet in diſcrimine, auxiliumque non miſiſſet Pompejo; neque Cæſari rem illam, ſed ipſi profuiſſe, ut eodem victoriæ impetu*

Cæſaris reſponſum. Dio. lib. 41. & 42. Hirtius.

cum cæteris, qui in præſidiis Pompeii fuiſſent, profligaretur, & ut maxime feciſſet in ſuam gratiam, non ideo ſe privatis meritis publicas injurias condonare. Tamen quia neque mortuis vita, neque virilitas exſectis reſtitui poſſit, quod poſſit imperare: uti Ponto confeſtim decedat, familias publicanorum remittat, cætera quæ penes eum eſſent, ſociis civibuſque Romanis reſtituat.

Pharnaces rem callide trahit, Dio. Mittius.

XV. Sed Pharnaces non ignarus neceſſitatum, per quas Cæſari ad Urbem erat properandum; callide agere, *diemque decedendi longiorem* poſtulans, & ſubinde mutans conditiones, tempus trahere occepit. Difficile erat hominem eo ingenio, eaque rerum peritia fallere. Igitur fraude fraudem eludens Cæſar, dum alias admittit conditiones, alias rejicit, decepit Pharnacem, priuſque conſeruit manus, quam quiſquam putaviſſet. Nam poſitis ab hoſte circiter millia paſſuum quinq; caſtris, ſituq; locorum explorato, quam proxime ad eum ſtatuit accedere.

Sed Cæſar pugnare feſtinat, exercitum hortatur.

XVI. Sed quia fere eumdem habebat exercitum, qui victus cum Domitio fuerat, oratione militum animos confirmandos ratus, concionem advocavit: *cauſſiſque belli breviter* enarratis, *bas igitur*, inquit, *Romani nominis injurias quiſquam, cui modo manus & arma ſint, patiatur? nedum nos, quibus multo quam nunc ſumus paucioribus, adhæc imparatis atque oppreſſis ſubito tumultu, Alexandria fortiſſimum & nobiliſſimum oppidum, & Rex multo potentior hoc Pharnace ſuccubuit: quid enim ad Ægyptum eſt Boſporus? quamquam hic etiam Boſporo excidit, contemptus pulſuſque à famulis ſuis, nec fiducia virium in Ponto reſiſtens, ſed quia neque procedere noſtri metu, neque redire in Regnum Aſandro prohibente poteſt.*

Loci omen pro ſe interpretatur. Appianus. Mithrid. & 12. Civil.

XVII. *Atque is quidem bono omine res geſturum putat, quod eo loco caſtra poſuit, unde progreſſus pater ejus, Triarium cum paucis & incompoſitis temere ſe objicientem ſuperavit. Sed ſi quæ manium Mithridatis ullo loco poteſtas eſt, quis dubitet, quin omnis à nobis ſtatura ſit contra ſceleſtiſſimum parricidam? Quare mihi quidem ſtulte delegiſſe locum videtur, qui patris memoriam ullam retineat. hæc, hæc nefandi facinoris conſcientia ſaucium exagitabit animum, conſilia emovebit; audaciam deprimet; hoc ei loco Mithridatis occurrent umbræ, hominiq; damnato & deprehenſo, vindictamque præſentem præſentienti, errorem, conſternationem, amentiam furiæ patris impingent.*

Pharnacis victoriam elevat.

XVIII. *Et hæc quidem, quia viribus humanis ſuperiora ſunt, quamlibet egregium dejicere Imperatorem poſſent. & Pharnaces neque ulla re magna geſta, neque patri, qui tamen toties à Romano milite victus eſt, comparandus; furto quam bello melior, & ſociis potius timendus quam hoſti, quod cum Domitio tyrones ducente, & meis temporibus feſtinare contra belli rationem coacto, prælium proſperum fecit, aut viribus ſuis aut felicitate confidat? Quantula enim illa, ſi omnia reputes, victoria, aut cujus adeo laudis fuit? Ut enim de ea paucis diſſeram, una cauſſa moveor, ne forte quidam eorum qui interfuerunt, viribus hoſtium, aut prudentia Regis ſe victos arbitrentur. nam plerique, ſatis novi, memoria pugnæ iſtius, non ad timorem, ſed iram, ſed cupiditatem ultionis, ſed impatientiam moræ, commoventur. hi quidem veterani mei* (ſextæ legionis milites innuebat) *ab hoc ſicut cæteris hoſtibus invicti, neque iſta commemoratione, neque omnino cohortatione mea indigent.*

Ejuſque cauſſas.

XIX. *Sed & ſexta & triceſima legio, ſola ſuſtinuit totum exercituu Regis*

amiſſi;

amiſſis paucis, fruſtra impedire conatis hoſtibus, ſe quo voluit recepit. Quod autem acceptum eſt detrimenti, neque militibus imputandum eſt, neque ducis imperitiæ, neque Pharnacis aut prudentiæ, aut viribus. quæ igitur cauſſa iſtius ignominiæ fuit? Tempora mea, uti prædixi, & locus qui erat pro hoſtibus, & quod reveri Domitius non tentata pugna indecorum, commorari diutius iiſdem locis nullo pacto faciundum judicarat. Igitur numero militum equitumque, ad hæc locorum ſitu munitionibuſque ſuperiori, non tam glorioſum eſt, quod foſſas tranſcendere auſos, in ipſo conatu oppreſſit, quam turpe futurum erat, ſi eſſet à pauciorib. intra ſua munimenta ſuperatus.

XX. *Cæterum, qua tunc maxime adjuverunt hoſtem, hoc tempore nulla ſunt. non ab aliquo ducum meorum adminiſtratur bellum, qui meas rationes reſpicere, atque eo dirigere conſulta omnia debeat: quæ reſplerumque, locis atque temporibus difficilibus intervenientibus, perquam eſt incommoda: Imperator vobis adeſt, & Imperator Cæſar, cujus promiſſa numquam fefellerunt exercitum, cujus ſpem numquam fefellit miles: locum autem à Pharnace delectum, non magis hoſtilia caſtra, quam noſtra munituram eſſe propediem oſtendam. Vos interea aggerem, celeriter uſui futurum, intra vallum comportate.* In præſentia omnia aliter ſe habere demonſtrat.

XXI. Caſtra Pharnacis eo ſitu erant, ut editiſſimo colli impoſita præruptis vallibus munirentur. eaſdem valles ei munimento pariter futuras, qui diverſa à parte caſtra oppoſuiſſet Cæſar videns, dubia adhuc luce in eum locum deferri comportatum aggerem jubet, ibique caſtra munire incipit. Ea re conſpecta Pharnaces, nam mille admodum paſſuum vallis intererat, productis copiis aciem inſtruit: neque commovetur Cæſar, quia vallis iniquiſſima tranſitum impediebat, more magis militiæ, quam pugnandi conſilio facere Regem putans; ut opus prohiberet, aut oſtenderet fiduciam. Sed ille ſive loci felicitate confiſus, ſive auſpiciis, ut poſtea auditum eſt, ſive contemptu copiarum, quas vicerat prius, & veterani ſui exercitus virtute, in præruptam vallem, qua nemo ſanus demiſſurus copias credebatur, deſcendit; eamque permenſus, eodem gradu adſcendere per anguſtam & arduam ſemitam cœpit. Pharnaces inſtructo exercitu Cæſarem petens. Hirt. de bello Alex. cap. 53.

XXII. Cæſar incredibili hoſtis audacia oppreſſus, omnia ſimul agere neceſſum habebat; revocare ab opere milites, arma jubere capere, inſtruere armatos, & quid ubique fieri vellet, oſtendere. Interim falcati currus Regis adfuerunt: & propter iniquitatem loci, quamquam à trepidantibus, multitudine telorum haud difficulter oppreſſi ſunt. Sequuta eſt acies hoſtium, neque turbata ſuorum caſu, conflixit acriter. Sed quia in ſubeuntes pila ex edito conjiciebantur, cito mutata prælii eſt ratio. præſertim dextro cornu, ubi ſexta legio conſtiterat. ſiniſtro, mediaque acie, tardius, ſed tamen profligati ſunt Regii, & per præcipitem vallem acti, multi hoſtili ferro, alii ſuorum incidentium pondere procubuerunt. qui autem celeritate peſtem utramque vitaverant, ut expeditius fugerent, armis projectis ad ſua caſtra contenderunt. Profligatur.

XXIII. At Romani non contenti perſequendis ad ima vallium hoſtibus, ad alteram partem adſcendere, vimque facere cœperunt, neque hoſtes quamquam è ſuperiore loco magnam moram injicere inermes poterant. Sic eniſi milites Pharnaces fugit. Plutarch. Cæſar. c. 73. Liv. Epitom.

Appianus. lib. 11. Civil.

ab eadem alacritate caſtra oppugnarunt, & nequidquam defendentibus, quæ præſidio fuerant relictæ, cohortibus, cœperunt. Ea tamen mora ſpatium Pharnaci dedit, paucis cum equitibus ſe propripiendi, ne vivus veniret in hoſtium poteſtatem. exercitus ſane totus periit, omni aut occiſa Regiorum, aut capta multitudine. Rebus his præclariſſime geſtis, magna lætitia Cæſaris fuit, quod & facilis victoria ex difficillimo initio exſtiterat, & hoſtis non contemnendæ opinionis ſine ulla belli mora victus erat. ajuntque *Pompeii prædicaſſe felicitatem, cui ex eo genere hoſtium cum ingenti gloria cognomentum Magni partum eſſet.*

Mox ab Aſandro occiditur. Plutarch. Flo. 14. a 63. Sueton. Cæſar. 7. 34. Appian. Mithrid. Diod. lib. 42.

XXIV. *Romam certe ſcripſiſſe* creditur *celebratum illud, velocitatem victoriæ curſu & brevitate verborum exprimens, veni, vidi, vici: eumdemque poſtea titulum inter ſercula triumphi prætuliſſe.* At Domitius ad inſequendum Pharnacem miſſus, Sinopem delatum eum mille admodum equitibus, qui ad eum ex fuga convenerant; accepto in deditionem oppido, ſalvum abire permiſit. Ille magna ſuorum indignatione equis interfectis, in naves ſe contulit, vagatuſque circum Ponticas gentes, è Scythis Sarmatiſque contraxit mediocrem multitudinem: Theodoſiamque & Panticapæum recepit. Inde vi adjungere proxima quæque Boſpori conantem, Aſandri arma exceperunt: prœlioque commiſſo, quum quod roboris habebat, equites pedeſtri pugnæ minus adſueti vincerentur; Pharnaces fortiſſime pugnans interfectus eſt, ætate quinquagenarius: quum Boſpori Regnum annos admodum quindecim tenuiſſet.

Cæſaris acta poſt victoriam Hirtius. Dio.

XXV. Interea Cæſar præda Regia militibus conceſſa, juxta trophæum Mithridatis, quod victo Triario erectum, ut rem diis belli præſidibus ſacram, evertere nefas habebatur, aliud de Pharnace oppoſuit. ipſe cum expeditis equitibus profectus, *legionem ſextam decedere ad accipienda præmia in Italiam* juſſit, auxilia Dejotari remiſit domum; Cælium Vinicianum cum duabus legionibus reliquit in Ponto. Amiſenis in calamitatis ſolatium conceſſit libertatem: cætera quæ cuique Pharnaces eripuerat, antiquis dominis reſtituit, excepta parte minoris Armeniæ, quam Ariobarzanis eſſe juſſerat. Per Gallograeciam atque Bithyniam iter faciens, controverſias earum provinciarum compoſuit: & quæ quemque tenere vellet conſtituit.

Mithridatis Pergameni præmia. Hirtius. Plutarch. Bruto cap. 9. Cic. Bruto c. 5. & ad Attic. 14. 1. Ancl. de cauſ. corrupt. eloq. Dio.

XXVI. Dejotaro, non ſolum propter lata adverſum ſe arma, ſed etiam quia ſociis victoriæ donanda non aliunde cumulatius ſumi poterant, iniquior. Idcirco licet ille depreſſatores haberet plurimos, & Niceæ defenſus à Bruto eſſet enixiſſime; quæ poſtea oratio eſt edita; Mithridati Pergameno, cujus Ægyptio bello præclara opera fuerat, Tetrarchiam Gallograecorum, pene totam Dejotaro poſſeſſam, quaſi jure gentis & cognationis adjudicavit Cæſar, eumdemque *Regem* appellavit *Boſpori, qua Pharnaces tenuiſſet, etiam mandato adverſus Aſandrum, ſi cedere nollet, bello.* Inde tranſgreſſus Aſiam Græciamque in Italiam trajecit, nuſquam diutius moratus, quam dum pecunias quocumque titulo exprimeret, quæ per publicanos ei maxima cum invidia cogebantur: quemadmodum erat & ſuperiore anno factum.

Cæſar ſtudioſe cogit pecuniã. Dio Cornel. Nep. Att. 7. 35. Cic. Attic 11. 23.

XXVII. Namque cupidus & ſcitus imperandi, neque regimen rerum ſine exercitibus retineri poſſe noverat dicebatque, neque exercitus ſine ſtipendiis ac præmiis. Idcirco & quam a quaque civitate ſummam promiſſam Pompejo cogno-

verat, exegit: & ab aliis quæſito undique colore poſtulavit. Tyri certe ſuſtulit è ſanctiſſimo Herculis fano donaria, per eam cauſſam, *quod fugientem cum privigno Corneliam Tyrii hoſpitaliter excepiſſent.* Miſit & in Urbem epiſtolas, collationem pecuniosis imperans, quo tempore T. Pomponio Attico propter egregiam integritatem vitæ, non modo moleſtus non fuit, ſed etiam remiſit condonavitque Q. Ciceronem Q. F. Attici ſorore genitum; C. Trebonio, A. Hirtio pro eo deprecantibus.

Turbæ Urbanæ ex Tribunatu Dolabellæ. Liv. Epitom. Cic. Philip. 10. 10. 11. 6. Dio.

XXVIII. Dum iſta per diverſas provincias geruntur, magnas Romæ turbas Tribunatus P. Cornelii Dolabellæ exitavit, de novis tabulis ferenda lege. Aeccedebat malis adverſarius pari audacia L. Trebellius, & deterior utroque M. Antonius Equitum Magiſter. Inter hos infelix civicas, quotidianis terroribus vexabatur: aliunde ſatis inquieta novæ dominationis timore & jam ſenſu, ac majores ſubinde præteritis calamitates exſpectans. Nam & prodigiis, & reſponſis haruſpicum exanimabantur, quæ illo & ſuperiore anno acceperant. Quippe C. Cęſare P. Servilio Conſulibus, ſub exitum anni, quum forte ſacra Iſidi fierent, examen apum in Capitolio, juxta coloſſum Herculis ſedit.

Prodigia. Rycquius de Capitol. c. 25. Dio.

XXIX. Ob eam rem de ſententia vatum, omnia tum Iſidis, tum Serapidis ſacella ſublata ſunt. Ea dum diruuntur, forte & Bellonæ ædicula per errorem excisa, nefandorum ſacrorum crudelitatem patefecit, repertis ibi fictilibus humana carne plenis. Hoc autem anno, quo Alexandrinos & Pharnaecm vicit Cæſar, magnus terræmotus exſtitit, bubo conſpectus eſt, fulmina Capitolium & fanum Fortunæ publicæ Cæſariſque hortos, & in iis equum ex inſignioribus pereuſſerunt, & Fortunę templum ſponte patuit. Præterea ſanguis è piſtrino effuſus ędem Fortunæ Primigeniæ attigit, & infantes aliquot ſiniſtras in capitibus habentes nati ſunt. *Id maxime certum eſſe verſæ fortunæ præſagium, & deterioribus in meliores imperium dari* haruſpices adleverarunt, & populus credidit.

M. Antonii Magiſterium equitum. Cic. Phil. 2. 25. Dio.

XXX. His rebus anxias mentes, magis etiam quæ videbant, terruerunt. Nam Kalendis ſtatim Januariis, M. Antonius Magiſter Equitum, Senatu convocato, prætextatus & ſex ſtipatus lictoribus, ſpeciem quamdam priſcæ reipublicæ exhibebat; ſed quando nec Conſul uſquam, nec Prætor ullus erat, ad hæc gladio cinctus ipſe multitudinem ſecum trahebat militum, & omnia pro poteſtate agebat; nemini dubium eſſe poterat, à priori forma civitatem ad extremæ ſervitutis vilitatem deſciviſſe. Urebat etiam animos ſupra acerbitatem præſentium, inſtantis indignitatis expectatio.

Et ex his Præſagia malorũ Romæ.

XXXI. *Mox enim adfuturum Cæſarem victorem omnium, re dominum, nomine Dictatorem. quam igitur illi fore ſuperbiam, ſi cliens ejus & Magiſter Equitum tam inſolenter obtereret leges? Sane clementiam hactenus inſignem præſtuliſſe, pleriſque ignoſcendo, à quibus eſſet oppugnatus. Sed quem præſtare poſſe manſuetudinem eamdem manſuram victori & ſecuro, quam validis adhuc diverſarum partium rebus, & de exitu dubitans adhibuiſſet? Tyrannos ingenium ad tempus tegere: donec perfectis quæ optaverant, tam incipiant vacare metu, quam ſemper vacent verecundia.*

Quæ tamen ſuppriimit metus a Cæſare.

XXXII. Ne minima quidem in malis conſolatio miſeris aderat, querendi invicem, mutuiſque ſermonibus ſublevandi animos: quum ſuſpecta fides etiam intimorum, & proditis certum periculum eſſet. quin ultro cogebantur

abdere ſenſus ſuos, & quum alii eſſent, alios oſtendere. Nec enim ferri tantum quæ fierent, auctores eorum volebant; ſed laudari quoque: ac ſubinde ſupplicationes velut ob rem bene geſtam edicebantur, & frequentibus ludis ſpectatorum poſtulabatur hilaritas. quum ille ipſe conſpectus eſſet acerbus & ignominioſus, quod, paucis exceptis, quos Tribuni faciebant, ludis Magiſter Equitum præſidebat accinctus, & ne publicæ quidem lætitiæ condonans exprobrationem ſervitutis. Sic adfecta civitate P. Cornelius Dolabella exortus eſt novarum tabularum auctor, adoleſcens audax, nobilis, obæratus, qualibus ſcilicet ad evertendum omnia nihil eſt paratius.

Tumultus ob legē de tabulis novis. Cic. Attic. 7. 8. 14. 21. 11. 20. 24. 24. Liv. Epitom. Dio. Plutarch: Aoton. c. 12. Cic. Phil. 6. 4.

XXXIII. Erat is nuper exemplo P. Clodii è patriciis tranſgreſſus ad plebem, occaſione forte teſtamenti, quo Livia hęredem inſtitutum mutare nomen juſſerat; ſed Tribunatus petendi conſilium fuerat, in quo leges ſe laturum confidebat, quibus & ipſe maximo ære alieno liberaretur. Idcireo factus Tribunus plebis, non diu diſtulit de tabulis novis promulgare rogationem, plebi gratiſſimam. Sed L. Trebellius collega Dolabellæ, C. Aſinii potentia adjutus, creditorum ſuſcepta cauſſa, optimatibus, & locupletiori parti civitatis erat jucundiſſimus. Ab horum concertatione magni tumultus initium in Urbe fuit: quum utraque factio captis armis vim faceret, crebræque hinc inde ędes patrarentur.

Antonii inconſtantia. Cic. Philip. 2. 24. Dio.

XXXIV. Igitur & Senatus interceſſit, rem integram in adventum Cęſaris ſervari jubens: & Antonius geſtatione armorum in Urbe interdixit paganis. Sed ille tamen in occulto Dolabellę favebat, popularis favoris ſemper appetens: & in eadem cauſſa conſtitutus, qua cęteri, qui novas tabulas cupiebant. Poſtquam autem uxorem, patrui ſui C. Antonii filiam, cum Dolabella ſtupri conſuetudinem habere comperit, aut comperiſſe ratus eſt; & illam exegit domo, & hunc oppugnare ab eodem odio ſtatuit; plebi quoq; jam iratus, à qua pluris fieri Dolabellam quam ſe videbat; quum apud Senatum communis culpę majorem partem ipſe ſuſtineret.

Ei mandatur ab Senatu Reipub. tutela. Liv. Epitom. Dio. Cic. Attic. 11. 25.

XXXV. Jam erat ei conceſſum ab Senatu (juris enim quod amiſerat, imaginem ſaltem ruebantur, jubentes quod prohibere non poterant) *ut introductio in Urbē militē, cum reliquis Tribunis, qui neutri partium ſe conjunxerant, Rempub. defenderet.* neq; multum eo conſilio profectum ad quietem erat. quum nihilo ſequius duo Tribuni ſuas quiſq; vires augendo, & inter ſeſe, & cum Antonio Patribuſq; decertarent. maxime, poſtquam Antonius ſeditioſe agere milites audiens, qui præmiſſi à Cęſare poſt Pharſalicam pugnam, duces ſuos Sullam atque Meſſallam exegerant; ad illos excucurrit, novo exemplo L. Cęſarem avunculum Urbis Prefectum declarans, qualem poteſtatem nullus umquam Magiſter Equitum habuerat.

Sed ille partes fovet.

XXXVI. Tum vero contempta ſenectute L. Cęſaris atrocius inter ſe colliſę factiones, majore quam umquam tumultu atq; ſanguine concurrerunt. Sed audita C. Cęſaris victoria, qui *compoſitis Ægypti rebus venire in Italiam nunciabatur*, pauliſper continuit hominum audaciam: donec decedente metu, quum adverſus Pharnacem profectus Cęſar eſſet, priſtinus furor rediit. Inter hęc Antonius neutrarum partium ſtudium preferens, Trebellium clam fovebat, poteſtatemq; faciebat conciliandi aſſumendique militis. Sic tamquam è duobus caſtris debitores creditoreſque ad pugnam prodibant è locis Urbis munitiſſimis, quæ præſidiis ceperant: cędebque & incendia patrabantur, eo terrore, & tumultu, ut aliquando ſacra Veſtæ ex illius ædibus à Virginibus efferrentur.

XXXVII. Igitur alio Senatuſconſulto mandata eſt Antonio diligentior Urbis cura, majorque militum manus introducta. Sed Dolabella deſperans veniam à Cæſare, hoc agebat, ut claro aliquo facinore edito periret. Ideirco die dicta, qua *de tabulis novis, & mercede habitationum abolenda* (nam & hoc caput comprehenderat) *perlaturus legem eſſet, paratos eſſe ad rogationem accipiendam ſuos* juſſit. Quum veniſſet tempus, & occupato utrimque Fori aditu, ligneiſque turribus per opportuna loca erectis ad propugnandum, magna multitudo confluxiſſet; Antonius prima luce validam è Capitolio deduxit manum, interfectiſque è plebe circiter octingentis, concidit tabulas legum, reliquos propoſito locoque depulit, ſtationemque militum in Foro collocavit. Et Dolabellã armis expellit Foro. Plutarch. Dio. Liv. Epitom. Appian. lib. 11. Civil.

XXXVIII. Ne ſic quidem ſolida quies ante Cæſaris adventum eſt Urbi redita, quod Antonius auctoritatem Dictatoris ſuamque potentiam magnitudine viriorum debilitabat: cujus nocturnæ comeſſationes, diurnus ſomnus, totius vitæ turpitudo, ſermonibus omnium notabatur: qui non erubeſceret, quo tempore Cæſari ſub dio eſſet ſæpe contra ferociſſimos hoſtes dimicandum, potare, ſcortari, alea, ſomno, luxu non ferendo tempus conſumere. Erat enim, ſi qui alius, ingenio nequam & nepos, & paulo ante Tribunus plebis in Eſſedo lictoribus præeuntibus per Italiam vectus erat, mimam Cytheridem in aperta lectica ſecum portans, cum turpiſſimorum hominum comitatu. *quacum aliquando & curru* dicitur *inceſſiſſe leonibus juncto*. Sed & occaſione præſentium turbarum ad rapinas abuſus, magnam vim auri, argentique, ſed & vini diripiebat. Antonii mores improbi. Plutarch. Cic. Philip. 2. 24.

XXXIX. Hæc altera fuiſſe putatur cauſſa, cur promptius ignoverit Dolabellæ adveniens Cæſar, præter priora hominis merita, qui partibus ejus totum ſe dediderat ab initio, & in Theſſalia quoque pro eo ſtrenue pugnaverat. Et erat alioquin ad tribuendam veniam facilis: nec ignorabat, difficulter ferri poſſe delicta aliena ſevere exſequentem, qui tam multa ipſe peccaſſet. Interea, quum & pecunia indigeret infinita, & honores appeteret eminentiſſimos, nolebat multos offendere: quo devincti beneficio ſuo patientius jubenti quidlibet obſequerentur. Cæſar ignoſcit Dolabellæ. Plutarch. Cicer. Dio.

XL. Igitur quum magnus in Urbe plurimorum metus adventu ejus fuiſſet, vindictam admiſſorum exſpectantium, eaque res ſermonibus agitata toto eo tempore eſſet; repente receperunt animum, nihil de præteritis inquirente Cæſare. Sed is ad cogendos nummos mentem adjecerat, & præter magnam vim auri, quæ in coronas & ſtatuas, & alia hoc genus, tamquam à volentibus offerebatur; ingentes ſummas mutui nomine congeſſit, quum neque negare quiſquam auderet, nec ipſe de reſtituenda cogitare putaretur. Sed ego Cæſaris natura diligentius expenſa non dubitem, redditurum omnino cum fide fuiſſe, ſi diutius frui vita potuiſſet. Cæſar mutuam pecuniam ſumit à civibus. Dio.

XLI. Nec enim in tantis Imperii opibus deeſſe, unde quantacumque debita quandoque expungerentur, poterat; & ipſe ſolitus omnia famæ ſtudiiſque hominum poſtponere, ubi præſentium temporum anguſtias eſſet eluctatus, ob pecuniam profecto amittere iſta noluiſſet. Habebat autem ejus rei hunc obtentum, ut *ad hanc neceſſitatem Reipublicæ temporibus adactum* diceret, *cujus utilitati facultates ſuas omnes impendiſſet*. Ne tamen ad deſperationem adigeret creditores, novas tabulas petente plebe conſtanter abnuit, *ſe quoque obæratum eſſe* dictitans, juſſitque *contentum eſſe his, quæ prius in ea cauſſa ſtatuiſſet*. Novas tabulas petenti plebi negat. Sueton. Cæſar. 42. 3. Dio.

Adversatiorum bona proscribit. Cic. Philip. 2. 28. Dio. Plutarch.

XLII. Inde proscripsit bona judicatorum hostium, hasta pro æde Jovis posita: & cum ea cupide empta essent à quibusdam, qui numquam fore putabant, ut à se exigeretur, ideoque minus fuerant soliciti quanti licitarentur; nihil cuiquam remisit. Inter quos & M. Antonius, Cn. Pompeji Magni sector, quum tanti viri copiosas facultates brevi dilapidasset, appellatus est. *Hanc offensam* caussari deinceps solitus est Antonius, *quum Cæsarem ad bellum Africanum non sequeretur: quia sibi pro meritis prioribus non fuisset gratia reddita.*

Plebem & potentes varie conciliat. Cic. Famil. 12. 18. Suetou. Cæsar. 38 4. Diod. lib 48. & 42. Gronov. de Vet. Leg. lib. 22.

XLIII. Cæterum Cæsari non defuerunt artes & plebem, & socios victoriæ aliis rationibus conciliandi. Plebem, præter ludorum voluptates, remissis à tempore cœpti belli usuris, & habitationum commodo: qui enim duobus millibus nummûm conductas habitationes haberent, iis Romæ unius anni mercedem, in Italia quadrantem ejus condonavit, quo tenutores sublevarentur. præterea publicatis multorum facultatibus, emendarum rerum copiam atque vilitatem effecerat. Ducibus amicisque suis honores distribuit, multa præter veterem morem, quo pluribus referendæ gratiæ locus esset, instituendo. Nam & Prætoriis Comitiis decem creavit primus: & Pontificum Augurumque & Quindecim virorum collegiis singulos addidit: & Equites Romanos aliquot, quorum opera erat usurus, itemque ordinum ductores, in Senatum adlegit.

Consules paucorum dierũ. Appian. Dio. Macrob. Saturnal. 2. 3.

XLIV. M. Brutum Cisalpinæ provinciæ præfecit; Decimum ei, quæ trans Alpes est, Galliæ. Sed & in reliquam partem anni Consules fecit quos diximus, Q. Fusium, P. Vatinium, quum pauci admodum dies superessent. Atque ea res facetis hominibus ridendi caussam præbuit; querentique Vatinio, *quod se ægrotantem non invisisset*, Cicero respondit; *venturus in Consulatu tuo fui, sed nox me comprehendit.* circumferebaturque notabilis ejusdem urbanitas, *in Consulatu Vatinii magnum ostentum factum; quod eo Consule, nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuisset.*

Militaris seditio. Dio 46. 2. 50. Diod. lib. 46. Appian. lib. 2. Civil. Liv. Epitom.

XLV. Hæc gratiora vulgo erant propter Vatinium, à quo Consulatum pollui judicabant, obscurum & pravum hominem stomachante etiam in versibus suis Catullo. Sed quantum iis Consulibus potestatis auctoritatisve esse vellent, ipsi qui fecerant, facto ipso demonstrarunt satis. Quamquam enim Cæsar Dictatura se abdicaret, nullius jam appellationis egens, tamen M. Antonius Magisterium Equitum in totum eum annum retinuit. Quum ista satis belle composita viderentur, præmissi in Campaniam milites, quibus ad bellum Africanum usurus erat, seditione inita curam Cæsaris adverterunt. *Promissa Pharsalico bello præmia* omnes, veterani præterea *missionem* flagitabant. Cæsar ad hos Q. Sallustium Crispum misit, qui Senatorii recuperandi ordinis gratia Prætura petita designatus erat; ut doceret, *hostium magno numero in Africa superstite nondum absolutam esse victoriam: eo confecto bello Cæsarem, & promissa ante donativa: & millenos insuper denarios viritim repræsentaturum.*

Milites infesto agmine ad Urbem iter faciunt. Dio. Plutarch. Cæsar. c. 74. App. 2. 92.

XLVI. Adhæc adeo exarsit militum furor, ut Sallustium vitandi exitii caussa Romam refugientem, confestim sequuti, sine discrimine quibuslibet obviis adferrent manus. Duo quoque Prætorii tum interfecti sunt, Cosconius & Galba. Dubitavit tum Cæsar, num opponere Prætorias cohortes tumultuantibus rectius foret: sed contagium timens, has quidem secum retinuit, & milites, quos Antonius nuper introduxerat, circum ædes suas, & portas Urbis disposuit. seditiosis jam adpropinquantibus misit obviam scisciturum, quid *igitur sibi vellent?*

Seditionem militum compescit Cæsar.

atque ii, *cum ipso Cæsare colloquuturos esse* respondêrunt. Tum denunciari Cæsar jussit, uti *positis armis, præter gladios, ad Urbem accederent*.

XLVII. Neque contatus est, licet dehortantibus vehementer amicis, adire tendentes in Campo Martio, & tribunal erectum minaci vultu conscendere. Hæc tam audax atque inopinata viri species ultro terruit militem, ut *desideria sua exponere* jussus, *donativi* mentionem facere non auderet, *missionem* tantum postularet. & suberat spes quod opera militum Cæsar indigeret, sponte daturum, quæ esset pollicitus. Sed ille sicut profusus in obsequentes, ita minantibus inexpugnabilis erat. ideirco uno verbo *dimittere se* dixit: & quum velut fulminati hac voce silerent, adjecit, *nihilo secius daturum stipendia & præmia, quam primum esset cum aliis triumphaturus*.

Ad eos Cæsar in Campum descendit. Sueton. Cæsar. c. 70. et Front. Strat. l. 4. c. 4. Applanus. Dio.

XLVIII. Mordebat eos hoc quoque dictum, & pudor simul metusque intrabat animos, si ad alios perveniret suæ operæ debitus honor; ipsi adversis pattibus exosi, suis taedio fuerant, vile vulgus spectarent Triumphum, quem ducere debuissent. simul existimabant lenius acturum Cæsarem, sive suum ingenium ille, sive præsentem necessitatem sequeretur. Sed ille tacente milite, amicis orantibus, *ne cum tam tristibus dictis discederet*, iterum exorsus. *Quirites* appellavit. Hoc illi non ferentes, responderunt. *se milites esse*, pœnitentiaque priorum correpti, rogare cœperunt, *ut sibi porro militare liceret: se solos, sine aliis copiis, bellum Africanum eo Imperatore profligare paratos esse*.

Eosque auctoritate & constantia exercitos. Tacit. l. 42. Sueton. Applanus Dio.

XLIX. At Cæsar licet ei gratius accidere nihil potuisset, vultum servans, avertere se, & descendere de tribunali: unde major exortus clamor, *maneret* orantium, *pœnasque si vellet, sumeret*. simul tribunus quidam militum propius accedens pro exercitu deprecabatur, jussu militum, an ut Cæsarem demereretur. Tum ille: *se quidem pœnas quamlibet meritis remittere. molestè tamen ferre, quod & decumani seditiose egissent, semperque prælati aliis & magno in pretio habiti. dare tamen missionem petentibus, & carere posse invitorum opera*.

Ad obsequii & deprecationes redigit. Applanus. Dio.

L. Recepit *& præmia exsoluturum, licet nullam ob necessariam causam se reliquo adhuc bello deserentibus. Sed & agros divisurum pace restituta, non exemplo Sullæ*, inquit, *ademptos aliis, vosque prioribus dominis immiscendo ad perpetuas inimicitias; sed qua publicus, quæve meus ager est, adsignabo, & quod deerit, à volentibus emam*. Et adfuit dictis fides. pecuniæ partem repræsentavit, *reliquum daturum* dixit *paulo post cum fœnore*. Plausu omnium hæc excepta quum fuissent, decumani mærebant, *sibi nominatim iratum Imperatorem esse*. neque destiterunt obtrudere operam, licet recusantem, in Africam sequi. Sed ille priusquam proficisceretur, ex omni numero exeepit seditionibus miscendis aptissimos, quos in Italia relinqueret, agris statim datis, unde se tolerarent.

Decumani recusantem quoque sequuntur. Applanus. Dio. Sueton.

LI. Cæterum & his, & deinceps omnibus, non continuos adsignavit agros, ne quis possessorum expelleretur: & ut distractis nihil in turbas virium foret. Notavit & ex iis quos secum ducebat fœdissimum quemque, quos postea deductos in Africam periculis objecit, utrimque compendium captans, occiderent illi, an occiderentur. Qui vero eorum superfuerunt casibus, eos sic quoque præda & agri destinati tertia parte mulctavit. Nam in aliis delictis connivere solitus, & multa militi condonare, desertores atque seditiosos implacabiliter oderat: quod cæteta quæ peccare essent soliti, ad aliorum injuriam, hoc ad Imperatoris

Ille tamen seditiosissimum quemque dissimulanter punit. Sueton. Dio. Zoliæn. Strat. lib. 8.

periculum pertinebat, nequidquam dominationem adfectantis, ſi exercitus, per quem cæteros in obſequio contineret, exuere obſequium ipſe cœpiſſet.

Procedit Rhegium. Plutarch. Catone c. 74. Sueton. Cæſar. 57. 2. Appianus.

LII. Inſimulabatur tamen à pleriſque, quod tantam exercitus licentiam non eſſet ſeverius exſequutus. quin & amicorum vitia crimini dabantur, Dolabellæ furor, ebrioſitas Antonii, intemperies, luxus, rapinæ plurimorum. Sed iſta quamquam nec ignoraret Cæſar, nec probaret, quia meliores non habebat adminiſtros, his utebatur.

In Africam navigat. Sueton. Cæſar. 59. 2. Dio. Senec. epiſt. 24. 17. Sueton. Plutarch. Plin. 7. 12. Auctor. de bello Afric. cap. 9. Sueton. Cæſ. 61. 3.

LIII. Jam bruma erat, & qui Africam tenebant hoſtes, quum occupationibus Cæſaris, tum anni tempore clauſum ei mare putabant. Sed ille ſolita celeritate, qua ſæpe nuncios de ſe prævenerat, proceſſit Rhegium, ne religione quidem retentus, quum immolare volenti taurus aufugiſſet. Omen etiam à nomine Scipionis, quod fatale ad victoriam in Africa terra ſuos quoque milites timere ſenſerat, aut vitando, aut eludendo, duxit ſecum è Scipionum genere contemptiſſimum quemdam, cui *Salutioni* cognomen erat, ob opprobrium vitæ, quod ejus nominis mimo ſpecie corporis, & infamia morum habebatur ſimillimus. Rhegio transjecit Meſſanam, inde Lilybæum pervenit A. D. XIV. Kal. Januarias, & ut paratos intentoſque ſuos haberet, tabernaculum in litore maris ſtatuit, *obſervandum ſe* admonens, *qui eſſet primo oblato vento conſcenſurus*. Ibi factus de rebus Africanis certior, oppido & agro Uticenſi, ubi Cato curabat, vitato, Adrumetum direxit curſum, quam partem obtinere Scipionem intellexerat.

Cum parvia admodum copiis. Sueton. Cæſar. 59. 2. Dio. Frontinus ſtrateg. 1. 12. Plutarch. Auctor. de bello Afric.

LIV. Egreſſus è navi, magno cum terrore militum impegit, proceditq; humi: ſed ille verbo lævitatem ominis corrigens; complexus oſculatuſque terram, exclamavit, *Teneo te, Africa*. Sic exercitu ad Adrumetum expoſito, qui in præſens haud amplius peditum millibus tribus conſtabat, cum equitibus centum quinquaginta, diem atque noctem conſumpſit, dum L. Planci conſilium experitur, qui ad C. Conſidium oppido præfectum ſcripſerat. Sed poſtquam reſponſum non reddebatur, Cæſar tentare Adrumetum non auſus, proficiſci inde ſtatuit. ſed abeuntem, erumpens ex oppido multitudo, inſequitur. Nam duæ legiones erant Adrumeti, & tria millia Maurorum equitum ducebat Cn. Piſo, qui partes Pompejanas acerrimo miniſterio juvabat.

Gallorum equitum virtute repellit hoſtem.

LV. Et eodem tempore Jubæ equites, qui forte ad ſtipendium accipiendum veniebant, caſtra, unde Cæſar erat egreſſus, moratoribus ejectis cæſiſve occupant, extremumque agmen conſequuti laceſſunt. Sed egregia Gallorum equitum virtute repulſi ſunt, *quorum tum minus triginta, circiter duo Maurorum millia ſæpius repulſſe* dicuntur. Nam illi intra munimenta compulſi, rurſum abeuntibus inſtabant: donec non intermiſſo itinere longius avulſos infeſtare non ulterius auſi, deſtiterunt. Sic animo conſilioque ſummi ducis, maximum diſcrimen, minimo detrimento depulſum eſt.

Ruſpinam occupat. Urb. condit. an 707. Lepidi Triumphus. Dio. d. lib. 11. 3. Oroſius. 6. 16. Liv.

LVI. Interim è propinquis oppidis legati venerunt ad Cæſarem; frumentum, & quidquid imperatum eſſet, pollicentes. Ita Ruſpinam proceſſum eſt: quod oppidum aperuit portas. ibique caſtra Cæſar poſuit Kalendis Januariis, quibus ipſe Dictaturam ſimul atque Conſulatum, utrumque honorem tertium iniit, M. Æmilio Lepido Magiſtro Equitum, & Conſulatus collega. Hoc ei præmium deberi putabat, à quo primum Dictator erat dictus: quamquam & triumphum ei decreverat, nulla re geſta, præterquam Longini & Marcelli compoſiti diſcordiis.

neque

neque translatum est in eo Triumpho quidquam, nisi raptæ ex sociis pecuniæ: Hæc eo anno gesta sunt: & quum novi magistratus iniissent, lupus in Urbe visus, & scrofa fœtum, præterquam pedibus elephanto simillimum, edidit.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXIV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

BELLUM in Syria Cæcilius Bassus Eques Romanus Pompejanarum partium excitavit; relicto à legione Sexto Cæsare, quæ ad Bassum transierat; occisoque eo, Cæsar Scipionem prætorem, Afranium Jubamque vicit ad Thapsum, castris eorum expugnatis. Cato audita re, quum se percussisset Uticæ, & interveniente filio curaretur, inter ipsam curationem resciſſo vulnere exspiravit, anno ætatis quadragesimo nono. Petrejus Jubam, seque interemit. P. Scipio in nave circumventus honestæ morti vocem quoque adjecit; quærentibus enim Imperatorem hostibus, dixit, Imperator bene se habet. *Faustus & Afranius occisi. Catonis filio venia data: Brutus, legatus Cæsaris, in Gallia Bellovacos rebellantes prælio vicit.*

QUUM præter Africanos & Hispanienses motus nihil usquam timendum Cæsari videretur, repens è Syria tumultus Romæ adhuc agenti nunciatus est. Ejus auctor Cæcilius quidam Bassus exstitit, Eques Romanus Pompejanarum partium. Is ex infelici prœlio Tyrum se receperat, & in emporio latens bene secum putabat agi, quod vita fruebatur. Sed ubi milites Sex. Cæsari propter adolescentiam & voluptates parum amicos atque fidos esse cognovit, simulque Tyrios spoliatum à Dictatore Cæsare fanum Herculis ægrius ferre, paulatim ad se contrahere Pompejanos cœpit; militesque, uti præsidii caussa nunc hi, nunc illi Tyrum mittebantur, solicitare. Pompejanorum in Syria motus. Cic. Famil. 12 17. 19. Liv. Epitom. Diod. 4 7. 4. 14. Appianus. lib. 3. Civil.

II. Sed hæc initia quum spernenda viderentur, absterrere Cæsarem ab Africana expeditione nequiverunt: stimulum addiderunt tamen, ut eo celerius proficiscereturque maturata ibi victoria, anteveniret orientes turbas, aut nondum confirmatis occurreret. Sed ubi *Cæsarem in Africa periclitari* fama tulit, simul recepto more hominem fingendi, quæ facta quisque cupiat, *T. Marcus periisse naufragio, Asinius vivus delatus in hostium manus, naves quinquaginta vi ventorum Uticam actæ* prædicabantur; jam erectior apertiorque Bassus, sive Pompejanarum partium studio, sive privatim potentiam quærens, copias colligere instituit. Sex. Cæsari, qui rationem actorum repolcebat, *Mithridatem Perga-* Bassus copias colligit. Cic. pro Dejotaro cap. 9. Cic. ad Attic. 12. 3. Joseph. de bello Judaico. 1. 8 & Antiq. 14. 17 Dio.

meum excuſans, *cui ad mandatum à Cæſare bellum milites conquirerentur.*

Sex. Cæſarem interficiendū curat. Liv. Epitom. Ioſeph Antiq. Strab. lib. 16.

III. Sed ubi vires placuerunt, vulgatis epiſtolis quibuſdam, quas aiebat *ex Africa miſſe Scipionem* (*interitus autem Cæſaris, & commiſſam ipſi à Scipione Syriæ imperium* continebatur) ducem partium profeſſus, Tyrum occupat. inde ad caſtra Sex. Cæſaris proficiſci auſus, prœlio vincitur, & vulnus accipit. nec ultra vim experiri volens, ad corrumpendos Sexti Milites ſe convertit, hoc eventu, ut & Sextus interficeretur, & milites ad Baſſum tranſirent, exceptis, qui Apameæ hyemaverant. Hos in Ciliciam tranſgreſſos fruſtra Baſſus inſequutus, poſtquam in Syriam rediit, *Prætoris* adſumpto vocabulo, Apameam, quod erat ſitu atque opere munitiſſima, ſedem bello cepit, & juventutē non ingenua modo, ſed & ſervorum centuriata, pecunias cogere, parare arma, denique rebus omnibus munire ſe inſtituit.

Cæſaris difficile bellum in Africa. Plin. 15. 29. Diod. libr. 13. Auct. de bello Afric. cap. 19. Plutarch. Cæſare cap. 51.

IV. Interea Cæſar in Africa perdifficile bellum gerebat, contra maximas hoſtium copias, rebus omnibus impar, & tantum fortunæ ſuæ animoque & conſilio innixus. Sed & frumenti inopia urgebatur, cujus tenuis erat Ruſpinæ annona, panis ſimul obſoniique vicem ſiccata implente ficu: & expediendi difficilis erat ratio, quia Cæſaris equitatus nondum ſatis è maritima jactatione & nauſea confirmatis equis, prœlio non audebat contendere: contra Numidæ Mauriquè velox & expeditus equus, indeſinenter locis omnibus vagabantur, & quia numero etiam multo erant ſuperiores, haud mediocriter Cæſarem angebant. Forte accidit, ut Cæſaris equites, quum Afri cujuſdam cantu atque ſaltatione delinirī, lixis cuſtodiendos equos dediſſent, ſubita Numidarum irruptione turbarentur. & vix inſilire in equos atque in caſtra refugere poſſent.

Cæſar undique commeatus arceſſit. Auct. de bello Afric.

V. Quod niſi Cæſar ipſe cum Aſinio Pollione & inſtructis cohortibus progreſſi extra vallum eos recepiſſent; magna clades, & ut nonnulli putant, ad ſummam victoriam efficax, accepta foret. Itaque Cæſar in Sardiniam nuncios, in Siciliam Rabirium Poſthumum mittit ad arceſſendos commeatus. Huic decem longæ naves attributæ, mandatumque ut priuſquam in Siciliam trajiceret, ad conquirendas reliquas naves, quæ deerraverant, & tuendum ab hoſtibus mare, circumiret Africam. C. Salluſtius Prætor cum parte navium Cercinnam ire juſſus, quæ ab hoſtibus tenebatur, ubi *magna* dicebatur *eſſe frumenti copia*. Hæc ita imperabantur, ut ſuſcipienda ſine conditione, atque exſequenda ſine mora eſſent; neque ulla excuſatio, fieri poſſet necne, recipiebatur.

Leptin occupat. Plutarch. Auct. de bello Afric.

VI. Inter hæc occupata præſidioque ſex cohortium firmata Lepti, Ruſpinam regreſſus, *frumentum in agris repertum, magnamque lignorum vim comportari in oppidum* jubet. ipſe de ſuis qui nondum appulerant ſolicitus, cum ſeptem admodum cohortibus circa veſperam conſcendit naves; magno cum metu eorum, qui cum paucis tyronibus contra incredibilem multitudinem hoſtium expoſiti, ab Imperatore relinquebantur. Sed fortuna Cæſaris hic quoque providit celeriter. Quum una nocte conſumpta in navibus, jam luce prima conſtituiſſet vela facere, repente apparuit claſſis quam quærebat. Itaque militum equitumque non contemnendo numero auctior, Ruſpinam protinus redit.

Pugnans cum Labieno.

VII. Inde cum cohortibus triginta expeditis, & equitibus quadringentis, ſagittariorumque non magna manu frumentatum eſt profectus, pridie Nonas Januarias. Ibi ſe Labienus & duo Pacidii cum Maurorum Numidarumque equitum

octo millibus, Gallis Germaniſque mille ſexcentis, & ſagittariis ac funditoribus, hippotoxotiſque compluribus objiciunt, ſtruit aciem Cæſar, præmiſſis ſagittariis, equitatum in cornibus collocat. Sed ille ab adverſariorum multitudine repulſus, continuo cedit: legionarii circumventi in orbem pugnare coguntur. Ibi Labienus galea detracta, ſuos hortari, appellare Cæſarianos, donec petitus à milite decumano, equo graviter ſaucio averteretur.

VIII. Interim Cæſar omnibus viribus equitum peditumque connixus, diviſam hoſtium coronam ab utroque latere disjecit, neque longe inſequutus, ad ſua ſe præſidia inſtituit recipere. Sed Petrejus & Cn. Piſo cum equitibus Numidis mille centum electis, peditumque & levis armaturæ quatuor millibus ſupervenientes, mutare conſilium, & medio campo redintegrare pugnam adegerunt. Quum ita prœliarentur hoſtes, ut cum equitatu levis armatura Numidarum procurreret, coortis deinde Cæſarianis, equites refugerent, pedes exciperet certamen, donec illi reſumpto curſu, iterum invecherentur; eaque pugnandi forma nova & terribilis Cæſarianis objiceretur; Cæſar negotium ſuis dedit, ut omni conatu ſubmoverent hoſtes, atque ultra poſtremos qui apparebant colles proturbarent. Et cum Petreio. Dion. lib. 43. 3. Auct. de bello Afric.

IX. Tum demum pugnandi finis eſt factus, poſtquam ab hora diei quinta uſque ad occaſum ſolis dimicatum eſſet. Multi ex Cæſaris militibus interfecti ſunt: non ſine crebris adverſariorum vulneribus. Petrejus etiam graviter ictus deſeruit pugnam; ſed neceſſitatem diſſimulans, quū receptui cani juſſiſſet, *non eſſe fraudandum gloria victoriæ Scipionem Imperatorem ſuum* dictitabat. Saucii, quorum maximus fuit numerus, plauſtris Adrumetum deportati ſunt. Eo prœlio quidam auctores ſunt fugientem aquiliferum à Cæſare correptum converſumque fuiſſe, cum dicto, *hic hoſtes ſunt!* atque unius illius virtutem ſaluti fuiſſe cæteris, ſi abſque illo eſſet indubitanter perituris. Sua unius virtute repellit hoſtes. Dio. Auct. de bello Afric. Appian. lib. 2 Civil. Plutarch. cap. 75. Appianus. Val. Maxim. 8. 14. 5.

X. Inde Cæſar cum ſuis in caſtra ſe recepit ad Ruſpinam, eaque modis omnibus communire inſtituit: vallo ab oppido ad mare, itemque altero à caſtris eodem perducto. Nam à paucioribus male acceptus, Scipionem haud injuria metuebat, qui poſt prœlium factum die tertio, *cum legionibus octo & equitum millibus quatuor adventare* nunciabatur. Is poſtquam adfuit, collaudatos qui proximo prœlio rem ſtrenue geſſerant milites, pro concione donavit, ut alacritatem ſuorum honoribus & præmiis incitaret. Ibi res accidit non indigna relatu. Labienus equitem commendabat Imperatori, *aureas armillas meruiſſe* confirmans. At Scipio nolebat dare, quia nuper ille ſervus fuerat: ne vileſceret caſtrenſium donorum honor. Ibi Labienus armillas equiti dedit ex præda. Tum Scipio, *habetis*, inquit, *donum viri divitis*. Ad quam vocem ſubmiſſo vultu eques projecit aurum ad pedes Labieni. Mox dicente, *Imperator argenteis armillis te donat*, exſultans gaudio abiit. Tanta inerat animo, etiam in humili fortuna, gloriæ cupiditas. Cæſar caſtra ad Ruſpinam communit.

XI. At perculſi quum adventu Scipionis Cæſaris milites erant, tum etiam, quia naves ſuæ onerariæ paſſim nunciabantur expugnatæ; quia non prædicto loco ubi appellerent, errabant, & à compluribus adverſariorum ſcaphis ſingulæ excipiebantur. Inter has deprehenſa navis eſt, quæ fratres duos tribunos militum legionis quintæ vehebat, Titii Hiſpani dicebantur; atque hi quum ſe C. Virgilio Prætori dedidiſſent, ad Scipionē deducti, tertioque poſt die interfecti ſunt: Ejus onerariæ paſſim expugnantur. Auct. de bello Afric.

quum major eorum, ut ante fratrem occideretur, à centurionibus impetraſſet.

Cæſar timorẽ militum nova ratione compeſcit Sueton. Cæſar. Polyæn. Stratag. lib. 8.

XII. Ad hæc cognita Cæſaris neceſſitate, Juba Rex ſpatium convaleſcendi non daturus, eum ingenti exercitu veniebat. Adverſus hæc omnia Cæſar timorem militum nova ratione compeſcuit; augendo periculi famam. Quippe vocatis ad concionem militibus, *Scitote*, inquit, *pauciſſimis his diebus Regem adfuturum cum legionibus decem, equitum triginta, levis armaturæ centum millibus, elephantis trecentis. Proinde deſinant quidam quærere ultra, aut opinari, mihique qui compertum habeo, credant: aut quidem vetuſtiſſima nave, quocunque vento, in quaſcunque terras jubebo avehi.*

Juba domeſticis turbis revocatur. Dio.

XIII. Præceps videri hæc exaggeratio hoſtilium virium queat: ſed in audaci cœpto plenoque periculorum plus oberat, extenuare velle verbis, quod ſenſibus res ipſa ingerebat quotidie: & præſtabat hanc in partem decipi milites, plus habituros ſpei, ſi obfirmatis ad graviora animis, minora opinione diſcrimina tractando comperiſſent. Cæterum Jubam vix Regno egreſſum, nec opinatæ domi turbæ confeſtim revocarunt.

Sitio & Bogude Numidiam invadentibus. Auct. de bello Afric. Appianus. Dio.

XIV. Publius enim Sitius Nucerinus junctis cum Bogude Rege copiis, invaſit Numidiam: Cirtaque maximo oppido paucis diebus expugnato, & uno atque altero capto oppido Gætulorum, neceſſitatem ei ſua defendendi impoſuerunt. Igitur abductis à Scipione ſuis auxiliis, reliquit tantum elephantos triginta, rudes adhuc, & multorum annorum uſu vix edocendos. plus ergo ſpecie quam viribus nocebant: quia perterriti hoſtium equi ad conſpectum eorum pavore auferebantur. Sed ubi juſſu Cæſaris tranſportati ſunt ex Italia nonnulli, frequenti horum & innoxio viſu equi timere deſierunt. Interim adventu ſuo per oppida nunciari juſſo, multos excivit Cæſar, ut ad eum adeuntes *de acerbitate Pompejanorum* quererentur. hactenus enim non ipſum, ſed aliquem legatorum ejus veniſſe crediderant.

Cæſar ſuos è Sicilia trajicere per hyemem cogit.

XV. Ille motus hominum querelis, & vaſtationem Africæ, quæ miſerandum in modum vexabatur, non ferens, literas in Siciliam miſit, *uti ſine excuſatione hyemis ventorumque confeſtim trajiceretur exercitus.* eratque is ardor viri, ut poſtridie quam nuncium miſerat oculos mentemque ad mare directam tenens, *moræ contationiſque* ſuos inſimularet. Mordebat acerrimum Imperatorem, quod neque ſupperias ire fidem ſuam implorantibus poterat; & Scipionis inſultationes adſpicere quotidie atque ferre cogebatur.

Scipio ad caſtra Cæſaris procedit. Plutarch. Cæſar. Auct. de bello Afric.

XVI. Nam ille ſuperioribus prœliis ſuorum elatus, quum per aliquot continuos dies non longe à ſuis caſtris inſtructa acie ſtetiſſet; neque Cæſar contra exiret, contempto tandem hoſte ad caſtra illius cum explicata acie & elephantis proceſſit. At Cæſar caſtris tenebat ſuos, quæ contra quamlibet vim hoſtium, operum tormentorumque multitudine & firmitate, & quia præſens ipſe erat, ſatis muniverat. Neque de victoria male ſperans intra vallum manebat. Sed quia eum paucis & tyronibus vincere ſine multo ſuorum ſanguine nequibat, turpe rebatur, poſt tot devictos hoſtium exercitus, cum reliquis pugnantem eruentam exiſtimari retuliſſe victoriam.

Ab eo multi transfugiunt ad Cæſarem.

XVII. In eo ſtatu rerum licet ſuperior Scipio videretur, multi tamen ex caſtris ejus profugiebant Numidæ Gætulique, quorum alii repetebant domos, alii ſe transferebant ad Cæſarem, quem C. Marii adfinem eſſe *didicerant*; cujus magnis

beneficiis ipſi majoreſve eorum fuerant uſi. Horum illuſtriores quoſdam mittit eum literis, ut populares ſuos ab obſequio hoſtium ad amicos ſociosque transducerent. Interim & Leptis à Saſerna contra Labienum defenſa eſt; Acillani (libera civitas erat Melitenſium colonia) recepto Cæſaris præſidio, quod C. Meſſius Ædilitius introduxit, Conſidio Longo cum cohortibus octo venienti clauſerunt portas, Adrumetumque redire nulla re geſta coëgerunt: & ab eodem paulo poſt cum Labieni equitibus regreſſo obſeſſi oppugnatique ſunt. At C. Salluſtius defertam fuga C. Decimii Quæſtorii Cercinnam adeptus, magnum frumenti numerum in caſtra Cæſaris miſit: & ſub idem ferme tempus legio XIII. & XIV. quas A. Allienus proconſule cum equitibus Gallis octingentis, & mille ſagittariorum atque funditorum Lilybæi impoſuerat in naves, proſpero curſu ad Cæſarem pervenerunt. Dio. Auctor. de bello Afric. Strabo lib. 16. Mela. Steph.

XVIII. Dum hæc variis locis adminiſtrantur, M. Cato ſupplementum, arma, commeatum cogebat Uticæ, atque horum aliquid ſubinde in caſtra Scipionis mittebat. conſilium quoque addidit *non laceſſendi Cæſaris, cujus impetus nulla re opportunius frangi, quam mora poſſet.* Superbe rejectum hoc à Scipione, ſemelque reſcriptum, *ſufficere debere Catoni turum in oppido munito otium: ne aliorum quoque alacritatem opportunitate temporum uſuram inhibeat.* Pupugit ea Catonem exprobratio, reſcripſitque, *paratum cum iis quas adduxiſſet in Africam copiis trajicere in Italiam, atque Cæſarem ad eam tuendam retrahere.* Ubi hæc etiam irriſa eſt ab Scipione ratio non obſcure tulit Cato *pœnitere, quod eo tempore, ubi ſumma Reſpublica ageretur, honoratiori ceſſiſſet prudentior.* Catonis conſilium à Scipione rejicitur. Cic. Familiar. 7. 8. 7. 9. Dio. Auctor. de bello Afric. Plutarch. Catone. 574

XIX. Sed Cæſar veteranas legiones nactus, omnibus conſilii ignaris præter Ruſpinam cum toto exercitu verſus Uzitam oppidum pergit: ante quod in edito colle Numidarum præſidium erat. Id poſtquam à Cæſare capi Labienus animadvertit, cum multis equitibus accurrens ſubſidio, per Cæſaris equites ab exercitu ſuo eſt interclusus: & ipſo cum Numidis effugiente, Galli Germanique quos adduxerat, poſt acrem pugnam interfecti. Hinc propius oppidum progreſſo Cæſare, Scipio, ne locum opportunum amitteret, cum inſtructo exercitu, elephantiſque in utroque cornu locatis haud procul Uzita conſtitit. Prælium equeſtre ſecundum Cæſari. Auctor. de bello Afric. Dio.

XX. Cæſar quod hoſtis inde non digrediebatur, minime committendum ratus, ut cum feſſis militibus eodem tempore & exercitum hoſtium, & oppidum cum valido præſidio Numidarum oppugnaret, ſuos in caſtra reduxit. At Conſidius qui Acillam magnis operibus oppugnabat, equeſtris prœlii cognito eventu, diſceſſit protinus, & per Regnum Jubæ reductum exercitum cum Scipione partitus, Adrumetum rediit. Inter hæc tam proſpera Cæſar tamen parvis detrimentis ignominiaque carpebatur: quod ex ſecundo ſuo Sicilienſi commeatu navis à Virgilio ad Thapſum capta: itemque alia ad Ægimurum à claſſe P. Vari & M. Octavii excepta eſt. Acillæ obſidionem ſolvit.

XXI. In his deprehenſi milites quum adducti ad Scipionem eſſent, atque is vitam concederet ſub conditione, *ſi militare adverſus Cæſarem vellent*, centurio legionis XIV. gratiis actis, recuſavit beneficium, ferociterque adjecit, *ut intelligere Scipio poſſet contra quos viros ſuſcepiſſet bellum, ſe cum decem veteranis his, cum cohorte quam Scipio delegiſſet ex toto exercitu pugnaturum.* Ibi Scipio Centurionis Juliani ferocia. Sueton. Cæſar. 6. 2. 2.

Conjunctio tubæ cum Scipione.

Auctor. de bello Afric.

irritatus annuit centurionibus, ut confestim hominem trucidarent. veteranos captos, *nefario scelere contaminatos, & saginatos cæde civium* increpans, extra vallum cum cruciatu necari jussit. tyrones in suas legiones dispertitus est. Similis animus eventusque per eosdem dies Petronio Granio Quæstori designato fuit, qui & ipse capta navi, oblatam à Scipione salutem respuit, incumbensque gladio, *hanc*, ait, *dare Cæsaris milites, non accipere consuevisse*.

Cæsar militum suorum amantissimus. Plutarch. Cæsare c. 2. Auct. de bello Afric. Sveton. Cæsar 67. 3.

XXII. Cæsar his auditis, eos, quibus ad Thapsum cum longis navibus præsidio esse onerariis jusserat, gravissimo proposito edicto, cum ignominia dimittendos censuit. Erat enim militum suorum amantissimus, adeo ut *audita P. Tituri clade submisisse barbam capillumque* dicatur, *nec nisi post vindictam posuisse*. Per eos dies sub occasum Vergiliarum res mira incidit in castris. Pauci habebant ex pellibus tentoria, nec enim portari ex Sicilia quidquam præter ipsos milites & arma Cæsar erat passus; neque parare in Africa potuerant, quod tota ferme regio ab hostibus aut tenebatur, aut exinanita direptaque fuerat.

Tempestas mira.

XXIII. Plerique vestimenta tetenderant, atque arundinibus scopisque contextis utcumque se tegebant. Sed circiter secundam vigiliam, exortus cum grandine imber, tentoria nimio pondere rupit, ut exstinctis ignibus intempesta nocte milites per castra vagarentur, nihil habentes præter scuta quibus capita contegerent. Eadem nocte pilorum quintæ legionis cuspides ardere visæ.

Juba Scipioni se conjungit. Dio. Auct. de bello Afric. Plutarch. Cæsar.

XXIV. Scipio inter hæc multis nunciis Jubam evocabat, contantemque *omni* promissa *Africa, qua Romani juris esset*, permovit tandem, ut cum tribus legionibus, & equitibus frænatis octoginta, magnoque Numidarum equitum & levis armaturæ numero, ac triginta elephantis Regno egrederetur: Sabura cum parte exercitus contra Sitium relicto, qui nuper castellum omni rerum copia locuples de Rege ceperat. Ejus adventu Cæsar consilii sui plenum fructum tulit: quum enim haud procul Scipionis castris seorsim consedisset, simul ex propinquo vires ejus cognosci potuere, metus Julianorum versus in contemptum est. Scipioni tamen crevit animus, ut instruere exercitum, & paulo longius à suis munitionibus progredi auderet. At Cæsar non facta potestate pugnandi, opera sua promovebat, donec ab adversariis occupato proximo colle pergere prohiberetur.

Cæsaris prospera pugna.

XXV. Sed collis vi receptus est, decusso Labieni præsidio, & irritis quas posuerat insidiis, quia priusquam Cæsar accederet, ex locis occultis Labieni milites metu profugerant. Ipse vix cum parte equitum evasit. Quum deinde opera continuaret Cæsar, ad impediendum omnis adversariorum equitatus & leviter armati præcurrerunt sub vesperam, deductasque ab opere copias Cæsaris impetierunt. Et equitatum quidem multitudine sua submoverunt celeriter; sed ubi converso itinere Cæsar cum cohortibus adfuit, equites confirmati repulerunt inter sequendum sparsos Numidas, multisque interfectis eos rejecerunt in castra Regis, ne omnes internecione delerentur, & ipse Rex cum Labieno deveniret in potestatem Cæsaris, nocte ingruente, & commoto venti vehementia pulvere prospectum hosti adimentibus, erepti sunt.

Ad eum hostium multi transfugiunt.

XXVI. Interea quum Cæsar per colloquia militum, spargendisque literis *libertatem, atque res suas Afris, præmia insuper Romanis ad se accessuris* esse pollicitus, ex legionibus Scipionis quarta & sexta, in quibus Gæruli erant, ex-

ves Romani plerique omnes, permulti partim in castra Cæsaris, partim qua quisque potuit perfugere. Equites etiam qui ex clade Curionis apud Varum remanserant, complures eodem consilio sunt usi. Sed & Getuli; quos cum literis Cæsaris domum isse diximus, cives suos ad deficiendum a Rege Juba perpulerunt. Sub idem tempus nona & decima Cæsaris legiones ex Sicilia venerunt, ob inopiam navium tardius, quam nactus ansam Cæsar, C. Avienum Tribunum militum legionis decimæ, cum ignominia dimisit, quod navem cum familia sua jumentisque & commeatu occupaverat, immemor sub eo Imperatore stipendia facere, qui maxima classe Britanniam peteret, tres tantum servos suos imposuerat. Autor de bello Afric. Athen. 6. ac.

XXVII. Eadem & aliis quibusdam ignominia addita, quos ob seditionem rapinasque factas in Italia clam oderat. Interesse arbitror ipsa referri verba præstantissimi Imperatoris. Tribunis centurionibusque convocatis omnibus; *Maxime vellem*, inquit, *homines suæ petulantiæ nimiæque libertatis aliquando finem fecissent, meæque lenitatis, modestiæ, patientiæ rationem habuissent. Sed quoniam ipsi sibi neque modum, neque terminum constituunt; quo cæteri dissimiliter se gerant, egomet ipse documentum more militari constituam. C. Aviene, quod in Italia milites populi Romani contra Rempublicam instigasti, rapinasque per municipia fecisti; quodque mihi Reique publicæ inutilis fuisti; & pro militibus tuam familiam jumentaque in naves imposuisti: tuaque opera, militibus tempore necessario Respublica caret: ob eas res ignominiæ causa ab exercitu meo te removeo: hodieque ex Africa abesse, & quantum potest proficisci jubeo. Itemque te, A. Fonte, quod tribunus militum seditiosus, maluisque civis fuisti, ab exercitu dimitto. T. Saliene, M. Tiro, C. Clusinas, quum ordines in meo exercitu beneficio, non virtute consequuti, ita vos gesseritis, ut neque bello fortes, neque pace boni aut utiles fueritis, & magis in seditione concitandi milites adversus vestrum Imperatorem, quam pudoris modestiæque fueritis studiosiores; indignos vos esse arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis; missosque facio, & quantum potest abesse ex Africa jubeo.* Cæsar quosdam ob ignominiæ dimittit.

XXVIII. Interea Cæsar, perfectis quæ instituerat operibus suis, & a vallo castrorum ad Uzitam usque duobus perductis brachiis, præter alia commoda hoc erat adsecutus, ut ex propinquo sollicitare hostium animos posset, & transfugere volentibus paratus receptus esset. evenitque ut simul Gætuli quidam nobiliores cum equis & calonibus circiter mille in castra Cæsaris perfugerent. Scipio cæterique commoti hoc incommodo ad M. Aquinium Senatorem miserunt, quem forte sub idem tempus colloqui cum C. Saserna viderant. Gætulis multi ad Cæsarem transfugiunt.

XXIX. Sed ille nihil motus nuncio Scipionis, colloqui perseverabat, donec missus a Juba viator, audiente Saserna, *vetat*, inquit, *te Rex colloqui*. & homo Romanus, populi beneficio usus, quum Imperatori suo parere noluisset, Regi barbaro audiens dicto fuit. Sed hunc excusat Scipio, quem ajunt ante Regis adventum purpureo sagulo usum, tum ad album vestitum se contulisse, quod Juba negasset *eodem illum cultu esse oportere quo ipse uteretur*. At hic cum Cæsare dimicabat, cui si obtemperare vellet, primas post illum in Urbe tenere, multisque Juba potentioribus imperare posset. Postridie duo exercitus armati instructique a mane usque ad horam decimam, intervallo circiter passuum trecentorum Jubæ superbia & apud Romanos auctoritas.

Suos Militiam docet. Cæſar

C. Jul. Cæſare, L. Æmilio Lepido Coſs.

ſtetere: nec tamen commiſſa eſt pugna. tantummodo leve prœlium equeſtre factum, minime dignum memoria.

Ceſſa & mari rem gerit feliciter. Dio.

XXX. Cæterum per eos dies mari geſta res eſt, quum P. Varus de navibus Q. Aquilæ ad Leptim, quaſdam onerarias incendiſſet, vacuaſque defenſoribus quinqueremes abſtraxiſſet duas. Hoc ubi Cæſari circumeunti opera ſua nunciatum eſt, protinus eques contendit Leptim, & inſtructis quæ aderant navibus, Varum celeritate tanta perterritum egit in fugam, quinqueremem unam recepit, triremem repugnantem cepit. poſtridie profectus Adrumetum, quo ſe Varus contulerat, naves quotquot, extra Cothonem erant, aut incendit aut ſubduxit: & quum claſſe dimicare non auderent hoſtes, in caſtra ſua rediit. E captivis interfici unum juſſit P. Ligarium Afranianum, qui dimiſſus in Hiſpania contra datam fidem iterum ad adverſarios Cæſaris ſe receperat.

Auctor. de bello Afric.

Labienus inſidias irritas fruit Cæſari. Dio. Auctor. de bello Afric.

XXXI. Paucis poſt diebus quum Cæſar circum villas ubi ruſtici fruges in ſubterraneis ſpecubus condiderant, frumentatum mitteret, Labienus inſidias ſtruxit. Sed re comperta Cæſar inſidiatores, occiſis ferme quingentis, dejecit loco, Labienumque ſuis cum equitatu venientem auxilio legionum objectu deterruit. Numidæ qui loco amiſſo in caſtra refugerant, imperio Jubæ crucibus adfixi pependerunt. Fatigabat tamen Cæſarem inopia frumenti, & quod eam ob neceſſitatem quacumque profectum equitatus & levis armatura Numidarum infeſtabat, velox hominum genus, & ad procurrendum, & telis conjectis ad refugiendum habile. neque his reſiſtere Cæſaris equitatus ſine legionibus poterat. Idcirco licet veteranos haberet milites, tamen quemadmodum contra levem & concurſatorem hoſtem ſe tuerentur, tamquam laniſta tyrones ſolet, accurate docere coactus eſt.

Cæſar ſuos milites docet.

XXXII. Ad hoc *exſingulis legionibus trecentos* jubebat *expeditos incedere*, quorum onera & Sarcinæ à commilitonibus portabantur; *ut ingruente hoſte præſto eſſent, qui obſicerentur.* Hæc diligentia tantum emolumenti rebus ejus adtulit, ut ſæpe tentatus, à Labieno præſertim, multo plus damni daret hoſtibus, quam acciperet: neque eo minus pleraſque expeditiones quo volebat eventu faceret. Nam præter hoſtium caſtra ductis legionibus oppidum Zetam cepit; neque diu poſt Sarſuram.

Vacceſes à Jubæ delentur. Strabo lib. 17. Auctor. de bello Afric.

XXXIII. Vacceſenſes tamen quum præſidium à Cæſare petiiſſent, priuſquam illud perveniret, à Rege Juba omnes ad unum interfecti ſunt, oppidum direptum deletumque. Nec ideo minus Thabenenſes, ad mare ſita non magna civitas, à Rege defecerunt, occiſo, quod ibi fuerat præſidio; quibus petentibus auxilium Cæſar M. Criſpum Tribunum cum cohorte & ſagittariis tormentiſque compluribus miſit: ſub idem tempus novæ copiæ venerunt ad Cæſarem, ex iis qui morbi cauſſa, aut commeatu impetrato prius trajicere nequiverant, militum quatuor millia, quadringenti equites, funditorum ſagittariorumque mille.

Cæſar Thapſi obſidet. Front. Strat. l. 3. 2. Dio. Auctor. de bello Afric.

XXXIV. Tanto magis dabat operam, ut de ſumma rerum dimicaret, ſibi militique veterano fidens: & quia hoſtes, à munitioribus locis deduci non poterant, prid. Non. April. caſtra movit, & fedecim millia paſſuum celeriter emenſus, obſidere Thapſum inſtituit. Thapſus in peninſulæ ſpeciem hinc mari, inde ſtagno Salinarum ambitur: inter quod & mare via non amplius mille quingentorum paſſuum relinquebatur, quam triplici præſidio occupavit Cæſar, ut

ut Scipionem eo itinere excluderet. Et adfuit ille, ne fidiſſimum partibus oppidum per ſummum dedecus indefenſum relinqueret: ac declinata quam videbat obſeſſam via, ſupra ſtagnum ad mare verſus caſtra munire cœpit.

XXXV. Ea re cognita Cæſar, cum pleraque parte exercitus eo contendit: *partem* etiam *claſſis ad littus accedere* jubet, *& hoſtibus à tergo terrorem incutere.* At Scipio parte militum ad opus relicta, cæteras copias pro vallo inſtruxit, elephantoſque diſpoſuit in cornibus. Quum valde cuperet confligere Cæſar, impetu militum victum eſt ejus deſiderium, qui retenti revocatique (tantus ardor inceſſerat) coëgerunt tamen tubicinem claſſicum canere, & fruſtra obſiſtentibus centurionibus in hoſtem irruerunt. Et Cæſar ſequutus impetum, ſigno Felicitatis dato, equum admiſit, ut more ſuo princeps eieret pugnam. Inde octa pugna. Florus. 4. a 66. Auct. de bello Afric.

XXXVI. Interim elephanti rudes & nuper à ſylva, fundarum lapidumque ſtridore avertuntur, proterunt ſuos, & in ſemifactas valli portas incidendo infirmum adhuc opus proruunt. In eo prœlio admirabilis exſtitit virtus eujuſdam ex legione quinta veterani, qui viſo elephanto in oppreſſum lixam ſæviente, ultro petiit belluam, & in altum ab ea ſublatus ferire proboſcidē, qua erat circumdatus, non deſtitit, donec dolorem non ferens elephantus, abjecto eo ſe daret in curſum, fugientelque reliquos conſequeretur. Inde poſtea quintæ legionis elephanti fuerunt inſignia. Hinc magna cædes & in campo Scipionis militum fuit: & ad vallum hoſtium, quo poſt acre prœlium potitæ ſunt Cæſaris legiones. Inter hæc qui præſidio Thapſenſibus erant, ſive confirmandorum ſuorum cauſſa, ſive fugiendi conſilio, fine inguinum ingreſſi mare, terram petebant: ſed à calonibus Cæſaris clamore jactuque pilorum atque lapidum deterriti in oppidum ſe receperunt. cipio vincitur. Florus. Bio. Auct. de bello Afric. Appian. lib: 2. Civil.

XXXVII. Reliquiæ victi exercitus ad priora caſtra, unde nuper egreſſi fuerant, refugerunt, ſed ibi neque præſidium ultra, neque dux erat, cujus auctoritate regerentur: & quum in Regia caſtra profugerent, illa quoque jam à Julianis occupata repererunt. quippe fortuna & impetu victoriæ Cæſarianus, & hæc caſtra fugiente Juba, & Afranio, qui ſeorſim tetenderat, exterrito, tertia quoque quaſi momento ceperat. Cæſar trinis caſtris potitur. Plutarch. Cæſar. Eutropius. Auct. de bello Afric.

XXXVIII. Tum ergo Scipionis milites deſperata ſalute, Julianos conſalutant, Cæſarique implorant fidem. nec eo minus à veteranis ira & dolore efferatis conciduntur. Quin & in Cæſaris exercitu quidam illuſtres à militibus interfecti ſunt; ob tantam rem geſtam cujuslibet delicti ſibi pollicentibus impunitatem. inter quos & Tullius Rufus Quæſtorius pilo tranſjectus eſt: & Pompejus Rufus vulnere in brachium accepto, niſi celeriter confugiſſet ad Cæſarem, eſſet occiſus. Hæc tanta licentia, & quod ante Cæſaris imperium ſigna cecinerunt, fidem faciunt narrantibus inter inſtruendam aciem comitiali morbo, quo frequenter ſolebat laborare, correptum, dum pugnatur, in turri quadam propinqua quieviſſe. Ejus morbus comitialis. Plutarch. Cæſar. Sueton. Cæſar. Appianus.

XXXIX. Ideireo victæ quoque partes *victoriam Cæſaris non militum ſuorum ignaviæ, nam eos quidem pugnaviſſe fortiter, ſed partim ducum imperitiæ, partim fortunæ Cæſaris* tranſcripſerunt; *quod tam facile victus erat exercitus octoginta millium armatorum, jam à multo tempore adſuetus operibus bellicis, & ex prima pugna magnam adeptus ſpem victoriæ.* Ingentem profecto fuiſſe Cæſaris felicitatem, utro modo geſta res eſt, eventus docuit, quum hoſtium cæſis milli- Ejuſdem ingens felicitas. Plutarch. Oroſius. 6. 16. Auct. de bello Afric.

bus quinquaginta, capris ſexaginta elephantis, vix quinquaginta milites amiſerit.

Catonis acta Uticæ. Zonar. Auct. de bello Afric. Strab. lib. 17. Plutarch. Catone c. 76.

XL. Pugna feliciter confecta Cæſar relicto ad Thapſum C. Rebilo proconſule, ad Tiſdrum Cn. Domitio, illo cum tribus, hoc cum duabus legionibus, Uticam præire M. Meſſallam jubet, ipſe cum equitatu ſubſequitur. Interea Scipionis equites, qui ex prœlio fugerant, Paradam oppidum, ubi non recipiebantur, expugnant, incolas omnes, cum rebus eorum atque facultatibus, in medio foro comburunt vivos: deinde Uticam proficiſcuntur. Uticæ, ſicut prædiximus, Cato curabat, is tertio poſt pugnam die nuncio cladis accepto, convocavit in templum Jovis trecentos ex negociatoribus, cives Romanos, qui Scipioni pecuniam ad bellum dederant, unaque Senatores Romanos qui aderant, & Senatorum filios.

Oratio ad ſuos.

XLI. Ubi comparuerunt, exorſus Cato, *Fortuna*, inquit, *novum aperuit nobis oſtendendæ virtutis atque conſtantiæ theatrum. Victi ſunt exercitus ducesque noſtri, atque omnis reſidua ſpes ſalutis ac libertatis in nos recumbit. Sane quum magnitudinem cladis conſidero, tanta eſt, ut quorumlibet non firmiſſimorum animi terreri ea atque domari queant; quum in vos reſpicio, cives, quum alacritatem fidemque veſtram expendo, quæ neque pecuniis neque corporibus vos parcere ſivit, dum Reipublicæ conſuleretis; eos eſſe exiſtimo, qui cenſeri debeant cuilibet Fortunæ pares. Sed neque præcipere vobis quidquam eſt animus; neque reformidantibus pericula neceſſitatem ſuſcipiendorum imponere.*

Hortantis ad concordiam.

XLII. *Unum monere res & benevolentia mea imperat, ut eodem conſilio, qualecumque tandem illud probatum fuerit, utamini. Diſtracti ſententiis & fuga ſingulis etiam opportuni ad quamlibet injuriam eritis; junctos & unanimes neque ſpernet hoſtes Cæſar, neque ſupplices averſabitur. Ite igitur, & utra videatur eſſe ratio potior, liberrima conſultatione diſquirite. neque meos ſenſus revereatur quiſquam. Fortunam ſequentes neceſſitati hoc dare arbitrabor: obfirmantes animum, ut dignum tali exemplo erit, & admirabor, & laudabo, & huiuſcemodi me viris ducem atque commilitonem adjungam in omnes caſus. Neque vero conatibus conſiliiſque Thapſum aut Adrumetum aut hanc Uticam ſtatuimus terminos. Roma cogitanda nobis eſt, communis omnium patria, caput rerum, & Imperii ſedes.*

Urbis Romanæ fata prædicentis. Cic. Oratore cap. 33.

XLIII. *Neque vero credibile eſt, huic omnium late populorum conceſſiſſe imperium deos, ut ipſam alieno ſubjicerent arbitrio. nobilius Urbi fatum eſt, ideoque multis ſæpe fluctibus agitata rurſus emerſit, tyrannoſque ſuos aut virtute ſua excuſſit, aut felicitate evaſit. Cinna quidem à ſuis ille militibus interfectus eſt. Marius atque Sulla acerbiore fato perierunt, quam qui à crudeliſſimis hoſtibus cum exquiſito cruciatu necantur. Neque fruſtra celebratum eſt M. Druſi dictum, qui pater Tribuni fuit: ſacram eſſe Rempublicam, eique pœnas eſſe perſolutas ab omnibus, qui violare illam ſuſtinuiſſent.*

Et aliis etiam argumentis ſpem inficientis bonam. Plutarch.

XLIV. *Igitur bonitate cauſæ deorumque juſtitia fretis, ad hæc Romanæ Reipublicæ fortuna, nihil præterea requirendum videatur. Sed tamen & alia ſuperſunt, ob quæ latum rei exitum deſperare nemo debeat. Quanti enim eſſe creditis, quod nos uni huic negotio intenti erimus, hoſti plus etiam reſpiciendum eſt? Hiſpaniam Cn. Pompeius commovit: Roma ipſa jugi impatiens nondum didicit perferre ſervitutem. Sed nec extenuare pericula moris mei eſt, quæ non ignoranda, ſed contemnenda viris fortibus arbitror. Exemplum vel ab hoſte petite. quantos ille labores exhauſit, quanta adiit diſcrimina, ut vinceret eos, quibuſcum ei fuit contentio.*

Uticenſium & Romapo. rum iras temperat Cato.

XLV. *Qua tandem ille ſpe aut quo pretio? non alio certe, quam tyrannidis, quæ neque tutior eſt omnibus illis periculis per quæ paratur; & ſi contingat vel quietiſſima, nulla non calamitate eſt miſerior. At nobis queis omne conſilium in eo eſt, non ut injuriam faciamus cuiquam, ſed ut Rempublicam defendamus, neutra ſors cadere infeliciter poteſt. Nam aut victoribus in libertate & legitimis honoribus fortunata vita per virtutem tranſigetur: aut vi ſuperatis calamitatum finem mors adferet, non extinguet fructum virtutis gloriam. Sed de iſtis quidem inter vos deliberabitis, orantes ſupremum numen, uti vobis pro veteri virtute atque fide veſtra animos conſiliumque duit.*

Poſtremo comparantis ſuam & Cæſaris fortunæ conditionem.

XLVI. Accenſi hac oratione plerique, velut obliti præſentium, bellicâ conſilia agitabant: & erant quibus *ſervitia liberanda in uſum militiæ* viderentur. Id recuſavit Cato, negavitque *ſuſcepturum niſi præbitos à volentibus*. quum multi pollicerentur, *nomina dare quibus videretur* juſſit, utque hoc liberius facerent, conſilio exceſſit. Non diu poſtea literæ ei Scipionis atque Jubæ traduntur, diverſis ex locis, argumento eodem. Rex in monte quodam cum paucis abditus, Scipio ſub promontorio haud procul Utica ſtans ad anchoras, *quid conſilii Catoni eſſet* ſciſcitabantur: *ad ſe venturum recepturi, aut ſi ferre obſidionem decreviſſet, ſuppetias laturi, quibuſcum poſſent copiis.*

Literæ Scipionis & Jubæ ad Catonem.

XLVII. Cato retentis pauliſper tabellariis, quum ſe digreſſo refrixiſſe trecentorum ardorem cognoſceret, hoc ipſum nunciavit, *Utica* jubens *abſtinere, ſibique conſulere: ſe quidquid per præſentes difficultates poſſet, fide ſua facturum.* Interim & ab equitibus præfecti tres adfuerunt, totidem adferentes conſilia. *Iubam* alii *ducem*, alii *Catonem* optabant: quidam Uticenſibus diffiſi, quod ob beneficium legis Iuliæ favere Cæſari credebantur, oppido ſe includere renuebant. Cato cum præfectis agere cepit, *perſuaderent equitibus, uti valere juſſo Iuba, Catoni ſe committerent Romano duci, atque Uticam ingrederentur, munitionibus tutam, & proviſis in multos annos commeatibus.* Idem etiam Senatores cum fletu & precibus poſtulabant.

Equitum legatio ad eumdem. Auctor. de bello Afric. cap. 60. 88. Plutarch.

XLVIII. Interea M. Rubrius, quem ad trecentos miſerat Cato, rediit iratus, & multa de *perfidia hominum & inconſtantia* querens. Redierunt & præfecti equitum cum ferocibus mandatis, *nullam ſibi ſocietatem cum levibus & Punica perfidia infectis fore. proinde qui ſua opera uti cupiat, ejectis aut interfectis Uticenſibus in vacuum oppidum ſe accipiat.* Longiſſime hæc abibant à mente & moribus Catonis: itaque leni reſponſo dimiſit præfectos, *cum trecentis deliberaturum.* At illi palam & audacius negabant *contra Cæſarem bellaturos:* & à quibuſdam fiebat Senatorum mentio, *comprehendi eos & Cæſari dedi oportere, quo in reliquos fieret mitior.*

Eorumdem odium in Uticenſes.

XLIX. Idcirco dimittendos ex tanto periculo videns, abeuntes jam equites conſequutus, oravit, *ut vel unam adhuc diem manerent, tutamque præſtarent tot Romanis Senatoribus fugam.* Perſuaſi ſunt à Catone equites, & partim in portis oppidi, partim in arce cuſtodiæ cauſſa collocati, metum fecerunt trecentis, ne inconſtantiæ ſuæ pœnæ repoſcerentur. Idcirco miſerunt ad Catonem, oratum, *ad ſe veniret.* Ille delinitis ſermone Senatoribus, qui circumfuſi negabant *ſervatorem ſuum miſſuros in proditorum poteſtatem*, ſolus ad eos profe[c]ſcit. Illi *veniam* petierunt, *quod æmulari Catonianam conſtantiam nequi-*

Trecentorum Uticenſium cum Catone colloquium. Diod. lib. 43. Plutarch. Catone. Appianus. lib. 2. Civil.

rent; agnoscere se quod proavum ipsius fama esset dicere solitum, non posse omnes esse Catones. sibi in animo esse, legatos mittendi ad Cæsarem, & ante omnia Catonis incolumitatem stipulandi; nec nisi hac impetrata arma posituros.

M. Octavii nuncium ad Catonem, Auct. de bello Afric. Dio.

L. Adea subridens ille negavit *sibi esse deprecatoribus opus, idque Cæsarem ipsum scire planissime. sibi vero si consulant, se minime invito facturos.* Inter hæc audito *venire cum omnibus copiis Cæsarem, vah!* inquit, *tamquam adversum viros!* jussisque *maturare* Senatoribus, *donec haberent equitum præsidium*, portas oppidi clausit, una excepta maritima, per quam emittebat discedentes, naves tribuebat, tumultus sedabat, viaticum dabat egentibus. Hæc agentem convenerunt à M. Octavio missi, *cum duabus legionibus haud procul Uticæ consedisse* nunciantes, *atque petere à Catone, ut secum statueret, quatenus imperium utriusvis esse deberet.*

Prædam Uticenses equitibus extorquet Cato. Auct. de bello Afric. Plutarch.

LI. Nihil his respondit. Sed conversus ad amicos, *Et miramur*, inquit, *quomodo victi simus; quos ne in extremis quidem deserit ambitio?* Simul properavit ad equites, qui *castra*, quæ fecerat ante oppidum Cato, eoque commigrare plebem Uticensium cœgerat, *oppugnasse* dicebantur; *& inde repulsi irrupisse in oppidum, multisque interfectis dispersse domos.* Ut igitur hos averteret à rapinis & cædibus, singulis sestertios centum dedit. Idem fecit & Faustus Sullæ filius, dataque pecunia cum his profectus est. Prædam tamen Uticensium repetit à discedentibus Cato, incitato cursu adsequutus, & quum auctoritate viri permoti primi ordines ablata restituissent, cæteri quoque projecerunt rapta, muti præ pudore, & dejectis in humum oculis.

Filio dat præcepta. Dio. Appian. Plutarch. Auct. de bello Afric.

LII. Tum Cato reversus in urbem oravit Uticenses, *ne trecentis iratis esset, sed communiter deprecarentur Cæsarem.* hæc fatus administrationis rationes & reliqua reddidit: obsignavitque pecuniam. Mox profectus ad mare, postremum salutavit abeuntes. duobus persuadere non potuit, ut à se discederent filio suo, & Statilio cuidam. Statilius ad imitationem Catonis pectus obfirmaverat. filius *proficisci ad Cæsarem* jussus, interrogavit patrem, *Quin igitur idem & ipse faceret, si faciendum esse judicaret?* At ille, *dispar est utriusque nostrum ratio, fili. me natum atque educatum in libertate, concessum à diis immortalibus donum prodere nefas: tu deteriore Republica genitus, non debes recusare conditionem temporum, in quæ incidisti.* monuit tamen, *ne capessere Rempublicam vellet. neque enim nunc eam administrari, ut dignum esset Catoniano nomine posse: secus autem fieri turpe esse.*

Ejus ultima cœna.

LIII. Commendavit deinde eum L. Cæsari, quo usus pro quæstore fuerat. petentemque Lucium adjuvit in oratione componenda, qua Cæsarem exoraret: quum *pro se quemquam rogare quidquam* districtissime vetaret. Tantum solicitudinis laborisque & tædii vir iste sumendum putavit, ut aliis prodesset, dudum projecta vivendi cupiditate, & certa destinatione conficiendæ necis. Ut tamen consilium tegeret, corporis curam adhibuit, lotusque cænavit cum amicis & magistratibus Uticæ sedens, nam accubare post Pharialicam pugnam desierat. Productæ quin etiam poculis & sermonibus sunt epulæ, multisque de rebus erudita & jucunda confabulatio fuit: donec prolapsus ad decretum illud Stoicorum Caro, *solum bonum virum esse liberum*, cum opponente se Demetrio peripateticæ sectæ philosopho tanta contentio-

Infert ſibi manus Cato.

ne vocis vultuſque diſputavit; ut facile propoſitum ejus adverteretur.

LIV Unde quum mæſtos ſedere convivas videret, revolutus ad alios ſermones eximere ſuſpicionem conatus eſt. deambulavit etiam à cœna, præfectiſque vigiliarum imperavit, quæ videbantur agenda, ſed cubitum iturus arctius diutiuſque in complexu filii & cæterorum hæſit. inde novus illis timor: enſemque ſupra cubile pendere ſolitum amoverunt. Cato cum libro Platonis qui Phædon inſcribitur, cubiculum ingreſſus, interrogat ſervum, *quis gladium abſtuliſſet?* Amici gladiũ amovent.

LV. Illo tacente lectionem continuat: paulo poſt iterum requirit enſem, nec adlato, librum perlegit. Tum ſingulos advocans ſervos, enſemque flagitans acriter, unum etiam percuſſit pugno, manumque cruentavit. Poſtremo filium & amicos adeurrentes increpavit alperius, *ſibi nec deeſſe rationem moriendi ſi vellet, amoto gladio* dictitans: *neque vero putare ita excidiſſe mente, ut reciderit in filii tutelam.* Illi luctu atque mœrore propemodum exanimati jubent adferri gladium; quem ubi eduxit atque conſideravit Cato, repoſuit iterum, denuoque librum à capite ad calcem relegit ad lucernam: deinde ſecurus obdormiit, ut ſtertentem perciperent, qui excubabant pro foribus. Sed illo acriter expoſtulante reddunt. Appianus. Plutarch. Florus. 4. 2. 71.

LVI. Sub mediam noctem Butam quemdam accitum ad mate miſit viſum, *anne jam ſolviſſent omnes.* & medico præbuit obligandam manum, quæ ex ictu intumuerat. Id ſpem fecit reliquis, vivere eum conſtitiſſe. Sed falſi ſunt. quum enim reverſus Buta *ſolviſſe omnes* renunciaſſet, *excepto Craſſo, & vehementem ventum incubuiſſe mari;* ſorte fugientium indoluit; remiſitque eumdem, *ut ſi quis forte alicujus opis indigus remanſiſſet, id ad ſe referretur.* Ubi ille *altum in portu ſilentium eſſe* nunciavit, janua claudi juſſa, tamquam dormiturus in lectulum ſe repoſuit. Cato ſibi manus infert. Dio. Plutarch.

LVII. Sed ſtatim arreptum mucronem infixit corpori: neque exanimatus, quia manus inflammata fuerat ad feriendum infirmior, decidit cubili, ſtrepituque edito excivit ſolicitudinem ſuorum. Irrumpunt in cubiculum filius & cum Demetrio Stoicus Apollonides. medicus inteſtina videns illæſa reponere in ventrem atque conſuere vulnus cœpit. ille paſſus donec diſcederent, manum injecit vulneri, dilaniatoque & ſparſis inteſtinis qua ceperat via, ſervitute exivit. Deceſſit Cato anno ætatis unde quinquageſimo. Magni utique vir invictique animi, & indomitæ nec licentiolæ libertatis. ſed legum & æqui obſervantiſſimus. cujus etiam laudandus exitus foret, ſi cuiquam ullo caſu vitæ neceſſque ſuæ poteſtatem concediſſet DEUS. nunc in re vetita ſaltem hanc abſtulerit præ aliis ſimilibus commendationem, ut ex toto deſperatorum agmine nemo videatur inſaniſſe ſpecioſius. Vix laudando exitu. Liv. Epitom. Plutarch. Florus. Appianus. Dio.

LVIII. Sed neque in vita ejus quidquam rectius carpitur, quam quod uxorem Marciam velut uſurariam conceſſit Q. Hortenſio, quum tres ei liberos peperiſſet, atque eo quoque tempore geſtaret uterum. Id ejus factum quamquam Philippo Marciæ patri probatum, & exemplo Socratis atque veteri Romanorum conſuetudine defenſum non immerito reprehendit Cæſar, fallam tamen cauſſam hoſtiliter adfingens, *uxorem juvenculam ideo dediſſe utendam Hortenſio, ut pro paupere divitem reciperet.* Nam hæres inſtituta ab Hortenſio, poſt illius fata domum Catonis redierat. Palam facta morte Catonis Uticenſes, licet ob partium ſtudium oderant, tamen propter ſingularem integritatem, ſervatamque haud Ab Uticenſibus publice ſepelitur. Appianus. Lucan. 5. 2. Dio. Strab. lib. 11. Dio.

ſemel Uticam, & magnis operibus permunitam, publice ſepeliverunt, cum multis magnis laudibus omnium: ne metu quidem impediente officium, quod jam haud procul copiæ Cæſaris aberant.

Cæſaris diſtū audita morte Catonis. Plutarch. Auct. de bello Afric. Appianus. Dio. Agel. 13. 18.

LIX. Tumulus ei mediocris poſitus eſt juxta mare, cum ſtatua ejus, gladium tenente. Ipſe ab hoc eventu cognomine *Uticenſis* à paris conſtantiæ gloriæque proavo diſtinguitur. Poſt mortem Catonis L. Cæſar in concione populi Uticenſis ſuadet *ut portæ aperiantur, ſe profecturum ad Cæſarem Imperatorem, cujus in clementia ſpem magnam habeat*. Interim Cæſar cognito Catonem, dimiſſis cæteris Uticæ cum filio ſubſtitiſſe, non expediebat conſilium viri. dein audita ejus morte dixiſſe dicitur, *invideo tibi mortem hanc Cato, quando tu mihi ſervati mei famam invidiſti*.

Cæſar Utica recepta victis ignoſcit. Cic. Attic. 13. 48. Auct. de bello Afric. Plutarch. Dio.

LX. Tulit tamen civiliter poſtea celebrari à Cicerone Catonem, libro qui *laus M. Catonis* inſcribitur. neque aliud, niſi tamquam apud judices reſpondit, duobus editis Anticatonibus. Receptis interim obiter Uſceta & Adrumeto urbibus, vitaque C. Ligario & C. Conſidio filio conceſſa Uticam pergit, quæ jam à Meſſalla cuſtodiis ad portas oppoſitis tenebatur. Obvius ibi L. Cæſar ſe demiſit ad victoris genua, vitamque dumtaxat deprecatus, in præſentia quidem obtinuit: eademque venia Cæcinæ, C. Atejo, P. Attio, L. Cellæ patri & filio, M. Eppio, M. Aquinio, Catoniſque & Damaſippi liberis data: itemque Statilio, qui Catonis exitum imitaturus à Philoſophis prohibitus fuerat.

Juba à Zamenſibus exclusus. Vitruv. 8. 4. Dio. Auct. de bello Afric.

LXI. Uticenſibus pro ſtudio erga ſe gratias egit, trecentos gravi & longa oratione inculcatos, *bis millies ſeſtertio* multavit, *quam ſummam ex penſionibus populo Romano per triennium pendcrent*. Conditionem omnes læti acceperunt (nam de ſalute ſua putarant actum eſſe) *ſeque illo demum die natos eſſe* prædicantes. Interim Juba cum Petrejo Zamam fuga pervenit, quam duplici muro circumdato muniverat, Regiamque ſibi habuerat. Sed quia & ipſe victus, & Sabura cum ſuis copiis deletus à P. Sitio fuerat, contemptus eſt à ſuis excluſuſque.

Cum Petreio mutuis vulneribus concurrit. Florus. Auct. de bello Afric. Liv. Epitom. Dio.

LXII. Nec caret defenſione Zamenſium perfidia: quod in medio foro pyram Juba conſtruxerat, hoc propoſito, ut in ultima deſperatione civibus interfectis omnibus, rebuſque pretioſis in rogum conjectis, ibi cum uxoribus liberiſque cremaretur. Igitur neque minis quidquam proficientibus, neque precibus; nam & preces adhibere docuerat neceſſitas, ne liberis quidem conjugibuſque impetratis, in villam ſuam diſcedit: deinde ſimiles expertus omnium civitatum animos, poſt magnificas epulas ferro cum Petreio concurrit, ut per virtutem interfecti viderentur. Petrejus valentior facile confecit Jubam, ipſe ſervi ſui manu invenit necem. Dum hæc aguntur, Cæſaris fortuna trahente omnia, Conſidius è Tiſdritano oppido cui præerat, cum Gætulis paucis in Regnum profectus, à comitibus ſuis, qui ſuccinctum pecunia ſenſerant, interficitur: C. Virgilius Caninio Rebilo proconſule, à quo Thapſi obſidebatur, ſe dedit.

Afranius. Faustus, Petreius filius occidantur. Appianus. Liv. Epitom. Orosius. 6. 16. Autor. de bello Afric. Dio. Cicero Cæſar.

LXIII. P. Sitius qui plurimum eo bello Cæſari contulerat, vix leviter notus antea, dum per Mauritaniam ad imperatorem proficiſcitur, in Fauſtum & Aframium incidit, qui eum equitibus Scipionis Utica diſceſſerant. is reliquos partim cædit, partim accipit in deditionem, Aframium & Fauſtum cum conjuge & liberis capit vivos. Uxori Fauſti, quæ eadem Pompeii erat filia, duobuſque liberis ejus Cæſar incolumitatem ſuaque omnia conceſſit, & ad fratrem proficiſci paſſus eſt.

Afranius & Fauſtus, tamquam temere orta in exercitu ſeditione, unaque Petrejus filius, interficiuntur. Sed Cæſaris juſſu factum non dubitatur, cuius etiam inter artes referunt, quod inviſos ſibi, per milites clam curaverit occidendos, ne clementiæ ſimulationem omitteret.

LXIV. *Sic & Tullium Rufum alioſque inter prælium cum Scipione periſſe: Sic L. Cæſarem, quamquam receptum in gratiam, per inſidias interfectum. Quippe judicii ſpecie, quod libertos ſervoſque Cæſaris ferro & igni crudeliter enecuiſſe, beſtias quoque ad ſpectaculum venationis comparatas trucidaſſe dicebatur, militum obieciſſe ferociæ, à quibus quaſi per iram interficeretur.* Afranium certe & Fauſtum imperio Cæſaris occiſos neque dubium eſt apud auctores pleroſque; neque adeo mirum, quia ſe nec impetrata venia dimiſſi, denuo ad oppugnandum eum ſe converterant; cui generi hominum haud ſine cauſſa erat infenſiſſimus. Servavit tamen hic quoque inſtitutum ſuum, ut amicorum atque familiarium deprecationi condonaret ſingulos. & Octavius quidem adoleſcens, qui poſtea Auguſtus appellatus eſt, pro Agrippæ ſui fratre, qui eodem bello apud M. Catonem fuerat, avunculum exoravit.

Scipio & alii clari viri capiuntur. Florus 4. 2. 9. Eutropius. Zonar. Pio. Sueton. Nicol. Damaſ. de inſtitut. Auguſt. Oroſius. Auct. de bello Afric. Appianus. Val. Max.

LXV. Sed Scipio & T. Torquatus, unaque Damaſippus & Plætorius Ruſtianus, cum duodecim navibus apertis multum diuque jactati, quum Hiſpaniam peterent, adverſis ventis in Africam relati, apud Hipponem Regium à claſſe P. Sitii excipiuntur. Ibi Scipio, quum animadverteret navim, qua vehebatur, ab hoſtibus capi, gladio ſe tranſverberat, & quærentibus qui interea irruperant, *ubi imperator eſſet? Imperator*, inquit, *bene ſe habet*. Eodem tempore cæteri quoque à Sitianis militibus interimuntur. quibus ob navatam eo bello operam quum alia præmia dedit Cæſar, tum Cirtam olim Regum domum, quam ceperant habitandam conceſſit: unde *colonia Sitianorum* appellata. Ipſe interim Zamæ pecunias cogit, cives Romanos, qui contra ſe pugnaverant, mulctat: provinciaque ex Regno facta, Q. Salluſtium Crifpum proconſule præficit, qui *tam avide* dicitur *expilaſſe provinciam, ut hoc ei ſuſpectum injunctum à Cæſare quidam crediderint*: alii *pactum cum eo magna pecunia* ſcripſerunt, *ne cauſſam diceret*. Deinde regreſſus Uticam bona eorum, qui ſub Scipione duxerant ordines, vendidit. Thapſitanos Adrumetanoſque pecunia, Leptitanos triciès centenis millibus pondo olei in annos ſingulos, Tiſdritanos certo frumenti modo mulctat.

Salluſtius Numidiæ præficitur. Senec. Epiſt. 21. 11. Flor. 4. 2. 68. Liv. Epitom. Auct. de bello Afric. Mela. 1. 6. Plin. 5. 3. Appianus. Dio.

LXVI. Inter hæc rem ſummæ manſuetudinis, ſed & prudentiæ facit, cremandis quæ reperta in ſcrinio Scipionis erant variorum epiſtolis: ſicut & apud Pharſaliam antea, & olim Pompeius debellato Sertorio ſumma cum admiratione hominum atque laude fecerat. Ita multorum, qui contra ipſum ſenſerant, opprimere crimina, quam exſequi malebat: ne quos mutata Fortuna animum mutaturos eſſe ſciebat, permanere in odio & inimicitiis vel nolentes cogeret. Tantis rebus tam celeriter confectis, Idibus Juniis Uticæ conſcendit, & in Sardiniam trajectus, Sulcitanis qui Naſidium claſſemque ejus receperant, imperat pecuniam: mox ſolvens à Caralis ante diem III. Kal. Quintil. quia propter tempeſtates ſubinde hærendū in portubus fuerat, duodetrigeſimo die Romam venit. Ibi cognoſcit in Gallia quoque per abſentiam ſuam à D. Junio Bruto legato rem fortiter feliciterque geſtam, victoſque prælio Bellovacos, qui cum vicinis aliquot populis rebellaverant.

Epiſtolas adverſariorum non lectas cremat. Auctor. de bello Afric. Dio. lib. 7. 25. Liv. Epitom.

FINIS LIBRI CXIV.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CÆSAR quatuor triumphos duxit; ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, ex Africa. Epulum, & omnis generis ſpectacula dedit. M. Marcello conſulari, Senatu rogante, reditum conceſſit. Qui Marcellus beneficio ejus frui non potuit; à Cn. Magio Cilone cliente ſuo Athenis occiſus. Recenſum egit, quo cenſa ſunt civium capita centum quinquaginta millia. Profectuſque in Hiſpaniam adverſus Cn. Pompejum, multis utrimque expeditionibus factis, & aliquot urbibus expugnatis, ſummam victoriam cum magno diſcrimine ad Mundam urbem conſecutus eſt. Pompejus Sextus effugit.

Honores Cæſari decreti. Dio. Appianus: Sueton Cæſar. c. 70. 7. 6. Florus. 4. 2. 91.

REVERSUS in Urbem Cæſar, ut omnia ſuis armis ceſſiſſe oſtenderet, ſimul admiratione virtutis & metu potentiæ cives ſuos recipere ſervitutem & pati doceret; quatuor ſimul Triumphos adparavit. Neque vero Senatus contanter ſubibat jugum, jamque ultro plura prope quam poſtulare Cæſar voluiſſet, decreverat: *ſupplicationes dierum quadraginta, equos albos in Triumphis, & lictores quos & tum haberet, quoſque in prima & ſecunda Dictatura habuiſſet. Præfectum quoque morum*, novo nomine reperto, quaſi vetus illud *Cenſoris* uſu viluiſſet, *eſſe* juſſerunt *in decennium. utque ſuggeſtus fieret in Curia; uti Conſulibus, qui quoque tempore eſſent, in ſella curuli adſideret, primuſque ſententiam diceret: ludis Circenſibus omnibus mappam mitteret: magiſtratus à populo declaratos renunciaret: utque currus ſtatueretur in Capitolio, adverſum Jovem ſpectans: utque ſimulachrum ejus eodem loco poneretur, orbem terrarum calcans, in baſi inſcriberetur: CÆSARI. HEMITHEO. utque deleto Catuli nomine, inſtaurator Capitolii Cæſar ſcriberetur.*

Ejus oratio in Senatu. Tacit. Hiſt. 3. 76. 6. Dio.

II. Neque hic ſtetit adulantium humilitas: multaque decreta ſunt tam ſerviliter ut ipſi quoque nimia viderentur. Sed quæ memoravimus recepit. Catuli tamen nomen, dum pudore delere conatur, in Capitolii dedicatione manſit. Sed honores tam prodige decretos ſibi plurium metu quam benevolentia ſentiens Cæſar, ad conciliandos firmius animos, in Senatu verba in hunc modum fecit. *Utinam mortalibus hunc animum dii dediſſent, ut à mutuis injuriis temperantes, amicitiam pacemque colerent: neque bella geri, etiam, quod triſtiſſimum eſt, civilia neceſſum foret, neque ex bellis deinceps aut cruenta odia, aut occultæ ſuſpiciones timerentur.*

Bellum geſtum excuſat.

III. *Sed quando contra potentiam & improbitatem paucorum defendi Rempublicam oportuit, armiſque vindicari, quod amicitiæ jurique denegatum fuerat;*

in

Egregia Cæſaris promiſſa.

in eam neceſſitatem incidi, ut aut mihi cadendum cum libertate fuerit, aut ii proſternendi, qui nos perditos deletoſque cupiebant. Et Fortuna quidem juſtiori adfuit cauſsæ, multorumque prœliorum eventu declaravit, nondum abjeciſse curam Romanæ rei deos. atque hoc etiam ſubinde apparebit clarius, quum facta conſultaque mea dies aperiet, magniſque documentis palam fiet, qualem ei dederint animum, cui daturi victoriam belli arbitriumque pacis fuerant.

Clementiam pollicetur.

IV. *Nolim enim veſtrûm quemquam ita maligne de me judicare, Patres conſcripti, ut aliorum exempla, quam meos mores ſequuturum putet: neque ſi mihi victoria contulit, ut poſsem quæ cupiam facere, aliud facturum credatis quam oporteat. Si Marium, & Cinnam, & Sullam, quorum naturam periculum texerat, nudaverunt victoriæ; non ideo me his ſimilem fore exiſtimaveritis; cujus moderationem, ne recenſendo ſingula me laudare videar, non mutarunt tot proſpera, ſed probaverunt. Enim vero neque erga Fortunam irreverenter me geram, aut indignationem excitabo deorum, quos ferme non ulterius beneficia ſua ſarta tecta præſtare cognovi, quam donec homines bis modeſte atque ſapienter utuntur.*

Eumque ſibi fuiſſe animum ait ab initio.

V. *Neque vero ab initio belli aliud mihi propoſitum armorum præmium fuit, quam ut vitta invidia atque inſolentia, virtutem explicarem meam tuto, & ex augenda utilitate publica gloriam adquirerem. Quos igitur in aliis reprehendi atque perſequutus ſum mores, iis abſit, ut me cupiam dedere, ſimilemque bis oſtendere, quos ſuperavi. Ego vero potius ipſa fortuna mea incitor, ut niſi olim ſumma mihi voluntas fuiſſet omnia rite atque ordine adminiſtrandi, vel inde majorem ſumpturus impetum fuerim. Quem enim potius benefacere multis verum eſt, quam penes quem earum rerum maxima eſt facultas? cui vero minus aut conceſsum eſt peccare, aut neceſſarium?*

Et creviſſe cum fortuna.

VI. *Deorum autem beneficia à quo æſtimari rectius poſsunt, quam ab eo cui illi ſumma omnia contulerunt? Quis majorem concordiæ pacisque publicæ aget curam, quam cujus eam ſervari maxime intereſt? Is igitur & animo imperabit plurimum, & potentia temperanter utetur; queis ſine contineri magnam felicitatem diu non poſse nemo dubitat. Quid ſi ad hæc accedat ſtudium gloriæ, qua una in re me fateor eſse intemperantiorem? An non qui & diligi à præſentibus, & laudari à poſteris volet, operam dabit, ut iis factis moribuſque ſtudeat, per quæ iſta tam pulchra atque deſiderabilia quam certiſſime & comparantur & retinentur?*

Provocat ad experientiam.

VII. *Neque hæc à me fingi fidem vobis præterita non minus quam præſentia facient. Nihil loquutus ſum, quod non præ me tulerim perpetuo: & ſi potentia mutaſset animum, nunc maxime tempus erat declarandæ voluntatis; poſtquam deletis non partibus modo, ſed etiam reliquiis partium, ſoſpes incolumiſque & victoriæ compos redii. Sed prius omnia in me gravia atque acerba expetant, quam hunc induam animum, ut tyrannus patriæ & civium, quam rector atque princeps audire malim. Conſulatus & Dictaturæ quas dediſtis, ad ſalutem hominum, non ad perniciem valere volo. Hujus deſtinationis ſpondere fidem perpetua mea conſuetudo debet.*

Hortatur ad benevolentiam mutuam.

VIII. *Quî enim credere poteritis periculum à me cuiquam innocenti fore, quem ſcitis veniam dediſſe ſemper à quibus infeſtiſſime fueram oppugnatus: nonnullis &*

iterato? aut quomodo indulgebit ſuſpicionibus, qui repertas apud Pompejum, apud Scipionem literas introſpicere noluit: & in ignem conjecit, ut quos à pœna jam abſolverat, etiam à metu omni liberaret? Igitur poſita ſemel cura, & præteritorum obliterata memoria, tamquam recens in ejuſdem Reipublicæ ſocietatem veniſſemus, benevolos amicoſque adferamus animos, ut & vos meorum laborum fructum percipiatis, paternam vobis veſtris adhibituri curam & ego veſtra proſperitate, tamquam boni parentes liberorum ſecundis rebus gaudeam.

Et miles ſuos timeri vetat.

IX. *Sane nihil tam in votis habeo, quam uti omnes à delictis temperando, lenitatem meam ſibi propriam atque perpetuam eſſe patiantur: ſi tamen aliquid forte peccatum erit, homines nos eſſe meminero. Et Virtuti quidem retribuere factis ſemper erunt apud me parata præmia: errantes, quam manſuetiſſime poterit, ad officium revocabuntur. Neque milites meos timueritis. communes mihi atque vobis Imperii cuſtodes ſunt. alendique multas ob cauſas neceſſario; ſed neque contra vos alentur, & contenti his quæ dederitis, amare diſcent eos à quibus accipient. Sane pecuniæ plus ſolito exegiſſe fateor: ſed hoc, quam ſeditioſos habere milites, præſtabat, & levi profecto impenſa redemptum eſt, quidquid peccare conſcii victoriæ exercitus, inopia & neceſſitate irritati potuiſſent.*

Itemque novas exactiones.

X. *Mihi nihil ea diligentia quæſitum eſt: quin omne patrimonium effuſum pro Republica, & grande inſuper æs alienum contractum. Sed quemadmodum ipſi liquido cernitis, pars in ſumptus bellorum erogata, reliquum ad vos reportatum eſt. ut ad vos omnis hujus opulentiæ fructus, ad me ſolum exigendi acerbitas & invidia perveniret. Sic enim locupletes facta Reſpublica dignitatem veſtram opeſque præſtare tutas poteſt: quando nec Imperium ſine militibus, neque milites ſine ſtipendio retinentur. Abſit tamen, ut cuiquam moleſtus ſim pecuniæ cauſſa. neque vectigalia nova conſtituam: veteribus contentus ero. ſemperque potius eo cogitationes curaſque meas conferam, quemadmodum vos opibus honoribuſque augeam, quam quemadmodum aliquid abrodam de præſentibus.*

Triumphi Cæſaris quatuor. Oroſius. 6. 16. Sueton. Cæſar. 37. 1. Appian. lib. 11. Civil. Velleï. 2. 56. 2. Flor. 4. 2. 88.

XI. Apud populum deinde ſimilia quum diſſeruiſſet, multum quidem extinxit de priore hominum cura: fiduciam excitare non potuit, priuſquam rebus ipſis comprobata promiſſa vidiſſent. Inter hæc adparatu facto, qualem magnitudo rerum geſtarum excuſare, opes imperii, unius in manum redactæ pati potuerunt; quatuor Triumphis urbem ingreſſus eſt, eodem menſe, ſed intercedentibus diebus. Primum & excellentiſſimum egit de Gallis, quorum multas magnaſque nationes ſubegerat, cujus *adparatus fuiſſe* traditur *ex citro*. Rhenus ibi traductus eſt, Rhodanuſque, & ex auro captivus Oceanus. Ingens multitudo nobilium captivorum currum antecеſſit, & Imperator quondam omnium Vercingetorix.

Axis in curru triumphali frangitur. Dicæ. lib. 43. Sueton. Dio.

XII. Et hic quidem acto Triumpho cum aliis quibuſdam necatus eſt. Sed ejus diei lætitiam interpolavit caſus in omen tractus à plerisque. Prætervehens enim Fortunæ fanum, quod in Velabro Lucullus exædificaverat, axe diffracto pene curru excuſſus eſt: & dum alius adparatur atque adducitur, obortæ ſunt tenebræ. adſcenditque in Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra lævaque lychnuchos geſtantibus. Cæſar genibus per gradus Capitolii repſit: quamquam & ipſe jam ſtaret inter Capitolina numina, currumque Jovi oppoſitum, & titulum haberet homine majoris. Sed & inſcriptionem illam ſuſtuliſſe paulo poſt dicitur, ſolo nomine relicto.

XIII. Inter hunc honorem Cæſaris, quum omnium hominum magnitudinem egreſſus potentia ac felicitate videretur, adnotata ſunt carmina plena probri, quæ currum inſequens exercitus militari licentia jecerat. *adlectos in Senatum novos homines ignotoſque* traducebant: *Cleopatræ mulierumque aliarum, etiam provincialium* objiciebant *amores*, *mœchum calvum* canentes adducere, *qui Romæ mutuum ſumpſiſſet aurum*, *in Gallia prodegiſſet turpiter*. Potentiam quoque male partam ſugillabant, *ſi juſte vellet agere*, *pœnam daturum*, *quod ſceleſtus eſſe pergat dominari*. *præmiorum* quoque *parcimoniam* cavillantes, alternis verſibus exprobravere *lapſana ſe vixiſſe apud Dyrrhachium*. Carmina licentioſa militum. Sueton. Dio. Plin. 19. 8.

XIV. Sed hæc quidem omnia æquo animo Cæſar patiebatur: *gaudere* quin imo dicebat, *noſſe milites ſuos*, *quam bono Imperatore uterentur*. Unius dicti acerbitatem, quod objectum ſæpe ab inimicis probrum continebat, ægrius tulit: *Gallias à Cæſare ſubactas eſſe*, *Cæſarem ipſum à Nicomede*. *& triumphare Cæſarem*, *non triumphare Nicomedem*. *Id vero falſo ſibi objici* teſtatus, etiam jurejurando inter poſito non ideo potuit expugnare contumaciam famæ, quin ultro tam impudens defenſio irrideretur. Triumpho peracto, epulum populo datum per multos dies: duoque & viginti triclinio rum impleta ſunt millia. frumentum accipere ſolitæ plebi deni modii extra ordinem, ac totidem olei libræ diſtributæ. quippe *poſtremo bello vectigal annuorum frumenti ducentorum millium medimnorum Atticorum*, *olei tricies centena millia librarum adjeciſſe Reipublicæ* commemorabat. nummos quoque promiſſos olim iiſdem, diviſit viritim trecenos. & pro mora & velut uſura, centeni inſuper additi. Epulum & alia populo data. Liv. Epitom. Velleius. Plutarch. Cæſar. c. 78. Sueton. Dio. Appian. lib. 2. Civil.

XV. Veteranis itidem ſuper bina ſeſtertia, quæ belli civilis initio pronunciaverat, vicena millia nummûm dedit, centurionibus duplum, tribunis alarumque præfectis quadruplum. Quod autem numerum eorum, qui frumentum è publico acciperent, per licentiam temporum, præter modum excreviſſe comperat, recenſum eorum egit vicatim, numerumque de trecentis viginti millibus, ad centum quinquaginta millia retraxit. Altera deinde laurus Ægyptia fuit, ductaque ante currum Arſinoë, Niluſque translatus, & ad ſimulachrum ignium ardens Pharus. Achillæ quoque & Pothini ſpectati exitus. Ægyptius Triumphus. Liv. Epitom. Plutarch. Sueton. Dio. Flor. 42. 13. Appianus.

XVI. *Hujus Triumphi adparatum fieri* juſſerat *è teſtudine*. ſingulorum enim Triumphorum fercula & inſtrumenta, diverſa è materia parari, ad oſtentationem magnificentiæ, & voluptatem oculorum viſum illuſtrius fuerat. Sed Arſinoë poſt triumphum, in gratiam fratris ſororiſque dimiſſa eſt. Tertius de Pharnace currus Pontieum Triumphum invexit. inter ejus pompæ fercula trium verborum titulum prælatum ajunt, VENI, VIDI, VICI. Hujus triumphi fuit adparatus ex Ægyptia ſpina, quæ circa Thebas maxime naſcitur. Triumphus de Pharnace. Velleius. 2. 56. Dio. Sueton. Velleius. Plin. 13. 9.

XVII. Quartum ex Africa Triumphum duxit de Rege Juba, cujus & filius puer ductus eſt fortunata captivitate. Quippe liberaliter educatus Romæ, & Regnum utriuſque Mauritaniæ tenuit poſtea, & Græcis literis eruditus, memorabilior etiam claritate ſtudiorum quam Regno habitus eſt. Hujus Triumphi fercula conſtabant ex ebore, cujus & copiam eadem victoria ſubminiſtraverat. Diverſus animorum ſub eos dies habitus fuit. dolorem multa adferebant: præſertim quod de civibus Romanis, etiamſi titulo abſtineretur, re & facto triumphabatur. Omnium enim prælio rum tabulæ præferebantur, & illuſtriſſimi cujuſque Triumphus ex Africa. Appianus. Plutarch. Plin. 5. 1. 24. Velleius.

mi cujuſque noſcebantur imagines, una Pompeii effigie dempta, quam invidiæ declinandæ Cæſar omiſerat.

Diverſi motus animorũ inſpectantibus. Cic. Phil 8. 6. Lipſ. Vellei 2.56. Appianus.

XVIII. Sed Catonis, Scipionis, & Petreii extrema elicichant lachrumas, neque Gallico Triumpho lata Maſſilia, neque Ægyptio ducta Arſinoë, parum indignationis ac miſericordiæ commoverat. Quin & lictorum numerus, nullius unquam ſpectatus imperio, admonebat homines ſortis ſuæ, & alienam vicem oblitos, ſuæ fortunæ cogebat ingemiſcere. Vicißim captivorum reputantes multitudinem, & quam infeſtarum populo Romano gentium robur hi fuiſſent, rerumque geſtarum inauditam antea magnitudinem, ab odio Cæſaris ad laudes & admirationem transferebantur. Delectabant & Achillæ Pothinique pœnæ, & Pontici Regis tam celeriter dejecta adrogantia.

Templum Veneris genetricis. Liv. Epitom. Dio. Appian. Plin. 35. 45.

XIX. Opes etiam tranſlatæ (*ad decies ſexies millies ſeſtertium fuiſſe* reperio, *coronas aureas dona Regum ac civitatum, duo millia octingentas viginti duas, auri pendentes pondo viginti millia quadraginta quatuordecim*) mulcebant animos: magnam exinde partem ſuis mox uſibus aut voluptati ceſſuram, ſcientium. Nam & viſceracionem populo dedit Cæſar; & omnis generis ſpectacula diverſis cauſſis. Forum enim ſuum, eo quod Romanum vocabatur pulchrius, ſed minori latitudine, ubi jus redderetur, templumque Veneris Genitricis, & juxta numinis effigiem Cleopatræ ſimulachrum dedicavit; cum multis & aliis nobilium artificum tabulis, inter quas *Timomachi Ajacem & Medeam octoginta talentis emiſſe* traditur.

Varia ſpectacula à Cæſare edita. Plin. 39. 12. Plutarch. Sueton. Dio.

XX. Locavit ibidem equi ſui effigiem, qui humanis ſimiles priores pedes habuit, neque ſeſſorem recipere voluit niſi Cæſarem: ſtatuamque ſibi loricatam dicari paſſus eſt, cum effigie quam Arceſilaus fecit. Struxit & Amphitheatrum, ubi funebribus filiæ ludis pronunciatum olim populo munus atque venationes exhibuit. Fecit & ludos regionatim, per omnium linguarum hiſtriones, item circenſes, athletas, naumachiam. Munere gladiatorio depugnaverunt quidam Romani equites, ſed & Furius Leptinus, cujus pater Prætoram geſſerat; & Q. Calpenus, Senator quondam actorque cauſſarum. Dimicare & Fulvius Setinus Senator voluerat, ſed Cæſar negavit *paſſurum in Senatoribus*, Equites admiſit. Pyrrhicham ſaltaverunt Aſiæ Bithyniæque principum liberi.

D. Laberius mimum agit. Cic. Famil. 12. 18. Macrob. Saturn. 2. 7. Agel. 7. 24.

XXI. Ludis D. Laberius Eques Romanus mimum ſuum egit, quamquam ſexagenarius, quod ipſe diligenter excuſavit in prologo, *coactum ſe* teſtatus *blanda vi illius, cui ne dii quidem ipſi negare quidquam potuiſſent.* Sed neque ſerviliter ſe geſſit in actione, ultuſque eſt injuriam dictis liberis ſub aliena perſona, *Quirites libertatem perdere*, exclamans; & quo verſu totum in ſe populum convertiſſe dicitur, quaſi vocem miſiſſet publici affectus, *Neceſſum eſſe multos timeat, quem multi timent.* Alienavitque ea libertate Cæſarem, ut Publium ei mimographum, anteponeret: ſtatimque Publio palmam, Laberio annulum aureum eum quingentis ſeſtertiis daret.

Poſtea indignus abitus Equeſtri loco. Macrob. Sen. Controv. 7. 3.

XXII. Neque tamen Laberio vel excuſatio ſua, vel potentia Cæſaris præſidio fuit, quominus Equeſtri loco indignus poſt mimum actum haberetur. Quum è veſtigio in quatuordecim ſeſſum iret, per orcheſtram, qui Senatorum in theatro locus erat tranſeunti, Cicero ait, *Reciperem te niſi anguſte ſederem:* ſimul & illum reſpuens, & cavillatus in numerum Senatorum, quem Cæſar ſupra modum auxerat. nec tacitum à Laberio tulit, *mirum anguſte ſedere, qui duabus*

Digitized by Google

ſoleret ſedere ſellis. Sed nec ab Equitibus receptus eſt, qui *gemino dedecore commaculatum ordinem* interpretabantur, *& quod Eques Romanus in ſcenam adtractus eſset, & quod mimus in quatuordecim remiſsus*. Idcirco ita ſe coarctaverunt, ut venienti non eſſet locus. Sed neque ejuſdem ordinis plerique tempcrabant à majoribus probris.

XXIII. Circenſibus, ſpatio Circi ab utraque parte producto, quadrigas bigaſque & equos deſultorios agitavit patricia juventus. ejuſdemque nobilitatis turma duplex, majorum & minorum puerorum, Trojam luſit. Venationes per quinque dies ſunt editæ: & noviſſimo quingeni pedites, vicени elephanti, equites trecени commiſſi, ſublatis metis, quo ſpatium dimicantibus eſſet, biniſque caſtris eorum in locum repoſitis, euripoque in gyrum addito, contra eruptionem belluarum. Athletæ, ſtadio ad tempus exſtructo in regione Martii campi certavcrunt per triduum. Nobiles ludicris artibus ſe fœdant. Sueton. Dio. Appian: Plin. 8.7. 6. Nicol. Damaſc. de inſtit. Auguſt.

XXIV. Græcis ludis C. Octavium præfecit, ſororis ſuæ nepotem, quem ſucceſſorem fortunæ ſuæ deſtinatum, variis jam tum honoribus evehebat. Nam & nuper quatuordecim annis nato virilem ſimul togam & Sacerdotium in locum L. Domitii dederat: & Latinis præfectum Urbis conſtituerat: & triumphans, ornatum donis militaribus quamquam intereſſe non potuerat bello, currum ſuum proſcqui juſſerat. Navale prœlium non in mari aut lacu aliquo, ſed in minore Codeta exhibuit, parte Martii campi effoſſa, & immiſſo flumine. Concurrcrunt biremes ac triremes quadriremeſque Tyriæ & Ægyptiæ claſſis: quadrigenis remigibus inſtructæ, & millenis navalibus ſociis. C. Octavius ſororis Cæſaris nepos. Dio. Sueton. Appianus.

XXV. Et hæc omnia ſpectaeula quum tanto hominum concurſu celebrata eſſent, ut plerique advenæ inter vicos aut vias ſub pellibus manere cogerentur: multique mortales, & in his duo Senatores eliderentur in turba; ab iis ipſis quorum ſumma in talibus cura atque voluptas erat, *Cæſaris* reprehendebatur *cum ſævitia prodigalitas, qui non contentus immenſo ſanguine, quem prœlia hauſiſſent, nunc per ludum & jocum tantam vim ejus, una cum extortis iniquiſſime pecuniis effunderet*. Opera quoque data fuerat, ut omni temeritate ſumptuum cujuslibet priorum exempla vincerentur. Munere gladiatorio carbaſinis velis totum Forum Romanum intexit, ut ſpectatores à ſole defenderet, viamque ſacram ab domo ſua ad clivum uſque Capitolinum: *quod munere ipſo viſum eſse mirabilius* tradunt. Studuit etiam inuſitata quædam naturę opera oſtendere; tumqi primum Romæ viſa eſt camelopardalis. Ingens ad ſpectacula concurſus. Dio. Plin. 29. 1. 2.

XXVI. Sed aliorum inermes erant querelæ, nec ultra ſonitum proceſſuræ inanium vocum: milites pernicioſe moveri cœperant, non cura honeſti, aut inutilium ſumptuum tædio, ſed quia non potius inter ipſos pecunia dividebatur. neque quieverunt, priuſquam ſua manu correptum aliquem ſuperveniens Cæſar ad ſupplicium centurionibus tradidit. Seditionem militum coercet Cæſar. Plin. 8. 28. 5. Dio.

XXVII. Sed hic quidem non injuſte perierat, duos alios innocentes ſtolidiſſimæ ſuperſtitionis crudelitas abſumpſit: ne publici quidem erroris ullo prætextu defenſa. Quum enim neque Sibyllinis libris hoc juſſum eſſet, neque ullo alio recepto oraculo, duo viri in Campo Martio à Pontificibus & Martiali Flamine immolati ſunt. Inde converſus ad ordinandum Reipublicæ ſtatum, judicia Senatoribus & Equiti tradidit, remotis qui tertii ordinis fuerant ærariis tribunis. Et quia ſeipſum propterea, quod multis continenter annis Galliam obti- Homines Immolari jubet. Dio. Sueton. Cæſ. cap. 30. Cic. Philip. 8. 1

nuiſſet, imperii conſuetudine captum norat, tulit, ne Prætoriæ provinciæ pluſquam annum, ne pluſquam biennium Conſulares obtinerentur. Ad replendam porro Urbem, quæ ſuperioribus bellis vehementer exinanita fuerat: & coloniis tranſmarinis deducendis, quo circiter octoginta millia civium detinebantur, ſanxit, ne quis civis major annis viginti, minorve quadraginta, qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet: neu quis Senatoris filius, niſi contubernalis, aut comes magiſtratus, peregre proficiſceretur: neve hi qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter paſtores haberent.

Multa bene conſtituit. Dio. Sueton. Euſebius num. 1972. Appian. lib. 2. Civil. Solin cap. 3.

XXVIII. Propoſuit & iis qui multos ſuſciperent liberos, præmia: & omnes medicinam Romæ profeſſos, & liberalium artium doctores, quo libentius & ipſi Urbem incolerent, & alii adpeterent, civitate donavit. Sumptus quoque recidit, non lata modo diligenter, ſed etiam exercita lege. uſum conchyliatæ veſtis, & margaritarum, niſi certis perſonis & ætatibus, perque certos dies ademit. lecticis etiam uti matronas prohibuit, quæ nec viros nec liberos haberent, & minores eſſent annis quinquaginta quinque. circa macellum cuſtodes diſpoſuit, qui opſonia contrà veritum empta retinerent, deportarentque ad ſe: ſubmiſſis nonnumquam lictoribus atque militibus, qui ſi qua euſtodes fefelliſſent, jam adpoſita è menſis ipſis adferrent.

Corrigit faſtos. Plutarch. Cæſare c. 8. Scalig. de emend. temp. lib. 2. Dio. Appian. Plin. 18. 25.

XXIX. Correxit & faſtos, jampridem ſuperiorum temporum ignorantia; & per licentiam intercalandi, dum Pontifices in gratiam publicanorum extendunt, aut contrahunt tempora, ita turbatos, ut neque meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno reſponderent; & jam, quod ex emendatione Cæſaris intelligitur, qui V. Non. Octobr. eſſe debuerat dies, principium anni haberetur. Igitur repudiata veterum ratione, qui ſequuti Lunæ revolutiones fuerant, ad Solis curſum ordinavit, Ægyptiis adhibitis, & principe omnium Soſigene, quos Alexandriæ conſuluerat: & M. Flavio ſcriba adnitente.

Biſſextum. Macrob. Saturn. 2. Herodot. 2. 4. Dio. Sueton. Ovid. Faſt. 3. 155. Leg. 3. par. 3. de minor.

XXX. Sed Alexandrini trecenos dies in menſes partiti, ſub finem anni quinque reliquos addebant: id diſplicuit Cæſari, potiuſque viſum, & illos quinque dies, & alios inſuper duos Februario detractos, certis menſibus adjicere, & quadrantes diei; eo enim ferme ſpatio ſolis converſio dies trecentos ſexaginta quinque ſuperat, colligere, donec ex his confecta dies quarto quoque anno intercalaretur, eo menſe ac loco, quo etiam apud veteres intercalari conſueverat, id eſt, ante quinque ultimos Februarii menſis dies: idque *biſſextum* cenſuit adpellandum; quod nimirum id biduum pro uno die haberi, & diem ſextum Kal. Mart. vocari volebat.

Annus confuſionis. Macrob. Cenſorin. de die nat. Sueton. Plutarch. Erych Put. de Biſsext c. 20. Plin.

XXXI. Ut igitur tam fœde luxatus annus ad ſiderum cæliique leges revocaretur, quum illos ſupervacuos dies, ad ſexaginta ſeptem inter Novembrem ac Decembrem interjecit; tum menſem Mercedonium ſive intercalarem, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat, conſumpſit; unde factum eſt, ut annus ille, qui confuſionis erat ultimus in dies quadringentos quadraginta quinque protenderetur. Hæc ferme à veteribus tradita, nuper etiam ad ſenſum doctiſſimorum virorum meruerunt. Sed Dio plus ſeptem & ſexaginta diebus tribus his intercalaribus à Cæſare conſumptos eſſe negat: cujus opinionem vir perquam eruditus è Gallia minime ſpernendis argumentis tuetur. Erat hæc res tam uſu ſaluberrima, quam molitu difficilis, & ipſe Soſigenes tribus de ea commentationibus editis te-

ipſum in quibuſdam corrigere neceſſe habuit: præterea nihil in his Cæſar, niſi de conſilio principum, aut etiam totius ordinis fecerat; neque tamen effugere dicacitatem hominum potuit. adeo ubi nimia taxandi licentia invaluit, non minus bene, quam ſecus facta reprehenduntur.

XXXII. Sane Cicero, quaſi potius à Cæſare quam à ærlo ea anni ratio indicta eſſet, cuidam dicenti, *cras lyram exorituram, nempe ex indicto*, reſpondit. Sed idem Cicero magnis veriſque præconiis Cæſarem extulit, quum is Marcello Conſulari, mentionem ejus inferente L. Piſone, & C. Marcello ad pedes ſe abjiciente, Senatu etiam ſurgente, & rogante univerſo, non nihil prius adeuſata ejus acerbitate, reditum cum ſumma illius dignitate conceſſiſſet. Quamquam illo beneficio Marcellus frui non potuit, quum à Mitylenis urbem repeteret, Athenaſque veniſſet, in ipſo portu à P. Magio Chilone familiari ſuo interfectus: qui vetus Pompejanæ militiæ comes, aliquem amicorum ab eo ſibi præferri non patiebatur.

Cæſar M. Marcello reditum concedit. Plutarch. Cic. pro M. Marcell. Liv. Epitom. Cic. Fam. il. 4. 4. 6. 6. 4. 12. Vel. Maxim. 9. 11. 4.

XXXIII. Et adſperſerat Cæſarem ſuſpicio: ſed quibus aliqua veri cura erat, quum conſtaret de Magio, non ſuſtinebant quidquam de Cæſare credere: purgavitque eum ſcripta ad Ciceronem epiſtola M. Brutus, Marcelli præcipuus admirator. Neque alio luculentiore teſtimonio magnitudinem viri adprobaverimus, quam quod in libro quem de Virtute compoſuit Brutus, ei reddidit, *ſe vidiſſe Marcellum Mitylenis exſulantem, & , quantum modo natura hominis pateretur, beatiſſime viventem, neque unquam bonarum artium cupidiorem quam illo tempore. Itaque viſum ſibi ſe magis in exſilium ire, qui ſine illo rediturus eſſet, quam illum in exilio relinquere.* addiditque; *C. Cæſarem Mitylenas prætervectum, quia non ſuſtineret videre deformatum virum.*

Bruti teſtimonium de M. Marcello. Cic. Attic. 13. 10. Sen. Conſol. ad Helv. 9. 7.

XXXIV. Sed horum à Cæſare præclare conſtitutorum gratiam alia quædam elevabant, quod relaturus gratiam clientibus ſuis, Senatus numerum, indignis multis adſcriptis, ampliaverat: Prætores creaverat duodecim, quot ſimul eodem anno fuerant numquam: Quæſtorum quoque & minorum magiſtratuum collegia auxerat; notatos à Cenſoribus, metu judiciorum extorres reduxerat: condemnatos ambitus in Italia eſſe ſinebat. Etiam incivilis plane videbatur comitiorum ratio, quæ cum populo diviſerat, ut excepto Conſulatu, cæterorum magiſtratuum partem dimidiam populus, alteram ipſe conſtitueret. Unde *Candidati Cæſaris* adpellati, quos nullo repulſæ metu brevibus libellis circum tribus miſſis commendabat.

Cæſaris acta detectora. Sueton. Legi ea par. 32 de Orig. tur. Dio. Quintil. 6. 3 52 Tacit. 3. 3. 3.

XXXV. Sed & Cleopatræ amor magnopere datus eſt crimini, quæ anno eodem Romam Regio comitatu venit, accitu ipſius. Cæſar mulieri viroque, minor ille Ptolemæus fuit, hoſpitium in ſuis ædibus dedit. notatuſque eſt, tamquam præter notiſſimum Cleopatræ adulterium, etiam puero nefarie illuderet. Sane maximis honoribus præmiiſque auctos, *Regeſque ſocios & amicos* adpellatos, remiſit in Regnum: filium etiam, quem Cleopatra paulo poſt diſceſſum ejus ex Ægypto pepererat, de ſuo nomine *Cæſarionem* adpellari paſſus eſt. quem quidem *Cæſari forma quoque & inceſſu ſimilem fuiſſe* tradiderunt. M. Antonius etiam *agnitum ab eo* Senatui adfirmavit. contra quem Oppius librum edidit, *non eſſe Cæſaris filium, quem Cleopatra dicat*, plane quaſi patrocinio res egeret.

Cleopatra venit Romam. Sueton. Euſeb. num. 1972. Dio. Plutarch. Cæſar. cap. 72. Dio. 47. 5. 4.

XXXVI. Dum iſta Romæ geruntur, in Hiſpania plus obortum belli erat, quam aut claſſe prius è Sardinia, aut mox cum Q. Fabio Maximo, Q. Pedio le-

Cæſar in Hiſpaniam proficiſcitur.

Dio. Sueton. Liv. Epitom. Appianus. lib. 11. Civil. Faſti Capitol.

gatis exercitu miſſo coërceri poſſet: ipſiuſque jam Cæſaris præſentia requirebatur. Igitur Urbis cuſtodia M. Lepido, & ſive ſex, ſive octo præfectis permiſſa (nam de numero dubitatur) quos proprætoribus conſtituit, qui per abſentiam ſuam res Urbanas adminiſtrarent; in Hiſpaniam profectus eſt, quartum jam non Conſul, ſed deſignatus ſine collega. Neque ſupervacuum fuerit, explicare quali tum honore, & quoties præditus egerit; quando annus ille confuſionis hæc quoque confundendi occaſionem Scriptoribus præbuit.

Quoties tum ille Conſul fuerit. Sueton. Cæſar. cap. 76. Dio.

XXXVII. Sed quoniam alii *Conſulem*, alii *Dictatorem* fuiſſe volunt, Suetonii ſententiam veram eſſe judico, *tertium & quartum Conſulatum geſſiſſe titulo tenus, contentum Dictaturæ potéſtate. decretæ ſimul cum Conſulatibus*. Igitur & in tres noviſſimos menſes, puto per eam cauſſam, quod jam ipſe Conſul cum collega per duodecim menſes fuiſſet (nam annus ille, ut eſt expoſitum ſupra, menſibus quindecim conſtitit) binos ſuffecit. Neque vero comitia Conſularia, quæ ſunt circa id tempus à M. Lepido Conſule eodem, & Magiſtro Equitum habita, eo pertinuiſſe crediderim, ut Cæſari ſub finem demum anni tertius Conſulatus daretur; ſed ut novi Conſules ſufficerentur.

Hiſpanienſis belli cauſſæ.

XXXVIII. Plurimum certe moveor auctoritate Scriptoris, qui bellum Hiſpanienſe tradidit: quem certe, quicumq; tandem fuerit, iiſdem temporibus vixiſſe conſtat: nec iniquum arbitror, ut huic Faſtorum fragmenta, quibus alioquin permultum tribuo, poſthabeantur. Cæterum Hiſpanienſium armorum hæ ferme cauſſæ fuerunt. proximus ſub Caſſio & Marcello tumultus, Cæſaris legiones diſcordia & ſuſpicionibus labefactaverat; metuque pœnæ miſerant ad Scipionem legatos: deinde cum Scipio victus eſſet, Pompejus morbo in Balearibus attineretur, T. Scapula, Q. Aponio ducibus, Trebonio Cæſaris legato negarunt obſequium, totamque fere Bætiam traxerunt ſecum ad defectionem.

Pompejus in Hiſpania copias colligit. Auct. de bello Hiſp. cap. 1. Nicol. Damaſcen. de inſtitut. Auguſti. Dio. Cic. Famil. 13. 15. 19.

XXXIX. Interim & Pompejus trajecit in Hiſpaniam, uſuſque occaſione, dum muneribus dandis Romæ Cæſar tempus terit, præter ſpem omnium, brevi magnas copias collegit. Nam favore paterno adjutus à multis civitatibus ſoeietatem & auxilia obtinuerat; quibus inſtructus, alias vi adjungebat partibus. Jamque Carthaginem Novam obſidebat, eum Scapula & qui cum eo erant, Imperatorem eum agnoverunt: vieiſſim nihil non & dicentem & faeientem, quo ſibi benevolentiam hominum pararet. quod alioquin abruptis conſiliis neceſſarium, ab ingenio aſperiore & ruſtico extorſerat etiam Allobrogum fuga, qui Curionis milites, deinde Jubæ captivi, poſt ab hoc Pompejo tranſditi, neſcio quam ob offenſam, ad hoſtes tranſfugerant.

Et accurſu multorum vires adauget. Appianus. Florus 4. 2. 33.

XL. Hae nova humanitate multi etiam adlecti ſunt ex hoſtilibus caſtris: eorum maxime, qui olim ſub Afranio militaverant. Acceſſerunt interim & ex Africa quum alii, tum Sex. Pompejus Varuſque & Labienus, à quibus ſimul claſſis inſtar adductum eſt. Ea quoque res, quod frater venerat, vires auxit: ſpem favoremque hominum accendente fama, pro uno duos ſtare Pompejos: ideo auxilia diverſiſſimis ex locis confluebant. Sed ſurgentem hanc & proxima quæque amplectentem potentiam, quorumdam adventu quos Cæſar præmiſerat, ſparſa mox adſuturi fama ſtitit: Cnæuſque diffiſus alia retineri poſſe, relicto maritima ora in Bœticam ſe recepit.

Cæſaris in Hiſpaniam euntis celeritas.

XLI. At inter P. Varum & C. Didium haud procul Carteia in ipſo Oceani oſtio

oſtio contractum navale prœlium, repens tempeſtas etiam effecit triſtius, ſic quoque depreſſis multis ex utraque claſſe navibus. Ceſſit tamen Varus, objectiſque in fauce portus anchoris, inter ſeſe inexplicabili nexu obvinctis, arcuit ingreſſum hoſtilium navium, claſſiſque reliquias ſervavit. Interea Cæſar in Hiſpaniam venit admirabili celeritate, & quod miraculum auget, iiſdem ſeptem & viginti diebus, & tot enim nec amplius Roma Obulconem, ubi exercitus erat, pervenit, poëmate quod inſcribitur Iter compoſito. Florus. Dio. Appianus. Strabo lib. 3.

XLIII. Ullam oppidum Cn. Pompeius tum oppugnabat, ab aliquot menſibus. Idcirco Cæſar ſperans benemeritam civitatem ſola adventus ſui fama liberari poſſe, relicta majori parte militum, eum paucis qui ſequi poterant, ab equitatu Fabii & Pedii legatorum, quem occurrere ſibi juſſerat, in caſtra deductus eſt. Sed Pompeius, unum virum uni non adeo præſtare ratus, in obſidione perſiſtebat. Cæſar igitur undecim cohortes per L. Julium Paticcum, introduxit Ullam: per media Pompeii præſidia tutum iter præbente nocte, ventis & tempeſtatibus horrida: ipſe contendit Cordubam, non modo ſpe avertendi Pompeium ab Ulla, ſed etiam capiendi per proditionem oppidi, quam ei ſpem legati Cordubenſium injecerant, nupero ejus adventu, quum à Pompeio modo diſceſſiſſent, obviam profecti. Et conſilia abſtrahendi Pompeium ab Ullæ obſidione. Auct. de bello Hiſp. Dio.

XLIII. Priori conſilio reſpondit eventus. namque Sex. Pompeius qui eum præſidio Cordubam tenebat, trepidis nunciis accivit fratrem. Sic & Ulla prope capta diſcrimen effugit; & Corduba à Cæſare relicta eſt: quem præter hoſtem etiam vexare morbus ęęperat. igitur dilatum in hyemem bellum, neque diſceſſum in hyberna, quum interim quartum conſul, & valetudinem recuperavit Cæſar, & partem exercitus, quæ conſequi celeritatem ejus nequiverat, recepit. Ategua firmiſſimum erat præſidium Pompeii, quo plurimum frumenti comportatum fuerat. Id ſubito Cæſar adgreſſus, circumvallare inſtituit, ſuſque deque ferente Pompeio, qui munitionibus oppidi confiſus, parcebat militibus ſuis, prius exiſtimans futurum, ut frigoris vehementia deſiſteret Cæſar, quam Ategua caperetur. Sed illo pertinacius inſtante, cum exercitu eodem profectus eſt. Multa forte caſtella in adventum ejus exſtruxerat Cæſar, ut equitum peditumque præſidiis venientem arceret. Urb. cond. ann. 708. Cæſar Ategui obſidet. Dio. Auct. de bello Hiſp.

XLIV. Sed forte accidit, ut quo tempore Pompeius veniret, ſub ortum diei nebula craſſiſſima cęlum tegeret. igitur eo facilius & perrupit Cæſaris præſidia, & multos eius equites concidit. Legiones omnino habebat tredecim: ſed quibus præcipue confideret, duæ erant vernaculæ, quæ à Trebonio tranſfugerant; una facta ex coloniis Hiſpaniæ: una Afraniana ex Africa, quam ſecum Pompeius adduxerat. reliquæ conſtabant ex fugitivis, ne ipſæ quidem plane contemnendæ, quum quartum jam annum plerique fuiſſent in armis exerciti, proiectamque adferrent ad prœlia audaciam. neque tamen auſus eſt ſubſidio venire ſuis: tantum, quia duce carere Ateguenſes cognoverat, L. Munatium Flaccum miſit. Eodem & Pompeius venit. Auct. de bello Hiſp. Dio. Appianus: lib. 11. Civil.

XLV. Is *ſe Iulianarum partium, & tribuni cornicularium eſſe* ſimulans, noctu ſolus vigiles quoſdam adiit, tamquam miſſus ad circumeundas excubias: à quibus accepta teſſera alios fallens, alios evitans, à poſtremis etiam deductus, quibus *ſe miſſum à Cæſare, ad recipiendum per proditionem oppidum* perſuaſerat, per medias ejus copias, Ateguam ingreſſus eſt. Pompeius incenſis nocte caſtris, inter Ucubim & Ateguam in montibus conſedit: mox etiam his incen- L. Munatii ſtratagema. Frontinus. Strateg. 3. 14. 2. Dio. Auct. de bello Hiſp.

ſis caſtris Cordubam intendit iter. Interea quum ad Cæſarem Arguecius (an *Aruncius?*) & Aſprenas veniſſent, quorum ille ſigna quinque Saguntinis obiter adempta retulerat, longius evagari Cæſaris equites cœperunt, & eos qui commeatus ad caſtra Pompeii vehebant, excipere.

Eiuſdem crudelitas in Ateguenſes. Val. Maxim. 9.2.4. Auct. de bello Hiſp.

XLVI. Sed qui in præſidio Ateguæ erant, ferociter repugnabant, non ferro tantum, ſed etiam igne per omnia ingenia mittendi, ſe tuentes. donec ſemper cum damno repulſi, iram verterunt in oppidanos, qui Cæſari favere credebantur; nec ipſos modo occiderunt, ſed etiam auctore Flacco fœminas, vocatis nominatim ad ſpectaculum viris, quos apud Cæſarem eſſe ſciebant, jugulatas præcipites miſerunt de muro: infantes, dictu quoque fœdum, partim in gremiis matrum trucidarunt, alios in conſpectu parentum aut humi adfixerunt, aut in ſublime jactatos ſub rectis excepcrunt pilis. Sub veſperam ejuſdem diei venit ad eos clam à Pompeio tabellarius, *turres aggeremque* jubens *accendi, & tertia vigilia tentari eruptionem: ſe nocte tota futurum in armis, ut tutiorem daret ad ſe receptum.*

Obſeſſorum infelix eruptio. Dio. Auct. de bello Hiſp.

XLVII. Infelix conatus fuit. reflante vento ignis in opera Romana jactus ædificia comprehendit oppidi, erumpenteſque fumo involvit, ancipiti periculo, quod eodem tempore telis etiam hoſtium lapidibuſque petebantur. Igitur occiſi captique magno numero, & argentum & veſtis, quam eo conſilio extulerant, ut eorum direptione diſtractos opprimendo, viam ad erumpendum facerent, victoribus prædæ fuit. Neque tamen deſtiterunt à defectione, ſed ventum ſecundum nacti, turrim Cæſaris incenderunt.

Ategua dedi. tur. Auct. de bello Hiſp.

XLVIII. Sed multis ex oppido transfugientibus, neque inter cæteros integra concordia, tabellæ de muro ſunt dejectæ, hoc exemplo: *L. Munatius Cæſari. Si mihi vitam tribuis, quoniam à Cn. Pompeio ſum deſertus, qualem me illi præſtiti, tali virtute & conſtantia futurum me in te eſſe præſtabo.* eodemque tempore legati oppidanorum, qui ante exierant, Cæſare adito, *ſi vitam ſibi concederet, poſtridie oppidum eſſe dedituros* dixerunt. *Ille ſe Cæſarem eſſe fidemque præſtare ſolitum* reſpondit. Ita ante diem XI. Kal. Martii, quæ primo anno Juliano fuerunt, oppido potitus eſt, & *Imperator* appellatus ex victoria, quartum jam Dictator deſignatus, Conſul itidem quarto, quem honorem ſine collega decretum inire ad finem belli diſtulit.

Pompeii ſævitia.

XLIX. Pompeius his auditis caſtra Ucubim verſus movit, convocatiſque Ucubenſibus, *inquiri fautores victoriæ hoſtium* juſſit: ex quibus occidit homines ſeptuaginta quatuor: major aliquanto numerus, quum in oppidum reduceretur, negligentia an ſponte cuſtodum, in Cæſaris caſtra perfugit. Similis cædes ſimilibus cauſſis apud Burſavolenſes eſt edita. Cæſar rebus Ateguæ conſtitutis, ita propinquis à Pompeio locis conſedit, ut caſtris conferre caſtra videretur. Ibi dum uterque operibus viribuſque ſuperare adverſarium contendit, aliquot minora prœlia facta ſunt, certamenque ſingulare commiſſum inter ſpectatæ virtutis viros Turpionem Ambivium, & Q. Pompejum Nigrum.

Prodigia pugnam Mundenſem præcedentia. Lucan. 1.40. Auct. de bello Hiſp Florus. 4.2.79. Dio. Jul. Obſeq.

L. Quod tamen ferme ſuperior Cæſaris res erat, Pompeius itidem caſtra movit; moventemque Cæſar eſt inſecutus, donec eos in Mundenſem campum, fatalem Pompeio futurum, belli ratio deduxit. Et erat inde diſceſſurus Cæſar, ſed audito *Pompeium de tertia vigilia ſtetiſſe in acie*, vexillum (id ſignum erat pugnæ) propoſuit: ſed, ut eſt obſervatum, ſolito mœſtior. Similiter Pom-

pejus conſilii inops, & neque conſtitutam adverſus longa belli detrimenta ſociorum fidem ratus, properabat decernere; licet prodigiis aperte deterrentibus. Sane ſimulachra ſudaſſe, *ſonitus armatorum* auditus in cœlo, itemque monſtroſos animalium partus, faces ab Oriente tranſcurrentes in occaſum, ſpernere pro irritis aut ambiguis poterat: ſed aquilæ Pompejanarum legionum, fulmina, quæ pedibus aurea tenebant, viſæ deficere, aliaſque concutere avolaturis ſimiles, haud dubiam cladem videbantur portendere.

Pompeii acies. Auct. de bello Hiſp. Appianus. Strab. lib. 11. Dio.

LI. Planicies inter utraque caſtra intercedebat millium quinque ſubiecta collibus, in quibus Ucubis erat condita, & Pompeii acies conſtiterat. In ea planicie, ſed propius colles, ſpatium interjectum uliginoſum erat, rivo per cænoſum & paluſtrem locum decurrente. Ita duplici locorum favore Pompeianos defenſos tamen adgredi Cæſar ſtatuit, teſſera *Veneris* propoſita, quum Pompeius ad excitandam patris memoriam *Pietatem* ſuis dediſſet. Tredecim Pompeius legiones in prœlium deduxerat, equitatu lateribus circumfuſo, & levi armatura, ſex millium numero, quibus prope alterum tantum acceſſit ab auxiliaribus Hiſpanis Maurilque: filios enim ſuos Pompeio Rex Bocchus auxilio miſerat; quum adverſarius ejus Bogud in præſidiis Cæſaris eſſet.

Anceps Mars. Auctor de bello Hiſp. Florus. 4. 2. Velleius. 2. 55. 4.

LII. Cæterum auxilia utrobique haud magno fuerunt uſui: pugnaque vix tentata Romanis militibus campum reliquerunt. Cohortes octoginta Cæſar eduxerat, cum octo millibus equitum. Hi virtute ſuperiores hoſtibus, iniquitate loci laborabant, ad extremæ planitiei voraginoſa progreſſi. Nullo umquam prœlio fluctuata magis Cæſaris fortuna eſt: ut prope Iuliani diffiderent victoriæ. Diu pari Marte nihil aliud quam occidebant occidebanturque: donec pugnando utrimque feſſis, velut tacitis induciis quies, & mœſtum ſilentium tenuit. Mox renovata pugna, impulſum eſt illud veterani militis invictum robur, ne prorſus fugeret, verecundia magis quam virtute retentum.

Cæſaris in tanto periculo virtus. Oroſius. 6. 16. Sueton. Cæſar 36. 2. Frontinus. Strat. 2. 8. Appianus. Plutarch. Cæſare c. 79. 9. Auct. de bello Hiſp. Velleius.

LIII. *Ibi vero Cæſar vinci inſuetus, ad prævertendum hoc dedecus cogitaſſe de conſciſcenda ſibi nece* traditur. id quidem conſtat equum è conſpectu abduci juſſiſſe, ſcutoque cujuſdam arrepto in primam provolaſſe aciem, increpita *Fortuna, quæ veterem ducem ſemperque victorem pueris proderet*. Variis inde vocibus pudorem virtutemque ſuorum ſtimulans, quum ante prima ſigna ſic procurriſſet; ut vix decem ab hoſte pedibus diſtaret, magnam in ſe conjectam vim miſſilium, excepit ſcuto, aut modica corporis declinatione vitavit. Tum vero conniſi decumani, quorum in mediocri numero maxima virtus exſtabat, redintegrarunt prœlium: nec hoſtes rem geſſerunt ſegnius, quos & ipſos ſuus Imperator, adoleſcens impetus ad bella maximi, dimiſſo itidem equo periculo communicans, animabat.

Occaſio victoriæ. Dio. Appianus. Florus.

LIV. Quum ita pari animo ac Marte totam ferme diem continuata pugna eſſet, ſub veſperam, unde minime ſperabatur, orta eſt victoriæ occaſio. Rex Bogud, qui initio prœlii reliquerat locum, quum inſtare ſibi neminem cerneret, dum adverſarii contumaciſſima pugna detinentur, tentandorum caſtrorum conſilio capto, Labienum non fefellit. Idcirco protinus quinque cohortes ex acie ſua detractas ſubſidio caſtris ire juſſit. At Cæſar his abire viſis, *fugere* inclamavit *hoſtem*, ſive credens ita eſſe, ſive hac ſpecie abuſurus ad victoriam. Hinc certe & erecti Iuliani, & territi hoſtes ſunt. veræque mox fugæ initium fuit,

falſo credita: quum etiam errore comperto non amplius reſtitui turbati ordines poſſent.

Agger ex cadaveribus: Dio. Lipſ. Epiſt. ad Germ. xxxr. Auct. de bello Hiſp. Oroſius. Plutarch. Cic. Attic. 9. 18. Florus. Val. Maxim. 7. 6. 5.

LV. Hæc pugna pugnata Liberalibus, advertit hominum curam, ut eodem die ante quadriennium Italiam à Pompeio relictam recordarentur. Victi pars in caſtra, pars in oppidum refugerunt. caſtra expugnata ſunt, pari prope utrorumque clade. Mundam quia Cæſar ſtatim circumvallari imperaverat, ne quis per noctem evaderet, & aggeri exſtruendo nec temporis ſatis nec materiæ ſuppetebat; congeſta ſunt hoſtilia cadavera, aggerque ex his effectus, valli vicem ſcutis piliſque & jaculis, quibus confixa corpora tenebantur, explentibus. Et gaudebat fœda erudelitate miles, vertendiſque ad oppidum occiſorum capitibus, tamquam virtutis ſuæ teſtimonio delectabatur.

Numerus occiſorum: Plutarch. Auct. de bello Hiſp. Appian. Dio. Florus. Cic. Attic. 12, 36.

LVI. *Cecidiſſe* tradunt *eo prælio Pompeianorum ſupra triginta millia, quos inter Labienum & Varum*, quibus fieri Cæſar funus juſſit: *& Equitum Romanorum ex Urbe & provincia circiter tria millia*. Aquilæ omnes captæ, eum ſignis & faſcibus, præterea duces belli ſeptemdecim. Victores deſiderati ad hominum mille pedites, equites, promptiſſimus quiſque, & vulnerati ad quingentos. Hoc de prælio dixiſſe Cæſarem ferunt, *ſæpe ſe de victoria, tum primum de ſalute dimicaſſe*. Cæterum perditarum rerum nuncius ad Sex. Pompeium Valerius adoleſcens Cordubam ex prælio venit. Idcirco Sextus diſtributa equitibus pecunia, nocte Corduba profectus eſt, ad Cæſarem de pace iturum ſimulans: cæterum perfugit in Celtiberiam, ibique repertis latebris, latrocinio ſe toleravit.

Cæſar Cordubam recipit. Appianus. Auct. de bello Hiſp. Strab. lib. III. Cic. Famil. 9. 23.

LVII. Diverſa Cnæo fortuna fuit. Is primum ex acie centum quinquaginta equitibus, peditibuſque paucis comitatus, non prius remiſit fugam, quam Carteiam perveniſſet, Munda diſtantem millibus paſſuum ducentis, ubi naves habebat. Interea Cæſar Cordubam profectus eſt, cujus adventu Scapula primus eorum tumultuum auctor, magnifice prius epulatus, jugulum ſervo præbuit. Cordubæ magna erat diſcordia, ipſis dedere cupientibus oppidum, reſiſtentibus ſervis quorum ingentem vim Pompeius armaverat. ii quum legiones Cæſaris recipi viderent, incendere oppidum cœperunt. ſed ſuperati à Julianis perierunt hominum circiter millia duo & viginti, non connumeratis qui extra murum ceciderant: reliquos Cæſar vendidit. Inde Hiſpalim itum, diviſam & ipſam ſtudiis atque factionibus. Igitur quum legati miſſi ad Cæſarem præſidium ab eo præfectumque Caninium introduxiſſent, Philo quidam Pompeianarum partium acerrimus defenſor, clam ad Cæcilium Nigrum profectus, magnaque ab eo Luſitanorum accepta manu, noctu per murum intromiſſus eſt, Cæſariſque præſidium interfecit.

Et Hiſpalim. Dio. Auct. de bello Hiſp. Cicero.

LVIII. Cæſar ſi infeſtius oppugnaret obſeſſum, ne oppidum à deſperatis incenderetur veritus, conſulto *ſegnius adminiſtrari omnia* juſſit, quo ſpem effugii præberet hoſtibus. Nec aliter quàm cogitaverat factum. Eruperunt illi, & incenſis ad flumen Bætim navibus, quo diſtinerent Julianos, profugiunt: ſed à præparatis ante equitibus conciduntur. Sic Hiſpali recepta verſus Aſtam proceſſit, unde legati venerant, oppidum dedentes: & in itinere oppugnatis quæ reſiſtebant, ad Carteienſes contendit, quorum legati *Pompeium in ſua poteſtate eſſe* renunciaverant. Sed ea quoque civitas diſceſſerat in partes, & re cognitâ portæ ſunt à Pompeianis occupatæ.

Cn. Pompeii fuga.

LIX. Tandem magna excitata ſeditione, & cæde edita, ſaucius humero

Cn. Pompeii majoris fratris mors.

Pompejus naves triginta occupat longas, iiſque profugit. ſed premente fato, dum navigium conſcendit, funiculo irretivit pedem, & accelerans quidam, ferroque abrumpere funiculum volens, ſiniſtrum ejus crus incidit. Comperta Pompeii fuga Q. Didium, qui Gabidus elaſſi præerat, excitavit, ut mari eum terraque perſequeretur. Sed Pompeiana claſſis nullis rebus paratis profecta, intra quartum diem aquationis cauſſa, ad montana quædam loca adplicuit. Eo loco Didius occurrit, & navibus quibuſdam incenſis, aliis captis, præcluſit maritimam fugam. Pompeius deſerta & avia petens, poſtquam *adeſſe cum Didianis equitibus & cohortibus Cæſennium Lentonem* audiit, ad ultimam ſpem munito loco, haud procul Laurone capto repugnat. Dio. App. Auct. de bello Hiſp. Strab. lib. III. Florus. 4. 2. 86. Vell. 2. par. 4. Dio.

LX. Cęſennius ubi vi capere locum poſſe deſperat, circum munire inſtituit. Tum vero Luſitani certiſſimum exitium fuga vitare coacti, deſeruerunt Pompeium, qui præter accepta vulnera talo etiam intorto, neque pedes iter facere poterat, neque ut equo vehiculove uteretur, natura loci præcipitiis aſpretiſque horridi ſinebat. Idcirco cavis exeſiſque rupibus & antris ſe occultans, captivorum inditio proditus eſt, atque interfectus. Caput adoleſcentis præciſum Cęſennius retulit, idque à Didio tranſmiſſum, Cæſari revertenti Hiſpalim A. D. pridie Id. Aprileſ relatum eſt. Cæſar *in conſpectum dari populo, ad reprimendos rebellium ſpiritus, deinde ſepeliri* juſſit. Et interitus. Auct. de bello Hiſp. Cic. Philipp. 12. 9. Plut. Cæſ. cap. 79. Appian.

LXI. Neque diu lætatus hoc eventu Didius, à Luſitanis, qui ſe denuo collegerant, per inſidias occiſus eſt. Interea qui Mundæ fuerant circumſeſſi, quum eruptionem tentaſſent, eſſentque à Q. Fabio cum magna cæde rejecti, dolum paraverunt, ut magna manus, per ſpeciem transfugii recepta, in caſtris adminiſtraret cædem, eodemque tempore cæteri eruptionem facerent. Sed prodito eorum inſtituto Fabius teſſeram per caſtra dedit, *uti omnes Mundenſes extra vallum conciderentur*. Tandem operibus ad ſiduis intercluſi, quum extremum malorum acceſſiſſet diſcordia, deditionem aliis volentibus, cæteris alia omnia, inter ipſos concurſum eſt, & portæ ab alteris adapertæ. Munda expugnatur. Auct. de bello Hiſp.

LXII. Nec prætermiſit occaſionem Fabius, occiſiſque multis, reliquos redegit vivos in poteſtatem. Munda cum immenſa hominum cæde expugnata, vicinum oppidum Urſaonem tentari placuit, ſitu operibuſque permunitum. Interea Cæſar à Gadibus quo proceſſerat, Hiſpalim regreſſus, commeatu convocato, ſevera oratione Hiſpanos increpuit, *quod beneficiorum quæ primo Quæſtor iis, poſtea Prætor, deinde Conſul, nuper Dictator victorque frequentia & magna dediſſet, immemores, tam facile ad arma contra ſe capienda inducti eſſent*. Deinde revolutus *ad perpetuæ ſuæ clementiæ commemorationem, conſervaturum ſe Provinciam dixit*. Pecunia maxime imperata eſt, quibuſdam & agri adempti, & graviora impoſita ſtipendia. Cæſar victos mulctat. Oroſ. 6. 16. Dio.

LXIII. Sed ex æde Herculis Gaditani donaria ſuſtulit, ſatis adſuetus apertiſſimis rapinis atque ſacrilegiis ſuſtinere bellorum atque munerum impendia. Ne ſociis quidem & benemeritis gratuita beneficia tribuit, agro donando, aut immunitate concedenda, civitatiſque & coloniæ nonnullis dando jura. Sub hoc tempus Hiſpalim deducta colonia, ex nomine Cæſaris & Romæ, Julia Romulenſis appellata eſt. Inter hæc otia, hæc enim bellicis comparata laboribus, homini numquam ceſſare ſolito otia videbantur, Anti Catones duos ſcripſit, Octavius ad Cæſarem avunculum venit. Suet. Cæſ. 547. Dio. Iſidor. 15. 1. Plin. 3. 1. 14. Ci. ad Att. 12. 39. Nicol. Damaſc. de vit. Aug.

vituperationem continentes Catonis, laudationique Ciceronis oppoſitos. His rebus ferme ſeptimum intra menſem confectis C. Octavius ad avunculum Cæſarem Carteiæ adhuc agentem venit, impeditus morbo, ne diſcedentem Roma comitaretur.

Cæſar Romam diſcedit. Dio. Nicol. Damaſc. App. lib. II. Civil.

LXIV. *Per eos dies enatum palmæ germen in loco Mundenſis pugnæ huic Octavio proſperum omen feciſſe*, quem tantarum opum ſucceſſorem DEUS deſignaverat. Sed ad ſuam fortunam trahens Cæſar, factus erat hilarior atque confidentior. tantoque facilius accepit Octavii preces, tam pro aliis interpoſitas, quam etiam pro Saguntinis, qui multis criminibus urgebantur, quum ad conventum Carthaginenſem Cæſar acceſſiſſet. Cætera deinde Provincia conſtituta, uti commodum properanti fuerat, Romam ad triumphum deceſſit.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXVI. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

C. CÆSAR ex Hiſpania quintum triumphum egit: Et cum plurimi maximique honores ei ab Senatu decreti eſſent; inter quos, ut Pater Patriæ appellaretur, & Sacroſanctus, ac Dictator in perpetuum eſſet, invidiæ cauſſam adverſus eum præſtitere, quod Senatui deferenti hos honores, quum ante ædem Veneris Genitricis ſederet, non aſſurrexit: & quod à M. Antonio conſule collega ſuo, inter Lupercos currente, diadema capiti ſuo impoſitum in ſellæ repoſuit: & quod Epidio Marullo, & Cæſetio Flavo Tribunis plebis, invidiam ei tanquam regnum affectanti moventibus, poteſtas abrogata eſt. Ex iis cauſſis conſpiratione in eum facta (cujus capita fuerunt, M. Brutus, & C. Caſſius, & ex Cæſaris partibus D. Brutus & C. Trebonius) Pompeii in curia occiſus eſt viginti tribus vulneribus, occupatumque ab interfectoribus ejus Capitolium. Oblivione deinde cædis ejus ab Senatu decreta, obſidibus Antonii & Lepidi liberis acceptis, conjurati à Capitolio deſcenderunt. Teſtamento Cæſaris hæres ex parte dimidia inſtitutus C. Octavius ſororis nepos, & in nomen adoptatus eſt. Cæſaris corpus, quum in campum Martium ferretur, à plebe ante roſtra crematum eſt. Dictaturæ honos in perpetuum ſublatus eſt. C. Amatius humillimæ ſortis homo, qui ſe C. Marii filium ferebat, quum apud credulam plebem ſeditiones moveret, necatus eſt.

HISPANIENSEM *Cæſaris triumphum, non uti conſueverat, lætum populo, ſed peracerbum fuiſſe* tradunt: quia ſub Hiſpanorum præſcriptione, non de Rege aliquo aut Imperatore barbaro; ſed aperte de civis ampliſſimi modo, mox miſerrimi, oppreſſa domo ducebatur. Itaque nec adparatus (erat autem ex argento raſili) nec epulum quod populo dedit, pari voluptate lætitiaque celebrata ſunt. quamquam duo præbuiſſet prandia, quia prius parciùs atque tenuiùs quàm pro ſua liberalitate inſtructum crediderat. Tum quoque frumentum populo diſtribuit, ne quid magnificentiæ deeſſet. Porrò poſt Triumphum Conſularia Comitia habuit, ſuffecitque ſibi in tres noviſſimos menſes (tot enim ſupererant) Q. Fabium Q. F. Q. N. Maximum, C. Trebonium C. F. tanta quidem indignatione populi, veterem morem iterum violari non ferentis, ut Q. Fabio theatrum introeunte, quum lictor *animadverti* ex more juſſiſſet, univerſi reclamaverint, *non eſſe eum Conſulem*. Triumphus Cæſaris ex Hiſpania. Plut. Cæſ. c. 50. Vell. 2. 56. 2. Dio. Suet. Cæſ. 37. & 76. 4.

II. Triumphum etiam eidem Fabio, ſed & Q. Pedio, legatis ſuis, decernendum curavit ex Hiſpania, quaſi parum fuiſſet ſemel traductam eſſe civilium armorum calamitatem: quamquam nihil illi ſuis auſpiciis geſſerant. Fabius Maximus A. D. III. Id. Octobr. in Conſulato ſuo triumphavit; A. D. Idus Decembr. Pedius. Hi triumphi, quum minime favente populo ducerentur, etiam ob mediocritatem pompæ deriſi ſunt. Quum enim paucis ante diebus Cæſar oppida eborea aut argentea transtuliſſet, deinde Maximus lignea; *theeas eſſe oppidorum Cæſaris* jactitatum eſt. Sed mirari non oportet Cæſarem hanc oſtentaſſe victoriam, quum tantis excepta Romæ publicis gratulationibus eſſet, tam ſingularibus cohoneſtata decretis. Triumphi legatorum ejus. Dio. Faſti Capit. Quintil. 6. 3. 52.

III. Sane tantum illi verecundiæ ſuperfuerat, ut neque nuncios ex Hiſpania, neque litteras publice mitteret: at Patres, plerique adulandi ſtudio, nonnulli quo maiore oneratum invidia velociùs & excuſatiùs perderent, honores nullo nec jure, nec exemplo congerebant. Et Cicero quidem, quantum ſummo cuique hominum tribui poteſt, ſententia ſua dederit. Sed alii ſic adauxerunt, ut Cicero propemodum malevolus fuiſſe videretur. Ita *ſupplicatio dierum quinquaginta* decreta. *utque Palilibus ludi ederentur, non jam ob natalem Urbis, ſed quia pridie ejus diei nunciata Cæſaris hæc victoria fuiſſet*. quemadmodum eodem menſe A. D. VI. Id. April. ludi ob victoriam Africanam fiebant. Sed & cæteras inſigniores ejus victorias ſingulis ludis placuerat celebrari. Senatus adulatur Cæſari. Plutarch. Dio. Ovid. Faſt. 4. 315.

IV. Cæterum hæc erat potius calamitatis vulnerumque Reipublicæ triſtis exprobratio: levius inſaniſſe viderentur, qui *Clementiæ templum ponendum* cenſuerant: *niſi commune ipſi atque Clementiæ* eſſe voluiſſent, *ſimulachris utriuſque dextras jungentium dedicatis*. Sane quid facturus fuerit Cæſar, ſi vixiſſet diutius, non liquet. Illud in confeſſo eſt, quoad vixit mitem humanumque & placabilem adverſariis ſe præbuiſſe. Sed & ſub extremum tempus etiam quibus nominatim reditum non conceſſerat, reverti omnes, honoreſque & imperia capere paſſus eſt. Brutum quidem & Caſſium Prætores tum fecerat: aliis multis alios Magiſtratus conceſſerat: conjecturam inde faciente populo, fore, ut exemplo Sullæ Rempublicam redderet. poſtea L. Sullæ, & Cn. Pompeii ſtatuas à plebe disjectas, per Antonium collegam repoſuit. quo tempore dixiſſe Cicero Clementia Cæſaris. App. lib. 2. Civil. Plut. Sueton. Cic. homil. 5. 6. Polyæn. ſtrat. lib. 8. Plut. de util. ex inimicis pfiend. cap. 14. & pophthegm. cap. 41.

ſertur, *Cæſarem Pompeii ſtatuas erigendo, ſtabilire ſuas*. de Pompeio ſemper honorificentiſſimè loquebatur.

Eiuſdem inſolentia; Plut. Cæſ. Cic. Famil. 6. 7. Macrob. Saturn. 2. 2. Sueton. Cæſ. 46. 4.

V. Prætereà cohortes Prætorias, quibus ſtipatus bellorum tempore fuerat, à ſe removit. *cuſtodes corporis uti adſciſceret* amicis monentibus, multiſque ſe offerentibus ad officium, reſpondit, *ſemel mori præſtare, quam ſemper timere*. Dicta graviora inhibere quam vindicare maluit. In quibus & A. Cæcinæ criminoſiſſimum librum, & M. Otacilii Pitholai carmina maledicentiſſima æquo & civili animo tulit. Sed hæc tam pulchra & laudanda pleriſque inſolenter uſurpandis corruperat, in omni celebritate triumphalem veſtem indutus, laurumque perpetuo geſtans: *quo tamen honore lætatum ideo præcipue* ferunt, *quod moleſta & dictis obnoxia calvitiei deformitas ſic tegebatur*.

Habitus corporis. Dio. Sueton. Cæſ. 76. 2.

VI. Sed ipſum occultandi ſtudium patebat obtrectatorum jocis; & quod *à Venere ſua præcipuum formæ decus adeptum* ſeſe credi volebat; & de maximis quibuſque negotiis literas Venere armata obſignabat, hanc inſculptam annulo geſtare ſolitus. Fuit enim ſtatura excelſa, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetiſque oculis. Sed & cultu notabili commendare formam ſtudens, jam olim non evitaverat dicteria: quum & rubei coloris veſte uteretur, qualem Albæ Regibus geſtari ſolitam, ipſe Juli genus eredebat ad ſe pertinere, & fluxiore cinctura, in quam memorabile Dictatoris Sullæ dictum fuit, deprecantibus pro Cæſare amicis, *cavere* jubens *male præcinctum puerum*.

Divini honores Cæſari decreti. Macrob. Saturn. 2. 3. Sueton. Cæſ. 76. 2. Pauſan. Laconic. Tacit. 1. 9. 2. & ipſ. ad Tacit. Annal. 1. 12.

VII. Unde & Cicero poſt civile bellum interrogatus *quomodo in electione partis erraſſet*; *præcinctura*, inquit, *me fefellit*. Sed hæc erant, præ his quæ ſequuntur, tolerabilia. Namque ſacrificiis, certaminibus, donis circa omnia templa & loca publica, per ſingulas tribus colebatur: delubra quoque complura ei decernebantur Senatuſconſulto: eamdemque inſaniam, ad exemplum Urbis, civitates Regeſque ſocii inſaniebant. Ipſe *liberator* vocabatur, relato in faſtos nomine: templumque libertati locabatur publicè. Prænomen *Imperatoris* non ipſi tantum, ſed filiis etiam nepotibuſque dabatur, quum nullos haberet; quod poſtea ſequentes ad Principes, cum nomine Cæſaris pervenit, privato conceſſum nemini: quam adhuc *Imperatores* vocarentur ob victoriam. quem honorem ipſi quoque Prineipes adleiſcebant, vel ſæpius; ut *Auguſtus* quidem *Imperator appellatus* legatur *ſemel & vicies*. Sed iſta quidem appellatio quoties victori tribuitur, poſt nomen adſcribi ſolet: idem quoties Principatus eſt nota, præmittitur.

Et univerſa in Rempublicam poteſtas. Sueton. Flor. 1. 2. 91. Dio. lib. 44. & lib. 43. Appianus. Euſeb. Macrob. Saturnal. 1. 12.

VIII. Adpellatus eſt & *Pater patriæ*, & *Dictator perpetuus*, *Conſulque in decennium continuum*, *& ſacroſanctus eſſe* juſſus, quo jure ſemper Tribuni plebis fuerant. Sacerdotibus Veſtalibuſque injunctum, *uti ſingulis luſtris vota pro eo facerent publice*. Decretum, *ne quis coniunctum cum eo imperium haberet, neve rerum bello gerendarum laudem communicaret: utique Magiſtratus inter ineundum jurarent, nihil moturos eorum quæ eſſent à Cæſare definita: neve quis iniuſſu eius ullam partem militaris imperii, aut pecuniæ publicæ adtingeret*. Menſem quoque cujus nomen antiquitus à numero Quinctilis fuerat, *Iulium* adpellari voluerunt, quod eo menſe erat in lucem editus, A. D. V. Id. quo die *ſacrificandum* quoque cenſuerunt *ob natalem Cæſaris*.

Statuæ Cæſari datæ.

IX. Sed quia dies eadem celebrabatur Apollinaribus ludis, ea cauſſa fuit,

cur

cur edicto Triumvirorum postea Cæsaris natalis in antecedentem diem retrahe-retur: quia honores ei divinos habere cupiebant, Apollinaribus non poterant, quem diem antiquæ religiones unius Apollinis honori voluerunt esse consecra-tum. Tum etiam *statuam Cæsari eburneam, mox thensam & ferculum Cæsaris Circensi pompa inter simulachra deorum* jusserunt *vehi*: & imagines in templis vario ornatu proposuerunt: unam in fano Quirini cum inscriptione Dei invicti; aliam in Capitolio, ubi septem Regum erant statuæ, & octava in medio gladium stringentis L. Bruti, qui libertatis vindex fuit: *juxta hanc Cæsaris collocata statua M. Bruto momentum ad facinus fuisse* creditur, quod postea suscepit. Dio. lib. 43. et 47. 3. 83. Sueton. App. Florus. Cic. Philip. 2. Plin. 33. 1. Plutarch. Bruto cap. 17.

X. His honorum velut infulis victima ornabatur, solatio potius quam remedio cæsura libertatis. Sed & alia multa decreta fuerunt, quæ tamen ex his cognosci æstimarique possint: nec ei numerus tantum horum atque novitas concivit invidiam, sed magis etiam ipsius superbia, quod cum his decretis venientem ad se proæde Veneris Genitricis universum Senatum, Consulibus præcedentibus, sedens excepit, dextra tantum porrecta singulis. Nihil temere aut acceptum acerbius, aut pluribus exagitatum sermonibus fuit. Quidam *adsurgere conantem à Cornelio Balbo retentum* autumant, *memorem esse jubente majestatis suæ*. alii *conatum* negant, *sed C. Trebatium admonere ausum limis aspectasse*. quapropter excusantibus illum postea *profluvio ventris laborantem timuisse, ne quid adsurgens turpiter faceret*, non est creditum, præsertim quia deinde pedibus domum redierat. Superbia Cæsaris non assurgentis Senatui. Florus. Dio. Liv. Epitom. Sueton. Cæsar. 78. 1. Plut. Cæs. c. 84. Appianus. Eutropius.

XI. Et quo ægriùs homines factum ejus paterentur, quam ipse tulisset iniquo animo recordabantur, quod triumphanti, quum subsellia prætervehertur, à Tribuno plebis Pontio Aquila adsurrectum non fuerat. Nam & statim præ indignatione exclamarat, *Repete igitur à me Aquila Rempublicam Tribunus*: & per continuos aliquot dies nihil promisit cuiquam, ut non adjiceret; *tamen per Pontium Aquilam licuerit*. Ex honoribus porro decretis, præter decennem Consulatum, admisit reliquos, & quibusdam statim cœpit uti: Magistratusque ad libidinem & capere & dare solitus, pridie Kalendas Januarias, quum hora secunda, Comitiis Quæstoriis institutis, Sella Q. Maximi Consulis posita, deinde mortuo eo nunciato, qui nullis evidentibus causis obierat, sublata esset; qui comitiis tributis esset auspicatus centuriata habuit: petentemque Consulatum hora septima renunciavit Consulem Caninium C. F. C. N. Rebilum, qui usque ad Kalendas esset, quæ essent futuræ postridie. Consul unius diei. Sueton. Cæs. 76. 3. App. Dio. Cic. Famil. 7. 30 Plin. 7. 53. Fasti Capitol. Tacit. 3. 11. 37. 5. Suet. Cæs. & Neronc c. 15.

XII. Hæc referri melius non potuere, quam verbis Ciceronis, qui interfuit, neque dicta prætermittenda, quibus Consulatus iste derisus est; *Caninio Consule prandisse neminem; eum tanta fuisse vigilantia ut toto Consulatu suo somnum non viderit*. Ciceronis sales sunt; *antea Flamines Diales fuisse, nunc Consules*, Pitholai. Sed & ad salutandum Consulem ituris, *maturemus*, inquit Cicero, *ne priusquam accedamus, ille Consulatu abeat*: idemque Græco verbo λογοθετήσειεν adpellabat Consulem, tamquam qui sensu percipi nequiret: *idque consequutum esse Caninium* dicebat, *ut quibus Consulibus Consul fuerit quæreretur*. Sed tamen res in exemplum ivit, neque deinde quidquam fuit usitatius, quam ut multi eodem anno Consules, & plerique in bimestre crearentur: annis nomina darent, qui ex Kal. Januar. fuissent. Multum irrisus à diversis. Cicer. Dio. Macrob. Saturn. 2. 2. Plutarch Cæsar. cap. 21.

Numerus Magiſtratuum auctus à Cæſare. Dio. Tacit.

XIII. Cæteros Magiſtratus in ſpeciem more antiquo populus dabat, recuſante munus iſtud Cæſare: ſed tamen neque contra voluntatem ejus fiebant, & provinciæ ab ipſo mandabantur extra ſortem. Numerus adhuc cæterorum idem; ſed Prætores eo anno quatuordecim, Quæſtores quadraginta creati. Nec enim erat alia maturandis civilis belli præmiis expeditior ratio. Eamdemque ob cauſſam collegio quindecim virorum adjectus unus eſt; & ſeptem viris tres additi.

In Senatu adlecti homines viles. Dio. Sueton. Cæſ. 76. 8. Jo Sarisber. 3. 2; ex Macrob. Saturn. 2. 3. Senec. epiſt. 98 33. Sueton. Cæſ. 72. 2. & 76. 9.

XIV. In Senatorium quidem ordinem ad legebat ſine diſcrimine milites, libertinos, civitate recens donatos, Gallos quin etiam ſemibarbaros, aucto ad nongentos Senatorum numero. Unde rogatum à quodam Ciceronem, *uti privigno ſuo decurionatum expediret*, reſpondiſſe ferunt, *Romæ ſi vis habebit; Pompeiis difficile eſt*. & Q. Sextius pater latum clavum offerente Cæſare, ſtudiorum obtentu repudiavit. Quoſdam infimi generis provexit ad ſummos honores: monetæ, publiciſque vectigalibus peculiares ſervos præpoſuit: trium legionum quas Alexandriæ reliquerat, curam & imperium, exoleto ſuo Rufini liberti ſui filio, commiſit.

Cum indignatione, ſed vana populi. Sueton. Cæſ. 45. 8 72. 3. 80. 4. Nicol. Damaſc. de inſtit. Auguſt.

XV. Hæc quoque vanis vocibus ultus eſt populus, hoc tantum adſequutus, ut & pati poſſe quævis indigna & moleſta judicaretur. Ideo *Gallos idem in Triumphum atque Curiam, depoſitis braccis, lato clavo ſumpto, duxiſſe* canebatur: & libellus eſt propoſitus in hanc formam: *bonum factum. ne quis Senatori novo Curiam monſtrare velit*. Hæc ille ſic defendebat, ut diceret palam, *ſi graſſatorum & ſicariorum ope in tuenda dignitate uſus eſſet, talibus etiam ſe parem gratiam relaturum*. Sed in adlegendis patritiis fuit aliquanto ſeverior: in quos & C. Octavium recepturus erat, chariſſimum ſibi; & maximi meriti virum, neq; pollutum ab indignis honorem patienter laturum, M. Ciceronem, lege Caſſia.

Qui & avaritiam Cæſaris & profuſionem arguit. Diod. lib. 43. & 46. 1. 21 Sueton. Cæſ. 50 3. 54. 77 6 7. Macrob. Saturn. 2. 2.

XVI. Adſcripſit autem præterea Conſulares omnes, & eos, qui cum imperio ad exercitus fuerant. Sed & viris Prætoriis decem Conſularia ornamenta tribuit. Quod autem dimiſſi quidam fuerunt, quos accuſatores corruptorum judiciorum vicerant; id crimini datum eſt Cæſari, tamquam pecuniæ cauſſa jus violaſſet: eaque ſuſpicio vehementius aucta, poſtquam loca publica, nec profana modo, ſed etiam ſacra quædam ſubjecit haſtæ. Certabat tamen ibi quoque cum rapacitate profuſio, multiſque grandes ſummæ donatæ, aut minimis addicta ſunt luculenta prædia, notumque eſt Ciceronis dictum, mirantibus ampliſſimos fundos minimo abſtuliſſe matrem Serviliorum; *quo melius emptum ſciatis, tertia deducta eſt*. Erat autem Junia Tertia Serviliæ filia C. Craſſi uxor: quam & ipſam conciliare Cæſari mater credebatur.

Ærarii adminiſtratio. Dio. Tacit. 3. 49. 1.

XVII. Sed L. Baſilo Præturam gerenti vilum intolerabile, quod negata provincia pecuniam Cæſar dediſſet: igitur non ferens ignominiam, ſibimet conſcivit necem. Hæc, ut in civitate ſtudiis & moribus diſcordi neceſſum erat, varie accipiebantur: gaudebant quorum hæc fiebant emolumento; cæteri ringebantur, ſermonibuſque occultis, & quibus plus audaciæ erat, libellis editis, temporum infelicitatem traducebant. Hæc terme anni illius geſta reperio: quo quidem ærarii curam ex Præfectorum numero duo geſſerunt, à Quæſtoribus prius adminiſtrari ſolitam.

Et Urbanorũ negotiorum. Dio.

XVIII. Ab eo initio varie habita ejus rei forma eſt; nec poſtea perpetuo mandata Quæſtoribus, ſed poſtremo præfecti ſunt ærario Prætorii. Quæſtores aute n

Magiſtratus in anteceſſum à Cæſare deſtinati.

eo anno nulli creati, cum Lepido Magiſtro Equitum, ſicut & factum anno ſuperiore fuerat, præfectis Urbana negotia adminiſtrantibus: qui poſtulati, *quod lictores prætextamque & ſellas curules habuiſſent;* legem protuleruut, per quam *earum rerum poteſtas* fiebat *iis, qui Magiſtratum aliquem à Dictatore accepiſſent.* Apollinares ludi ſumptibus Cæſari ſacti ſunt per alterum præfectorum, quos ærario præfuiſſe diximus: Romanos Ædiles plebis fecerunt ex Senatuſconſulto. Præterea quod neque prius neque poſtea factum reperitur, unus præfectorum, quum feriis operam daret, alium ſibi ſuffecit in proximum diem, atque ille iterum alium.

XIX. Sequitur annus Julianus ſecundus, quintam Cæſaris Dictaturam, quintumque & poſtremum Conſulatum adferens. Proximis enim Comitiis quum promiſſis ejus inductus Dolabella Conſulatum petiſſet; quia M. Antonium creare Conſulem cupiebat, qui ex Hiſpania redeunti longiſſime profectus obviam, priſtinum familiaritatis gradum recuperaverat; ſciens eum eſſe Dolabellæ inimiciſſimum, ſemetipſum cum M. Antonio deſignarat: Dolabellam oſtendens priuſquam ad bellum Parthicum proficiſceretur, Conſulem eſſe juſſurum. M. Lepidum adſciverat Magiſtrum Equitum; & quia Galliam ille Narbonenſem cum Hiſpania citeriore per legatos adminiſtrabat, & tum iturus ipſe erat in provinciam, C. Octavius C. F. C. N. Magiſter Equitum deſignatus eſt, ut quum M. Lepidus paludatus exiſſet, iniret. nam ut Lepido præferretur ab avunculo fruſtra petierat, quod eſſet adhuc adoleſcentulus.

Urb. cond. an. 709. Dolabellæ Conſulatus dictus. Cic. Philip. 2. 32. Plut. Anton. cap. 16. Faſti Capit. & Dio. Ann. lib. 11. Civil. Plin. 7. 45.

XX. Deſignavit & Cn. Domitium M. F. M. N. Calvinum, qui ſibi Dictatori Magiſter Equitum in annum ſequentem eſſet: ſed tum Magiſtro Equitum non fuit opus, Dictatura ſublata. Quod enim belli Parthici cauſſa abſuturus erat Cæſar, decretum fuerat, *uti plures in annos Magiſtratus ordinarentur.* Nec tamen omnes declarati: Prætores tamen conſtituti ſedecim, in quibus & P. Ventidio fuit locus. Ædiles tum primum ſex creati, duo patricii, quos ob frumenti procurationem *Cereales* vocabant; quatuor plebeii, cæteri quoque Magiſtratus omnes eum in annum conſtituti ſunt. in ſequentem, præter Conſules & Tribunos plebis nemo.

Plures in annos Magiſtratus ordinarentur. Faſti Capit. Sueton. Cæſ. 76. 6. Dio lib. 44. f. 2. par. 3. de origjur.

XXI. Ipſe qui numquam poſſet quieſcere, multa ſimul negotia amplexus, dum expeditio paratur, de ornandis inſtruendiſque Urbe & Imperio cogitabat: Theatrum imprimis exſtruere adgreſſus eſt ſummæ magnitudinis, Tarpejo monti adcubans. Deſtinavit & Marti Templum, quantum nuſquam eſſet, complanato lacu, in quo naumachiam ediderat: præterea Græcas Latinaſque bibliothecas, quam poſſet maximas, colligendi negotium M. Varroni dederat. Quę opera morte ejus interrupta, ſucceſſor Auguſtus perfecit. penes ipſum invidia fuit, quod loco theatri repurgando multa privata atque etiam ſacra ędificia diruerat: crematis ſimulachris ligneis, & quos repererat, theſauris ſuum in ſinum reconditis.

Cæſaris deſtinata, & opera. Plut. Cæſ. c 82. Sueton. Cæſ. 44. & Dio.

XXII. Parabat & ſiccare Pomtinas paludes, quę à Circeiis magnum agri Latini modum abſorbuerant: Aninen flumen, ipſumque Tiberim, ſtatim à Ponte Mulvio prędictis foveis exceptos, ſecundum montes Vaticanos, per Circęum promontorum Tarracinam, atque in mare Tyrrhenum deducere, quo minore negotio ſubigi naves onerarię poſſent: & jactis ad mare circum Oſtiam

Sueton. Dio. Plin. 3. 5. 26. 3. Cic. ad Attic. 13. 33. Plutarch. Plin. 44.

molibus, alveoque Tiberis repurgato, portum efficere cujuslibet navigationis capacem, & quo facilius Urbs adiretur à mari supero per Apennini dorsum ad Tiberim usque munire viam. Sed & Isthmum perfodere inter Lecheam & Cenchreas navigabili alveo cogitavit; quod olim Rex Demetrius, postea Caligula & Nero Cæsares, infesto omnes incœpto, & ipsorum interrupto morte, tentaverunt.

Corinthi & Carthaginis instauratio. Dio lib 43. Cic. ad Attic. 13. 33. & 35. Plut. Cæs Pausan. Corinthiac. Diod. ap. vales. App Leonic.

XXIII. Inter hæc & leges tulit, & pomœrium protulit Urbis. quibus rebus quum imitari Sullam videretur, longissime anteibat clementia, qui adversus se arma tulerant, pari cum cæteris jure sinens agere, & quibus bona propter delictum ademerat, eorum filiis remittendo partem. Igitur licet arduum sit unum aliquem & belli & pacis excellere laudibus, utroque nomine clarus apud populum Romanum atque venerandus erat. Auxitque gloriam apud exteros, duarum nobilissimarum urbium, Corinthi & Carthaginis instauratio, quæ ante annos circiter centum simul deleræ, tum clementia & liberalitate Cæsaris resurrexerunt.

Ejus rei causa. Strabo lib. 8. & 17. Festus. Nummi apud Vales. in Diod. Fragmenta. Mela 1. 3. Solin. cap. 40.

XXIV. Consilium hoc cepisse in Africa creditur, somnio permotus, quum adversus Pompejanos in solo Carthaginis castra posuisset. Magnum exercitum videre per quietem imaginatus, seque fletu ejus permotum adpellari; *ut populosissimam olim urbem, iterum è ruinis excitaret;* statim in Commentarios retulit, *missurum Colonias Carthaginem & Corinthum*, cujus eum simul memoria subierat. Coloni sunt Corinthum missi libertini generis plurimi, *Corinthiensesque* adpellati, & Colonia *Julia Corinthus*. Ab eo tempore rursus magnopere hæ urbes efflorverunt: Carthago quidem in tantum, ut à Solino *alterum post Urbem Romam terrarum decus* adpellaretur.

Cæsaris vasta consilia. Dio. App. lib. 2. Civil. Plutarch. Sueton. Cæsar. 44. 5.

XXV. At Cæsar multis ad bellum causis excitatus, quod & Crassum vindicari populus Romanus jubebat; & ipsi valetudo inter laborem erat firmior; sed præcipuo gloriæ stimulo, quâ vastus & insatiabilis animus sine modo, sine fine indesinenter adpetebat: præmissis trans Adriaticum sinum legionibus sedecim, equitum decem millibus, Dacos qui se in Pontum & Thraciam effuderant, coercere; mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem meditabatur: his devictis per Hyrcaniam ad Caspium mare penetraturus, ut Caucaso ambito, Scythiaque perdomita, & quæ supra Germaniam colunt gentibus, ipsaque Germania, per Gallias in Italiam rediens, omnem fere orbem habitabilem, unius Imperii jure complecteretur.

Illyriorum legatio. Æthicus in præfat. App. Illyr.

XXVI. Sub idem tempus, his puto cogitationibus admonentibus, Senatus consultum faciundum curavit, *uti totius orbis Romani descriptio, cum accuratis locorum dimensionibus, in tabulas referretur*. His excitæ rumoribus Illyriorum nationes nunquam latis pacatæ, legatos miserunt, præteritorum potentes veniam, traditis in fidem Cæsaris omnibus. Sed inter orandum barbara quadam ferocia, *gentis suæ robur, & induratam bello fortitudinem* exulerant. Itaque Cæsar acriore responso superbiam eorum reprimendam ratus; *Vos quidem*, inquit, *armis Romanis sæpe provocatis domiti, dum majoribus curis distringimur, à pacta fide subinde resilistis. nec antiquiora commemoro: me subigendis Gallis occupato; quum Liburnis Priamonem reddi juberem, spretis mandatis meis, etiam copiarum eo missarum partem insidiis circumvenistis. post paulo Gabinium cū quindecim cohortibus,*

Cæſar regnum cupit ſpecie recuſantis.

& tribus millibus equitum, per fines veſtros ad me tendentem in Macedoniam, hoſtiliter vexaſtis, multis oceiſis militibus, ſignis ſpoliiſque ablatis.

XXVII. *Nunc amicitiam audetis à me petere, quem tot injuriis laceſſere veriti non eſtis. At ego talia perpetrantibus amicus eſſe non didici: armis ulciſci armatos, & pacem quam petunt præſtantibus parcere, Romanum & meum eſt. Ideirco tributa, & in futurum fidei pignus obſides mittite; aut hoſtilia omnia propediem exſpectate.* Orantibus illis, & utrumque pollicentibus, P. Vatinium cum legionibus tribus, & magno equitatu miſit, qui acciperet obſides, & tributa imponeret. Sed talia agitantem animo Cæſarem feſtinata civium dolo mors prævenit.

Tributa & obſides pollicentur.

XXVIII. Jam eum exoſum multis nimii honores fecerant; & quod in his uſurpandis exiſtimatus erat eſſe ſuperbior. Sed maxime deſpectus ab eo nuper Senatus putabatur: iſque dolor adrogantiore facto ſævius recruduit. Quum A. D. VII. Kal. Februar. ex Albano monte ovans reverteretur (hic enim ei honor decretus fuerat è feriis Latinis redeunti) adclamatione quorumdam *Rex* adpellatus, quum id animadverteret populo patum placere, *non Regem ſe, ſed Cæſarem eſſe* reſpondit. Attamen quidam è turba ſtatuæ ejus coronam impoſuit, candida pręligatam faſcia, in diadematis modum. *Eam faſciam* duo Tribuni plebis L. Ceſetius Flavus, C. Epidius Marullus *detrahi*, *hominemque in carcerem duci*, juſſerunt: gratum facturos Cæſari ſperantes, quod ille moram aliquando Regni rationem ſimilis indignabundo rejeciſſet.

Cæſaris factă adrogans. Faſti Capitol. Dio. Plutarch. Suet. Cæſ. 79. 2. Appian. Plut. Bruto cap. 14.

XXIX. At ille graviter increpavit Tribunos, quaſi ereptam ſibi gloriam recuſandi doleret: ſubinde *Brutos* vocans & *Cumanos*, quia populus factum eorum probans, quaſi vindices libertatis hoſteſque Regni, *Brutos* adpellaverat. nihil tamen adjecit in præſencia triſtius. Cęterum Tribunos poſt aliquot dies queri auſos, *ſibi neque integrum, neque tutum eſſe de Republica loqui*, accuſavit in Senatu, *quod invidiam ſibi tanquam adfectanti tyrannidem facerent*; & multis extrema decernentibus, *ſufficere* dixit, *ſi Senatu moti Tribunatum amitterent.* Rogationem de abrogando eis Magiſtratu C. Helvius Cinna perculit: pauloque poſt interemptus, firmavit opinionem, neminem, qui collegæ Magiſtratum abſtuliſſet, annum ſupervixiſſe.

Cęſetio & Marullo Tribunatum plebis adimit. Suet. Plutarc. Appian. Val. Max. 5. 7. a Dio. Liv. Epitom. Jul. obſeq. c. 139.

XXX. Cæſetii pater à Cæſare *filium abdicare* juſſus, *facturum* ſe negavit. Quod à Cæſare latum civiliter, non tamen abſolvit eum cogitatæ dominationis crimine, quod lenis alias & manſuetus, tam præcipiti iracundia in homines prę-mio digniores exarſiſſet. Fertur & ipſe ſenſiſſe commota hominum odia, & amicis dixiſſe, jugulo nudato, *paratum ſe ad cædem cuilibet: cæterum vigilarent illi: nunc enim egregium nactos eſſe prætextum inimicos.* At Panſa & Hirtio prædicentibus, *ut principatum armis partum armis tueretur*: quæremibuſque, *num igitur pateretur iterum ſtipari cohortibus, quas Hiſpanienſi bello habuiſſet?* reſpondit, *nihil eſſe miſerius perpetua cuſtodia, hoc enim ſemper timentis atque ſolicitiſſe. mori ſe quàm timeri malle.*

Cæſar ſtipratores non admittit. Dio. Appian. Plutarch. Cæſ. et Ant. cap. 17. Vell. 2. 57. 1.

XXXI. Neque tamen aut ipſe deſiit adpetere Regnum; aut familiares ejus hanc augere ſuſpicionem. Noctilime pro Roſtris aurea fella, in Regia veſte, cum aurea corona ſedentem, M. Antonius inter Lupercos curſens, adiit, & diadema paratum adferens, capiti ejus imponebat, tanta hominum mœſtitia, ut

M. Antonius Cæſari diadema imponit. Velleius. Florus 2. 13.

Dio. Liv. Epit. Cic. Phil. 2. 24. Appian. Plutarch. Anton. Cic. Phil. 14.

etiam M. Lepidus averteret oculos: & Cæsar ipse repelleret, plaudente populo, qui modo graviter ingemuerat. Id quia factum erat aliquoties, neque offensus Cæsar pro gravitate rei videbatur; & quum capiti detractum in sella collocasset, reposuisse potius, quàm repudiare existimatus est. Neque mentibus eximi suspicio potuit: quamquam mox in Capitolium mitteret eam, *solum Jovem Romanorum esse Regem* dictitans. Plura enim augendæ suspicioni fiebant, aut futura credebantur.

Cæsar nomen Regis affectare creditur. Dio. Sueton. Cic. de Divin. 2. 54. Appian.

XXXII. Nam & passus erat Cæsar adscribi in Fastis, *ad Lupercalia, C. Cæsari, Dictatori perpetuo, M. Antonium Consulem, populi jussu Regnum detulisse, Cæsarem uti noluisse.* Igitur *rem actam ex composito* credebant: *ut Cæsar, quod flagrantissime cupiebat, suscipere coactus videretur.* Quin etiam fama peretebuit, *migraturum Alexandriam vel Ilium, eam deinceps habiturus Imperii caput: exhaustaque delectibus Italia, regimen Romæ permissurum amicis. Sed & postremo Senatu L. Cottam Quindecimvirum sententiam dicturum, ut quoniam libris Sibyllinis comprehensum esset Parthos nisi à Rege, vinci posse, Cæsar Rex adpellaretur.*

Honores nimios admittens. Plut. Cæs. Sueton. Dio. Vicet Florus. Appian.

XXXIII. *Id maturandi consilii causam conjuratis adtulisse* creditum, *& quia revera Regem Cæsar agebat, ne modestum quidem, sed adsentatorum vocibus infatuatum, & nimios honores sine numero admittentem.* Nam præter eos qui suis locis sunt memorati, decretum ei fuerat, *uti fastigium qualibus ornari templa solent, in domo ejus locaretur: ipse curuli sella semper uteretur; ludis in Tribunitio subsellio spectaret inter Tribunos. opima spolia in templo Jovis Feretrii suspenderet: Lictores semper haberet laureatos: ipsius imagine moneta signaretur: statuæ in omnibus urbibus, atque omnibus Urbis Romanæ templis ponerentur: in ipsis quidem Rostris duæ, altera cum civica corona, altera cum obsidionali: tanquam ipsius virtute servati cives, liberata patria forent: uti Concordiæ Novæ templum statueretur, cum anniversariis ludis, propter restitutam à Cæsare pacem: Curia quoque nova ædificaretur.*

Hostilia Curia & Julia. Flor.

XXXIV. Hostilia quum funere Clodii arsisset, dudum instaurata fuerat. sed eadem nuper erat iterum diruta, Magistro Equitum Lepido *templum ibi* dicente *ædificaturum Felicitati: cæterum id ea re actum* ferebatur, *ut inde quoque Sullæ nomen tolleretur, & nova ibi Curia ex fundamentis educta Julia fieret.* quemadmodum & mensis adpellatus ab eo fuerat; & tribuum una sorte ducta ex omnibus. Adhæc datum, *uti solus perpetuusque Censor esset: filius, sive natus ei, sive adoptatus foret, Pontifex Maximus crearetur. pro salute ejus vota quotannis fierent: per genium ejus juraretur: omnia quæ egisset, rata haberentur: Senatores atque Equites custodiam corporis ejus agerent: Quinquennalia tanquam heroi agerentur: Lupercis tertium collegium adderetur, Juliorum cognomento. munere gladiatorio in Urbe & per Italiam unus dies Cæsari dicatus esset: in theatris sella ejus aurea, & gemmata radiisque distincta corona, sicuti cæterorum Deorum inferretur.*

Jupiter Julius Sueton. Dio.

XXXV. Postremò jam non per ambages, sed propalam pulvinari decreto *Jovem Julium* adpellarunt, eique suum adtribuerunt Flaminem, Antonium. Nec eo minus tamquam mortali sepulchri locum dederunt intra pomærium. & hæc decreta literis aureis in columnis ærcis consignata sub pedibus Capi-

De permittenda polygamia actum.

tolini Jovis collocaverunt. Non me fallit his commemorandis lectori me simile fastidium comparasse, atque ego cognoscendis digerendisque subii. Sed referre credidi, ne parum diligenter ista traderentur, quo sub illustri documento palam fieret, in quantum insanire magna ingenia possint, quoties popularium vocum puerilibus oblectamentis in transversum acta, semel à vero gloriæ itinere diverterunt.

XXXVI. Inerat sane Cæsari præstantissimus animi vigor, & capax omnium, ad quæ adspirare mortalis natus ausit, sublimitas: sed adsuetudine & voluptate jucunda quàm salutaria audiendi non cessavit à se desciscere, donec ad stolida, & pudenda, & postremum exitiosa prolaberetur. Igitur propalam edebat voces insolentis adrogantiæ plenissimas, *Nihil amplius esse Rempublicam: adpellationem modò sine corpore ac specie. Sullam nescisse literas, qui Dictaturam deposuerit. Debere homines jam consideratiùs secum loqui, & pro legibus habere quæ dicat.*

Cæsaris adrogantiæ voces. Plin. 7. 25. Suet.

XXXVII. Sane magnos ei honores à principio quotquot adhuc vetero Curia digni superabant, non immeritò detulerant. Sed ubi hæc cupidè recipi intellectum est, statim prorupit adulantium protervitas, tam impudenter, ut inter alia turpia censerent quidam, quod mulierosum esse scirent, *ut uxores liberorum quærendorum causa, quas & quot vellet, ducere liceret.* ajuntque *hoc etiam placuisse Cæsari, atque Helvium Cinnam plerisque confessum habuisse paratam legem, quam ea de re ferri se absente Cæsar jussisset.*

Impudentis adulationis specimen. Dio. Suet. Cæsar. 50. 1. 52. 3.

XXXVIII. Jamque eò perventum erat, ut tot atque talia admitti ab homine, vel ipsi, qui detulerant, indignarentur. At populus, ut mos est vulgo sæpe nominibus magis, quàm rebus offendi, quem tamdiu Regem erat passus, sic adpellari velle non ferebat. Itaque clam palamque dominationem aspernantes, vindicem requirebant. proximis comitiis reperta dicuntur complura suffragia, *Cæsetium & Marullum Consules* declarantium. L. Bruti statuam in Capitolio fuisse diximus, juxta Regum effigies, ubi & C. Cæsari nuper erat posita. huic igitur inscriptum fuit: *Brutum ejectis Regibus primum Consulem factum esse: hunc ejectis Consulibus postremum Regem.* Bruti vero statuæ; *Utinam viveres!*

Populus vindicem requirit. Plut. Anton. Suet. Cæs. 80. 2.

XXXIX. Atque inde conversi ad Prætorem Brutum, quem propter nominis communionem *ab altero illo genus ducere* faventes dicebant, subinde inclamarunt *Bruti* nomen, sibique *Bruto aliquo esse opus.* Tribunali quoque ejus inscriptum, *Dormis Brute? &, non es Brutus?* Is populi sensus animos inimicorum Cæsaris erexit; Cassioque sollicitanti quosdam, adnuerunt, *si dux facti Brutus esse sustineret.* Ab hujus enim integritate putabant adcessurum ausis suis honestissimum colorem, ut res Bruto probata, non nisi caussa libertatis suscepta videretur. Sororem Bruti Cassius duxerat; sed erat inter eos nuper orta dissensio, quod minorem natu Brutum Cæsar Urbanum Prætorem fecerat, eidemque Consulatum promiserat, dilato Cassio, cujus tamen caussam esse justiorem fatebatur.

Brutum nomine inclamant. Dio. Plut. Brut. c. 11. & 4. App. lib. 11. Civil. Vell. 2. 56. 3.

XL. Tunc igitur prior ad Brutum Cassius venit, percontatusque est, *esset ne interfuturus Senatui Kalendis Martiis? nam audire se Cæsaris amicos relaturos esse de Regno ejus.* Ille negare adfuturum. Tum Cassius, *quid si cogamur adesse?*

Idem & à Cassio sollicitatur. Appian. Plutarch.

Solicitatur in Cæsarem Brutus.

Multa querar, ait ille, *de Republica: & oppetam pro libertate. Istud vero nec dii nec homines sirint*, exclamat Cassius, *quin ille pereat potius qui meruit. Nec enim solus objiciere periculo. ecquid eos putas, qui voce non ausi te compellare, tribunal tuum fecerunt interpretem suæ voluntatis? non forensis ea turba est profecto, aut sellularii opifices: illustres viri sunt, & principes Civitatis.*

Et persuasus plures adsciscit. Cic. pro Ligario. Suet. Galba 3. Appian. Casaubon. ad Suet. Cæs. 80. 2. Seneca de Ira 3. 30.

XLI. Ab hoc colloquio Brutus, jam consilii certus Q. Ligarium invisit familiarem suum. qui accusatus apud Cæsarem, & patrocinio Ciceronis absolutus, acriorem periculi quam beneficii sensum retinebat. Igitur dicente Bruto, *quali tempore ægrotas Quinte*! continuo se erexit in cubitum, & adrepta Bruti manu, *si quid*, inquit, *dignum te cogitas, valeo.* Inde ad solicitandos amicos conversi, multos pertraxerunt in societatem, quosdam etiam ex Julianis partibus. Horum principes fuerunt D. Brutus, C. Trebonius: cæteri nobiliores Ser. Sulpicius Galba, Cajus, & Publius Servilii Cascæ, Tullius Cimber, Minutius Basilus. plerique omnes nulla alia de causa, quàm quod satisfacere Cæsar cupiditati omnium nequibat. quum singuli ferme tantum poscerent, quantum vix dare poterat universis.

Ciceronem tamen & Favonium præterit. Eutrop. Cic. Philip. 3. 21 & 13. Appianus. Plutarch.

XLII. Ex Pompejanis præter duces consilii Brutum atque Cassium, L. Cassius, Caii Frater, Cn. Domitius Ahenobarbus, P. Turullius, Atilius, Petronius, C. Cornelius Cinna, Cassius Parmensis, Cæcilius & Bucilianus fratres, Rubrius Ruga, Q. Ligarius, M. Spurius, P. Sextius Naso, Pontius Aquila. Sed Ciceronem, de cujus neque fide, neque benevolentia dubitarunt, celare consilium maluerunt, circumspectam senis prudentiam veriti, minime aptam negotio quod celeritatem & impetum requireret. Sed & Statilium & Favonium duos Catonis æmulos non adhibuit Brutus, tentata dissimulanter utriusque sententia, dum inter sermones de Philosophia elicitur Favonius, *ut deterius esse tyrannide bellum civile* diceret: Statilius Epicuri sectæ deditus, negaret *cordato viro laborem & periculum esse suscipiendum, malorum & stolidorum hominum gratia.*

Fides & taciturnitas conjuratorum. Appian. Dio. Plutarch. Eutrop. Sueton. Cæs. 80. 8. Senec. epist. 83. 18. 2.

XLIII. Igitur his relictis, Labeonem quemdam adjunxit. A Labeone simul & Cassio D. Brutus tentatus est, vir animi non maximi, sed cui plurima erat fallendi copia, per amicitiæ fidem: erat enim inter familiarissimos Cæsaris. præterea quum Idibus Martiis munus editurus esset in theatro Pompeii, gladiatores ejus ingentem præbere usum poterant. At ille, nullo tum responso dato, perrexit ad Brutum: & intellecto hunc esse rei gerendæ ducem, omnia promisit amplissime: cæterorumque plurimos & præstantissimos auctoritas M. Bruti allicuit: donec facti sunt Senatores Equitesque amplius sexaginta. tum consilia, quæ seorsim hactenus bini ternive ceperant, in unum conferre visum. & licet neque juramento, neque sacris tactis adstrinxerant fidem, eam tamen cum silentio præstiterunt, ut ex tanto numero nemo mutaret animum, nemo proderet, ne Cimber quidem Tullius confessæ ebriositatis: & qui postea per jocum dicere solitus est; *Ego ne ferrem quemquam, qui vinum ferre non posset?*

Cæsar Brutum & Cassium suspectos habet. Suet. Cæs. 75. 9. 77. 2. 2. Plut. Ant. 17. Plin. 11. 37. Cic. de Divin. 2. 52.

XLIV. Sane non fallebat Cæsarem nocturnos conventus agi, Brutumque & Cassium suspectabat, negans *obesos illos & comatulos se timere.* (Dolabella & Antonius rerum novarum infimulabantur) *sed pallidos hos & macilentos*: cæterum sive inopia consilii, sive nimia fortunæ suæ fiducia, contentus edicto admonuisse, *nota sibi esse quæ agerentur*, ultra nihil cavit: etiam aruspices irridens,

à qui-

à quibus monebatur. Quo die primum veſte purpureâ proceſſit, atque in aureâ ſella ſedit, ſacrificanti extis cor defuit in opimo bove. At ille *triſtia exta* nuncianti Spurinnæ, dicentique *timendum eſſe ne conſilium & vita deficeret, quod utraque hæc corde continerentur; futura* dixit *lætiora quum vellet: neque pro oſtento ducendum ſi pecudi cor defuiſſet. idemque ſibi eveniſſe in Hiſpania; neque ideo minus ſequutam victoriam.* Jul. Obſeq. Plut. Cæſ. c. 89. Val. Max. l. 6. 13. Appian.

XLV. Sed aruſpice regerente, *tum quoque maximum capitis diſcrimen adiſſe:* hactenus motus eſt, ut poſtero die iterum immolaret. tum vero caput in jecore non fuit. Prædixit igitur Spurinna, *caveret proximos dies triginta, quorum erat poſtremus Idus Martiæ.* Sed & alia *plurima circum hoc tempus adparuiſſe prodigia* tradunt. Nam *præter fulgurita plurima, & viſa per noctem diſcurrentium virorum flammea ſpectra, aveſque ſolitarias in foro conſpectas, paucos ante menſes Capuæ repertam in conditorio Capyis tabulam æneam* familiariſſimus Cæſaris Cornelius Balbus memoriæ prodidit, *literas Græcas exhibentem hac ſententia: Quandoque oſſa Capyis detecta eſſent, fore ut ex ea gente prognatus manu conſanguineorum necaretur, magniſque mox Italiæ vindicaretur cladibus.* Prodigia mortem Cæſaris antecedentia. Cic. Appian. lib. 4. Valer. Max. 8. 11. 2. Suet. Cæſ. 8. 4. Vell. 2. 57. 2.

XLVI. Proximis quoque ante mortem diebus enunciatum eſt; *greges equorum, quos in trajiciendo Rubicone conſecratos, ſine cuſtode vagari patiebatur, pertinaciſſime abſtinere pabulo, ubertimque flere.* Pridie Idus avem ex eo genere, quod *Regem avium* adpellabat Italia, cum laureo ramulo Pompejanæ Curiæ ſe inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore perſequutæ, ibidem diſcerpſerunt. Ipſe in cœna apud Magiſtrum Equitum Lepidum, quum more ſuo inter recumbendum epiſtolas commentaretur, ut erat ad plura ſimul agenda ſingulari quadam mentis velocitate præditus; motam interea quæſtionem audiens, *quanam eſſet mors optima?* prævertens omnes exclamavit, *inopinata.* Cæſar inopinatam mortem optimam putat. Plin. 10. 74. 7. 25. Appian. Plut.

XLVII. Eamdem deinde noctem & vigilans & dormiens irrequietam habuit, viſus ſibi per quietem interdum ſupra nubes volitare, alias cum Jove dextram jungere: & quum arma Martis, quæ veteri inſtituto domi Pontificis Maximi adſervabantur, ſonitum ingentem edidiſſent; valvæque cubiculi feneſtræque omnes, quæ diligenter clauſæ fuerant, ſubito eſſent patefactæ, ſtrepitu ſimul & fulgore Lunæ exterritus, animadvertit juxta cubantem uxorem Calpurniam in ſomno graviter angi: comperitque imaginatam, *faſtigium quod adjectum Cæſaris ædibus Senatuſconſulto fuerat, ruiſſe. deinde maritum ſe tenere confoſſum in gremio ſuo.* Calpurniæ ſomnium. Suet. Cæſ. 81. 4 87. 2. Jul. Obſeq.

XLVIII. Jam illuxerant Idus, *quam in diem Senatum in Pompeii Curiam convenire* juſſerat, ut quarto poſt die paludatus votis nuncupatis proficiſceretur. Sed tenebat eum Calpurnia, flens oranſque *ne quo procederet.* & movebatur ille ſolicitudine matronæ, in qua nullam alias muliebrem ſuperſtitionem animadverterat. accedebat & valetudo infirmior, & quod pluribus hoſtiis cæſis renunciatum erat *non litari, aveſque non ſinere eum egredi domo.* Cæſar à D. Bruto perſuaſus, Dio. Conſtantio. Manaſſes. Suet. Cæſ. 80. 9.

XLIX. Jamque per Antonium dimittere ſtatuerat Patres; quum D. Brutus, monentibus per nuncios conſciis, amitti occaſionem veritus, irriſit haruſpices: ipſum caſtigavit, *ſi frequente ac dudum opperiente Senatu deluſo, criminationum malevolis præberet materiam. Paratos eſſe decernere, uti locis* In Senatum pergit. Plut. Brut. Appian. Dio.

Pergit in Senatum Cæsar.

omnibus extra Italiam insignia nomenque Regium ferat, domi sub nomine Dictatoris eamdem potestatem retineat: hoc enim quasi temperamentum placuisse nonnullis credebatur. Eos jam dimittere, & jubere opperiri, donec lætiora fiant Calpurniæ somnia, nihil esse aliud, quàm se offerre sermonibus & judiciis, qualia maxime nolit. Quod si omnino constituisset eam diem inauspicatam ducere, at ipse veniret in Curiam, Senatumque mitteret. sic expugnatus decessit, sed ea destinatione ne quid majoris rei ageret.

Indices conspirationis audire impeditur. Dio. Plut. Cæs. Appian. Vellejus.

L. Quum exiret domo, imago quædam ejus in vestibulo posita sponte decidit, & comminuta est. Vix erat egressus, quum servilis quidam conditionis accurrens, quoniam repulsus ab aditu ejus fuerat, Calpurniam adiit, *custodiri petens, donec Cæsar rediisset: magnarum enim rerum se adesse indicem.* Sed & Artemidorus Gnidius, qui propter linguæ Græcæ professionem pleriſque Bruti familiaribus notus, consilia eorum olfecerat, libello porrecto, quum vidisset alios ipsi oblatos amicis tradentem; *hunc*, ait, *operæ pretium est ipse perlegas, & cito.* Sed sæpe conantem subinde intervenientes alii salutantesq; averterunt. manuque libellum tenens Curiam introiit.

Porcia Bruti uxor. Plut. Brut. Dio. Val. Max. 3. 2. 23.

LI. Sub idem tempus pro tribunali Brutus jus reddebat ita securo vultu, ut nullius insoliti consilii nota deprehenderetur. Cuidam tamen adpellanti Cæsarem, respondit, *neque prohibet me jus secundum leges dicere Cæsar, neque prohibebit.* Interea nunciatur ei *uxorem Porciam deficere*, quæ una mulierum conspirationis hujus erat conscia. Quippe maritum præter morem inquietari animadvertens, neque fatente illo, rem grandem & arcanam agitari divinata, scalpellum quo præcidere ungues solebat, alto vulnere demersit in femur, magnoque inde dolore, & propter amissum sanguinem debilitate adfecta, anxium virum sic adfata dicitur.

In consilii societatem admissa. Polyæn. Strateg. lib. 8. Plutarch.

LII. *Ego mi vir, in communionem utriusque fortis nupsisse tibi scio. Tu vero, quum animum meum probares, corpori diffisus, quod in hoc sexu infirmius imparque dolori creditur, solicitudines tuas occuluisti. Neque ego credebam mihi, donec experimentum facerem. Ecce autem possum quod volui, & facile cruciatum fero. Quod si post hoc tirocinium contaberis habere mihi fidem, ne quis aut Catonis filiam, aut Bruti conjugem vocet, ni morte mea dedecus hoc abrupero!* Sic admissa in consilii societatem, ipsa viro ad facinus prodeunti vestes, & obvolutum illis pugionem adtulit. Hæc igitur sive nondum pereurato vulnere, sive curis urgentibus *deliquium animi passa* nunciabatur.

Cæsar aruspicem irridet. Dio. Plut. Cæs. Val. Max. 8. 11. 2.

LIII. Sed Brutus audito *jam adfuturum Cæsarem*, privatæ solicitudini publicam eausſam antepoſuit: cæteri quoque conscii respiraverunt à metu. Timebant enim ne delato rei indicio venire Cæsar contaretur; nam & adparitor sellam auream Curia jam extulerat, quæ & ipsa res post necem Cæsaris in omen tracta est. Sed ille sive prædictionibus spretis, sive defunctum se periculo putans, in alias cogitationes intenderat animum; ita securus, ut visum forte dum in Senatum pergit, Spurinnam haberet ludibrio, *venisse dicens Martias Idus.* atque ille, *venisse quidem, sed nondum præterisse* respondit.

Mira errorum ludibria. Plut. Brut.

LIV. Excendentem è lectica Cæsarem Sex. Popillius Lænas secreto sermone diu detinuit: unde iterum formido conscius, ne consilia sua proderentur, Nam ea quidem in re præter adsuetam magnis ausis trepidationem, miro ge-

mini erroris ludibrio propemodum ipsi detexerunt animi destinata. Paulo enim ante Cascæ quidam familiaris, sed hujus consilii expers, prehensa ejus manu, *tu vero*, inquit, *nos celasti de arcano, sed Brutus nobis exprompsit omnia.* & nisi paulo post, stupente Casca, subjecisset; *unde igitur ea tibi subito opes, ut cogitare ausis Ædilitatem?* Minimum aberat, quin Casca rem omnem tanquam gnaro aperiret.

Conciorum trepidatio. Dio. Cic. Famil. 10. 28. et Phil. 10. 14. 13. 10.

LV. Et Brutum atque Cassium impensius salutans Popillius, priusquam adiret Cæsarem, clam insusurravit, *optare prosperum eventum cogitatorum. sed emanare rem: properarent.* Hunc igitur cum Cæsare tamdiu colloquentem profecto deferre indicium rebantur: & admovebant nonnulli sub toga pugionibus manus, interfecturi semetipsos priusquam comprehenderentur; quum Brutus considerato adventius Lænatis gestu, preces eum, non indicium deferre conjiciens, quia sermoni non erat locus, hilariori intuitu advertit Cassium, & à re præcipitanda abduxit. Interim Antonium pro foribus Curiæ C. Trebonius longo sermone distinuit: sive ne perire Cæsarem homo prævalidus, & majestate Consulatus armatus impune sineret; sive ne ipse periret.

Antonius cur non occisus cum Cæsare? Plutarch. Anton. cap. 17. et Cæsar. Vell. 2. 58. 2. Dio. Cic. Phil. 2. 14.

LVI. Fuerat enim dubitatum *quid Antonio fieri oporteret.* Nonnullis *illum quoque, sed & Lepidum tolli* jubentibus, mitior sententia vicit. Nolebat Brutus *quemquam præter Cæsarem occidi, quo nihil aliud æspectum, quàm libertatem ipso opere demonstrarent.* Profuit etiam Antonio, quod C. Trebonius *cum eo se Narbone hoc consilium cepisse* dicebat: eamque rem nunquam Cæsari indicaverat Antonius. Sed in Curiæ quum ingredienti Cæsari Senatus adsurrexisset, conjuratorum alii sellam ejus specie officii circumsteterunt, pars adcesserunt ad eum cum Tullio Cimbro, tanquam pro fratre ejus exsule rogaturi.

Cæsar cæditur. Suet. Cæsar. Plut. Cæs. Cic. Phil. 2. 11. Appian. Dio.

LVII. Multa hic Cimber à Cæsare beneficia acceperat, quorum immemor, primas in eo facinore partes suscepit. At Cæsare negotium in aliud differente tempus, & quia impudentius urgebatur, volente consurgere togam ejus purpuream ab utroque humero Cimber comprehendit. hoc signum ut esset cædis faciundæ convenerat. Igitur clamantem, *ista quidem vis est*, alter Casca sauciavit paulo infra jugulum; non lethali, nec admodum alto vulnere, quod inter initium faciendoris manus trepidaverat. At Cæsar correptum Cascæ brachium graphio trajecit, exclamans, *scelerate Casca quid facis?* & prosilire conabatur, nisi foret ab alio percussus in pectore. simul irruerunt cæteri strictis pugionibus, nemine non hanc adepetente gloriam: & Cassius quidem caput ejus petiit, Brutus perçussit inguina, occiput vulneravit Bucilianus.

Ad Pompeii Statuam. Appian. Sueton. Dio. Plutarch. Val. Max. 9. 11. 6.

LVIII. Ajunt feræ modo se convertentem in singulos, & cum clamore repugnantem, ubi Brutum quoque conspexit irruere, dixisse Græcis verbis, *Tum etiam inter hos es fili!* Nam quod flagrantissimo amore suo Brutum peperisse Servilia, natum ex se credebat. Alii negant ullam misisse vocem, neque præ irruentium multitudine facere quidquam potuisse; sed toga capiti obvoluta, simul sinistra manu deduxisse sinum vestis, ut inferiore parte corporis tecta honestius caderet, uno tantum ad primum ictum edito gemitu. Hoc habitu accidit ad Pompeii statuam, eamque largo cruore respersit; quum etiam in jacentem sæviretur, manumque Bruti sauciaret Cassius, eodem tempore plagam inferens. *De tribus & viginti vulneribus*, tot enim facta erant, *nullum fuisse*

lethale Medicus qui ea inſpexit exiſtimabat, *præter quod ſecundo loco acceperat in pectore*.

Terror & tumultus ex cæde. Liv. Epit. Sueton. Dio. Plutarch.

LIX. Conjurati corpus in Tiberim trahere, publicare bona, reſcindere acta, quod fuerat ipſis propoſitum, metu Conſulis Antonii, & Magiſtri Equitum Lepidi ſuperſederunt. Sed qui in Curia & circa eam exſortes conſilii fuerant, ſævo ſpectaculo adtoniti, ſuamque vicem anxii trepidabant: nec enim quanta aut manus conjuratorum, aut quale conſilium eſſet, liquebat. Ideoque licet progreſſus in medium Brutus alloqui cuperet, ejicientes ſe Curia fuga, & tumultu omnia miſcebant, obvios ſui quiſque terroris implens. Eaque res leviſſimo cuique occaſionem fecit, per vulnera & rapinas exercendæ petulantiæ: multique peregrini atque cives, ſed & Senatores nonnulli vulnerati & occiſi ſunt incertis auctoribus; menſæ tabernæque direptæ.

Lepidus milites in Campū deducit. Appian. Lio. Cic. Phil. 2. 35. Plut. Ant. c. 18

LX. Quippe ex propinquo Theatro tam ſpectatorum turba, quàm ipſi quoque gladiatores ab editore præmoniti eruperant. Et augebat conſternationem vehemens imber cum horribili tonitru, quaſi cœlum ipſum funeſtam atque luctuoſam faciem induiſſet. Idcirco tota Urbe domus claudebantur: Senatores ubi quiſque poterat, per tabernas & inſulas ſe abdebant: occurſabant invicem agmina, hinc contendentium ad ſpectandum corpus, inde re perſpecta redeuntium. Antonius & Lepidus ſibi timentes, primo in alienas ædes profugiunt: mox Antonius mutata veſte clam egreſſus, communivit ſuas: Lepidus in Tiberis inſulam, ubi legio erat militum, tranſmiſit, atque inde deduxit in campum, mandata Antonii tanquam Conſulis opperiens.

Percuſſores in Forum prodeunt. Sueton. Appian. Dio. Plutarch. Cic Phil. 2. 32.

LXI. At corpus illud terrarum modo mariumque domini, diffugiente comitum turba, aliquandiu deſertum jacuit, donec tribus ſervulis lecticam impari greſſu ſuccollantibus, dependente brachio, domum reportaretur. Sed percuſſores Cæſaris, poſtquam in Curia nemo præſtabat audientiam, togis circum læva brachia circumvolutis, cruentos pugiones quatiendo, recta pergebant in forum; præferente quodam in haſta pileum, libertatis ſignum: hortabanturque populum, *Regem atque Tyrannum interfectum eſſe* dictitantes. & M. Brutus cruentum alte excellens pugionem, *Ciceronem* nominatim inclamavit, atque ei *recuperatam libertatem* eſt gratulatus.

LXII. Interim nonnulli adgregabant ſe euntibus, laudi & præmio futurum

rati, ſi egregii facinoris ſocii exiſtimarentur: è quibus poſtea C. Octavius, P. Lentulus P. F. Spinther, ejuſque familiaris Patiſcus, aliique vindicibus Cæſaris pœnas dederunt inſolentiæ, quod ſe percuſſoribus miſcuerant; quum nullam partem gloriæ tuliſſent, omnibus eos facto non adfuiſſe ſcientibus. Sed populus diu trepidato, ubi neminem præterea lædi petive conſtitit, verba percuſſorum accepit tranquillior, *bono animo* jubentium *eſſe, poſitoque omni metu, quam diu votis expetiſſent, nunc beneficio ſuo haberent, puram hauſire libertatem*. Ita multitudine utcumque placata, neque tamen illis ſe adjungente, Capitolium petierunt, tanquam diis acturi gratias; illudque ſtipati manu gladiatorum occuparunt. Inde petunt Capitolium. Plutarch. Dio. Cic. Philipp. 2. 22. Cic. Famil. 12. 14. App.

LXIII. Clamabat tum Cicero, *Senatum in Capitolium à Prætoribus vocari oportere.* quod profecto, ſi foret factum, longe aliter atque accidit, conſtitui Reipublica potuiſſet. Venerant tamen in Capitolium adveſperaſcente die Favonius, Aquinius, Murcus, Patiſcus. ſed & Dolabella jam Conſul: quippe faſces atque inſignia Conſularia ſtatim corripuerat: quamquam nullo jure facere videretur, ſubſtituendus in locum profecti: ſed ille *profectum* interpretabatur, *qui eſſet: in ea cauſſa, ut amplius proficiſci non poſſet*. Poſtridie Foro venali turba repleto, quam per amicos Caſſius comparaverat, jactatæ voces ſunt, non probantium factum; ſed *pacem & concordiam* poſtulantium, quæ res, niſi ignoſceretur interfectoribus, obtineri non poterat. Eodemque alii quidam Senatores veniunt. Velleii. 2. 58. 1. Liv. Epitom. Cic. ad Attic. 14. 10. Dio. Euſebius.

LXIV. Hæc agentibus commodum L. Cornelius Cinna Prætor ſupervenit. Is neque adfinitatis, neque beneficiorum memor, acta Cæſaris acerba oratione pro Roſtris infectatus eſt: inſignibus etiam Magiſtratus abjectis, *quæ ſibi data contra leges à tyranno* dicebat: auctorque erat populo *deducendi libertatis auctores à Capitolio, præmiiſque & honoribus ornandi*. Neque tamen adhuc ultra priores voces incaluit multitudo, Cæſaris ante oculos obverſante adhuc majeſtate, & incerto rerum exitu. Sed ubi Dolabella cum lictoribus adfuit, atque haud diſſimilia loquutus eſt, *eumque natalem Urbis habendum* dixit, *quo tyranno interfecto libertas eſſet reſtituta*; crevit fiducia animis, cœperuntque poſtulare, *uti devocarentur à Capitolio patriæ liberatores*. L. Cinna in Cæſarem invehitur. Sueton. Cæſ. 85. 1. Val. Maxim. 9. 9. 2. App.

LXV. Atque illi Dolabellæ acceſſione gaudentes, nactoſque rati ducem idoneum, quem Antonio vindicare eadem volenti opponerent; juventa promptum, nobilitate validum: non tamen deſcenderunt univerſi: Caſſius tantum atque Brutus progreſſi in concionem de facto ſuo loquuti ſunt confidenter & magnifice, mutuo ſe laudantes, & ſociorum prædicantes operam, *D. Bruti maximè, qui gladiatores in tempore præbuiſſet. debere populum Romanum inducere majorum animos; qui legitimam licet poteſtatem Regum, ſimul ad tyrannidem inclinare cœpiſſet, aboleverint, revocari oportere Sex. Pompejum cum Tyranni legatis dimicantem in Hiſpania: Cæſetiumque & Marullum abrogata poteſtate exſules*. Caſſius & Brutus concionantur. Cic. ad Attic. 15. 1. App.

LXXVI. His dictis iterum in Capitolium ſe receperunt, parum credentes præſenti multitudini, quod honeſtior populi pars aberat. Hactenus tamen erat protectum, ut neceſſariis eorum amicisque concederetur in Capitolium aditus. Ex horum numero Conſulares nonnullos miſerunt ad Antonium & Lepidum, qui aliquoties iverunt, rediverunrque, donec certius aliquod reſponſum obtineretur. Cauſſa dubitandi ex eo, quod vindicare mortem Cæſaris erat Cū Antonio & Lepido per internuncios agunt. Plut. Brut. cap. 27. Cic. Philipp. 2. 35. App.

Diſcordia Senatus.

his animus: ſed conſenſum Senatus, & maxime D. Bruti potentiam, cum exercitu veterano Galliam obtinentis verebantur. Tandem dum earum copiarum corrumpendarum occaſionem nanciſcerentur, paulo liberalius reſpondendum ratı, *nihil ex privato odio agi placere* reſponderunt; *ſed cogi Senatum, & ad eum referri de præſentibus, idque obtinere, quod Patres Conſcripti cenſuiſſent*.

Nox inquieta. Dio. Appianus.

LXVII. Minime diſplicebat ea ratio coniuratis, qui de Senatus animo ſententiaque non dubitarent. Idcirco reliquo diei & per noctem deinde miſerunt circum domos, oratum, *ut patriæ cauſſam, ſuamque tueri ſinguli atque univerſi vellent*. Neque minor erat militum ſolicitudo, quibus agros Cæſar dederat aut promiſerat: ii quoque circumibant, miſcentes cum precibus minas. denique nox ea nihilo tranquillior aut otioſior fuit, quàm negotioſiſſimi dies eſſe conſueverunt. Nam & Lepidus in Foro tetendit cum militibus, & Antonius hoc præſidio tutior, jubebat *excubare Magiſtratus, facibus accenſis, & quaſi de die ſedere pro Roſtris per vicos*. Ipſe *pecuniam Commentarioſque Cæſaris deportari* juſſit *in ædes ſuas*: incertum ſuone conſilio & proprii emolumenti cauſſa, an orante Calpurnia, ne per tumultum diriperentur.

Cinnæ periculum. Cic. Attic. 14. 16. Dio. Appianus.

LXVIII. Liberalibus luce prima convenire Patres in Telluris cœperunt: eò Senatum indici placuerat, quod Curia ſubjecta Capitolio, in quo gladiatores erant, tanquam obnoxia coniuratorum inſidiis vitabatur. Quum inter cæteros intrare Cinna vellet, reſumptis inſignibus quæ pridie projecerat, coorta eſt in eum quæ Cæſaris necem ægre ferebat populi manus, laceratumque maledictis & lapidibus adpetitum in domum quamdam cogerunt confugere. neque hic finis erat periculi: ligna congeſta ſunt, & incendium paratum, ni Lepidus cum armatis adcurrens vim extremam arceriſſet.

Senatus diſcordia. App. Lib.

LXIX. Idem ad omnes aditus poſitis cuſtodiis, ingreſſum cæteris tutiorem præſtitit. Sed tamen ab hoc initio Cæſaris fautores receperunt animos, & quum ſubinde plures eorum concurrerent, Caſſianorum mercenariorum fractæ ac debilitatæ voces conticuerunt. Interim perſtrepebat Senatus mira vocum orationumque diſcordia, hoc intemperantius, quod libertas ex intervallo reguſtabatur, proximo enim quadriennio pleraque contra animi ſui ſententiam conſuerant. Pleraque tamen pars favens conjuratis, *eos quoque* jubebat *arceſſi*: neque repugnabat Antonius, ſciens non eſſe deſcenſuros.

Diverſæ ſententiæ. Tacit. Appianus.

LXX. De interfecto Cæſare multa & diverſa diſcebantur, quum aliis *peſſimum*, aliis *pulcherrimum facinus eſſe* videretur. pars auctore Tib. Nerone, *præmia* decernebat *interfectoribus*: alii *gratias agendas, omiſſis quæ ne ipſi quidem poſtularent præmiis*. erant qui *ſufficere* crederent *impunitatem*. Contra diſcebatur, *rem eſſe commiſſam minime laudabilem, Reipublicæ tamen condonandam, ne novis vulneribus veteres civilium malorum cicatrices reſcinderentur*: ſed *honores* adimebantur, *quos neceſſumerat cum Cæſaris contumelia conjungi*. Reclamabant alii *majorem eſſe habendam ſuperſtitum rationem quam mortui*. & adripiebatur quod forte à quodam adleveratum erat; *alterutrum eſſe neceſſarium, uti vel tanquam Tyrannicidæ præmia acciperent percuſſores; vel tanquam in delicto deprehenſi veniam*. & poſtulare cœperunt, *rejerretur iterum de Cæſare, qualem exiſtimari oporteat: juratuſque Senatus cenſeret, gratia facta prioris ſacramenti, quo ſe Cæſaris ſalutem defenſuros aut vindicaturos juraſſent: id enim neceſſitate extortũ.*

Antonius & Lepidus plebi se ostentant.

LXXI. Inter has contentiones Antonius insidiosè habitum animorum speculatus, quum cœptari rem videret, ad multa quæ nollet valituram, injiciendum celeriter impedimentum ratus, audientia postulata; *Priusquam*, inquit, *uti placere plerisque video, de Cæsare sententia dicantur; hoc equidem sciri considerarique refert, quod rem longe quàm putamus latius egressuram molimur. Etenim si Tyrannus fuit Cæsar, projici cadaver ejus insepultum convenit, & acta rescindi. Cæterum acta Cæsaris, ut scitis omnes, nullam non terra marique partem Imperii contingunt: quorum pleraque revocare, ne si decretum quidem certumque vobis foret, possemus: id quod paulo post apertius demonstrabo.* Antonii astutia callida.

LXXII. *In præsentia velim unum illud mihi consideretis, levius cæteris, & in potestate nostra haud dubie situm: ut ita demum ad cætera convellenda accingamini, quum hoc rescideritis. Quotquot ferme sumus Senatus primores, profectos à Cæsaris auctoritate magistratus & imperia aut gessimus, aut gerimus, aut gesturi paulo post videmur. De his fieri quid placet?* Celeriter convertit animos.

LXXIII. Sic commutata leviter quæstione, quum non jam de Cæsare, sed de sua dignitate intelligerent agi, velox animorum conversio facta, conclamatumque *non esse, cur novis comitiis populo creetur molestia: præstare semel accepta retineri.* Præ cæteris tendebant, qui contra leges à Cæsare producti, hujus condemnata memoria, nulla se videbant ratione tueri illius beneficia posse. quos inter Consul Dolabella quinque & viginti annorum juvenis, qui neque Præturam gessisset, & in summo esset Antonii odio, sibi haud leviter metuebat. Idcirco voces audires stomachantium, *non contentos si non pessimi, saltem insolentis facti fautores, concessa amicis venia; sed etiam postulare ut alii sua dignitate careant, quo factum illorum illustrius videatur atque ornatius.* Sed *bono hos animo* jubebant *esse* alii: *neque enim hoc agi, ut beneficia, sed ut auctor mutetur. eadem habituros eosdem, sed jam populi suffragiis; idque ipsis etiam honestius fore.* Acceptos à Cæsare honores retinere cupientium. Dio. Cic. Philipp. 12. 2. App.

LXXIV. Hoc sermone permoti quidam continuo posuerunt Magistratus insignia, tanquam paulo post majore cum dignitate recepturi: major tamen pars retinuit, rata *semel omissam potestatem, quod in aliorum esset futura manibus, non esse simul atque cuperent ipsi redituram.* Inter hæc evocati è Senatu Antonius atque Lepidus, ostenderunt se multitudini, quæ in Foro innumerabilis constiterat. His in superiore loco conspectis ingens sublatus est clamor: quo vix sedato, quidam, dubium an subornatus, exclamavit, *haberent rationem sui, ne similia atque Cæsar paterentur.* Ad hæc ille dimota leviter veste loricam ostendit sub ea, quo magis incitaret alios, ne Consulibus quidem inermibus tutum esse quidquam credentium. Antonius & Lepidus in forum descendunt.

LXXV. Ibi sublatus est iterum à diversis agminibus clamor, *ultionem* aut *pacem* varie postulantium. Antonius utrisque se venditans, *pacem*, inquit, *ut habeatis curabitur; atque sit ea propria nobis & perpetua. quamquam id sane difficile est apud hos animos, qui ne juris quidem jurandi religione retinentur. quid enim ista cautio Cæsari profuit?* Deinde versus ad turbam vindictam postulantium, *Vos quidem*, inquit, *perstatis in data semel fide. atque ego etiam ipse accederem vobis, nisi Consul essem: cui non tam respiciendum est, quid sua natura sit æquum, quàm quid esse videatur è Republica; ut quidem Senatui placet.* Antonii insidiosior sermo.

LXXVI. Quum fluctuare Antonius videretur, *Lepidum* postulare *vindicem* Lepidi dicta.

concio cœpit. juſſitque *in Forum degredi, quo à pluribus dicta ejus acciperentur*! Is igitur quum Roſtra conſcendiſſet, diu tacitus flevit: deinde *hoc*, inquit, *loco tecum nudius tertius conſtiti, Cæſar. nunc de morte tua hinc querendi imponitur neceſſitas! Vos vero, Quirites, quid poſtulatis?* Ibi quoque veterani Cæſaris *ultionem*, mercenarii Caſſii *pacem* adclamarunt. At Lepidus his quidem: *Placet*, inquit: *ſed qualis iſta pax erit, & qualibus religionibus tuta? quandoquidem Cæſari juravimus, idque jusjurandum violatum eſt à nobis, qui principes eſſe cæterorum qui jurarunt dicimur.*

Et reſponſa perplexa.

LXXVII. Mox *ultionem* flagitantibus, *Cæſar*, inquit, *non profecto ſacroſanctus atque venerabilis nobis ereptus eſt: at Senatus conatur metu, ne Reſpublicam lædat.* Reclamarunt illi: *Tu igitur ſolus exſequere.* atque ille: *Vellem, & fas ſit. ſed nec ego ſolus, neque vobis etiam ſolis adjutoribus in tanta re quidquam aut velle aut nolle debeo.* Perplexa reſpondentem acrius adgreſſi mercenarii, quod ambitioſiſſimum eſſe ſcirent, *Pontificem Maximum* facturos oſtenderunt *in Cæſaris locum*. Et accepit omen Lepidus, egitque *gratias, memoreſque promiſſi eſſe in loco* juſſit. Tum illis audacius *pacem* ſuam urgentibus: *cùm impietate*, inquit, *& injuſtitia conjunctum negotium eſt: attamen quæ juſſeritis faciam.* hiſque dictis in Senatum ſe recepit.

Dolabellæ cupiditas retinendi Conſulatum.

LXXVIII. Ibi Dolabella toto tempore ſatagebat haud parum indecore, uti retinere Magiſtratum liceret: regreſſus dudum Antonius cum voluptate & riſu ſpectabat jactantem ſe inimicum: ſimul ecquid in Foro novarum rerum oriretur, opperiens. Sed poſtquam & illo ſpectaculo ſatiatus eſt, & extra Curiam nihil majoris tumultus motum, animadvertit eò deſcendendum eſſe neceſſario, uti percuſſoribus impunitas detur. ſed neceſſitatem tegens, & in maximi beneficii loco daturus incolumitatem, ſimul confirmaturus Cæſaris acta Senatuſconſulto, ad perficienda quæ animo conceperat ità cœpit.

Antonii oratio.

LXXIX. *Quamdiu quidem de conjuratione diſceptaſtis, Patres Conſcripti, ego ſententiam meam non interpoſui: ſed ubi percuſſoribus omiſſis, Cæſar oppugnari cœptus, ex actis ejus omnibus unius tantummodo mentionem intuli, & ab ea ſola difficultate tanto jam tempore vos explicare non potuiſtis. Neque ſane mirandum. nam ſi ponimus acceptos ab eo Magiſtratus, periculum eſt, ne tot & tales viri noſtra quoque confeſſione indigni eis habeamur. Quid ſi jam convertamus animos ad innumerabilia illa, quæ vel audire labor ſit, quæ per civitates & nationes, & Regna atque Tetrarchias paſſim conſtituit Cæſar? quis enim eſt, ut ita dicam, ad Occidentem ab Oriente angulus, actorum Cæſaris expers: quem ille non aut ſubegerit armis; aut beneficiis atque humanitate confirmarit?*

Cæſaris acta moveri non poſſe.

LXXX. *Cogitate igitur, ecquem exiſtimetis æquo animo paſſurum auferri ſibi, quæ acceperit à Cæſare, ut non omnia protinus bellis ardeant? at nos in tantum abhorremus à bellis, nec injuria, ut hæc ſola multis cauſſa ſit, cur impunitam Cæſaris cædem eſſe patiamur. Infirmam enim & nimium vexatam armis Reſpublicā, nō niſi quiete refoveri poſſe omnes conſciſſimus atq; conſentimus. Sed Reges & nationes, & unde longinquior eſt metus, mitto. Quid vos ſuburbanam hanc Italiam quieturam creditis Cæſare condemnato? ſcilicet veteranos illos cum iiſdem armis & ordinibus in coloniis locatos nihil movebit metus amittendorum, Tyranno iudicato Cæſare, quæ ſunt iis data ab eo præmia, quum Conſul & Dictator populi*

Romani

Acta Cæſaris rata decernuntur.

Romani haberetur? Quid quod eorum ſunt adhuc in Vrbe multa millia, qui promiſſa exſpectant & exigunt.

Neque Cæſar pro Tyranno haberi.

LXXXI. *Ne tamquam rebus incertis ambigamus, admonere recentiſſimum factum poteſt, quis hominum ſenſus ſit atque animus. Quæ fuerit eorum hac proxima nocte circa Senatorum domus diſcurſitatio, plurimorum querelis paulo ante cognovimus. Omnes propemodum adpellati ſumus, & ampliſſimus quiſque frequentius & minacius. Per horum igitur ora oculoſque raptabimus Cæſaris corpus, bis confectum contumeliis, quibus fas eſt Tyrannorum vexari reliquias; & horum manibus non diſcerpemur? Scilicet cujus ductu auſpiciiſq; ferociſſimas illi devicerunt nationes, cujus beneficio fortunas ſuas omnes debere arbitrãtur, quem ſemper in ſummis magiſtratibus imperiiſq; viderunt; cum ſumma adfectum ignominia patienter ferent?*

Tam bene de Republica meritum.

LXXXII. *Quam Vrbanæ porro plebis, quam Italiæ totius indignationem fore credimus? imo quam apud omnes pene dixerim & deos & homines invidiam noſtram? quis ignominia tanta notatum à nobis ferret populi Romani modo principem, qui noſtrum Imperium terminavit Oceano; ſed & trans Oceanum ignotas prius adjecit gentes? Quæ vero judiciorum noſtrorum inæqualitas & quam acriter notabitur, ſi præmia decernamus iis qui Conſulem in Curia, ſacroſanctum in ſacro loco, Pontificem Maximum ſub oculis deorum confecerunt; hunc extrema deboneſtemus infamia, qui propter excellentem virtutem etiam apud hoſtes habetur venerabilis?*

Antonii, Planci, Ciceronis ſententiæ. Cic. Philipp. 1.1. et 13. et Fam. 10.8. Plut. Brut. cap. 18. Velleius. a. 568. Dio.

LXXXIII. *Quapropter ita cenſeo: Quum C. Cæſarem pro Tyranno damnari nec fas ſit, nec è Republica: rata eſſe acta ejus & conſulta omnia: interfectoreſque incolumitate contentos eſſe, gratiaſque hujus clementiæ nomine habere & agere Senatui: quandoquidem ſimul laudari factum eorum, ſimul honori Cæſaris conſuli non poteſt. Hæc una eſt optima concordiæ, quam omnes optamus, via. ſic & veteranos metu, & ſolicitudine Civitatem liberabimus.* In eamdem ferme ſententiam magnus Orator Munatius Plancus Conſul deſignatus diſſeruit, niſi quod pro pereuſſoribus paulo liberalius. hunc deinde M. Tullius excepit, & quæ ſolebat ſumma eloquentia diſſeruit, *omnem memoriam injuriarum oblivione ſempiterna delendam eſſe.* ſed & Græcum verbum uſurpavit *amneſtiam*, Athenienſium factum commemorans, *qui poſt externa atque inteſtina mala, tyrannidemque perlatam, hac una tantum ratione Rempublicam conſtituiſſent.*

Cædes Cæſaris impunita: acta rata. App. lib. 2. Civil. Cic. ad Attic. 14. 16. et Philipp. 2. 87.

LXXXIV. Placatis per hæc ferme animis, & inclinatis ad concordiam, fit Senatuſconſultum, *quæri de cæde Cæſaris non placere: acta rata eſſe.* additum eſt, *propter utilitatẽ publicam*, quaſi per ſe invalida fuiſſent; tendentibus percuſſorum amicis, & concedente Antonio. Sed & illud expreſſerunt veteranorum centuriones tribunique, uti *de præmiis ſuis atq; coloniis nominatim* referretur; hic etiam, quaſi per metũ, cedente Antonio, & demonſtrante, *quum præſidium Senatus non habeat, nihil denegari poſſe armatis.* Inter hæc poſtulantibus Patribus, *uti concordiæ ineundæ exẽplum Conſules darent, quemadmodum & conſilium dediſſent*; depoſitis inimiciiis in gratiã redierunt: & ex eo die Antonius collegam Conſulatus ſui Dolabellã agnovit.

L. Piſonis contentio pro teſtamento et ſepultura Cæſaris. Appian.

LXXXV. Senatu dimiſſo, L. Piſonem circumſteterunt quidam, *ne tabulas teſtamenti Cæſaris proferret, neve palam ſepeliret mortuum*, rogitantes: *ne forte quid inde novarum rerum exoriretur.* Negantem inde preſſerunt aerius, minas intendentes, *ſi propter eũ diſſiparentur tantæ opes, quas publicas eſſe oporteret*, Tyrannũ fuiſſe Cæſarem ſubinnuendo. Igitur Piſo Conſules altiſſima voce teſtatur, *Patres non-*

molibus, alveoque Tiberis repurgato, portum efficere cujuslibet navigationis capacem, & quo facilius Urbs adiretur à mari supero per Apennini dorsum ad Tiberim usque munire viam. Sed & Isthmum perfodere inter Lecheam & Cenchreas navigabili alveo cogitavit; quod olim Rex Demetrius, postea Caligula & Nero Cæsares, infesto omnes incœpto, & ipsorum interrupto morte, tentaverunt.

Corinthi & Carthaginis instauratio. Dio lib 43. Cic. ad Attic. 9. 33. & 35. Plut. Cæs. Pausan. Corinthiac. Diod. ap. Vales. App Leonic.

XXIII. Inter hæc & leges tulit, & pomœrium protulit Urbis. quibus rebus quum imitari Sullam videretur, longissime anteibat clementia, qui adversus se arma tulerant, pari cum cæteris jure sinens agere, & quibus bona propter delictum ademerat, eorum filiis remittendo partem. Igitur licet arduum sit unum aliquem & belli & pacis excellere laudibus, utroque nomine clarus apud populum Romanum atque venerandus erat. Auxitque gloriam apud exteros, duarum nobilissimarum urbium, Corinthi & Carthaginis instauratio, quæ ante annos circiter centum simul deletæ, tum clementia & liberalitate Cæsaris resurrexerunt.

Ejus rei caus. fa. Strabo lib. 8. & 17. Festus. Nummi apud Vales. in Diod. Fragmenta. Mela 1. 3. Solin. cap. 40

XXIV. Consilium hoc cepisse in Africa creditur, somnio permotus, quum adversus Pompejanos in solo Carthaginis castra posuisset. Magnum exercitum videre per quietem imaginatus, seque fletu ejus permotum adpellari; *ut populosissimam olim urbem, iterum è ruinis excitaret;* statim in Commentarios retulit, *missurum Colonias Carthaginem & Corinthum*, cujus eum simul memoria subierat. Coloni sunt Corinthum missi libertini generis plurimi, *Corinthiensesque* adpellati, & Colonia *Julia Corinthus*. Ab eo tempore rursus magnopere hæ urbes efflorverunt: Carthago quidem in tantum, ut à Solino *alterum post Urbem Romam terrarum decus* adpellaretur.

Cæsaris vasta consilia. Dio. App. lib. 11. Civil. Plutarch. Sueton. Cæsar. 44. 5.

XXV. At Cæsar multis ad bellum caussis excitatus, quod & Crassum vindicari populus Romanus jubebat; & ipsi valetudo inter laborem erat firmior; sed præcipuo gloriæ stimulo, quâ vastus & insatiabilis animus sine modo, sine fine indesinenter adpetebat: præmissis trans Adriaticum sinum legionibus sedecim, equitum decem millibus, Dacos qui se in Pontum & Thraciam effuderant, coercere; mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem meditabatur: his devictis per Hyrcaniam ad Caspium mare penetraturus, ut Caucalo ambito, Scythiaque perdomita, & quæ supra Germaniam colunt gentibus, ipsaque Germania, per Gallias in Italiam rediens, omnem fere orbem habitabilem, unius Imperii jure complecteretur.

Illyriorum legatio. Æthicus in præfat. App. Illyr.

XXVI. Sub idem tempus, his puto cogitationibus admonentibus, Senatus consultum faciundum curavit, *uti totius orbis Romani descriptio, cum accuratis locorum dimensionibus, in tabulas referretur*. His excitæ rumoribus Illyriorum nationes nunquam satis pacatæ, legatos miserunt, præteritorum potentes veniam, traditis in fidem Cæsaris omnibus. Sed inter orandum barbara quadam ferocia, *gentis suæ robur, & induratam bello fortitudinem* extulerant. Itaque Cæsar acriore responso superbiam eorum reprimendam ratus; *Vos quidem*, inquit, *armis Romanis sæpe provocatis domiti, dum majoribus curis distringimur, à pacta fide subinde resiluistis. nec antiquiora commemoro: me subigendis Gallis occupato; quum Liburnis Priamonem reddi juberem, spretis mandatis meis, etiam copiarum eo missarum partem insidiis circumveniistis. post paulo Gabinium cū quindecim cohortibus,*

Cæſar regnum cupit ſpecie recuſantis.

& tribus millibus equitum, per fines veſtros ad me tendentem in Macedoniam, hoſtiliter vexaſtis, multis occiſis militibus, ſignis ſpoliiſque ablatis.

XXVII. *Nunc amicitiam audetis à me petere, quem tot injuriis laceſſere veriti non eſtis. At ego talia perpetrantibus amicus eſſe non didici: armis ulciſci armatos, & pacem quam petunt præſtantibus parcere, Romanum & meum eſt. Idcirco tributa, & in futurum fidei pignus obſides mittite; aut hoſtilia omnia propediem exſpectate.* Orantibus illis, & utrumque pollicentibus, P. Vatinium cum legionibus tribus, & magno equitatu miſit, qui acciperet obſides, & tributa imponeret. Sed talia agitantem animo Cæſarem feſtinata civium dolo mors prævenit.

Tributa & obſides pollicentur.

XXVIII. Jam eum exoſum multis nimii honores fecerant; & quod in his uſurpandis exiſtimatus erat eſſe ſuperbior. Sed maxime deſpectus ab eo nuper Senatus purabatur: iſque dolor adrogantiore facto ſævius recruduit. Quum A. D. VII. Kal. Februar. ex Albano monte ovans reverteretur (hic enim ei honor decretus fuerat è feriis Latinis redeunti) adclamatione quorumdam *Rex* adpellatus, quum id animadverteret populo patum placere, *non Regem ſe, ſed Cæſarem eſſe* reſpondit. Attamen quidam è turba ſtatuæ ejus coronam impoſuit, candida prætexta fascia, in diadematis modum. *Eam fasciam* duo Tribuni plebis L. Cæletius Flavus, C. Epidius Marullus *detrahi, hominemque in carcerem duci*, juſſerunt: gratum facturos Cæſari ſperantes, quod ille moram aliquando Regni rationem ſimilis indignabundo rejeciſſet.

Cæſaris factum adrogans. Faſti Capitol. Dio. Plutarch. Suet. Cæſ. 79. 2. Appian. Plut. Bruto cap. 14.

XXIX. At ille graviter inerepavit Tribunos, quaſi ereptam ſibi gloriam reuſandi doleret: ſubinde *Brutos* vocans & *Cumanos*, quia populus factum eorum probans, quaſi vindices libertatis hoſtelque Regni, *Brutos* adpellaverat. nihil tamen adjecit in præſentia triſtius. Cæterum Tribunos poſt aliquot dies queri auſos, *ſibi neque integrum, neque tutum eſſe de Republica loqui*, acculavit in Senatu, *quod invidiam ſibi tanquam adfectanti tyrannidem facerent*; & multis extrema decernentibus, *ſufficere* dixit, *ſi Senatu moti Tribunatum amitterent.* Rogationem de abrogando eis Magiſtratu C. Helvius Cinna pertulit: pauloque poſt interemptus, firmavit opinionem, neminem, qui collegæ Magiſtratum abſtuliſſet, annum ſupervixiſſe.

Cæſetio & Marullo Tribunatum plebis adimit. Suet. Plutarch. Appian. Val. Max. 5. 7. 2. Dio. Liv. Epitom. Jul. obſeq. c. 139.

XXX. Cæſetii pater à Cæſare *filium abdicare* juſſus, *facturum* ſe negavit. Quod à Cæſare latum civiliter, non tamen abſolvit eum cogitatæ dominationis crimine, quod lenis alias & manſuetus, tam præcipiti iraeundia in homines præmio digniores exarſiſſet. Fertur & ipſe ſenſiſſe commota hominum odia, & amicis dixiſſe, jugulo nudato, *paratum ſe ad cædem cuilibet: cæterum vigilarent illi: nunc enim egregium nactos eſſe prætextum inimicos.* At Panſa & Hirtio prædicentibus, *ut principatum armis partum armis tueretur*: quærentibusque, *nam igitur pateretur iterum ſtipari cohortibus, quas Hiſpanienſi bello habuiſſet?* reſpondit, *nihil eſſe miſerius perpetua cuſtodia, hoc enim ſemper timentis atque ſolliciti eſſe. mori ſe quàm timeri malle.*

Cæſar ſtipatores non admittit. Dio. Appian. Plutarch. Cæſ. et Ant. cap. 17. Vell. 2. 57. 2.

XXXI. Neque tamen aut ipſe deſiit adpetere Regnum; aut familiares ejus hanc augere ſuſpicionem. Noviſſime pro Roſtris aurea tella, in Regia veſte, cum aurea corona ſedentem, M. Antonius inter Lupercos currens, adiit, & diadema paratum adferens, capiti ejus imponebat, tanta hominum mœſtitia, ut

M. Antonius Cæſari diadema impoſuit. Velleius. Florus 2. 13.

Cæsar nomen Regis affectasse creditur.

Dio. Liv. Epit. Cic. Phil. 2. 24. Appian. Plutarch. Anton. Cic. Phil. 14.

etiam M. Lepidus averteret oculos: & Cæsar ipse repelleret, plaudente populo, qui modo graviter ingemuerat. Id quia factum erat aliquoties, neque offensus Cæsar pro gravitate rei videbatur; & quum capiti detractum in sella collocasset, leposuisse potius, quàm repudiare existimatus est. Neque mentibus eximi suspicio potuit: quamquam mox in Capitolium mitteret eam, *solum Jovem Romanorum esse Regem* dictitans. Plura enim augendæ suspicioni fiebant, aut futura credebantur.

Cæsar nomen Regis affectare creditur. Dio. Sueton. Cic. de Divin. 2. 54. Appian.

XXXII. Nam & passus erat Cæsar adscribi in Fastis, *ad Lupercalia, C. Cæsari, Dictatori perpetuo, M. Antonium Consulem, populi jussu Regnum detulisse, Cæsarem uti noluisse.* Igitur *rem actam ex composito* credebant: *ut Cæsar, quod flagrantissime cupiebat, suscipere coactus videretur.* Quin etiam fama percrebuit, *migraturum Alexandriam vel Ilium, eam deinceps habiturus Imperii caput: exhaustaque delectibus Italia, regimen Romæ permissurum amicis. Sed & postremo Senatu L. Cottam Quindecimvirum sententiam dicturum, ut quoniam libris Sibyllinis comprehensum esset Parthos nisi à Rege, vinci posse, Cæsar Rex adpellaretur.*

Honores nimios admittens. Plut. Cæs. Sueton. Dio. Cicer. Florus. Appian.

XXXIII. *Id maturandi consilii causam conjuratis adtulisse* creditum, *& quia revera Regem Cæsar agebat, ne modestum quidem, sed adsentatorum vocibus insatuatum, & nimios honores sine numero admittentem.* Nam præter eos qui suis locis sunt memorati, decretum ei fuerat, *uti fastigium qualibus ornari templa solent, in domo ejus locaretur: ipse curuli sella semper uteretur; ludis in Tribunitio subsellio spectaret inter Tribunos. opima spolia in templo Jovis Feretrii suspenderet: Lictores semper haberet laureatos: ipsius imagine moneta signaretur: statuæ in omnibus urbibus, atque omnibus Urbis Romanæ templis ponerentur: in ipsis quidem Rostris duæ, altera cum civica corona, altera cum obsidionali: tanquam ipsius virtute servati cives, liberata patria forent: uti Concordiæ Novæ templum statueretur, cum anniversariis ludis, propter restitutam à Cæsare pacem: Curia quoque nova ædificaretur.*

Hostilia Curia fit Julia. Flor.

XXXIV. Hostilia quum funere Clodii arsisset, dudum instaurata fuerat. sed eadem nuper erat iterum diruta, Magistro Equitum Lepido *templum ibi* dicente *ædificaturum Felicitati: cæterum id eo re actum* ferebatur, *ut inde quoque Sullæ nomen tolleretur, & nova ibi Curia ex fundamentis educta Julia fieret.* quemadmodum & mensis adpellatus ab eo fuerat; & tribuum una sorte ducta ex omnibus. Adhæc datum, *uti solus perpetuusque Censor esset: filius, sive natus ei, sive adoptatus foret, Pontifex Maximus crearetur. pro salute ejus vota quotannis fierent: per genium ejus juraretur: omnia quæ egisset, rata haberentur: Senatores atque Equites custodiam corporis ejus agerent: Quinquennalia tanquam heroi agerentur: Lupercis tertium collegium adderetur, Juliorum cognomento. munere gladiatorio in Urbe & per Italiam unus dies Cæsari dicatus esset: in theatris sella ejus aurea, & gemmata radiisque distincta corona, sicuti cæterorum Deorum inferretur.*

Jupiter Julius Sueton. Dio.

XXXV. Postremò jam non per ambages, sed propalam pulvinari decreto *Jovem Julium* adpellarunt, eique suum adtribuerunt Flaminem, Antonium. Nec eo minus tamquam mortali sepulchri locum dederunt intra pomærium. & hæc decreta literis aureis in columnis argenteis consignata sub pedibus Capi-

De permittenda polygamia actum.

tolini Jovis collocaverunt. Non me fallit his commemorandis lectori me simile fastidium comparasse, atque ego cognoscendis digerendisque subii. Sed referre credidi, ne parum diligenter ista traderentur, quo sub illustri documento palam fieret, in quantum insanire magna ingenia possint, quoties popularium voeum puerilibus oblectamentis in transversum acta, semel à vero gloriæ itinere diverterunt.

Cæsaris adrogantiæ voces. Plin. 7. 25. Suet.

XXXVI. Inerat sane Cæsari præstantissimus animi vigor, & capax omnium, ad quæ adspirare mortalis natus ausit, sublimitas: sed adsuetudine & voluptate jucunda quàm salutaria audiendi non cessavit à se desciscere, donec ad stolida, & pudenda, & postremum exitiosa prolaberetur. Igitur propalam edebat voces insolentis adrogantiæ plenissimas, *Nihil amplius esse Rempublicam: adpellationem modò sine corpore ac specie. Sullam nescisse literas, qui Dictaturam deposuerit. Debere homines jam consideratiùs secum loqui, & pro legibus habere quæ dicat.*

Impudentis adulationis specimen. Dio. Suet. Cæsar. 50. 1. 52. 5.

XXXVII. Sane magnos ei honores à principio quotquot adhuc vetere Curia digni superabant, non immeritò detulerant. Sed ubi hæc cupidè recipi intellectum est, statim prorupit adulantium protervitas, tam impudenter, ut inter alia turpia censerent quidam, quod mulierosum esse scirent, *ut uxores liberorum quærendorum causa, quas & quot vellet, ducere liceret.* ajuntque *hoc etiam placuisse Cæsari, atque Helvium Cinnam plerisque confessum habuisse paratam legem, quam ea de re ferri se absente Cæsar jussisset.*

Populus vindicem requirit. Plut. Anton. Suet. Cæs. 80. 2.

XXXVIII. Jamque eò perventum erat, ut tot atque talia admitti ab homine, vel ipsi, qui detulerant, indignarentur. At populus, ut mos est vulgo sæpe nominibus magis, quàm rebus offendi, quem tamdiu Regem erat passus, sic adpellari velle non ferebat. Itaque clam palamque dominationem aspernantes, vindicem requirebant. proximis comitiis reperta dicuntur complura suffragia, *Cæsetium & Marullum Consules* declarantium. L. Bruti statuam in Capitolio fuisse diximus, juxta Regum effigies, ubi & C. Cæsari nuper erat posita. huic igitur inscriptum fuit: *Brutum ejectis Regibus primum Consulem factum esse: hunc ejectis Consulibus postremum Regem.* Bruti vero statuæ; *Utinam viveres!*

Brutum nomine inclamant. Dio. Plut. Brut. c. 11. & 4. App. lib. 11. Civil. Vell. 2. 56. 3.

XXXIX. Atque inde conversi ad Prætorem Brutum, quem propter nominis communionem *ab altero illo genus ducere* faventes dicebant, subinde inclamarunt *Bruti* nomen, sibique *Bruto aliquo esse opus.* Tribunali quoque ejus inscriptum, *Dormis Brute? &, non es Brutus?* Is populi sensus animos inimicorum Cæsaris erexit; Cassioque sollicitanti quosdam, adnuerunt, *si dux facti Brutus esse sustineret.* Ab hujus enim integritate putabant adcessurum ausis suis honestissimum colorem, ut res Bruto probata, non nisi causa libertatis suscepta videretur. Sororem Bruti Cassius duxerat; sed erat inter eos nuper orta dissensio, quod minorem natu Brutum Cæsar Urbanum Prætorem fecerat, eidemque Consulatum promiserat, dilato Cassio, cujus tamen causam esse justiorem fatebatur.

Idem & à Cassio sollicitatur. Appian. Plutarch.

XL. Tunc igitur prior ad Brutum Cassius venit, percontatusque est, *esset ne interfuturus Senatui Kalendis Martiis? nam audire se Cæsaris amicos relaturos esse de Regno ejus.* Ille negare adfuturum. Tum Cassius, *quid si cogamur adesse?*

Solicitatur in Cæsarem Brutus.

Multa querar, ait ille, *de Republica: & oppetam pro libertate. Istud vero nec dii nec homines sirint*, exclamat Cassius, *quin ille pereat potius qui meruit. Nec enim solus objiciere periculo. ecquid eos putas, qui voce non ausi te compellare, tribunal tuum fecerunt interpretem suæ voluntatis? non forensis ea turba est profecto, aut sellularii opifices: illustres viri sunt, & principes Civitatis.*

Et persuasus plures adsciscit. Cic. pro Ligario. Suet. Galba 3. Appian. Calaubon. ad Suet. Cæs. 80. 2. Seneca de Ira 3. 30.

XLI. Ab hoc colloquio Brutus, jam consilii certus Q. Ligarium invisit familiarem suum. qui accusatus apud Cæsarem, & patrocinio Ciceronis absolutus, acriorem periculi quam beneficii sensum retinebat. Igitur dicente Bruto, *quali tempore ægrotas Quinte!* continuo se erexit in cubitum, & adrepta Bruti manu, *si quid*, inquit, *dignum te cogitas, valeo.* Inde ad solicitandos amicos conversi, multos pertraxerunt in societatem, quosdam etiam ex Julianis partibus. Horum principes fuerunt D. Brutus, C. Trebonius: cæteri nobiliores Ser. Sulpicius Galba, Cajus, & Publius Servilii Cascæ, Tullius Cimber, Minutius Basilus. plerique omnes nulla alia de causa, quàm quod satisfacere Cæsar cupiditati omnium nequibat. quum singuli ferme tantum poscerent, quantum vix dare poterat universis.

Ciceronem tamen & Favonium præterit. Eutrop. Cic. Philip 3. 21 & 13. Appianus. Plutarch.

XLII. Ex Pompejanis præter duces consilii Brutum atque Cassium, L. Cassius, Caii Frater, Cn. Domitius Ahenobarbus, P. Turullius, Atilius, Petronius, C. Cornelius Cinna, Cassius Parmensis, Cæcilius & Bucilianus fratres, Rubrius Ruga, Q. Ligarius, M. Spurius, P. Sextius Naso, Pontius Aquila. Sed Ciceronem, de cujus neque fide, neque benevolentia dubitarunt, celare consilium maluerunt, circumspectam senis prudentiam veriti, minime aptam negotio quod celeritatem & impetum requireret. Sed & Statilium & Favonium duos Catonis æmulos non adhibuit Brutus, tentata dissimulanter utriusque sententia, dum inter sermones de Philosophia elicitur Favonius, *ut deterius esse tyrannide bellum civile* diceret: Statilius Epicuri sectæ deditus, negaret *cordato viro laborem & periculum esse suscipiendum, malorum & stolidorum hominum gratia.*

Fides & taciturnitas conjuratorum. Appian. Dio. Plutarch. Eutrop. Sueton. Cæs. 80. 8. Senec. epist. 83. 18. 2.

XLIII. Igitur his relictis, Labeonem quemdam adjunxit. A Labeone simul & Cassio D. Brutus tentatus est, vir animi non maximi, sed cui plurima erat fallendi copia, per amicitiæ fidem: erat enim inter familiarissimos Cæsaris. præterea quum Idibus Martiis munus editurus esset in theatro Pompeii, gladiatores ejus ingentem præbere usum poterant. At ille, nullo tum responso dato, perrexit ad Brutum: & intellecto hunc esse rei gerendæ ducem, omnia promisit amplissime: cæterorumque plurimos & præstantissimos auctoritas M. Bruti allicuit: donec facti sunt Senatores Equitesque amplius sexaginta. tum consilia, quæ seorsim hactenus bini ternive cęperant, in unum conferre visum. & licet neque juramento, neque sacris tactis adstrinxerant fidem, eam tamen cum silentio præstiterunt, ut ex tanto numero nemo mutaret animum, nemo proderet, ne Cimber quidem Tullius confessæ ebriositatis: & qui postea per jocum dicere solitus est; *Ego ne ferrem quemquam, qui vinum ferre non posset?*

Cæsar Brutum & Cassium suspectos habet. Suet. Cæs. 75. 9. 77. 2. Plut. Ant. 27. Plin. 11. 37. Cic. de Divin. 2. 52.

XLIV. Sane non fallebat Cæsarem nocturnos conventus agi, Brutumque & Cassium suspectabat, negans *obesos illos & comatulos se timere.* (Dolabella & Antonius rerum novarum insimulabantur) *sed pallidos hos & macilentos:* cæterum sive inopia consilii, sive nimia fortunæ suæ fiducia, contentus edicto admonuisse, *nota sibi esse quæ agerentur*, ultra nihil cavit: etiam aruspices irridens,

à qui-

Prælagia mortis Cæſaris.

à quibus monebatur. Quo die primum veſte purpureâ proceſſit, atque in aureâ ſellâ ſedit, ſacrificanti extis cor defuit in opimo bove. At ille *triſtia exta* nuncianti Spurinnæ, dicentique *timendum eſſe ne conſilium & vita deficeret, quod utraque hæc corde continerentur; futura* dixit *lætiora quam vellet: neque pro oſtento ducendum ſi pecudi cor defuiſſet. idemque ſibi eveniſſe in Hiſpania; neque ideo minus ſequutam victoriam.*

Jul. Obſeq. Plut. Cæſ. c. 89. Val. Max. 1. 6. 13. Appian.

XLV. Sed aruſpice regerente, *tum quoque maximam capitis diſcrimen adiſſe:* hactenus motus eſt, ut poſtero die iterum immolaret. tum vero caput in jecore non fuit. Prædixit igitur Spurinna, *caveret proximos dies triginta, quorum erat poſtremus Idus Martiæ.* Sed & alia *plurima circum hoc tempus adparuiſſe prodigia* tradunt. Nam *præter fulgurita plurima, & viſa per noctem diſcurrentium virorum flammea ſpectra, aveſque ſolitarias in foro conſpectas, paucos ante menſes Capuæ repertam in conditorio Capyis tabulam æneam* familiariſſimus Cæſaris Cornelius Balbus memoriæ prodidit, *literas Græcas exhibentem hac ſententia: Quandoque oſſa Capyis detecta eſſent, fore ut ex ea gente prognatus manu conſanguineorum necaretur, magniſque mox Italiæ vindicaretur cladibus.*

Prodigia mortem Cæſaris antecedentia. Cic. Appian. lib. 4. Valer. Max. 8. 11. 2. Suet. Cæſ. 8. 4. Vell. 2. 57. 2.

XLVI. Proximis quoque ante mortem diebus enunciatum eſt; *greges equorum, quos in trajiciendo Rubicone conſecratos, ſine cuſtode vagari patiebatur, pertinaciſſime abſtinere pabulo, ubertimque flere.* Pridie Idus avem ex eo genere, quod *Regem avium* adpellabat Italia, cum laureo ramulo Pompejanæ Curiæ ſe inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore perſequutæ, ibidem diſcerpſerunt. Ipſe in cœna apud Magiſtrum Equitum Lepidum, quum more ſuo inter recumbendum epiſtolas commentaretur, ut erat ad plura ſimul agenda ſingulari quadam mentis velocitate præditus; motam interea quæſtionem audiens, *quænam eſſet mors optima?* prævertens omnes exclamavit, *inopinata.*

Cæſar inopinatam mortē optimam putat. Plin. 10. 74. 7. 25. Appian. Plut.

XLVII. Eamdem deinde noctem & vigilans & dormiens irrequietam habuit, viſus ſibi per quietem interdum ſupra nubes volitare, alias cum Jove dextram jungere: & quum arma Martis, quæ veteri inſtituto domi Pontificis Maximi adſervabantur, ſonitum ingentem edidiſſent; valvæque cubiculi feneſtræque omnes, quæ diligenter clauſæ fuerant, ſubito eſſent patefactæ, ſtrepitu ſimul & fulgore Lunæ exterritus, animadvertit juxta cubantem uxorem Calpurniam in ſomno graviter angi: comperitque imaginatam, *faſtigium quod adjectum Cæſaris ædibus Senatuſconſulto fuerat, ruiſſe. deinde maritum ſe tenere confoſſum in gremio ſuo.*

Calpurniæ ſomnium. Suet. Cæſ. 81. 4 87. 2. Jul. Obſeq.

XLVIII. Jam illuxerant Idus, *quam in diem Senatum in Pompeii Curiam convenire* juſſerat, ut quarto poſt die paludatus votis nuncupatis proficiſceretur. Sed tenebat eum Calpurnia, flens oranſque *ne quo procederet.* & movebatur ille ſolicitudine matronæ, in qua nullam alias muliebrem ſuperſtitionem animadverterat. accedebat & valetudo infirmior, & quod pluribus hoſtiis cæſis renunciatum erat *non litari, aveſque non ſinere eum egredi domo.*

Cæſar à D. Bruto perſuaſus. Dio. Conſtantin. Manaſſes. Suet. Cæſ. 80. 9.

XLIX. Jamque per Antonium dimittere ſtatuerat Patres; quum D. Brutus, monentibus per nuncios conſciis, amitti occaſionem veritus, irriſit haruſpices: ipſum caſtigavit, *ſi frequente ac dudum opperiente Senatu deluſo, criminationum malevolis præberet materiam. Paratos eſſe decernere, uti locis*

In Senatum pergit. Plut. Brut. Appian. Dio.

omnibus extra Italiam insignia nomenque Regium ferat, domi sub nomine Dictatoris eandem potestatem retineat: hoc enim quasi temperamentum placuisse nonnullis credebatur. Eos jam dimittere, & jubere opperiri, donec lætiora fiant Calpurniæ somnia, nihil esse aliud, quàm se offerre sermonibus & judiciis, qualia maxime nolis. Quod si omnino constituisset eam diem inauspicatam ducere, at ipse veniret in Curiam, Senatumque mitteret. sic expugnatus decessit, sed ea destinatione ne quid majoris rei ageret.

Indices conspirationis audite impeditur. Dio. Plut. Cæs. Appian. Vellejus.

L. Quum exiret domo, imago quædam ejus in vestibulo posita sponte decidit, & comminuta est. Vix erat egressus, quum servilis quidam conditionis accurrens, quoniam repulsus ab aditu ejus fuerat, Calpurniam adiit, *custodiri petens, donec Cæsar redisset: magnarum enim rerum se adesse indicem.* Sed & Artemidorus Gnidius, qui propter linguæ Græcæ professionem plerisque Bruti familiaribus notus, consilia eorum olfecerat, libello porrecto, quum vidisset alios ipsi oblatos amicis tradentem; *hunc*, ait, *operæ pretium est ipse perlegas, & cito.* Sed sæpe conantem subinde intervenientes alii salutantesq; averterunt. manuque libellum tenens Curiam introiit.

Portia Bruti uxor. Plut. Brut. Dio. Val. Max. 3. 2. 15.

LI. Sub idem tempus pro tribunali Brutus jus reddebat ita securo vultu, ut nullius insoliti consilii nota deprehenderetur. Cuidam tamen adpellanti Cæsarem, respondit, *neque prohibet me jus secundum leges dicere Cæsar, neque prohibebit.* Interea nunciatur ei *uxorem Porciam deficere*, quæ una mulierum conspirationis hujus erat conscia. Quippe maritum præter morem inquietari animadvertens, neque fatente illo, rem grandem & arcanam agitari divinata, scalpellum quo præcidere ungues solebat, alto vulnere demersit in femur, magnoque inde dolore, & propter amissum sanguinem debilitate adfecta, anxium virum sic adfata dicitur.

In consilii societatem admissa. Polyæn. Strateg. lib. 8. Plutarch.

LII. *Ego mi vir, in communionem utriusque sortis nupsisse tibi scio. Tu vero, quum animum meum probares, corpori diffisus, quod in hoc sexu infirmius imparque dolori creditur, solicitudines tuas occuluisti. Neque ego credebam mihi, donec experimentum facerem. Ecce autem possum quod volui, & facile cruciatum fero. Quod si post hoc tirocinium contaberis habere mihi fidem, ne quis aut Catonis filiam, aut Bruti conjugem vocet, ni morte mea dedecus hoc abrupero!* Sic admissa in consilii societatem, ipsa viro ad facinus prodeunti vestes, & obvolutum illis pugionem adtulit. Hæc igitur sive nondum pereurato vulnere, sive curis urgentibus *deliquium animi passa* nunciabatur.

Cæsar aruspicem irridet. Dio. Plut. Cæs. Val. Max. 8. 11. 2.

LIII. Sed Brutus audito *jam adfuturum Cæsarem*, privatæ solicitudini publicam caussam antepositi: cæteri quoque conscii respiraverunt à metu. Timebant enim ne delato rei indicio venire Cæsar contaretur; nam & adparitor sellam auream Curia jam extulerat, quæ & ipsa res post necem Cæsaris in omen tracta est. Sed ille sive prædictionibus spretis, sive defunctum se periculo putans, in alias cogitationes intenderat animum; ita securus, ut visum forte dum in Senatum pergit, Spurinnam haberet ludibrio, *venisse dicens Martias Idus.* atque ille, *venisse quidem, sed nondum præcrisse* respondit.

Mira errorum ludibria. Plut. Brut.

LIV. Excendentem è lectica Cæsarem Sex. Popillius Lænas secreto sermone diu detinuit: unde iterum formido conscriis, ne consilia sua proderentur. Nam ea quidem in re præter adsuetam magnis ausis trepidationem, miro ge-

mini erroris ludibrio propemodum ipſi detexerunt animi deſtinata. Paulo enim ante Caſcæ quidam familiaris, ſed hujus conſilii expers, prehenſa ejus manu, *tu vero*, inquit, *nos celaſti de arcano, ſed Brutus nobis exprompſit omnia.* & niſi paulo poſt, ſtupente Caſca, ſubjeciſſet; *unde igitur eæ tibi ſubito opes, ut cogitare auſis Ædilitatem?* Minimum aberat, quin Caſca rem omnem tanquam gnaro aperiret.

LV. Et Brutum atque Caſſium impenſius ſalutans Popillius, priuſquam adiret Cæſarem, clam inſuſurravit, *optare proſperum eventum cogitatorum. ſed emanare rem: properarent.* Hunc igitur cum Cæſare tamdiu colloquentem profecto deferre indicium rebantur: & admovebant nonnulli ſub toga pugionibus manus, interfecturi ſemetipſos priuſquam comprehenderentur; quum Brutus conſiderato adtentius Lætatis geſtu, preces eum, non indicium deferre conjiciens, quia ſermoni non erat locus, hilariori intuitu advertit Caſſium, & à re præcipitanda abduxit. Interim Antonium pro foribus Curiæ C. Trebonius longo ſermone diſtinuit: ſive ne perire Cæſarem homo prævalidus, & majeſtate Conſulatus armatus impune ſineret; ſive ne ipſe periret. Conſciorum trepidatio. Dio. Cic. Famil. 10. 28. et Phil. 2. 14. 13. 10.

LVI. Fuerat enim dubitatum *quid Antonio fieri oporteret.* Nonnullis *illum quoque, ſed & Lepidum tolli* jubentibus, mitior ſententia vicit. Nolebat Brutus *quemquam præter Cæſarem occidi, quo nihil aliud æſtimari tum, quàm libertatem ipſo opere demonſtrarent.* Profuit etiam Antonio, quod C. Trebonius *cum eo ſe Narbone hoc conſilium cepiſſe* dicebat: eamque rem nunquam Cæſari indicaverat Antonius. Sed in Curia quum ingredienti Cæſari Senatus adſurrexiſſet, conjuratorum alii ſellam ejus ſpecie officii circumſteterunt, pars adceſſerunt ad eum cum Tullio Cimbro, tanquam pro fratre ejus exſule rogaturi. Antonius cur non occiſus cum Cæſare? Plutarch. Anton. cap. 17. et Cæſar. Vell. 2. 58. 2. Dio. Cic. Phil. 2. 14.

LVII. Multa hic Cimber à Cæſare beneficia acceperat, quorum immemor, primas in eo facinore partes ſuſcepit. At Cæſare negotium in aliud differente tempus, & quia impudentius urgebatur, volente conſurgere togam ejus purpuream ab utroque humero Cimber comprehendit. hoc ſignum ut eſſet cædis faciundæ convenerat. Igitur clamantem, *iſta quidem vis eſt*, alter Caſcæ ſauciavit paulo infra jugulum; non lethali, nec admodum alto vulnere, quod inter initium faciendi manus trepidaverat. At Cæſar correptum Caſcæ brachium graphio trajecit, exclamans, *ſcelerate Caſca quid facis?* & proſilire conabatur, niſi foret ab alio percuſſus in pectore. ſimul irruerunt cæteri ſtrictis pugionibus, nemine non hanc adepetente gloriam: & Caſſius quidem caput ejus petiit, Brutus perçuſſit inguina, occipue vulneravit Bucilianus. Cæſar cæditur. Suet. Cæſar. Plut. Cæſ. Cic. Phil. 2. 12. Appian. Dio.

LVIII. Ajunt feræ modo ſe convertentem in ſingulos, & cum clamore repugnantem, ubi Brutum quoque conſpexit irruere, dixiſſe Græcis verbis, *Tum etiam inter hos es fili!* Nam quod flagrantiſſimo amore ſuo Brutum pepererat Servilia, natum ex ſe credebat. Alii negant ullam miſiſſe vocem, neque præ irruentium multitudine facere quidquam potuiſſe; ſed toga capiti obvoluta, ſimul ſiniſtra manu deduxiſſe ſinum veſtis, ut inferiore parte corporis tecta honeſtius caderet, uno tantum ad primum ictum edito gemitu. Hoc habitu cecidit ad Pompeii ſtatuam, eamque largo cruore reſperſit; quum etiam in jacentem ſæviretur, manumque Bruti ſauciaret Caſſius, eodem tempore plagam inferens. *De tribus & viginti vulneribus*, tot enim facta erant, *nullum fuiſſe* Ad Pompeii Statuam. Appian. Sueton. Dio. Plutarch. Vel. Max. 9. 11. 6.

lethale Medicus qui ea inſpexit exiſtimabat, *præter quod ſecundo loco acceperat in pectore.*

Terror & tumultus ex ea cæde. Liv. Epit. Sueton. Dio. Plutarch.

LIX. Conjurati corpus in Tiberim trahere, publicare bona, reſcindere acta, quod fuerat ipſis propoſitum, metu Conſulis Antonii, & Magiſtri Equitum Lepidi ſuperſederunt. Sed qui in Curia & circa eam exſortes conſilii fuerant, ſævo ſpectaculo adtoniti, ſuamque vicem anxii trepidabant: nec enim quanta aut manus conjuratorum, aut quale conſilium eſſet, liquebat. Ideoque licet progreſſus in medium Brutus alloqui cuperet, ejicientes ſe Curia fuga, & tumultu omnia miſcebant, obvios ſui quiſque terroris implens. Eaque res leviſſimo cuique occaſionem fecit, per vulnera & rapinas exercendæ petulantiæ: multique peregrini atque cives, ſed & Senatores nonnulli vulnerati & occiſi ſunt incertis auctoribus; menſæ tabernæque direptæ.

Lepidus milites in Campū deducit. Appian. Dio. Cic. Phil. 2. 33. Plut. Ant. c. 18

LX. Quippe ex propinquo Theatro tam ſpectatorum turba, quàm ipſi quoque gladiatores ab editore præmoniti eruperant. Et augebat conſternationem vehemens imber cum horribili tonitru, quaſi cœlum ipſum funeſtam atque luctuoſam faciem induiſſet. Ideirco tota Urbe domus claudebantur: Senatores ubi quiſque poterat, per tabernas & inſulas ſe abdebant: occurſabant invicem agmina, hinc contendentium ad ſpectandum corpus, inde re perſpecta redeuntium. Antonius & Lepidus ſibi timentes, primo in alienas ædes profugiunt: mox Antonius mutata veſte clam egreſſus, communivit ſuas: Lepidus in Tiberis inſulam, ubi legio erat militum, tranſmiſit, atque inde deduxit in campum, mandata Antonii tanquam Conſulis opperiens.

Percuſſores in Forum prodeunt. Sueton. Appian. Dio. Plutarch. Cic. Phil. 2. 12.

LXI. At corpus illud terrarum modo mariumque domini, diffugiente comitum turba, aliquandiu deſertum jacuit, donec tribus ſervulis lecticam impari greſſu ſuecollantibus, dependente brachio, domum reportaretur. Sed percuſſores Cæſaris, poſtquam in Curia nemo præſtabat audientiam, togis circum læva brachia circumvolutis, cruentos pugiones quatiendo, recta pergebant in forum; præferente quodam in haſta pileum, libertatis ſignum: hortabanturque populum, *Regem atque Tyrannum interfectum eſſe* dictitantes. & M. Brutus cruentum alte excollens pugionem, *Ciceronem* nominatim inclamavit, atque ei *recuperatam libertatem* eſt gratulatus.

LXII. Interim nonnulli adgregabant ſe euntibus, laudi & præmio futurum

Percuſſores Cæſaris in Capitolio

rati, ſi egregii facinoris ſocii exiſtimarentur: è quibus poſtea C. Octavius, P. Lentulus P. F. Spinther, ejuſque familiaris Patiſcus, aliique vindicibus Cæſaris pœnas dederunt inſolentiæ, quod ſe percuſſoribus miſcuerant; quum nullam partem gloriæ tuliſſent, omnibus eos facto non adfuiſſe ſcientibus. Sed populus diu trepidato, ubi neminem præterea lædi petive conſtitit, verba percuſſorum accepit tranquillior, *bono animo* jubentium *eſſe, poſitoque omni metu, quam diu votis expetiſſent, nunc beneficio ſuo haberent, puram haurire libertatem*. Ita multitudine utcumque placata, neque tamen illis ſe adjungente, Capitolium petierunt, tanquam diis acturi gratias; illudque ſtipati manu gladiatorum occuparunt.

Inde petunt Capitolium. Plutarch. Dio. Cic. Philipp. 2. 13. Cic. Famil. 12. 24. App.

LXIII. Clamabat tum Cicero, *Senatum in Capitolium à Prætoribus vocari oportere.* quod profecto, ſi foret factum, longe aliter atque accidit, conſtitui Reipublica potuiſſet. Venerant tamen in Capitolium adveſperaſcente die Favonius, Aquinius, Mureus, Patiſcus. ſed & Dolabella jam Conſul: quippe faſces atque inſignia Conſularia ſtatim corripuerat: quamquam nullo jure facere videretur, ſubſtituendus in locum profecti: ſed ille *profectum* interpretabatur, *qui eſſet in ea cauſſa, ut amplius profici non poſſet*. Poſtridie Foro venali turba repleto, quam per amicos Caſſius comparaverat, jactatæ voces ſunt, non probantium factum; ſed *pacem & concordiam* poſtulantium, quæ res, niſi ignoſceretur interfectoribus, obtineri non poterat.

Eodemque alii quidam Senatores veniunt. Velleï. 2. 58. 3. Liv. Epitom. Cic. ad Attic. 14. 10. Dio. Euſebius.

LXIV. Hæc agentibus commodum L. Cornelius Cinna Prætor ſupervenit. Is neque adfinitatis, neque beneficiorum memor, acta Cæſaris acerba oratione pro Roſtris infectatus eſt: inſignibus etiam Magiſtratus abjectis, *quæ ſibi data contra leges à tyranno* dicebat: auctorque erat populo *deducendi libertatis auctores à Capitolio, præmiiſque & honoribus ornandi*. Neque tamen adhuc ultra priores voces incaluit multitudo, Cæſaris ante oculos obverſante adhuc majeſtate, & incerto rerum exitu. Sed ubi Dolabella cum lictoribus adfuit, atque haud diſſimilia loquutus eſt, *eumque natalem Urbis habendum* dixit, *quo tyranno interfecto libertas eſſet reſtituta*; crevit fiducia animis, cœperuntque poſtulare, *uti devocarentur à Capitolio patriæ liberatores*.

L. Cinna in Cæſarem invehitur. Sueton. Cæſ. 85. 2. Val. Maxim. 9. 9. 2. App.

LXV. Atque illi Dolabellæ acceſſione gaudentes, nactoſque rati ducem idoneum, quem Antonio vindicare eadem volenti opponerent; juventa promptum, nobilitate validum: non tamen deſcenderunt univerſi: Caſſius tantum atque Brutus progreſſi in concionem de facto ſuo loquuti ſunt confidenter & magnifice, mutuo ſe laudantes, & ſociorum prædicantes operam, *D. Bruti maximè, qui gladiatores in tempore præbuiſſet. debere populum Romanum inducere majorum animos; qui legitimam licet poteſtatem Regum, ſimul ad tyrannidem inclinare cœpiſſet, abolevérint, revocari oportere Sex. Pompejum cum Tyrannis legatis dimicantem in Hiſpania: Cæſetiumque & Marullum abrogata poteſtate exſules*.

Caſſius & Brutus concionantur. Cic. ad Attic. 15. 1. App.

LXXVI. His dictis iterum in Capitolium ſe receperunt, parum credentes præſenti multitudini, quod honeſtior populi pars aberat. Hactenus tamen erat profectum, ut neceſſariis eorum amicisque concederetur in Capitolium aditus. Ex horum numero Conſulares nonnullos miſerunt ad Antonium & Lepidum, qui aliquoties iverunt, rediveruntque, donec certius aliquod reſponſum obtineretur. Cauſſa dubitandi ex eo, quod vindicare mortem Cæſaris erat

Cũ Antonio & Lepido per internuncios agunt. Plut. Brut. cap. 27. Cic. Philipp. 2. 35. App.

his animus: ſed conſenſum Senatus, & maxime D. Bruti potentiam, cum exercitu veterano Galliam obtinentis verebantur. Tandem dum earum copiarum corrumpendarum occaſionem nanciſcerentur; paulo liberalius reſpondendum ratì, *nihil ex privato odio agi placere* reſponderunt; *ſed cogi Senatum, & ad eum referri de præſentibus, idque obtinere, quod Patres Conſcripti cenſuiſſent*.

Nox inquieta. Dio. Appianus.

LXVII. Minime diſplicebat ea ratio coniuratis, qui de Senatus animo ſententiaque non dubitarent. Ideirco reliquo diei & per noctem deinde miſerunt circum domos, oratum, *ut patriæ cauſſam, ſuamque tueri ſinguli atque univerſi vellent*. Neque minor erat militum ſolicitudo, quibus agros Cæſar dederat aut promiſerat: ii quoque circumibant, miſcentes cum precibus minas. denique nox ea nihilo tranquillior aut otioſior fuit, quàm negotioſiſſimi dies eſſe conſueverunt. Nam & Lepidus in Foro tetendit cum militibus, & Antonius hoc præſidio tutior, jubebat *excubare Magiſtratus, facibus accenſis, & quaſi de die ſedere pro Roſtris per vicos*. Ipſe *pecuniam Commentarioſque Cæſaris deportari* juſſit *in ædes ſuas*: incertum ſuone conſilio & proprii emolumenti cauſſa, an orante Calpurnia, ne per tumultum diriperentur.

Cinnæ periculum. Cic. Attic. 14. 16. Dio. Appianus.

LXVIII. Liberalibus luce prima convenire Patres in Telluris cœperunt: eò Senatum indici placuerat, quod Curia ſubjecta Capitolio, in quo gladiatores erant, tanquam obnoxia conjuratorum inſidiis vitabatur. Quum inter cæteros intrare Cinna vellet, reſumptis inſignibus quæ pridie projecerat, coorta eſt in eum quæ Cæſaris necem ægre ferebat populi manus, laceratumque maledictis & lapidibus adpetitum in domum quamdam cogerunt confugere. neque hic finis erat periculi: ligna congeſta ſunt, & incendium paratum, ni Lepidus cum armatis adcurrens vim extremam arcuiſſet.

Senatus diſcordia. App. Lio.

LXIX. Idem ad omnes aditus poſitis cuſtodiis, ingreſſum cæteris tutiorem præſtitit. Sed tamen ab hoc initio Cæſaris fautores receperunt animos, & quum ſubinde plures eorum concurrerent, Caſſianorum mercenariorum fractæ ac debilitatæ voces conticuerunt. Interim perſtrepebat Senatus mira vocum orationumque diſcordia, hoc intemperantius, quod libertas ex intervallo reguſtabatur, proximo enim quadriennio pleraque contra animi ſui ſententiam conſenſerant. Pleraque tamen pars favens conjuratis, *eos quoque* jubebat *arceſſi*: neque repugnabat Antonius, ſciens non eſſe deſcenſuros.

Diverſæ ſententiæ. Tacit. Appianus.

LXX. De interfecto Cæſare multa & diverſa dicebantur, quum aliis *peſſimum*, aliis *pulcherrimum facinus eſſe* videretur. pars auctore Tib. Nerone, *præmia* decernebat *interfectoribus*: alii *gratias agendas, omiſſis quæ ipſi quidem poſtularent præmiis*. erant qui *ſufficere* crederent *impunitatem*. Contra dicebatur, *rem eſſe commiſſam minime laudabilem, Reipublicæ tamen condonandam, ne novis vulneribus veteres civilium malorum cicatrices reſcinderentur*: ſed *honores* adimebantur, *quos neceſſumerat cum Cæſaris contumelia conjungi*. Reclamabant alii *majorem eſſe habendam ſuperſtitum rationem quam mortui*. & adripiebatur quod forte à quodam adleveratum erat; *alterutrum eſſe neceſſarium, uti vel tanquam Tyrannicidæ præmia accipiant percuſſores; vel tanquam in delicto deprehenſi veniam*. & poſtulare cœperunt, *rejerreturum de Cæſare, qualem exiſtimari oporteat: juratuſque Senatus cenſeret, gratia facta prioris ſacramenti, quo ſe Cæſaris ſalutem defenſuros aut vindicaturos juraſſent: id enim neceſſitate extortū.*

Digitized by Google

Antonius & Lepidus plebi se ostentant.

LXXI. Inter has contentiones Antonius insidiosè habitum animorum speculatus, quum coptari rem videret, ad multa quæ nollet valituram, injiciendum celeriter impedimentum ratus, audientia postulata; *Priusquam*, inquit, *uti placere plerisque video, de Cæsare sententia dicantur; hoc equidem sciri consideraique refert, quod rem longe quàm putamus latius egressuram molimur. Etenim si Tyrannus fuit Cæsar, projici cadaver ejus insepultum convenit, & acta rescindi. Cæterum acta Cæsaris, ut scitis omnes, nullam non terra marique partem Imperii contingunt: quorum pleraque revocare, ne si decretum quidem certumque vobis foret, possemus: id quod paulo post apertius demonstrabo.* Antonii ars. celo callida.

LXXII. *In præsentia velim unum illud mihi consideretis, levius cæteris, & in potestate nostra haud dubie situm: ut ita demum ad cætera convellenda accingamini, quum hoc rescideritis. Quotquot ferme sumus Senatus primores, profectos à Cæsaris auctoritate magistratus & imperia aut gessimus, aut gerimus, aut gesturi paulo post videmur. De his fieri quid placet?* Celeriter convertit animos.

LXXIII. Sic commutata leviter quæstione, quum non jam de Cæsare, sed de sua dignitate intelligerent agi, velox animorum conversio facta, conclamatumque *non esse, cur novis comitiis populo creetur molestia: præstare semel accepta retineri.* Præ cæteris tendebant, qui contra leges à Cæsare producti, hujus condemnata memoria, nulla se videbant ratione tueri illius beneficia posse. quos inter Consul Dolabella quinque & viginti annorum juvenis, qui neque Præturam gessisset, & in summo esset Antonii odio, sibi haud leviter metuebat. Idcirco voces audires stomachantium, *non contentos si non pessimi, saltem insolentis facti fautores, concessa amicis venia; sed etiam postulare ut alii sua dignitate careant, quo factum illorum illustrius videatur atque ornatius.* Sed *bono hos animo* jubebant *esse* alii: *neque enim hoc agi, ut beneficia, sed ut auctor mutetur. eadem habituros eosdem, sed jam populi suffragiis; idque ipsis etiam honestius fore.* Acceptos à Cæsare honores retinere cupientium. Dio. Cic. Philipp. 13. 2. App.

LXXIV. Hoc sermone permoti quidam continuo posuerunt Magistratus insignia, tanquam paulo post majore cum dignitate recepturi: major tamen pars retinuit, rata *semel omissam potestatem, quod in aliorum esset futura manibus, non esse simul atque cuperent ipsi reduturam.* Inter hæc evocati è Senatu Antonius atque Lepidus, ostenderunt se multitudini, quæ in Foro innumerabilis constiterat. His in superiore loco conspectis ingens sublatus est clamor: quo vix sedato, quidam, dubium an subornatus, exclamavit, *haberent rationem sui, ne similia atque Cæsar paterentur.* Ad hæc ille dimota leviter veste loricam ostendit sub ea, quo magis incitaret alios, ne Consulibus quidem inermibus tutum esse quidquam credentium. Antonius & Lepidus in forum descendunt.

LXXV. Ibi sublatus est iterum à diversis agminibus clamor, *ultionem* aut *pacem* varie postulantium. Antonius utrisque se venditans, *pacem*, inquit, *ut habeatis curabitur; atque sit ea propria nobis & perpetua. quamquam id sane difficile est apud hos animos, qui ne juris quidem jurandi religione retinentur. quid enim ista cautio Cæsari profuit?* Deinde versus ad turbam vindictam postulantium, *Vos quidem*, inquit, *perstatis in data semel fide. atque ego etiam ipse accederem vobis, nisi Consul essem: cui non tam respiciendum est, quid sua natura sit æquum, quàm quid esse videatur è Republica; ut quidem Senatui placet.* Antonii insidiosior sermo.

LXXVI. Quum fluctuare Antonius videretur, *Lepidum* postulare *vindicem* Lepidi dicta.

Acta Cæſaris rata decernuntur.

Romani haberetur? Quid quod eorum ſunt adhuc in Vrbe multa millia, qui promiſſa exſpectant & exigunt.

Neque Cæſarē pro Tyranno haberi.

LXXXI. *Ne tamquam rebus incertis ambigamus, admonere recentiſſimum factum poteſt, quis hominum ſenſus ſit atque animus. Quæ fuerit eorum hac proxima nocte circa Senatorum domus diſcurſitatio, plurimorum querelis paulo ante cognovimus. Omnes propemodum adpellati ſumus, & ampliſſimus quiſque frequentius & minacius. Per horum igitur ora oculoſque raptabimus Cæſaris corpus, his confectum contumeliis, quibus fas eſt Tyrannorum vexari reliquias; & horum manibus non diſcerpemur? Scilicet cujus ductu auſpiciiſq; ferociſſimas illi devicerunt nationes, cujus beneficio fortunas ſuas omnes debere arbitrātur, quem ſemper in ſummis magiſtratibus imperiiſq; viderunt; cum ſumma adfectum ignominia patienter ferent?*

Tam bene de Republica meritum.

LXXXII. *Quam Urbanæ porro plebis, quam Italiæ totius indignationem fore credimus? imo quam apud omnes pene dixerim & deos & homines invidiam noſtram? quis ignominiæ tanta notatum à nobis feret populi Romani modo principem, qui noſtrum Imperium terminavit Oceano; ſed & trans Oceanum ignotas prius adjecit gentes? Quæ vero judiciorum noſtrorum inæqualitas & quam acriter notabitur, ſi præmia decernamus iis qui Conſulem in Curia, ſacroſanctum in ſacro loco, Pontificem Maximum ſub oculis deorum confecerunt; hunc extrema deboneſtemus infamia, qui propter excellentem virtutem etiam apud hoſtes habetur venerabilis?*

Antonii, Planci, Ciceronis ſententiæ. Cic. Philipp. 1. 1. et 13. et Fam. 10. 8. Plut. Brut. cap. 28. Velleius. 2. 56 ſ. Dio.

LXXXIII. *Quapropter ita cenſeo: Quum C. Cæſarem pro Tyranno damnari nec fas ſit, nec è Republica: rata eſſe acta ejus & conſulta omnia: interfectoreſque inculumitate contentos eſſe, gratiaſque hujus clementiæ nomine habere & agere Senatui: quandoquidem ſimul laudari factum eorum, ſimul honori Cæſaris conſuli non poteſt. Hæc una eſt optima concordiæ, quam omnes optamus, via. ſic & veteranos metu, & ſolicitudine Civitatem liberabimus.* In eamdem ferme ſententiam magnus Orator Munatius Plancus Conſul deſignatus diſſeruit, niſi quod pro percuſſoribus paulo liberalius. hunc deinde M. Tullius excepit, & qua ſolebat ſumma eloquentia diſſeruit, *omnem memoriam injuriarum oblivione ſempiterna delendam eſſe.* ſed & Græcum verbum uſurpavit *amneſtiam*, Athenienſium factum commemorans, *qui poſt externa atque inteſtina mala, tyrannidemque perlatam, hac una tantum ratione Rempublicam conſtituiſſent.*

Cædes Cæſaris impunita: acta rata. App. lib. 2. Civil. Cic. ad Attic. 14. 16. et Philipp. 2. 27.

LXXXIV. Placatis per hæc ferme animis, & inclinatis ad concordiam, fit Senatuſconſultum, *quæri de cæde Cæſaris non placere: acta rata eſſe.* additum eſt, *propter utilitatē publicam*, quaſi per ſe invalida fuiſſent; tendentibus percuſſorum amicis, & concedente Antonio. Sed & illud expreſſerunt veteranorum centuriones tribunique, uti *de præmiis ſuis atq; coloniis nominatim* referretur; hic etiam, quaſi per metū, cedente Antonio, & demonſtrante, *quum præſidium Senatus non habeat, nihil denegari poſſe armatis.* Inter hęc poſtulantibus Patribus, *uti concordiæ ineundæ exēplum Conſules darent, quemadmodum & conſilium dediſſent*; depoſitis inimicitiis in gratiā redierunt: & ex eo die Antonius collegam Conſulatus ſui Dolabellā agnovit.

L. Piſonis contentio pro teſtamento et ſepultura Cæſaris. Appian.

LXXXV. Senatu dimiſſo, L. Piſonem circumſteterunt quidam, *ne tabulas teſtamenti Cæſaris proferret, neve palam ſepeliret mortuum*, rogitantes: *ne forte quid inde novarum rerum exoriretur.* Negantem inde preſſerunt acrius, minas intendentes, *ſi propter eū diſſiparentur tantæ opes, quas publicas eſſe oporteret*, Tyrannū fuiſſe Cæſarem ſubinnuendo. Igitur Pilo Conſules altiſſima voce teſtatur, *Patres non-*

Brutus factum suum defendit.

dum digreſſos *iterum cogi* petiit. *rem enim ſane magnam inciſſe*: *quando ii qui Tyrannum oppreſſum eſſe pugnent, tot exoriantur pro uno Tyranni. Sepeliri Pontificem Maximum nolunt, & teſtamentum proferenti minantur, & bona interfecti publicare pergunt. belli vero homines, qui ſibi ab eo tributa firma eſſe rataque poſtulant: & quæ ſuo jure decrevit de ſuis rebus, irrita eſſe jubent!*

Patres utrumque ratum eſſe iubent.

LXXXVI. *Neque hoc Brutus aut Caſſius, ſed ii nimirum faciunt, qui cædis illius auctores exſtiterunt. Cæterum ſepultura quidem Cæſaris in veſtra poteſtate eſt; teſtamentum autem in mea: neque commiſſum fidei meæ prodam, priuſquam & me aliquis occiderit.* His obteſtationibus, & quia multi lucrum ſperabant ex teſtamento, facile inducti Patres, *& teſtamentum proferri à Piſone debere, & ipſi Cæſari funus publicum* decreverunt. Hæc quum vix acta prius, quàm nunciata in Capitolium eſſent, Brutus & Caſſius per internuncios excitarunt plebem: multiſque cò concurrentibus, concionari Brutus in hanc ſententiam cœpit.

M. Bruti concio ad populum. Cic. Attic. Appian.

LXXXVII. *Qui vobiſcum heri in Foro egimus, Quirites; iidem nunc hoc agimus loco, non tanquam ad aſylum confugientes, nihil enim peccavimus: neque tanquam ad arcem, qui nos noſtraque omnia vobis permittere non recuſamus: ſed periculo Cornelii Cinnæ moniti, quem audacia nonnullorum improviſo eodemque indigno caſu pene conſumpſit. Audimus autem eſſe quorum vocibus & ſermone pro perjuriis atque turbatoribus pacis traducamur: eoque vos accivimus, coram quibus nos purgaremus, quemadmodum ſalva libertate, de cæteris etiam quæ ad Rempublicam pertineant, vobiſcum agi jus eſt. Nos equidem C. Cæſari, quum è Gallia exercitum contra Rempublicam eduxiſſet, eoque bello defenſorem libertatis Cn. Pompejum, multoſque deinde præſtantiſſimos viros in Africa Hiſpaniaque ſuſtuliſſet, eoque nomine ſuo capiti non ſine cauſſa metueret; fidem jurejurando dedimus, non fore præteritarum injuriarum memores, in futurum omne tempus ſervituros, neque dedimus fidem; neque ſi exegiſſet, dediſſemus.*

Docet fruſtra ſe argui perfidiæ ob Cæſaris necem.

LXXXVIII. *Quis enim qui vere quidem ſit Romani ſanguinis, non mori, ſi fieri poſſet, millies malit? Hæſtenus igitur obligati Cæſari fuimus. Idcirco ſiquidem Cæſar poſtea nihil contra libertatem noſtram molitus eſt, pejeravimus: ſin vero neque magiſtratus, neque provincias, nec exercitus, aut ullam Reipublicæ partem Senatui populoque Romano reddidit; ſed ſuo unius arbitrio conſtituit omnia; Sulla deterior, qui tamen aliquando ſatiatus malis publicis dominationem depoſuit: quæ non dicam ſpecies, ſed quæ omnino ſpes ſuperfuit libertatis? Dicet aliquis, fuit quidem vindicandæ vobis libertatis cauſſa juſtiſſima: ſed ſacroſanctum occidere non debuiſtis!*

Nec illum vere ſacroſanctum fuiſſe.

LXXXIX. *An igitur, ſi æquum utrimque jus eſſet, aliquem gaudere fas eſt beneficio legis, quam ipſe violarit prior? ſed & cauſſa longe eſt diſſimilis. Cæſetius & Marullus qua poteſtate fuerunt? nempe Tribunitia, quam antiquiſſimæ leges jurejurando majorum confirmatæ, ſacroſanctam eſſe juſſerunt. ſed hos in exſilium exegit Cæſar indemnatos, quos dum illa poteſtate fungebantur, ne in jus quidem vocare fas erat cuiquam. Et illi tamen haud dubie ſacroſancti. Cæſar quia voluit, quia coëgit armis ac terrore tot interfectorum ci-*

Concionatur adhuc Brutus.

vium, ſacroſanctus fuit. voluntatem igitur ſuam vimque accuſet, quæ dare ei hunc potuerunt honorem, tueri non potuerunt. Sed forte ſemel ira elatus ſic peccavit Cæſar. infirma defenſio! nec enim cuiquam ſic licet eſſe irato, ut patria jura ſubvertat, tollat religiones, piaculo civitatem obliget. ſed ne vera quidé eſſet.

Cæſarem multa peccaſſe iratum & citra iram.

XC. *Quis enim Q. Metello Tribuno plebis minitatus eſt mortem? Cæſar profecto, nec ab ira tum quidem, ſed effracturus ærarium, & rapiendæ publicæ pecuniæ cauſa. Deſinant igitur exprobrare nobis perjurium, quos neque obſtrictos fuiſſe ulla religione adparet, quin quod fecimus, faceremus; nec eam quæ fuimus obſtricti, ullo pacto violaſſe. non enim præteritorum maleficiorum à Cæſare pœnas exegimus, quæ erant jurejurando remiſſæ: ſed importunum Tyrannum, nec dominationem niſi cum vita poſiturum, ob ea quæ poſtea peccarat peccaturuſque erat innumerabilia, cervicibus oppreſſæ civitatis depulimus.*

Iusiurandum Tyranno datum an ſervandum?

XCI. *Taceo jam pleriſque videri, ne jusjurandum quidem Tyranno datum ſervari oportere: quod cum eo nullum eſſe poſſit commercium vel humanitatis vel religionis, qui divina atque humana omnia pervertit. Quod igitur, aiunt, poſtea reperiemus jusjurandum ſatis firmum atque efficax, ad certæ ſtabiliſque pacis fiduciam? Quid enim jurejurando opus eſt, nihil præter civilia cupientibus? quando patres noſtri majoreſque tali aliqua cauſa jurarunt? non enim habebant opus: & inuſitatam hanc cautionem noviſſimus demum Tyrannorum excogitavit timor. Licet igitur ſane res tota tollatur; etenim probis & modeſtis ſupervacua eſt hæc cura; Regnum adfectantibus infirma & vana. nec enim, tu Capitoline Iupiter, ſiris, voſque cæteri dii, liberæ Civitatis tamdiu cuſtodes atque præſides, uti hic populus Regem unquam vel juratus ferat!*

Se & ſocios ait privata poſt habere publicis.

XCII. *Neque pœnitet iſta hoc quoque tempore profiteri, quo nondum ſatis liquet, quid aut patriæ futurum ſit, & nobis. ſed & profitebimur indeſinenter, neque ullo tempore potiores privatas rationes publicis habebimus. Cujus quidem rei putamus evidentiſſimum modo documentum edidiſſe. Quum enim liceret ſecuris honoribus frui, perire in liberata patriæ, ſi quidem ita cordi fuiſſet diis, quàm in oppreſſa magiſtratum gerere maluimus. Sed adverſarii ſatis intelligunt, de jure ſibi minime æquam nobiſcum diſceptationem eſſe. ad alias confugiant artes, & maxime quærunt invidiam nobis facere apud veteranos. quo ex genere ſi qui adeſtis, quæſo vos, ſignificate.*

Veteranos adloquitur.

XCIII. *Significantibus multis, Bonum factum, inquit, quod inter alios cives hic quoque numerus veteranorum venit; ad vos igitur orationem converto, voſque ſicuti cum cæteris civibus omnia vobis patriæ communia beneficia ſunt, ita amorem quoque & adfectum communicetis hortor. Vos ab initio non Cæſar delegit, nec enim potuit; ſed Reſpublica vos dedit Cæſari, quibuſcum populi Romani hoſtes coërceret. Iuſtis illis & legitimis bellis meruiſtis certe præmia, & iniquus ſit, qui adimat. Deinde contra voluntatem veſtram, ſed quaſi ſacramento devinctos, adverſus patriam & defenſores patriæ duxit. quibus ex bellis, ſi hæc vobis ſola bellata eſſent, petere præmia vos etiam ipſos opinor puderet: ſed Gallici ſunt & Britannici labores, quorum vobis laudem atque merita, neque tempus ullum, nec invidia abrogabit.*

Præmiis pollicetur ad imo & magnum.

XCIV. *Sed neque vos averſabimini pro his præmia, qualia majores noſtri*

Iusta veteranis præmia Brutus promittit.

concedere consueverunt. Illos enim novimus sociorum aut aliorum innocentium possessiones non adtigisse: ne hostibus quidem superatis totum eripuisse agrum; sed parte adempta deduxisse colonos, ut in officio victi continerentur. Quod si forte angustior quàm pro numero colonorum ager erat; dividebatur publicus, aut à volentibus emebatur pecunia. Hac quidem ratione, quum vis imperii penes populum esset, sine querela cuiusquam, in colonias deducebamini. Nuper demum L. Sulla, & postea Cæsar, patriam tanquam hostilem urbem armis captam, armis retinere necessum habuerunt.

Nam Cæsaris illum malum esse.

XCV. *Itaque satellitum & custodum egentes, neque missionem vobis dare voluerunt, neque publicum saltem agrum dividere. Sed neque pretium qualiscunque solatii caussa numerare possessoribus; quamquam abundabat pecunia ex vectigalibus publicis & hasta: verum Italiam omnis expertem delicti prædonum more spoliarunt agro, focis, aris, sepulchris, quæ nec externis ademimus justo bello subactis, decimis tantummodo frugum contenti. Sic igitur vestrorum civium bona vobis divisa sunt: eorum, inquam, qui Cæsaris ipsius auspicio, vobis commilitonibus, bello Gallico tulerant arma: qui vos proficiscentes in expeditionem deduxerant; qui pro incolumitate vestra atque victoria vota fecerant.*

Qui eos illigare studuerit sceleribus & metu.

XCVI. *Et deducti quidem estis sub signis, densisque ordinibus, ut adpareret non ad quietem vos, sed in aciem venire: paratos ad inferendam injuriam, neque ab aliorum insidiis tutos. neque enim fieri potest, ut quibus agri sui per vim ablati sunt, eos diutius quàm necessum sit penes injustos possessores esse patiantur. Unde liquido adparet; quo consilio sit hoc à Tyrannis factum; non enim profecto, vos uti agros haberetis, dari enim aliunde citra injuriam poterant; sed ut vos intelligentes multis esse odio, fidi defensores essetis ejus imperij, cujus auctoritate vestræ possessiones defenderentur. Hoc enim unum satellitibus adversus dominantes est fidei vinculum, ut contracta ex communibus delictis pericula, communi etiam Marte operaque propulsent.*

Sua erga Cæsarem beneficia comparat.

XCVII. *Videte igitur quid inter illos nosque interfit: illi, quorum acta valere contra justitiam utilitas vincit, effecerunt, ut alii vobis suspecti, vos alii invisi essetis. nos, quibus qui nunc sunt in Republica principes incolumitatem dicunt clementiæ & misericordiæ caussa concedere; hoc agimus, ut eorumdem omnium non modo secura vobis, sed etiam tuta sit possessio. Fallimini, si vestris armis fiditis, & omnia putatis esse in præsenti potentia. tempus varie versat res humanas, & occasionem sæpe præbet infirmioribus adversus robustissimos. Pereant qui morem tam illiberalem reduxerunt in vitam, quique inductum retinent; ut potentiori quidlibet liceat! & profecto perierunt.*

Ius et amicitia manuum vinculum securitatis.

XCVIII. *Etiam Crocodilum tam & validam & astutam belluam, contemptum animalculum ichneumon dormientem interimit. ne quis tantis viribus tantaque vigilantia sit prædo, quin sæpe non aliorum modo prædonum insidiis pateat, sed eorum etiam quos spoliavit. nisi jure & amicitia nos nostraque muniamus, nihil nobis umquam certum aut quietum erit. Nos igitur qui pro communi libertate facinus pulcherrimum soli fecimus, primos adlaborare convenit, ut recuperatum munus ad omnes ex æquo cives communi lætitia fructuque perveniat. Igitur & quæ accepistis confirmamus, & quo vobis propria sit ac justa pos-*

Brutus et Caſſius è Capitolio deſcendunt.

ſeſſio, quamprimum per Reipublicæ neceſſitates poterit, enixe dabimus operam, ut prioribus dominis pretium ex ærario ſolvatur. Ita nobis atq; Reipublicæ præſentia, quæ teſtamur, numina, quidquid optimo propoſito fecimus, bene evenire jubeant.

XCIX. Hæc oratio valde mitigavit animos: præſertim ubi miſſis etiam in Forum tabulis, eadem ſcripto pollicita ſunt. jamque unus omnium ſenſus erat, *fortiſſimos & Reipublicæ amantiſſimos viros dignitati ſuæ reſtituere oportere.* Sed invitantibus ad deſcendendum Bruti Caſſiuſque reſponderunt, *facturos, ſi ſimul tuto poſſent.* igitur obſides in Capitolium mitti placuit: miſſiſque parvulus Antonii filius, cum M. Lepidi liberis. Lepido uleiſci Cæſarem animus fuerat. ſed deſtitutus à militibus otium & concordiam ſpectantibus, nihil audebat: & ſuadebat Antonius, *præſentibus adquieſceret*, ipſe minime cupidus pacis; ſed ne Lepidus armatus, ſe infirmo, unus omnia poſſet.

Brutus et Caſſius invitantur ad deſcendendum de Capitolio. Dio. Appian. Cic. Philipp. 1. 13. 2. 36. Vell. 2. 56 2. Plut. Brut. c. 17.

C. Deſcendentibus è Capitolio adplauſum atque adclamatum eſt: & Conſilibus neſcio quid incipientibus dicere, poſtulatum, *uti prius dextras darent invicem atque reconciliarentur.* Inde metus inceſſit Conſules, ne paulo poſt pereuſſorum factio majores quàm ipſi vires obtineret. ſalutarunt tamen omnes invicem, complexique ſunt comiter: & ab Antonio Caſſius, à Lepido adfine Brutus ad cœnam invitati. cæteros etiam, ut cuique familiaritas aut neceſſitudo erat, alii Senatores excepere. Ibi Caſſium, inter convivalium ſermonum ſimplicitatem interrogatum ab Antonio, *num adhuc pugionem haberet ſub ala? reſpondiſſe* ferunt, *& acutiſſimum quidem, ſi & tu adfectas Tyrannidem.*

Comiter excipiuntur ab Antonio et Lepido. Appian. Plutarch. Dio.

CI. Poſtridie ſimul atque illuxit Senatus eſt habitus, preſenteſque Brutus & Caſſius cæterique laudati ſunt, iiſque provinciæ decretæ, quas eis Cæſar ex Prætura deſtinaverat, Macedonia & Syria. ſed & Aſia Trebonio, Bithynia Cimbro decreta. Galliam Ciſalpinam D. Brutus ex deſtinatione Cæſaris retinuit. Hactenus omnia ſatis compoſita atque ſerena adparuerunt. ſed celeriter, unde non exſpectabatur mota tempeſtas, novis turbinibus atque procellis inhorruit. De teſtamento itemque ſepultura Cæſaris agebatur. Caſſius utrique repugnabat vehementiſſime, ratus quod res erat, periſſe cauſam, ſiquidem ille funere elatus eſſet; & L. Piſonis atque L. Cæſaris ſententiam laudabat, qui nuper quum eadem de re quæreretur, quamquam alter ſocer defuncti, alter gentilis eſſet, funus fieri vetuiſſent: ſi tamen ea Piſonis ſententia fuit.

Sepultura Cæſaris novi tempeſtatem excitat. Cic. ad Attic. 14. 10. 16. Lactant. 1. 15.

CII. Cæterum Brutus ingenio mitis & moderatus, utrumque permiſit. Teſtamentum igitur adlatum, quod proximis Idibus Septembribus in Labicano ſuo fecerat, demandaveratque maximæ Veſtali, L. Piſone poſtulante, in domo Antonii Conſulis aperitur. Scripſerat hæredes ſororum nepotes C. Octavium ex dodrante, L. Pinarium, Q. Pedium ex quadrante reliquo: in ima cera C. Octavius in nomen adoptabatur: pluresque pereuſſorum in tutoribus filii, ſi quis ſibi naſceretur, nominabantur. D. Brutus etiam in ſecundis hæredibus ſcriptus erat: quæ res valde mirabilis eſt viſa; huius potiſſimum conſilio occiſum fuiſſe, quem tantopere dilexiſſet.

Eius teſtamentum. Plutarch. Sueton. Cæſ. 83. 1. App. Dio.

CIII. Ut vero populo Romano hortos circa Tiberim, eum ſignis atque tabulis publice legatum acceperunt, & viritim ſeſtertios trecenos; lucri dulcedine convulſi & mutati *Cæſarem injuſtiſſime pro Tyranno vituperari* exclamarunt, *quo nemo fuiſſet patriæ civiumque amantior.* Ideireo Cæſaris corpus in Forum à

Corpus in Forum. Sueton. Cic. Phil. 1. 12. Appian.

Pisone illatum magna multitudo cum armis circumdedit: positumque pro Rostris est in aurata æde ad effigiem templi Veneris Genitricis fabre facta: intra quam lectus eburneus erat, auro ac purpura stratus, quem magistratus & honoribus functi intulerant; & ad caput trophæum cum prætexta in qua fuerat occisus. Indictum erat funus in campum Martium, ibique rogus exstructus.

Inde Campum Martium infertur. Liv. Epit. Sueton. Appian.

CIV. Igitur præferentibus munera (quia sufficturus dies non videbatur) præceptum, *ut omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus, eò deportaret*. Magna ibi comploratio orta, querelæque proruperunt, Senatusconsulti quamquam recentis immemores. Quam inclinationem populi ubi M. Antonius vidit, laudationis loco pronunciavit per præconem Senatusconsultum, quo divinos ei humanosque honores omnes decreverat. ipse perpauca à se verba addidit: ut unumquodque ex Senatusconsulto recitabatur, augens extollensque ad misérationem & invidiam.

Antonii seditiosæ voces. Sueton. Appianus.

CV. Quum Senatusconsulto *Pater Patriæ* adpellaretur, *en*, inquit, *pietatem qua tractatus est hic patriæ Pater*. ad mentionem *sacrosancti*, *qui nemini violabilis, sed & aliis perfugio esse deberet*, exclamavit: *enimvero non alius ad hunc confugiens, sed ipse hic sacrosanctus occisus est. quos ille profecto honores neque jussit unquam neque petiit. Nos vero illiberales, qui honores ejusmodi dedimus, ut volunt, indigno nec petenti. Quamquam vos, ô fidi cives, hic quem etiam mortuo habetis honor, ab hoc crimine satis liberat*. prælecto deinde jurejurando, quo se *pro salute ejus* adstrinxerant omnes, *exsecrabilem*que *esse* jusserant, *qui non vindicasset petitum insidiis*; contentissima voce, manuque ad Capitolium sublata; *juravi*, inquit, *Jupiter diique cæteri, & paratus eram ulcisci. sed quando hæc potius decerni è Republica visum est Patribus, precor ut sint utilia.*

Et factum. Quintil. 6. 1. Cic. Philipp. 2. 36. Plut. Ant. cap 19. Sueton. Appian.

CVI. Tumultuantibus ad hæc verba Senatoribus, nec enim obscure petebantur, ad leniendam offensam subjecit: *sed oportet, Quirites, existimare, deorum hanc potius invidiam, quàm mortalium factum fuisse: magisque de præsentibus quàm præteritis esse solicitos. magna enim nos pericula circumstant, & si iterum ad arma itur, omnis reliqua nobilitas perit. Quod igitur superest, hunc deorum numero adscriptum destinata pompa deducamus, laudes lachrymasque debitas persolvendo*. Hæc loquutus, veste raptim more fanatici cujusdam subducta adcinxit sese, lectumque subinde aperiens & introspiciens multa querebatur. postremo sanguinolentam Cæsaris vestem conto sublatam explicans, indignamque viri necem miseratus, populum veluti furore quodam inflammavit.

Simulachrum Cæsaris ex cera.

CVII. Adcesserunt deinde inter ludos ex poëtis adcommodatæ ad hunc casum voces; mirificeque commovit animos illud à Pacuvio: *Me i' servasse, ut essent qui me perderent!* quod interfectorum plerique, quum fuissent in Pompeianis partibus, Cæsaris beneficio non vitam modo fortunasque suas, sed etiam dignitatem retinuerant. Sic adfectos nova etiam species adjecta insaniores fecit. Corpus ipsum in lecto jacens conspici non poterat. sed simulachrum ex cera confectum pari magnitudine machina quadam extolli ex eodem lecto poterat, tria & viginti vulnera repræsentans, iisdem locis quibus percussum corpus fuerat.

Corpus in foro crematur. Sueton. Dio. App. Tacit. 1. 6. Plutarch.

CVIII. Ibi vero nemo se continuit amplius. pars eum in Capitolini Jovis cella cremare destinabat; alii faces ingerebant Curiæ, in qua occisus fuerat, eò corpus illaturi; nisi metu me una Theatrum & Templa arderent, sacerdotes pro-

hibuissent: quum repente duo quidam gladiis succincti, ac binâ jacula gestantes succenderunt lectum in Foro, ubi Regia quondam fuerat. confestimque circumstantium turba cum subselliis tribunalia, mensasque nummulariorum, & quidquid lignorum in Foro erat, cum ipsa funeris pompa donisque conjecerunt in rogum: deinde tibicines & scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphali funeris condecorandi caussam acceptam induerant, sciderunt, injecerunteque flammæ; & veterani arma, quibus exculti celebrabant funus, nonnulli coronas etiam & dona militaria; matronæ insuper pleræque ornamenta sua, quæ gerebant, & liberorum bullas atque prætextas.

CIX. Hac flamma domus L. Billieni deflagravit: multaque & alia vicina Foro ædificia corripuisset ignis, nisi milites restitissent, Consulumque jussu quidam perditorum, qui dolo augebant incendium, de rupe Tarpeia præcipitati essent. Nec ideo minus plebs adcensis è rogo facibus ad domum Brutorum & Cassii cæterorumque cucurrit, easque oppugnavit, & vi rejecta minitata est postridie cum armis adfore. Sic sævienti forte se Helvius Cinna tulit obviam, extremum officium persoluturus amico, quem uri in Foro audiverat, quamquam valetudine infirma, & proximæ noctis dira quiete territus. Visus erat invitari à Cæsare, & quum renueret, adrepta manu trahi. Erat multitudo infensissima Cinnæ Cornelio, qui nuper graviter erat in Cæsarem concionatus. Helvii Cinnæ mirum somnium. Cic. Philip. 2. 36. Dio. Sueton. Plutarch.

CX. Igitur audito *Cinnam adesse*, tanto furore concitata est, ut frustra testantem, *sibi nihil commune cum illo præter cognomen esse*, ferarum more discerperet, caputque præfixum hastæ circa rogum ferret. Ea caussa fuit C. Cascæ, qui & ipse Tribunus plebis erat, libellum proponendi *sibi & Servilio Cascæ parricidæ cognomen idem, mentem longe diversam esse*. Ob hunc tumultum edixerunt Consules, *ne quis arma ferret, militibus exceptis*. atque ita cædibus finis est impositus. Interea reliquiæ Cæsaris à libertis in monumentum illatæ sunt: in loco busti populus aram excitavit. columna quoque erecta est prope pedum viginti ex marmore Numidico, inscriptumque, *Parenti Patriæ*. & hic loci sacrificare, libare, vota suscipere, controversias quasdam interposito *per Cæsarem* jurejurando dirimere instituerunt. Populus memoriam Cæsaris honorat. Sueton. Appianus. Val. Max. 9. 9. 1. Xiphilin. Dio. Cic. Philipp. 2. 42.

CXI. Hæc auctore quodam Amatio, humillimæ sortis juvene, facta, sed qui se *C. Mario C. F. progenitum* ferens, apud turbatam & credulam plebem plurimum posset. Nam & vivo adhuc Cæsare eo audaciæ venerat, ut venienti in Urbem Octavio cum magno agmine, in quo & matronæ quædam erant necessariæ Cæsaris, ad Janiculum occurreret. quo tempore adolescentulus ille magnum sane prudentiæ specimen edidit. Magnopere instabant ei qui cum Amatio venerant, *ut eum pro cognatione, quæ Mariis cum familia Cæsarum esset, complecteretur*, dubitabat quid faceret Octavius, admitteret, quem sciret ab Atia matre sua, atque à matertera repudiari. rejiceret igitur tanta stipatum manu testimonium ei generis ferentium; & maximo favore hominum elatum ad minime spernendam potentiam? Pseudo-Marii cujusdam audacia. App. lib. 11. Civil. Liv. Epit. Nicol. Damasc. de Instit. Aug. Plut. Cæs. cap. 50. C. Octaviani, post Augusti in adolescentia prudentia. Val. Max. 5. 1. 2. Nic. Damasc. Cic. Attic. 12. 48. & Philipp. 3. 2.

CXII. Quippe coloniæ veteranorum complures, & municipia splendida, collegiaque fere omnia patronum adoptarunt; & paulo ante, quum reversus ex Hispania Cæsar populum in hortos suos admisisset, proximo intercolumnio propemodum æque frequenter atque Cæsar fuerat salutatus. Tandem lenibus

verbis *ad ſe nomine pertinere judicium de tantis rebus* reſpondit: *Cæſarem uti rei Romanæ, ita & familiæ ſuæ principem eſſe: hujus voluntatem ſibi pro præcepto fore: interim integra omnia ſervaturum.* Sed Cæſar comperto *Hierophilum ei nomen, artem veterinariam eſſe*, nolente cauſſam ejus ſuſcipere Cicerone, extra Italiam decreto relegavit. At is poſt necem ejus redierat, validaque manu cinctus, metum non interfectoribus modo, ſed univerſo Senatui maximum injiciebat, de interficiendo eo conſilia agitare creditus.

Falſi Marii ſupplicium. Cic. Famil. 11. 10. Dio. App. Val. Max. Corn. Nepos in vita Aug. cap 8.

CXIII. Igitur legatione impetrata libera, multi ex Urbe diſcedebant, alius aliò: & qui provincias habebant à Cæſare, proficiſcebantur. Brutus autem & Caſſius Prætores deducendos in colonias veteranos curabant, ne quid turbarum in Urbe darent. id quoque concedentes beneficii, *uti portionem ſuam cuique liceret vendere*, quod lex ante viceſimum annum non admittebat. His quum inſidiari falſus Marius diceretur, ab Antonio raptus in carcerem, atque ibi indicta cauſſa necatus eſt. Patres Conſulis audaciam mirati, factum non improbarunt, quod eo ſuperſtite ſolicitam plenamque metus vitam acturi videbantur. Sed ærarium privatum, quod interfectoribus conſtitui ab Equitibus Romanis quidam excogitaverant, T. Pomponii Attici gravitate ſublatum eſt.

Pomponii Attici gravitas.

CXIV. Is enim Equeſtris Ordinis ætate & exiſtimatione facile princeps, quum adpellatus ea de re per C. Blavium Bruti familiarem eſſet, reſpondit: *ſi quid Brutus de ſuis facultatibus uti voluiſſet, uſurum, quantum ex paterentur: ſed neque cum quoquam ea de re colloquuturum, neque coiturum.* Et valuit exemplum primarii viri, qui neque partium odio hoc faciebat, quarum principes adamabat; neque parcimonia, ultro plura collaturus, quàm petebantur: ſed quia viro bono diſcedendum à ratione recta nuſquam videbatur. At huiuſmodi homines interdum importuni ſunt vetita molientibus: neque dubium eſt, quin illa Attici tergiverſatio, Brutorum cauſſam haud perfunctorie perculerit.

Præclara Senatuſconſulta. Cic. Philip. 1. n. 13. et n. 36. et ad Attic. 14. 7 Liv. Epit. Dio. App. lib. 11. Civil.

CXV. Sed & in Senatu per eoſdem illos dies, Antonio referente, multa præclare conſtituta: inter quæ *ne qua poſt Idus Martias immunitatis tabula, neve cujuſquam beneficii figeretur*; & illud, omnium maxime aptum libertati, *ut nomen Dictaturæ in perpetuum è Republica tolleretur*; exſecrationibus additis *in eorum capita, qui mentionem ejus feciſſent, quive magiſtratum eum accepiſſent*, præmiſſis quoque conſtitutis, *ſi quis horum aliquem occidiſſet*. Quum ob hæc laudibus omnium Antonius in cœlum efferretur, æmulatione accenſus Dolabella, per abſentiam collegæ, tumultuantem ſubinde plebem acerrimis ſupplicüis repreſſit, *liberos homines de ſaxo dejici* jubens, *ſervitia in crucem tolli*. ſed & columnam, aramque Cæſari poſitam evertit, ſolumque ſternendum locavit.

Cæſaris elogium. Sueton. Appian. Plutarch. Sen. Natur. Quæſt. 5 18. 5. Solin. cap. 6. Plin. 7. 21. 3.

CXVI. At hæc omnia brevi ſunt in contrarium verſa: eodemque loco templum poſtea exſtructum, in deorum numerum relato. Hoc primum Romæ impiæ ſtoliditatis exemplum fuit: à quo poſteà manavit mos abſurdiſſimus, defunctos Imperatores appellandi *deos*, quos vivos ne Reges quidem appellari majorum gravitas tulerat. Hunc exitum vitæ C. Cæſar ſexto & quinquageſimo ætatis anno habuit: vir Alexandro Magno haud immeritò conferri ſolitus, maximi vigoris ad omnia, qui perficere, quod vellet, poſſet: hoc miſerior, quod non voluit meliora, dubiumque reliquit, utrum eum naſci, an vero non naſci Reipublicæ

publicæ magis profuisset. Generis humani profecto pestis fuit crudelissima: qui pugnis quinquaginta duabus, quarum multo majorem partem sola ductus ambitione decertavit, undecies centum & nonaginta duo millia hostium occidisse fertur, non computatis civium infinitis millibus, quorum referri numerum vetuerat.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXVII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

C. *OCTAVIUS Romam ex Epiro venit (eò enim illum Cæsar præmiserat bellum in Macedonia gesturus) omnibusque prosperis exceptus; etiam nomen Cæsaris sumpsit. In confusione rerum, ac tumultu Lepidus Pontificatum maximum intercepit. Sed M. Antonius Consul, quum impotenter dominaretur, legemque de permutatione Provinciarum per vim tulisset, & Cæsarem quoque petentem, ut sibi adversus percussores avunculi adesset, magnis injuriis affecisset; Cæsar, & sibi, & Reipublicæ vires contra eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit. Legiones quoque quarta & Martia, signa ab Antonio ad Cæsarem tulerunt. Deinde & complures sævitia M. Antonii passim in castris suis trucidantis, quia & suspecti erant, ad Cæsarem desciverunt. D. Brutus, ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupavit. Prætereà discursus utriusque partis virorum ad accipiendas Provincias, apparatusque belli continet.*

OCCISO Cæsare, quum immenso interfectorum errore, potius sublata recens Respublica, quàm restituta vetus esset; spe, metu, solicitudine, rumoribus omnia miscebantur. Quibus dominatio lucro fuerat, adsertores ejus respicere, fovere, etiam incendere: quamquam id palam præ se ferebat nemo. Lepidus & Antonius amicos magis Cæsaris, quàm ultores profitebantur, nec ipsi fidentes invicem, & nescii quorsum evasura præsentia forent: si casus daret, non ausuri leviora, quàm Cæsar concupiverat. Percussores facto suo læti, Patrumque laudibus erecti, dum ad honestatem retulisse omnia videri volunt, negligentiores erant in comparandis ad fortuita præsidiis. Status Reipublicæ post Cæsarem.

II. Senatus discors & plerisque omnia alia quàm Rempublicam spectantibus, vindicatam Ordini dignitatem gratulabatur magis, quàm usurpare noverat: pars magna otium, alii privatas rationes spectare: nihil in plerisque gravitatis. C. Octavius App. lib. 2. Civil.

Sueton. Aug. 8. 4. 89. 3. Plut. Brut. cap. 32. Velleia. 59. 4.

nihil in reliquis potentiæ eſſe. Milites magna Cæſaris veneratione, hunc unum anteferre omnibus; cæteros deſpicere: bellis civilibus contemnere Senatum, odiſſe patriam, facere injurias, vim & arma minitari didicerant. plebs olim corrupta, ſeque & Rempublicam venalem habere docta, rerum cæterarum æque imperita ac negligens, turbulentis vocibus ſtrepere: pauci omnium Ordinum boni; præſentia mala deflere magis, quàm emendare poterant. Quidlibet tamen potius evenit, quàm quod exſpectabatur, ut neque Reſpublica priſtinum ſtatum recuperaret, neque ulli horum, qui hominum opinione domini deſtinabantur, ſuccederet.

In Urbem properat. App. Auguſt. 7. 8.

III. C. Octavius civilium ſimul atque militarium artium ſtudiis ſextum jam menſem vacabat, Magiſtro dicendi uſus Apollodoro Pergameno, quem jam grandem natu, ex Urbe ſecum Apolloniam Taulantiorum eduxerat, præmiſſus ab avunculo ad Geticum bellum. Circum circa legiones erant collocatæ, Imperatorem exſpectantes, quem longinquos hoſtes cogitantem interim domeſtica fraus abſumpſerat. Id ubi compertum eſt, pro atrocitate rei gravis orta conſternatio, & ex proximis Hybernis concurſus Tribunorum & Centurionum ad Octavium fuit, ſuam militumque operam offerentium, nec ſpernendam Salvidienus & Agrippa judicabant, æqualium familiariſſimi.

Brunduſii honorifice excipitur à militibus: Dio. Velleius. App.

IV. Sed ipſe licet in puerilibus annis eximia prudentia, nihil moliri rerum, atque animorum incomperto ſtatu certus, ad urbem properavit: matris inſuper & Philippi Vitrici literis confirmatus, quibus eadem placebat. Igitur trajecto Adriatico mari Lupiam petiit, propinquum Brunduſio oppidum, incertus adhuc quemadmodum animati milites eſſent, qui eò præmiſſi à Cæſare fuerant. Ibi de teſtamento Cæſaris & adoptione ſua, itemque populi ob interfectum Cæſarem dolore factus certior, quamquam propinquis diſſuadentibus, cernere hæreditatem ſtatuit: & præmiſſis qui ſpecularentur, numne aliquis ex percuſſorum numero, ſibi quoque metuendus, Brunduſii eſſet, poſtquam omnia tuta cognovit, eodem profectus eſt.

Cæſaris nomen adſciſcit Octavius: Dio. Jul. Obſeq. Appianus.

X. Exiverunt obviam legiones; magnaque exceptum lætitia in oppidum deduxerunt. Hinc ille confirmatus, adire hæreditatem, & nomen adſciſcere Cæſaris non diſtulit, hujuſque favore paucos intra dies & firmam militum manum, & pecuniæ vim haud ſpernendam adeptus eſt, confluentibus ad eum, qui profecturi Brunduſio in Macedoniam fuerant, quique cum ære publico veniebant è tranſmarinis provinciis. Satis hinc munitus adverſus vim apertam, ſed ut in nova amicitia ſuſpectans ſuos, cum frequenti comitatu proficiſci cœpit.

Ciceronis favorem ſibi parat. Cic. ad Att. 4. 20. 11. 14. 12. Plut. Cic. c. 43.

VI. Municipiorum non erat omnium idem favor: ſed veteranorum ubique ſumma ſtudia, vindictæ ſe offerentium, inculcantiumque *negligentiam Antonii*, *qui ſceleſtiſſimum facinus inultum ſineret*. Cæſar hos collaudans, *opperiri tempora ſua quietos* juſſit. Ita per Neapolitanos fines profectus, in villam Philippi Vitrici, & cum eo ad Ciceronem in Cumano ſuo agentem venit. & facile conſenſum eſt inter hos, ut mutuam ſibi operam pollicerentur: Cæſar adoleſcens militum ſtudio firmior, ſed Urbanæ opis indigens, Patrumque favorem adjungere cupidus, quos Cicero unus omnium maxime facundia & auctoritate moderabatur; Ciceroni viciſſim adverſus arma Antonii armis erat opus, quibus ſalutem ſuam defenderet. Interea enim & rixa ei cum Antonio inciderat, & multa facta

Adempta Bruto & Caſſio provincia.

in Urbe erant, quæ rerum totam faciem inſigniter commutarent.

Antonius compara:andæ ſibi potentiæ ſtudet.

VII. Quippe M. Antonius ad quælibet conſilia perinde facilis, mire miſcebat boni malique civis indicia: multa è Republica, multa contra patriam factitando: & viciſſim his illiſque charus aut inviſus. Sed tum acri ſtudio partes tueri optimatium videbatur. Quippe *de revocando Sex. Pompejo* retulerat, *utque pro paternis ei bonis quingenties de publico daretur: utque maris imperium ei concederetur, quale pater habuiſſet.* Ob hæc collaudatus à Cicerone & reliquis Patribus, quum inſenſam habere plebem videretur, auctoritate Senatus armatum comparare præſidium cœpit. quo initio reverſus ad ingenium, hunc delectum inſtituit; ut numero militum atque genere formidoloſus Senatum non jam pro Antonio, ſed ſibi, timere cogeret.

Ejus artes. Dio lib. 44. Velleius. 2 6, 2

VIII. Jam enim habebat ad ſex millia: neque promiſcue, ſed ex iis qui duxerant Ordines, aut aliquo inſigniori facinore clari erant, legebantur. Senatui metum faſſo, reſpondit, *dimiſſuram bos eſſe, ſimul atque populus conquieſſet.* Interim quum & Commentarios Cæſaris haberet domi, & ſcribam ejus Faberium ſibi obſequentiſſimum (nam & abiturus ad bellum Cæſar multa ad Antonii arbitrium rejecerat) his ad ſtabiliendam ſuam potentiam abutebatur, quos volebat ab exſilio revocans: Regibus civitatibuſque, ſed & ſui præſidii primoribus beneficia diſpenſans: quoſdam & in Senatum recipiens, quarum rerum omnium invidia penes defunctum, gratia penes Antonium erat.

Percuſſorum ob hæc ſolicitudo. Vell. Appianus.

IX. Idem ut M. Lepidum beneficio devinciret, regimen ſacrorum, quod in illa confuſione rerum ipſe potuiſſet intercipere, illi dare ſtatuit. Sed id quo facilius conſequeretur, lege lata Sacerdotum comitia populo adempta tranſtulit ad Pontifices: ita re in paucorum redacta poteſtatem, in cæteris quoque ſolemnibus nihil ferme priſtini moris ſervans, quaſi furtim paratis ſuffragiis *M. Lepidum Pontificem Maximum* renunciavit. Hinc nova percuſſoribus ſolicitudo. Igitur miſſis ad amicos nunciis, *D. Brutum*, qui tres habebat legiones, *intentum eſſe, Trebonium in Aſia, Cimbrum in Bithynia, quantas poſſent pecunias cogere* jubebant. ipſos conſilii incertos diverſæ cauſæ tenebant: manerent in Urbe? facere cum periculo viderentur. exirent? nondum tempus eundi in provincias venerat; & ſi prius egrederentur, fugæ ſimilis futura erat profectio.

Dolabellæ Syria decernitur. Cic. Philipp. 2. 13. Appianus.

X. Igitur Senatus ſalutem atque dignitatem virorum æqualibus ſtudiis conſervare pronus, frumenti eis procurationem impoſuit. Et quia Prætor Urbanus Brutus erat, Antonio referente legibus eſt ſolutus, *ſi ab Vrbe plus quàm decem dies abfuiſſet.* At his ex Urbe digreſſis. Antonius moliri multa inſtituit, Syriam provinciam adpetens, deſtinatam Caſſio: deinde, quia ſibi paratum eſſe adverſarium Dolabellam ſentiebat, eò vertit, ut huic perſuaderet eam provinciam petere, ſuum auxilium pollicitus.

Antonii Macedonia.

XI. Sic rogatione ad plebem lata, nec enim impetrari ab Senatu potuiſſet, res confecta: fruſtra ab nunciante tribuno plebis Aſprenate, quem Senatus ſubornaverat, ſperans Antonium quoque ut augurem, & Dolabellæ nuper infenſiſſimum, occaſione oblata uſurum. Sed ille graviter correpto Aſprenate, *mitti tribus in ſuffragia* juſſit. Cum Provincia bellum quoque Parthicum datum, & legiones, quæ ejus belli cauſſa præmiſſæ in Macedoniam fuerant. Dein Antonius Macedoniam Provinciam petiit.

Bellum Parthicum mandatur Dolabellæ. Plut. Brut. 29. Appian. Liv. Epitom. Adonis Chron. Jul. obseq. Vell. 2. 59. 7. Plin. 2. 28. Dio 43. 1. 20. Suet. Aug cap. 14.

XII. Nec fuit difficile negotium, victis in Dolabellæ causa omnibus quæ obstiterant. Ex his rebus adparuit, bona fide cum collega reditum in gratiam ab Antonio esse, qui non modo Parthicum ei bellum demandandum curasset; sed & in illius gratiam exarmasset Macedoniam, quam ipse habiturus Provinciam erat. Ut tamen commutatæ potius Provinciæ, quàm ademptæ Pompejanis viderentur, Senatus obtinuit pro Syria C. Cassio Cyrenen, pro Macedonia M. Bruto Cretam dari.

Et mater & propinqui dissuadent aditionem hæreditatis Cæsarianæ. Auctor de caus. corrupt. eloq. 28. 8. Nicol. Damasc. de vit. Aug.

XIII. Hæc Octavio nunciata sunt apud Tarracinam, quo magis sibi properandum in urbem judicavit: ominibusque prosperis exceptus est. Quum enim circiter horam tertiam ingenti circumfusus multitudine, quæ officii causa obviam erat effusa, Romam intraret, super caput ejus, circa solis orbem areus fulgentibus stellis in speciem coronæ micuit. ac subinde Juliæ Cæsaris filiæ monumentum in Campo fulmine ictum. Credo his quoque excitatum adolescentem, ut magno animo negotium capesseret. Perseverabat enim dissuadere Atia, cui magna erat non ut matri modo, sed ut severæ diligentisque educatrici apud adolescentem auctoritas; & accedebat cum Philippo Vitrico Sororius Marcellus, minime contemnendis adducti rationibus, quod *successurus erat in clarissimi ejusdem invidiosissimique nominis hæreditatem, octodecim annorum adolescens, id temporis, quo tanti viri cædes impunita, percussores in honore & imperiis essent; & his omnibus suspectior Antonius summa potentia parique superbia; qui filium Cæsaris peregre advenientem non modo adire, sed ne mittere quidem quemquam suorum voluisset.*

Nec persuadent. Appian. Vell. Dio.

XIV. Contra hæc omnia fixum, certumque adolescenti fuit, exsequi destinata, neque Cæsaris necem impunitam, aut se in minore fortuna pati: neque committere, ut quo nomine dignus à Cæsare judicatus fuisset, eo se indignum suo judicio ipse fateretur. Consilium prima fronte calidum & audax, postquam processit (ut ab eventu judicare homines solent) pro prudentissimo vulgatum est: visusque ille quolibet juvene promptius susceptum propositum, quolibet sene cautius esse exsequutus.

Ejus prudens moderatio. Dio. Cic. ad Attic. 16. 14. Appian. Liv. Epitom.

XV. Hoc tamen Atiæ monitum non sprevit, *ut inter initia temperaret animo, neque rueret nisi rebus paratis.* Idcirco in itinere confluentem ad se turbam mitibus verbis ablegando, cum mediocri comitatu aeeessit ad urbem: & postea quoque *nihil* ostendit *se iratum percussoribus; nec ignorare, æquius esse ut ipse prior ad Antonium, adolescens ad virum, privatus ad Consulem eat.* Postridie C. Antonio Prætore adito, professus est ad *hæreditatem se Cæsaris adire, suscipere nomen*, idque relatum in acta publica. Continenter deinde à foro perrexit ad M. Antonium Consulem, in Pompejanos hortos, neque statim admissus, dissimulavit injuriam, placidoque & familiari colloquio petiit *auxilium adversus percussores avunculi.* deinde & mentionem interposuit *de pecunia, qua sibi opus ad legata ex testamento patris præstanda esset.*

Cum Antonio contentio. Plut. apoph. Rom. cap. 45. Flor. 4. 4. 2. Dio. Suet. Aug. 10. 4

XVI. Antonius hac oratione vehementer offensus, qui non modo depositum à Calpurnia millies sestertium retinebat, sed insuper omnem, quæ ubivis esset, hæreditatem lacerabat furtis, & in præsentia respondit durius, & postea quoque legem Curiatam de adoptione ferens, consulto extraxit negotium cunctis artibus: submisisse etiam Tribunos plebis creditus, qui vetarent. His

excitatus injuriis adjungere sibi plebem statuit, apudquam magna Cæsaris erat memoria, magnum odium Antonii, qui necem ejus vindicare, quum posset, noluisset. Igitur in locum Helvii Cinnæ Tribunatum dissimulanter ambire cœpit, quamquam patricius, necdum Senator. & per Ti. Canutium Tribunum productus in concionem, ostendit *& legatam populo pecuniam, & aliam ex sua liberalitate numeraturum*.

XVII. Atque hoc ut præstare posset, hæreditatem paternam proscripsit atque vendidit, etiam inductis coheredibus suis, ut portionem suam cederent sibi. Sed illa oratio simulque ludorum adparatus valde suspectus erat optimatibus, non ignaris, quorsum ista expedirentur. Nec ideo minus facti sunt Veneri Genitrici, Cæsare Octaviano sumptus præbente pro collegio, quod adhuc vivo Dictatore institutum, metu aut negligentia superfedebat. Ab iisdem cautis ludi victoriæ Cæsaris facti non erant Palilibus. Et hos igitur edidit Matio & Posthumo eurantibus: sellam tamen Cæsaris auream, & coronam gemmatam in theatro non posuit, Antonio & Tribunis vetantibus.

Ludos in honorem Cæsaris institutos facit. Plut. Appian. Cic. ad Attic. 11 2. Plin. 25.11. Jul. Obseq. Dio. C.c.Famil.11. 27. et 28.

XVIII. Nam & paulo antea Critonii cujusdam Ædilitio munere sellam illaturo Antonius *carcerem* minatus est, *ni rerum novarum desineret*. Sed adolescens adversus hanc malignitatem ejus hominis, quo vel præcipuo adjutore se usurum speraverat, generosa fuit ad resistendum constantia. quę subinde præter humana præsidia, raris quibusdam & aptis ad omen trahi casibus confirmabatur. Inter quæ cometen per continuos aliquot dies spectatum, ipse his verbis prodidit: *His ipsis ludorum meorum diebus, sidus crinitum per septem dies in regione cæli, quæ sub septentrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit, Cæsaris animam inter deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne simulacro capitis ejus, quod mox in Foro consecravimus, adjectum est.*

Augusti locus de Cometa. Plut. Ant.c.25 Sueton. Jul. Obseq. Dio. Plut.Cæs.c 18. 11 fin. Suet. Aug 80. 8. et 88. 2. Ovid. Metam. 15.8.46.

XIX. Sed & alii potius ad gloriam Cæsaris juvenis pertinere existimabant: plerique magnarum esse calamitatum prænuncia. Sed Octavianus statua sine certamine posita fidentior, & Julii mensis adpellandi confirmavit consuetudinem, ut etiam ab ipso Bruto in proscriptione ludorum suorum poneretur; alioque insuper ludos, ob quamdam Cæsaris victoriam decretos fecit. Et profecto mirari animum adolescentis convenit, qui tantas impensas tam alacriter faceret, quum Antonii malignitate & Senatus varie premeretur. Nam timentes illi, ne paternis opibus instructus ad parem adspirare potentiam vellet, *perquiri publicas pecunias, quæ fuissent penes Cæsarem*, jusserunt. Sed & de agris frequentes movebantur controversiæ, aliis alios repetentibus privatim, & in publicum eos qui proscriptorum atque exsulum fuissent.

Senatus malignitas in Octavianum. Jul. Obseq. Numis ve er. Barb.Mol. ap. Serv.ad Eclog. 9 47. Tibull.2.5. Cic.de Natur. Deor 2. 3. et Attic. 16.2. et 4. Dio. Appian.

XX. Harum rerum judicia apud Antonium ipsum, aut collegam ejus Dolabellam agebantur: quod si qui & alii Magistratus iudicabant, Antonii præpollebat auctoritas, qui ne translatitium quidem adolescenti ius ulla in re sine pactione gravissimæ mercedis impertiebat. Quin & in cohæredes eius similes intentabantur minæ, Senatusque consultum proferentibus, quo Cęsaris acta rata habebantur, respondit Antonius, *id fuisse tempori datum, ut populo tumultuanti satisfieret; certum neque rebus suis carere æquum esse eos, quibus adempte per injuriam essent, & mentem potius Senatus quam verba spectari opor-*

Itemque Antonii. Suet. Aug. 10.3. Appian.

tere. Se tamen illorum portiones relicturum, ſi exegiſſent à Cæſare, cujus lubricam ætatem mollet nimiis opibus ad ſuum Reipublicæque periculum concitari.

Quos ille magnitudine animi ſuperat.

XXI. Poſt hæc igitur Q. Pedius & L. Pinarius partes ſuas receperunt ab Octaviano, quo interim periculo ſubducerentur, mox uſibus ejus libenter reddituri. Horum adjutus benevolentia, toleravit immenſos ſumptus ludorum, omnibuſque occaſionibus inſignem animi magnitudinem oſtendit. Quum enim pecuniam quæ ex auctione ſua redigebatur, populo diviſiſſet, & *addici petentibus res ſuas minimo pretio* juberet, quia & nummos feſtinabat colligere, & propter metum judiciorum venditionem maturabat: ea ipſa res ei magnam conciliavit hominum benevolentiam, ſortem optimi adoleſcentis ſerio miſerantium.

Et ſtudia plebis adquirit. Liv. 3 15. a. Cic. Philip. 1. 3 & ad Attic. 25 10. & 11. et 12.

XXII. Poſtquam autem & ſuum patrimonium, & quidquid aliunde fuerat conſequutus, ſed & matris Atiæ, Philippique Vitrici poſſeſſiones, tum conceſſum ſibi à Pedio & Pinario quadrantem Cæſarianæ hereditatis venum propoſuit, ita concitatus eſt plebis adfectus, ut omnium ore *patientia hujus & animi magnitudo* concelebraretur, negarentque vulgo homines *diutius ſe laturos Conſulis inſolentiam*. Et certe ſtudia vulgi ludis, qui ſub eos dies pro Bruto edebantur, patuerunt. Receptum erat moribus, ut Appollinares ludos Urbanus Prætor faceret. Sed quia percuſſores Cæſaris tuti eſſe in Urbe non poterant, vicem ſuam Brutus C. Antonio collegæ ſuo demandavit: eiq; ludorum ſuorum adparatum tranſdidit.

Ludi Bruti nomine ed ti. Plut. Bruto cap 11. Cic ad Attic. 16. 4 et Phil. 10 4. a. 13. 2. 15. Appianus.

XXIII. Et fuit is plane magnificus atque ſumptuoſus, nec ludi tantum præſcripti, ſed etiam poſtridie venatio. ſperabant ea voluptate delinitam plebem æquiorem poſtea fore percuſſoribus. Et erant conducti, per quos initum clamoris naſceretur, *revocandos eſſe primarios viros populique amantiſſimos*. & ſequebatur miſeratio, ſenſimque etiam reliqui ſpectatores jungebant vocem, mirificoque omnium plauſu: quum ingens multitudo plebis in theatrum irrupit, inhibuitque ſpectaculum, donec iſta poſtulatio penitus extingueretur. Inter hæc Dolabella propere in Syriam profecto, quia rumor erat Caſſium & Brutum de antiquis Provinciis occupandis cogitare, M. Antonius reſpicere Macedonicas legiones cœpit, numero & genere militum validas, multiſque adjectis equitibus, & levi armatura.

Antonii artes ad retinendũ exercitũ Macedonicum.

XXIV. Per eoſdem dies forte, an fraude illius, percrebuit fama, *Getas in Macedoniam irrumpere*. de hac ad Senatum referens, *intereſſe Reipublicæ* dixit, *non deduci à Macedonia exercitum, qui & ipſius Cæſaris deſtinatione prius Getis, quàm Parthis coercendis comparatus eſſet. præterea nihildum ex Parthis hoſtile nunciari*. Senatus *mittendum prius ad res Macedoniæ inſpiciendas legatos* cenſuit. nec exſpectato eorum reditu, exercitum Antonio decreverunt, multa tum temporis Senatui grata facienti. atque ille cum amicis Dolabellæ pactus eſt, *ut unam ei legionem mitteret, cæteras quinque retineret*. Poſt hæc reverſi ex Macedonia *nullos ibi fuiſſe Getas retulerunt*, adjecto tamen, in Antonii ut putatur gratiam, *periculum eſſe ne irruant, ſi ex Macedonia legiones deducantur*.

Eumque reportandum in Italiam. Cic. Philip. 2. a. et 13. a. et ad Attic. 14. 20. Vell. 2. 60. 3. Appian.

XXV. Quum hæc obtinuiſſet, colorem reportandi in Italiam exercitus quærens, quum A. D. Kal. Jun. Senatus haberetur, *permutari provincias* petiit, *ut ſibi Gallia, D. Bruto Macedonia decerneretur*. At vero Senatus intellecto Conſulis velamento, induci non potuit: quidam etiam ex eo Ordine privatim ſcripſerunt ad Brutum, hortantes *ne Antonio cederet*. Igitur Antonius, Cæſaris

Digitized by Google

exemplo, confugit ad populum, ejuſque ſcito provinciam Galliam obtinuit, Octaviani præcipue gratia adjutus, cum legionibus quæ erant Apolloniam præmiſſæ: & frater Antonii Cajus Macedoniam.

XXVI. Unde adoleſcens ille clarior in dies, plebique & militibus gratior, magna horum frequentia ſtipabatur, etiam pecunia favorem concilians. nec dubitabatur novarum rerum hæc eſſe primordia, nec ultra differri turbas, præſertim quia M. Antonius incrementa hujus ægerrime ferens, ad ſe volentem colloquii cauſſa in tribunal adſcendere, quemadmodum facere Cæſare rerum potiente erat ſolitus, repulerat per lictores, *detrahique ex loco ſuperiore* juſſerat. Hinc immenſæ multitudinis iræ, nec deerat Octavianus accendere odia, Forum vitans, ſed per cæteras celebriores partes Urbis in excelſa loca inſiliens, in morem concionantis Antonium accuſabat. Ejuſdem invidia in Cæſarem adoleſcentem. Appian. Dio.

XXVII. Jamque ille & à tribunis centurionibuſque ſuis monebatur, *finem injuriarum faceret, filioque Cæſaris, cujus beneficiis ſua deberent omnia, vel ſua cauſſa conciliaretur.* & quum ille commodè reſpondiſſet, iiſdem auctoribus congreſſi, poſt mutuas querelas ita redierunt in gratiam, ut ſæpius redeundum eſſet. Nam uterque mentis alterius non neſcius, arguendi tempus nondum veniſſe putabat: & animos ſatis jam ſua iracundia & ſuſpicionibus exacerbatos amici non ſinebant conquieſcere: numquam defuturis, qui potentiorum inter ſe inimicitias ſuam occaſionem putent: & in pace negligendi, turbari malint omnia, dum aliquo in numero propter præſentem neceſſitatem habeantur. Et cum eo reditus in gratiam. Dio.

XXVIII. Igitur non multi interceſſerunt dies, quum iterum impugnare Cæſarem Antonius cœpit, quamquam recenti beneficio Galliæ Provinciæ obligatus. Forte Tribunus quidam plebis deceſſerat, cujus in locum Flaminium commendabat Cæſar, petere non auſus, quod ætatem legitimam non habebat: ſed populus ſenſuum ejus non ignarus, ipſi Tribunatum offerebat. Unde ſimul & Patres & Antonium metus cœpit; Senatu perculſoribus Cæſaris timente, Antonio ſibi, ſi facultatem adeptus adoleſcens diſertus & præpotens turbandę plebis, aut paternas inimicitias exſequi, aut ſuas cœpiſſet. Non diutur nam. Appian. Sueton. Aug. 19. 4.

XXIX. Igitur Antonius edictum propoſuit, *Cæſarem contra leges adpetere quidquam* vetans, *& niſi paruiſſet, vim Conſulatus* minabatur. *Ea indignatione plebis exceptum hoc edictum* traditur, *ut Antonius deſperato poſſe obtineri quod volebat, præſente Tribunorum numero contentus, tollere comitia cogeretur.* At Cæſar miſſis circa patris colonias certis hominibus veteranos ſolicitabat: idemque per alios agebat apud legiones, quę cum Antonio iturę in Galliam, ex Macedonia modo reverterant. Tum quoque eorumdem Tribunorum opera *deponere ſimultates ſuas* in Capitolio profeſſi ſunt. nequidquam. mox enim Antonius quoſdam ex preſidio ſuo ad conſilium amicorum adduxit, *quos ſibi Cæſaris dolo parare inſidias* diceret. nam ad priorem metum ſomnio factus erat timidior: prima nocte poſtquam reconciliati in Capitolio fuerant, dextram ſuam ardere fulminis ictu imaginatus. Iterum reconciliantur, et iterum contendunt. Plut. Ant. cap. 22. Appian. Senec. de Clement. 1. 9.

XXX. Neque Cæſaris accipere purgationem voluit: quamquam inſontem inſimulare ficto crimine videretur. Qui tamen eo tempore prudentes & boni viri habebantur, & credebant factum, & probabant. Jam enim Octavianus per Ciceronem ad Senatum ſe adplicare cœperat. Sed non admiſſus ab Antonio cir- Cæſar ſe purgare volens, ab Antonio non admittitur. Cic. Phil. 10. 3.

Vell. 2. 60. 3. Cic. Famil. 12. 23. Plutarch. Suet. Aug. 10. 7. Appian.

ca fores ejus expoſtulabat, *ſe imò quotidianis inſidiis peti*; multâque in caput ſuum exſecratus, ſi merito argueretur, judices poſcebat. Quum prodiret ad eum nemo, *ipſos ſe Antonii amicos judices ei ferre* dixit: poſtremo abiens clara voce teſtatus eſt populum, *ſi quid ſibi adcidiſſet, penes Antonium necis ſuæ cauſam fore*.

Antonius plebem conciliat. Cic. Fam. 12. 3. & Phil. 11. 6 5. 7. 6. 5. & 23. 18. & ad Att. 5. 19. Plutarch. Dio.

XXXI. Acerbioribus igitur, ut ſolent poſt reconciliationes, odiis, ad comparanda ſibi præſidia, eademque detrahenda inimico, uterque properabat. Antonius adliciendæ plebi ſtatuam Cæſaris poſuit in Roſtris, inſcriptam, *PARENTI OPTIME MERITO*: deinde legem Agrariam per Lucium fratrem promulgabat, *Pontinas paludes* diviſurus, quamlibet ſiccatæ nondum erant. Ea lex per vim perlata: ſeptemviri dividendis agris creati, quos inter & C. Antonius fuit, tum maxime Prætor. Tres enim fratres eodem tempore totidem gerebant magiſtratus, magnum ad quælibet audenda robur.

Caſilinum coloniam deducit. Cic. Philip 2. 2. 40. & Fam. 12. 13. et Phil 2. 8. 2. et 5. 3. Appianus. Dio.

XXXII. Et legis quidem iſtius tanta fuit apud dementem populum gratia, ut L. Antonio ſtatua equeſtris inaurata in Foro poneretur, in qua inſcriptum erat, *QUINQUE ET TRIGINTA TRIBUS PATRONO POPULI ROMANI*. ſed & equites aliam poſuerunt, item adſcribentes, *PATRONO*; & aliam novo exemplo tribuni militum, qui in exercitibus Cæſaris fuerant. Eo tempore Caſilinum coloniam deduxit M. Antonius, quo Cæſar paulo ante deduxerat; quum in eam coloniam, quæ eſſet auſpicato deducta, dum eſſet incolumis, novos adſcribi colonos liceret, nova colonia non poſſet jure deduci. Sed Antonius quidlibet honeſtum putans, quod firmandæ potentiæ eſſet, multa moliebatur cum fratribus. Provincias adimebant aut dabant, aut prorogabant contra legem Juliam, qua nulla poterat eſſe publicæ utilior; Tribunorum ad hæc uſi opera, quos Marcus pecunia ſuos fecerat.

Sex. Pompeii variæ fortunæ. Strab. lib 3. Dio. Appian. lib. 4. Civil. Vell. 2 73. 2. Cic. ad Attic. 25 20. 26.

XXXIII. Interim & Sex. Pompejus Antoniorum operâ revocatus exceſſit Hiſpania: in qua poſt fratris interitum copias haud contemnendas paraverat. Quum enim aliquandiu in Lacetanis latuiſſet, latrocinio ſe tolerans, paulo poſt pluribus ad eum ex Mundenſi fuga coëuntibus, Pompejum auſus profiteri, Lacetanorum juventutem induxit, ut ſe in Bæticam ſequeretur. Venit ad eum & ex Africa Regulus Arabio, quem paterna ditione Bocchus atque Sitius expulerant. His auxiliis multas occupavit urbes: quarum deinde præſidio vim Carinatis eluſit, cum majoribus copiis à Cæſare miſſi. Poſteà cum ſucceſſore Carinatis Aſinio Pollione Prætorio bellum clariſſimum geſſit, Cartejæ cum una legione receptus, Eboram deinde oppugnavit cepitque. Eadem die de morte Cæſaris cognovit. inde ad ſex legiones, quas in ulteriore provincia reliquerat, rediit: miſſis Romam ad Conſules literis, *ut ſibi ad larem ſuum liceret reverti: exercitus omnes dimitterentur*.

Pollionem Aſinium vincit. Dio.

XXXIV. His deinde ſucceſſibus firmior, quum ad eum quotidie multi confluerent. Aſinium mors Cæſaris & ſequutæ illam turbæ plurimum debilitarent, Carthaginem novam obſidere auſus eſt. At quum per abſentiam ejus premi ſocios ſuos à Pollione audiſſet, cum valida manu congreſſus, claram victoriam obtinuit, virtutem ejus plurimum adjuvante caſu. Forte acciderat, ut Aſinio in fugam acto, pars tamen exercitus ſtrenue repugnaret; ambiguam factura victoriam, niſi eodem tempore & paludamentum, quod inter fugiendum abjecerat Pollio,

lio, vidiſſent inter hoſtium manus, & *Pollionem interfectum* audiſſent. Ejus nominis errore, nam illuſtris eques duci cognominis ceciderat, ſimul conſpecta veſtis, tanquam amiſſo duce exterriti ceſſerunt. Ab hoc tempore potens pollenſque Pompejus, omnem fere ulteriorem Hiſpaniam recepit, donec M. Lepidus citeriori præfuturus, in proximam Galliam venit.

Senatui per Lepidum reconciliatur. Cic. Phil. 13. 4. 3. 15. 13. 4. Sueton. Cæſ. 75. 6. Dio. Appian.

XXXV. Is auctoritate ſua Pompejum adduxit ad pacem, effecitque ut diſcederet ab armis, Senatus illi ſepties millies, quantum ex bonis ejus paternis Cæſar redegerat, & oræ maritimæ præfecturam daret. Quę res eo confici facilius potuit, quod ſalvis Cęſaris actis fiebat: quippe Cęſar extremo tempore cunctis, etiam quibus nondum ignoviſſet, ſine exceptione priſtina jura reddiderat. ut non novum ei dandum beneficium, ſed confirmandum quod dediſſet Cæſar videretur. Adjuvitque Antonius, amicus & propinquus Lepidi, odio quoque Cęſaris inimicum ejus paternum corroborans. Pompejus deducto ex Hiſpania exercitu, conceſſit Maſſiliam, ut interim quid in Urbe fieret ſpecularetur. M. Lepido honores ab Senatu habiti, ſtatua equeſtris inaurata in Roſtris poſita, cum inſcriptione pręclara: mox & triumphus abſenti, rebus geſtis non maximis, decretus.

Antonii et Octaviani paratus ad bellū. Flor. 4. 4. 4. Dio. Cic. Fam. 12. 23. et Phil. 3. 2. 5. 8. et ad Att. 16 8. 9 Vell. 2. 61. 2. Suet. Aug. 10. 7.

XXXVI. Interim ad vim & arma res ſpectare cœpit, quum Antonium Conſulatus viribus pręvalidum, Octavianus ętate & injuria favorabilis, & aſſumpto Cęſaris nomine oppugnaret. Idcirco Antonius A. D. VII. Id. Octobr. Brundiſium exivit, legionibus Macedonicis quatuor occurſurus, ut pecunia ſibi conciliatas ad Urbem adduceret, magno timore civitatis. Contra Cęſar in Campaniam excucurrit, primumque a Calatia, mox à Caſilino veteranos evocavit, infenſos Antonio, qui novos colonos ſuperinduxerat. Sed pecunię magnitudine excitabantur, quingenis donati denariis. Inde Capuam profectus, magna centuriata manu Samnium petiit, Calibuſque & Theani cęteriſque municipiis, ſummo omnium favore exceptus paucis diebus juſtum exercitum coëgit promptus adoleſcens.

Canutius adducto in Urbem Octaviano. Tacit. 1. 10. 2. Cic. Att. 16. 8. Dio. Appian. Vell. 2. 69. 3.

XXXVII. Inde conſilio Ciceronis recurrens in Urbem ad decem millia hominum ſub uno ſigno, neque omnes more militiæ perarmatos, quaſi præſidium ſuum adduxit. Trepidabant Urbani, hinc Cæſarem, inde Antonium venire cum copiis; neutrius perſpecta voluntas, & quia nuper in Capitolio conciliatos viderant, ne hæc ex compacto gererentur, metuebant. donec eos confirmavit Canutius Tribunus plebis profectus obviam Cæſari, & propoſito ejus cognito, prædem ſe offerens Reipublicæ, introductoque adoleſcente, qui ad ſecundum lapidem juxta fanum Martis conſederat, verba in hanc ſententiam fecit, continua rabie lacerare Antonium ſolitus: *Miro quodam fortunæ ingenio reor in hæc tempora, quo Rempublicam extraordinaria pericula circumſtant, extraordinarium quoque præſidium adceſſiſſe. quis enim tantum aut furorem hominum, aut benignitatem deorum præſcire atque prædicere potuiſſet?*

In Antonium invehitur.

XXXVIII. *A conſule patriam oppugnari publicis viribus, à privato defendi domeſticis copiis. in illo nihil eſſe quod non oderis, vituperes, timeas; in hoc omnia præclara & ſalubria, pietatem, conſilium, virtutem! Cavete enim quidquam aut pernicioſius publicè Antonio, aut Cæſare ſalubrius poſſe cogitari. M. Antonii quis veſtrum non novit, tamquam digitos ſuos, ejus luxū, libidines, crudelitatem,*

rapinas quis ignorat? nec repetam quæ coram toties objeci vobis audientibus: ad præsentia tempora vos respicere jubeo, & magnitudinem periculi, quod vobis denunciat, diligenti æstimatione metiri.

Ejus rapinas coarguit. Cic Phil. 2 3.

XXXIX. *Homo ex magnis opibus per temporum miseriam subito paratis, deinde turpissime dilapidatis repentè egenus, post necem Cæsaris abundare copiis cæpit. Quæritis unde? quamquam quid opus est quærere, quod scitis omnes. Quantum illi pecuniæ nocte quæ mortem Cæsaris est insequuta, Calpurniæ timor dedit in manus? quantum creditis ex interpolatis Commentariis Cæsaris, ex innumerabilibus chirographis redactum? qua nundinatione nullus unquam fuit quæstus copiosior. Regna, provinciæ dantur, adimuntur, tanti videlicet, quanti redimere hæc cupientium desideria pacisuntur. datur civitas aliis, aliis immunitas; restituuntur exsules, minime profecto gratis*

Consilia traducit. Freinshem ad Dion. 45. 5 26. Cic. 11. lib. 8. et Famil. 12. 3.

XL. *Jam una rapina ad Opis septies millies sestertium sublatum nostis. Nunc etiam municipiis imperari audimus pecuniam. Tantis instructus divitiis, maximo præditus magistratu, provincia & legionibus auctus, quantum possit, videtis: quantum velit, nisi ipsi creditis, ego vobis neutiquam persuasero. Pauci admodum dies sunt, quum in concione vestra palam professus est, locum me apud eos quærere, quibus se salvo in civitate locus esse non posset. quæ de Principibus Senatus alio tempore dixerit, quos & auctores Cæsarianæ necis, & mearum actionum aperte nominabat, meministis.*

Vocem ejus iovidiose repetit. Cic. Phil. 5. 8. 3. 11. et Epist.

XLI. *Neque est, ut meo aut illorum periculo rem transigi posse putetis: nostro sanguine contentum Antonium fore, nostris facultatibus. vos vero si non honoratos apud eum, at certe tutos fore. Recordamini quam ille vocem nuper admodum pro Castoris sedens jecerit, qua nulla sane potuit audiri crudelior, quum pro solita sua impudentia stultitiaq; haud dissimulanter diceret,* nisi victorem, victurum esse neminem. *Quid potuit apertius? aut quibus aliis verbis bellum internecinum efficacius denunciaret? Adversus hoc tam cruentum atque horribile monstrum, velut alter Hercules Octavianus se opposuit, ætate puer, audacia prudentiaque nemini clariss. virorum postferendus.*

Octavianum contra extol. lit.

XLII. *Quod fuit hujus adolescentis durissimo difficillimoque suo tempore consilium? quanta moderatio? quàm sapienter domesticum vulnus, quàm patienter inimicorum injurias tulit? Carere illum sicut hujus ætatis ardore, ita omnino animo credidissemus, nisi præsenti documento palam ostenderet, neminem sibi hac quidem parte comparari posse. Tot illustres viri, summis usi honoribus, duces veteres, triumphales, indefensam Rempublicam sinerent; nisi hic nobis subito extitisset, qui nullis instructus publicis præsidiis, paucos intra dies, quàm eum proficisci ex Urbe vidimus, tot millia fortissimorum virorum adduxit præsidio publicæ libertatis.*

A virtute simul & modestia.

XLIII. *Hic nobis munere deorum datus est adolescens, in quo, etiam qui sententiis invicem discedunt, pari amore consentiant. Alii Cæsaris acerrimam mentem, admirabilem celeritatem, imperterritum animum desiderant. hæc omnia nobis iste regenerat. sunt qui nimis cupidum potentiæ fuisse putent. pluraque bella è re sua quàm publica gessisse, nec in honoribus modum novisse, nec in imperio finem. hic igitur, pro illo Cæsar placeat, qui sibi nihil præterquam*

salutem & libertatem petens, cæteros labores suscipit pro Republica, nullo honorum aut imperii desiderio, sed leges & jura civitatis valere postulans.

XLIV. Hæc atque talia quum Canutius disseruisset, Octavianus verba facere ad populum cœpit, *Memoriam patris* invocans, *& quæ ille pro Republica prospere, erga populum Romanum liberaliter, adversus inimicos clementer fecisset.* deinde flexit *ad spes suas modeste commendandas, quoniam per ætatem commemorare res gestas nullas posset:* postremo accusavit *Antonium, injurias suas publicasque profectas ab eo* coarguens, *quibus coactus exercitum contraxisset. Adesse veteranos patris sui, mente omnes eadem, uti patriam defendant, eique operam & obsequium contra quemcumque foret opus, & in præsentia contra Antonium polliceantur. Id unius ore omnes profiteri.* Octaviani oratio ad populum. Dio. 45. p 16. Appian. lib. 11. Civil.

XLV. Sequutus ad hæc multitudinis clamor, faustæque in Octavianum voces. Cæterum non idem veteranorum sensus erat, qui cum pugionibus vestè tectis circumstiterant. Exciti enim tanquam ad componendas Cæsaris & Antonii controversias, aut si abnueret Antonius, Cæsarem tutaturi, aut etiam si res ita ferret, pœnas sumpturi de percussoribus, ægre ferebant, se adversus Antonium, modo ducem suum, nunc Consulem adhiberi. Igitur catervatim abire cœperunt, alii palam indigniari, pars *arma sua non adportasse* causantes; *nec alienis perinde uti.* Cæsar dissimulato dolore, quia erat ad vim imparatus, laudatos *quod se deduxissent*, novoque insuper donativo auctos, dimisit: neque ex omni numero plusquam mille, sive secundum eos qui plurimum ponunt, tria millia remanserunt. Eum destituunt veterani. Appian.

XLVI. Cæteros etiam cito subiit pœnitentia, comparandoque belli lucra cum agriculturæ laboribus, & Cæsaris inescati liberalitate, cito cum armis, tanquam ad illa petenda digressi, ad eum reverterunt. Igitur recepto animo Hetruriam percurrit, Ravennamque & finitima loca, militibus Arretium convenire jussis. dum hæc à Cæsare parantur, Antonius ad Macedonicas legiones Brundusium venerat: acceptusque est gratanter, ob spem donativi, quod tanto uberius futurum sperabant, quanto esset Antonius Cæsare locupletior. nam *domi ejus acervos strui pecuniæ, neque jam numerari, sed adpendi aurum* audierant. Sed mox revertuntur. Dio. Appian. Cic. Phil. 5. 4. 2. 38.

XLVII. Deduxerunt tamen eum in tribunal silentio, quasi prius accepturi rationem, quare ultionem occisi Cæsaris distulisset. Hoc ægre passus Antonius increpavit ingratos, *qui nullum lætitiæ signum adventu suo ederent, cujus beneficio pro Parthica expeditione Italiam habituri provinciam forent.* deinde querelas addidit, *quod emissos à protervo adolescentulo* (sic Cæsarem adpellabat) *corruptores non protinus adduxissent. se tamen inventurum illos: militibusque divisurum sestertios quadringenos.* Antonium sui quoque relinquunt concionantē. Appian. Dio. Cic. Att. 16. 8.

XLVIII. Hæc in promittendo parcimonia quum à dedignantibus exceptā risu esset; ipse contra iratus cæteretur, eo processit ferocia militum, ut cum gravi convitio relinquerent concionantem. Tum ille desiliens, *discedis*, inquit, *imperata facere:* negotioque dato Tribunis, *ut seditiosi sisterentur*, sorte duxit decimum quemque, nec tamen in omnes animadvertit. Sic tamen etiam multum cædis fuit, *circiter trecenti supplicio adfecti* traduntur, inter quos & centuriones quidam, viri fortissimi fuerunt. & quod auget sævitiæ speciem, sub oculis Ful- Ille multos interficit. Appian. Cic. Phil. 3. 34. 5. 8. Dio.

viæ, quæ virum sequuta ad exercitum fuerat, jugulati sunt. Irritatis per hæc potius quam perterrefactis animis, Cæsaris emissarii dolorem militum stimulabant, libellos in castris proponendo, quibus laudata *superioris Cæsaris memoria*, & prædicata *liberalitate adolescentis*, *crudelitas & sordes Antonii* perstringerentur.

Deinde id factum excusat.

XLIX. Horum libellorum auctores conquiri jussos contubernia celaverunt; non præmiis, non pœnis, quæ indicanti aut occultanti denunciabantur, mutabiles. Ea contumacia concussit Antonii animum, & quum interea Cæsaris conatus nunciarentur, iterum ad milites prodiit, excusans, *quod necessitate coactus, in paucos quidem & contra voluntatem animadvertisset. Cæterum ipsos scire, quàm nec sævum se nec sordidum ostenderit Antonius usquam. Sed satis esse querelarum, satis etiam tum delictorum, tum supplicii: centenos illos denarios se pronunciasse non donativi nomine, neque enim id pro fortuna sua facturum, sed quo latior adcessus suus legionibus esset.*

Romam venit. Cic. Attic. 16. 5. & Phil. 44. 5. 8. 13. 8. et 9. Appian.

L. Nec addidit quicquam: ne cedere militibus timore videretur. denunciavit quin etiam *parendum imperiis suis fore*. Remotis deinde Tribunis, quos suspectabat esse cupidiores Cæsaris, alios præfecit: comiterque adpellatos milites, *diversis agminibus secundum mare superum* jussit *Ariminum pergere*. Ipse cum legione Alaudarum Romam superbo adventu terruit, equitibus in suburbio relictis, militem adcinctum ducens in Urbem, & nocturnis armatorum circa ædes suas custodiis. Sed convocato Senatu Cæsarem accusaturus, effecturusque ut hostis ille judicaretur, in Capitolium adscendit. in aditu Curiæ nuncium ad eum delatum est, *legionem Martiam*, cujus multi centuriones interfecti fuerant, *sublatis signis Albam secessisse, in urbem opportunam & munitam.*

Suspicatur Tribunos plebis. Appian. Cic. Philip. 3. 3. 9 & 3. 3. & 13. 9. Liv. Epitom.

LI. Dum ad hæc subsistit cogitabundus, en aliud nuncium, *& quartam legionem, duce L. Egnatulejo Quæstore, ad Cæsarem se transtulisse.* qua re audita, sic est exterritus, ut abjecto de Cæsare referendi consilio, Senatusconsultum de supplicatione M. Lepido decernenda per discessionem faceret, quo celerius mittere Senatum posset. Nec enim honoris Lepidi causa vocari Patres jusserat; supervacuis omnino minis adversus Tribunos plebis quosdam, qui minime repugnaturi fuerant.

Sortitionem provinciarum facit. Cic. Phil. 3. 10. 5. 9. & 13. 9. & in Epist. ad Cæsar. junior.

LII. Sed ille L. Cassio denunciaverat *mortem, si in Senatum venisset*: D. Carfulenum è Senatu vi & minis mortis expulerat: Tib. Canutium, non templo modo, sed etiam aditu Capitolii per armatos prohibuerat. Sed ejusdem diei vespere sortitionem provinciarum ex arbitratu suo fecit. Cajo fratri Macedoniam, C. Calvisio Africam dedit: cæterorum plerique provincias suas repudiando, nullam fuisse Antonii sortitionem judicaverunt. Ipse neque votis nuncupatis, neque sacrificiis solemnibus factis, ante lucem paludatus ita profectus est ex Urbe, ut templa, Forum, occursum hominum, diem pene ipsum vitaret, in Galliam properans. Sed prius Albam ire statuit, ad revocandas, si posset, legiones: inde rejectus Tibur ad cæteros milites rediit, advocataque concione, jurare coëgit omnes se non esse deserturos.

In eius verba juratur. App. Dio.

LIII. Inter hæc magnus exstitit in Urbe timor, certatimque venerunt Tibur Patres propemodum universi, Equitum pars maxima, & ex ipsa plebe honestissimus quisque, videntesque jurari in verba Antonii à militibus & veteranis,

quorum magnus ſane numerus ad veterem ducem recurrebat, ipſi quoque volentes adſtrinxerunt ſe jurejurando, *benevolos fidoſque M. Antonio ſemper fore*: ut mirarentur homines, ubinam illi Romani eſſent, qui paucis ante diebus concionante Cæſare M. Antonium convitiis fœde proſciderant. Igitur eum ſplendido ſatis comitatu Ariminum venit, bona cum ſpe, fore ut D. Brutus propter veterem amicitiam, ſed magis odio metuque Cæſaris, provinciam ſibi tradat.

Cæſaris anceps deliberatio. Cic. Famil. 11. 5. Dio. Tacit. 1. 10. 1.

LIV. Sed longe alia Bruto mens fuit, quem exarmari percuſſorum nemo patiebatur, in ejus copiis maxima ſpe repoſita incolumitatis. neque vero aut Cæſarem metuebat, docte ſimulantem Pompejanarum partium gratiam; aut credebat Antonio, quem propter infinitam ambitionem, omnibus qui aliquid poſſe viderentur, infidum atque obliquum eſſe cognoverat. At Cæſaris animum anceps fatigabat deliberatio, quemadmodum utendum præſentibus foret. Percuſſores avunculi oderat, Antonium metuebat: atque illos ſciens ita vicißim erga ſe adfectos, ſæpe angebatur, ne eum exercitu progreſſum ambo ſimul junctis copiis invaderent.

M. Antonii vires.

LV. Sed cognito, hos inter ſe commiſſos eſſe ſerio, non dubitans acriorem ex duobus prius opprimendum eſſe, Bruto auxilium ferre non diſtulit, ſublato Antonio, ab ejus ſegnitie haud perinde metuens. Nec enim contemnendus erat Imperator Antonius, & viribus haud ſpernendis nitebatur. Præter recentem delectum tres habebat legiones Macedonicas; & veteranorum manum, ſenum quidem, ſed in quibus duplo plus roboris, quàm in tyronibus eſſet. Præterea Lepidus & Aſinius in Hiſpaniis, ille cum quatuor, Pollio cum duabus legionibus & cum tribus in ulteriore Gallia L. Plancus, haud alieni à partibus videbantur.

Cæſaris copiæ.

LVI. Cæſar præter Marciam & Quartam legiones, unam habebat tyronum, veteranorum duas, ſed ſuppletas ex novo delectu. His Albam convenire juſſis, Senatui ſcripſit, hujus auctoritatem maximi facere ſimulans, delatumque ab exercitu honorem, ut pro Prætore imperium haberet, non accepit. Sed quum duæ legiones, quæ ab Antonio diſceſſerant, inter ſe adſimulachrum pugnæ concurriſſent, ſpectaculo delectatus, & oblata liberalitatis occaſione, iterum quingenos nummos diviſit. quina millia pollicitus, ubi re ad prœlium deducta, fortem fidelemque operam navaviſſent.

Antonii et Bruti contentiones. Cic. Philipp. 4. 2. 5. 17. Dio. 45. 7. 38. Liv. Epitom. Appianus. lib. III. Civil.

LVII. Sic excitatis militibus ſuis, & ſparſa largitionum fama inſequutus Antonium, in itinere equites, ſagittarios, elephantos Illius redegit in poteſtatem minime repugnantes, quod Antonius Sueſſæ, & paſſim in caſtris trucidando qui ei ſuſpecti erant, animos militum vehementer alienaverat. Sed Antonius miſſis ad Brutum eodicillis, *decedere* jubebat *provincia, quo & plebiſcito gereret morem, & ſibi parceret*. Brutus contra Senatuſconſultum miſit, quo ipſi data erat Gallia. Tum Antonius diem præſtituit, *intra quam niſi deceſſiſſet, pro hoſte haberetur*. Neque ceſſit Brutus, quominus nunciandum curaret, *debere Antonium ſibi ipſi longiorem diem dicere, ne forte citius quàm vellet ab Senatu hoſtis judicaretur*.

Brutus Mutina occupata.

LVIII. Et poterat opprimere Bruti exercitum adhuc in caſtris agentem, tanto potentior Antonius, ſed urbes adire maluit. Ab his quum reciperetur, Bru-

Servilius Isauricus moritur.

Cicer. Famil. 11.4.

tus veritus, ne mox nulla pateret sibi, per simulationem decedendi profectus est Mutinam, validam urbem atque populosam, eamque occupavit. & copiis Mutinensium milites suos alere, mactare pecudes, carnemque ad diuturnæ obsidionis exspectationem salire instituit. Habebat autem secum magnam gladiatorum multitudinem, duas legiones veteranas, quibus olim præfuerat, & unam tironum: sed omnes nuper firmos ad res suas tuendas effecerat, ducto in Transalpinos exercitu, multisque castellis captis atque vastatis, & liberaliter donato milite.

Ab Antonio obsidetur. Appian. Cic. Philippi 4. 1. 1. 4. 6. et ad Brut ep 15. et Famil. 11. 6. Dio 45. 7. 9.

LIX. Igitur neque minis Antonii cesserunt, & Antonius, quum dimittere Brutum nollet, ad prœlium elicere non posset, circumvallare Mutinam cœpit. His rebus in urbe cognitis, redintegratus est apud omnes Cæsaris favor, deque *ipsius & Bruti honoribus in Senatu actum. Provincia quoque Gallia* laudata, *quod Antonium non recepisset.* Octaviano *imperium* Ciceronis sententia decretum; *statua*, Philippi: Servii Serviliusque, *ut ante justam ætatem petendorum honorum ei potestas fieret*, censuerunt. Aberant tum Consules, nam & Dolabella profectus in Syriam fuerat: ergo M. Servilius Tribunus plebis, ejusque collegæ A. D. XIII. Kal. Januar. Senatu convocato, proposuerunt edictum Bruti, quibus *seque & exercitum provinciamque in potestate Senatus fore* demonstrabat.

Ciceronis in Antonium actiones. Cic. Philipp. 3. 10. et Attic. 15. 11. et 16 11. Plut. Cic. cap. 67.

LX. Læta igitur Curia, & majora meditante, Senatusconsultum de præsidio factum, *uti C. Pansa, A. Hirtius Consules designati, dent operam, ut Senatus Kalendis Januar. tuto haberi possit.* Interim rescissa fortitione Antonii, placuit *provincias manere apud hos qui obtinebant, neque tradi cuiquam nisi jussu Senatus.* Hæc & ab aliis, sed in primis à Cicerone, qui eadem die tertiam & quartam Philippicas habuit, cupide decernebantur, qui professis in Antonium odiis, multas hoc tempore orationes edidit, quibus rerum ille status eximie depictus est. Nam ille ex itinere, propter filium quem Athenas studiorum caussa præmiserat, in Græciam suscepto, inde trajecturus ad Dolabellam, à quo se passus erat legari, subito erat reversus: Austris reflantibus navigare vetitus, & auditis interim Octaviani successibus, novaque spe Reipublicæ recuperandæ, alacrior.

Servilii Isaurici mors. Cic. Philipp. 2. 5. et Famil. 12. 12. Suid. Ἀνθ' ὧν Μάρκος. Suet. de claris Rhetorib. c. 4.

LXI. Sub hæc tempora P. Servilius Isauricus fatum explevit magno vir natu: sed ad extremam usque ætatem sensibus integris, necnon nonaginta vitæ annis infracta valetudine. Par erat & animi robur bene de Republica sentienti & fortiter loquenti. quibus rebus ita nuper offenderat Antonium, ut in Senatum tuto venire non posset. Unde & Canutio non diu post M. Antonius & C. Cæsar objecerunt, *quod in capessenda Republica Consularis Isaurici sectam sequeretur.* quibus ille respondit; *malle Isauriei esse discipulum, quàm Epidii calumniatoris.* id erat nomen crimenque Rhetoris, quem illi audiverant.

Ejus auctoritas. Dio. Val. Maxim. 8. 5. 6. Virgil. Georg. 3. 467. Iul. Obseq. App. lib. 4. Civil.

LXII. Hujus viri quanta fuerit auctoritas, vel ut mores temporum noscantur, adnotabitur. Forte per Forum incedens, quum testes in reum dari vidisset, loco testis constitit, præfatusque; *sibi nec hominem notum esse, qui causam diceret, neque cur esset postulatus: at improbum sibi videri* dixit, *propterea quod se pedibus incedentem, nullo reverentiæ signo edito, eques præterisset.* Dignares visa judicibus, cur indicta caussa damnaretur.

LXIII. Eodem & sequente anno multa, ut solitum in principio magnarum

calamitatum, prodigia nunciata, *terra motus in Alpibus & in Italia crebri, fulminata navalia, Joviſque Capitolini cella, quæ fuit in fano Victoriæ, alioque ſacræ ædes & ſtatuæ. Tabulæ æneæ ex delubris Fidei & Saturni turbine evulſæ, ad Opis valvæ aliis fractæ. arbores exſtirpatæ, tecta convulſa. Fax tælo viſa, quales Græci bolidas vocant, ab Ortu ad Occidentem ferri. Trini ſoles adparuerunt; quorum unus quaſi ſpinea corona cinctus micuit, & poſtea paulatim unum in orbem ſole redacto, multis menſibus prope ad exitum anni lurida & pallens lux fuit, quaſi continuo ſideris defectu.* Id oſtentum mox accomodarunt temporibus, *Triumviros denunciatos* dictitantes, *quorum duo defecturi fuiſſent, Cæſare ſuperſtite, cujus victoriam corona ſoli circumdata, ſpicarum figura, frugum ubertatem notaſſet. Ætna arſit. In Tiberis oſtio piſcium magna vis relabente æſtu in ſicco eſt expoſita. Padus etiam inundavit in campos magno adcolentium damno, recedenſque vim reliquit ingentem viperarum. Inſequuta eſt peſtilentia vehemens per omnem Italiam. Armorum ſonitus auditus in Germania de cœlo cum cantu tubarum, virorumque clamoribus & equorum decurrentium ſtrepitu, quum tale nihil oculis cerneretur.*

Oſtenta cœleſtia. Iul. Obſeq. Plin. a. 26. 3. et 2. 31 et 3. 30. Euſeb. Chron. Tibull. a. 5. Plut. Cæſ. cap. 99. Virgil. Ovid. Metamorph. 15. 785. Dio. Stat. Carmin. 1. 2.

LXIV. *Voces humanæ majores ex lucis auditæ. pallida ſimulachra hominum ſub crepuſculis viſa: bos inter arandum humana voce proloquutus*, fruſtra ſe urgeri; non enim fruges paulo poſt, ſed homines defuturos. *infans recens natus loquutus eſt. amnes conſtiterunt. terra hiavit. effigies deorum lachrymare & ſudare; in quibuſdam & ſanguineus ſudor adparuit. puteorum aqua in ſanguinem verſa. lupi per fora urbium diſcurrerunt. ſereno cœlo ſæpe fulguravit. Taurus quum in æde Veſtæ immolatus eſſet, exſiluit.* Carmina Sibyllarum jactata, quibus *finis Reipublicæ inſtare* prædictus eſſet. *lapidibus multoties pluit.*

Bos humana voce loquutus? Virgil. Dio. Appian. Tibull.? Ovid. Euſeb. Iul. Obſeq.

LXV. Hæc *in communes valere calamitates* credita; ſed *alia malum ſignificare ſingulis. Ciceroni, quod conſecrata ab eo pridie quàm in exſilium iret Minerva, vi turbinis dejecta & confracta eſt. Lepido, quod ante domum ejus canum ululatus auditi, maximuſque omnium à cæteris dilaniatus eſt. Hoc minari Pontifici Maximo* crediderunt. *illud Antonii & Dolabellæ Conſulum alienationem à Republica portendiſſe, quod in æde Caſtorum ex eorum nominibus, literas quaſdam corvi advolantes roſtris exciderent.* Sed omnia hæc malorum præſagia propemodum ſerò adparuerunt. Jam enim ea paſſim agebantur, ex quibus exarſuræ neceſſario turbæ erant, diſcurrentibus utriuſque partis ducibus ad occupandas Provincias, cogendoſque exercitus, & quæ alia bellis gerendis adparantur. Ex quibus initiis longorum deinceps atque multiplicium certaminum inſani tumultus extiterunt.

Ciceroni et aliis oblata portenta. App. Virgil. Dio. Cic. Famil. 12. 25. et Phil p. 4. 4. Liv. Epitom.

FINIS LIBRI CXVII.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXVIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

M. BRUTUS in Græcia, ſub prætextu Reipublicæ, & ſuſcepti contra M. Antonium belli, exercitum, cui Vatinius præerat, cum provincia in poteſtatem ſuam redegit. C. Cæſari, qui primus Reipublicę arma ſumpſerat, proprætoris Imperium ab Senatu datum eſt cum Conſularibus ornamentis; adjectumque, ut Senator eſſet. M. Antonius D. Brutum Mutinæ obſedit; Miſſique ad eum ab Senatu legati de pace, parum ad eam componendam valuerunt. Populus Romanus ſaga ſumpſit. M. Brutus in Epiro C. Antonium prætorem cum exercitu poteſtati ſuæ ſubjecit.

Brutus & Caſſius ex Italia proficiſcuntur. Plut. Brut. c. 32 Cic. ad Attic. 25. 9. 11. & 16. 4. 5. Famil. 11. 3. et Philip. 10. 4. Dio.

HOC idem tempus M. Bruti, C. Caſſii contationem abrupit, quorum anceps hactenus, & varie impedita deliberatio fuerat. Romam reverti periculoſum erat, manere in Italia, ſuſpectum. & ſi ad impoſitam Provinciam adcingerentur, contumelioſum videbatur. Brutus enim in Aſia, Caſſius in Sicilia frumentum emendum, atque in Urbem mittendum curare debebant. Præbuit tamen illud negotium & colligendarum claſſium facultatem, & prætextum ducendi moras, ſi forte caſus aliquis exſiſteret. nec interea deſiſtebant tueri dignitatem ut poterant, & literas atque edicta in Urbem mittere.

Brutus diſſimulanter quærit vires. Dio 47. 3. 2. Plutarch.

II. Sub autumnum deinde per Lucaniam pedeſtri itinere Veliam acceſſit Brutus, atque inde transjecit Athenas. pauciſque dein diebus cum ſua claſſe diſceſſit Caſſius. Jam enim deſperaverant, qualem volebant, obtineri Rempublicam poſſe: & quia Cæſar Octavianus jam ſe commoverat, neſciebant quantum huic recte crederetur. Et primo quidem tempore Brutus cum Philoſophis converſando, videbatur abjeciſſe rerum aliarum curam. ſed tamen & nobiles juvenes, qui Athenas ſtudiorum cauſa profecti fuerant, ſibi diſſimulanter adjunxit. in quibus & M. Ciceronem M. F. & in Macedonia per Heroſtratum quemdam tentavit animos eorum, qui copiis præerant. Interim Athenienſes ei & Caſſio ſtatuas æneas, juxta Harmodium & Ariſtogitonem tyrannicidas, tanquam horum imitatoribus ponendas locaverunt. Hæc agentibus C. Cæſarem coacto exercitu Senatũ defendere contra Antonii dominationem & injurias auditum eſt.

Mox palam copias contrahit. Liv. Epitom. Dio. Cic. Philip. 11. 13. Plutarch. App. lib. 4. Civil.

III. Igitur ſub prætextu Reipublicæ & belli Antoniani Caſſius in Syriam contendit, jam indè à Quæſtura benevolam & familiarem; Brutus Græciam atque Macedoniam occupaturus, facile contrahebat reliquias Pompejanorum exercituum, quæ tum adhuc per Græciam vagabantur: etiam quos à Dolabella nuper advectos morbus aut oblivio ſacramenti retinuerat, ultro adfluentibus.

Igitur profesſo jàm conſilio, ad oſtium Cayſtri perrexit, Romanis navibus obviam, pecuniam eum M. Apulejo Quæſtore, qui tradita C. Trebonio Provincia decedebat, in Italiam portantibus. Ab hoc Apulejo, perquam amico ſibi homine, Brutus & copias accepit, & talentum ſexdecim millia, ex tributis atque vectigalibus Aſiæ. Vell. 2. 62. 3. Cic. Epiſt. ad Brut. 2. 7.

IV. Quum inde Samum reverteretur, forte natalis erat Bruti. eoque ob rem feliciter confectam hilarior, poculum in convivio popoſcit grandius, idque manu tenens, alta voce retulit Græci Poëtæ verſus, *à fato ſe & Phœbo Apolline peſſumdari*. Hæc vox quia nulla adparente cauſſa erat jacta, vim præſagii deinde habere viſa eſt: utique poſtquam ultimo prœlio ſive ipſe, ſive Cæſar & Antonius, (utrumvis enim traditur) ſignum militibus dederunt *Apollinem*. Sed hæc poſterioris paulo temporis ſunt. at tum quidem Brutus erectus ad conatum comparandi exercitus, etiam Veterem Antiſtium induxit, ut daret ei ex ſua pecunia vicies, ſeque ipſum offerret ac conjungeret partibus. Sed & equitatum, qui in Syriam ducebatur bipartito, intercepit. quingenti equites à Cinna Quæſtore ad Brutum in Theſſalia diſceſſerunt: cæteros, qui per Macedoniam ducebantur, Cn. Domitius à legato Syriaco abduxit. Legio quam legatus Antonii L. Piſo ducebat, Ciceroni adoleſcenti ſe tradidit. Ejus ominoſa vox. Appianus. Plutarch. Val. Maxim. 1. 5. 6 Cic. Philipp. 10. 6. 11. & Epiſt. ad Brut. 1. 11.

V. Interim & ipſe profectus Demetriadem, armorum ingentem copiam, quæ juſſu Cæſaris tranſportata in Græciam, tum ad Antonium reportabantur, occupavit. Inter hæc ſumma celeritate, nequidquam retinente Senatu, C. Antonius Prætor adfuit, Q. Hortenſio ſucceſſurus, qui Macedoniam obtinuerat. Sed prævertit Brutus, provinciamque tradente Hortenſio proconſule accepit, delectuſque in ea, ejuſdem Hortenſii ſummo ſtudio habuit. Vicinos etiam Reges atque tyrannos adjunxit ſibi: magnaque iterum auctus eſt pecunia. Quippe Thracis cujuſdam Reguli conjunx Polemocratia, cujus maritus occiſus dolo æmulorum fuerat, eum filio & theſauris ſe contulit ad Brutum, ejuſque fidei omnia tradidit. Macedoniam Bruto tradit Q. Hortenſius. Cic. Philip. 1. 5. 6. & 13. 15. Liv. Epitom.

VI. Brutus puero Cyzicum amandato, donec in paternum imperium reſtitui poſſet, aurum atque argentum, cujus magna vi erat potitus, ſignare inſtituit. His rebus acceptis C. Antonius cum ſeptem cohortibus contendit Apolloniam, ad occupandum Illyrici exercitum. Tres legiones P. Vatinio proconſule apud Apolloniam & Dyrrhachium habebantur. Cum his paulo ante res in Dalmatia & Illyrico geſſerat Vatinius, deficientibus denuo poſt Cæſarem barbaris, & aliquot oppida ceperat, ex quibus rebus Imperator eſt adpellatus. Sed poſtea ob acceptum detrimentum, amiſſoque Bæbio viro Conſulari (forte ex ſuffectis à Cæſare fuit) Dyrrhachium ſe receperat. P. Vatinius exercitum habet. Cic. Famil. 5. 9. 10 11. Appianus.

VII. Iſtum exercitum M. Bruto tradidit, apertis Dyrrhachii portis. non ſponte, ſemper enim adverſatus his partibus, & pro ingenii quadam pravitate Bruto fuerat; ſed milites continere invalidus, apud quos in odio ſemper habitus, tum etiam propter adverſam valetudinem in contemptu erat. Clauſit tamen portas; & inſolito caſu adjuvante facile repuliſſet Brutum, ſi ſtudia militum habuiſſet. Quippe Brutus, ut accidere quandoque ajunt per altam nivem ambulantibus, morbo correptus, quem *bulimiam* Græci vocant, ingenti deſiderio cibi deficiebat. & quia cum expeditis valde properaverat, longe à tergo relicti erant commeatus. Igitur ad portã oppidi progreſſi milites, *panem* à vigilibus petierunt. Eum Bruto tradere cogitatur. Appianus. lib. 4. Civil. Dio. 47. 326. Vell. 2. 69. 3. Plutarch. Sympoſiac. 6. 8. & Bruto.

Bruti auctoritas. Velleius. Plutarch. Cic. Philip. 10. 6. & Fam. 5. 9.

VIII. Atque illi intellecta Bruti neceſſitate, continuo adfuerunt ipſi cum cibariis & vino. Tanta enim erat Bruti dignatio, ut cuilibet ducum anteferendus videretur. Igitur hos quidem recepit volentes; ſed quia honeſtius putabat, ab Imperatore accepiſſe legiones, quàm ſi contra voluntatem ejus cui commiſſæ fuerant, ad ſe pellexiſſet; in literis ad Senatum aliquam Vatinii mentionem fecit. Cæterum eam non admodum fuiſſe aut factam ex animo, aut creditam, vel inde colligas, quod Cicero, quum ab Senatu honores laudeſve decerni cenſeret, Vatinii, quamquam olim reconciliati, mentionem inſuper habuit.

Urb. cond. ann. 1710. Hetruſci aruſpicis vox et factum ſingulare. Dio. Macrob. Saturn. 1. 16. 16. Plut. Camill. 20. 11. Liv. 6. 1. 16. Appian.

IX. Dum hæc aguntur, ob multiplices prodigiorum terrores, & præſentia mala novi Conſules A. Hirtius & C. Panſa (nam is magiſtratum hoc anno geſſit, quamquam proſcripti filius) Senatum Kalendis Januariis convocarunt. ne tum quidem finis minarum fuit; & quum de more ſacrificarent Conſules, lictorum unus non adparente cauſſa repente concidit mortuus. Igitur neque ſequenti biduo ceſſatum; ſed Senatus habitus eſt etiam poſtridie Kalendas, quamquam antiquo Pontificum decreto poſtridie omnes Kalendas, Nonas, Idus, atri dies haberentur. Sed inter procuranda prodigia exſtitit aliud omnibus minacius. quippe adcitus ab Hetruria aruſpex *reditura* reſpondit *Regna, qualia olim fuiſſent, cunctoſque ſervituros. ſe uno excepto*, atque hæc fatus compreſſo ſpiritu ceciderit exanimis.

Cæſarit in favorem multa decreta ſunt. Cic. Famil. et Philipp. 5. 1. 6. 2. 17. et epiſt. ad Octavian. Dio. 46. 1. 5. 2. Vell. 2. 61. 4. Sueton. Aug. 10. 7. Liv. Epit.

X. Decretum tamen poſteà eſt, *ut Hoſtilia Curia reficeretur, & locus in quo navale prælium fuerat editum, complanaretur. Minervam quoque Ciceronis reponi* placuit, cujus circum hæc tempora contra Antonium actiones, nemo melius expoſuerit ipſius eloquentiſſimi viri Philippicis, quarũ quæ quinta inſcribitur Kalendis eſt habita; ſexta vero, poſt triduum. His quamquam Fufius Calenus, & alii quidam obſtrepebant, obtinuit tamen factio Cæſaris, eique prius decreta confirmavit, *ſtatuã equeſtrem in Roſtris, cum ætatis ejus adſcripta notatione, atque propratore bellum cum Conſulibus adverſus M. Antonium gereret Conſularibus ornamentis.* adjectum etiam, *ut Senator eſſet, ſententiamque loco Prætorio diceret: ejuſq; rationem ſic haberi in omnibus, quaſi anno ſuperiore Quæſtor fuiſſet.*

Antonii mater, uxorque pro eo deprecantur. Cic. Philip. 5. 19 Liv. Epitom. Dio. Appian.

XI. *Militibus decreta pecunia ex ærario, quantum iis victoriæ cauſſa Cæſar promiſiſſet, & quam expendiſſet Cæſar privato conſilio parandis copiis, ea de publico redderetur. utque iis militibus qui diſceſſiſſent ab Antonio, ſtatim atque finitum bellum eſſet, miſſio daretur, agrique dividerentur.* His ita conſtitutis, quum opinione omnium pro hoſte judicato Antonius haberetur, mater ejus, uxorque & filius puer tota nocte deprecabundi diſcurrerunt per Senatorum domos; & interdiu quoque in Curiam euntes fletu & precibus, & ad genua ſe projiciendo ſingulorum, moverunt multorum animos, ut tam repentinam fortunæ mutationem non ſine miſericordia intuerentur.

Ad eum Senatus legatos mittit. Liv. Epitom. Appian. Dio. Cic. Philip. 5. 2 et 12. 7. et 6 3 6. 2. et epiſt. ad Cæſ. Junior.

XII. Hoc videns metuenſque Cicero vehementi rurſus oratione adcendit indignationem Patrum: ſed à L. Piſone familiari Antonii mitior dicta eſt ſententia, placuitque ex ea *mitti ad Antonium legatos, qui pro Gallia offerrent Macedoniam,* cætera mandata perſcripta ſunt durius, quod id negotium Ciceroni Senatus impoſuerat: *Ut ante certam diem diſcedentibus militibus (Kalendæ Februariæ prædicebantur) fraudi ne foret, fuiſſe cum Antonio. qui neglexiſſent id facere) pro hoſtibus haberentur. Antonius à Mutina confeſtim diſcederet, exercitum cis Rubiconem*

intra diem dictam reduceret, dum ne propius Vrbem Romam ducentis millibus admoveret: provinciam ne depopularetur: neve delectus in ea haberet: eſſetque in Patrum Conſcriptorum & populi Romani poteſtate.

XIII. Neque multo poſt, priuſquam reverterentur legati, *tumultum* eſſe decreverunt, veſtitumque mutaverunt Patres, populo quoque ſumente ſaga, Cicerone principe, qui pridie non. Febr. deſcendit ad Forum ſagatus, quum reliqui Conſulares togati vellent deſcendere: quod ſolebant eo honore functi, quamquam erat in ſagis civitas. Senatuſconſultum quoque factum, *ut L. Munatius Plancus ex Comata Gallia, & ex Narbonenſi Lepidus*, de quibus bona tum erat opnio, *auxilio Conſulibus & Bruto eſſent*. Miſſi ſunt ad Antonium tres Conſulares Ser. Sulpicius, L. Piſo, L. Philippus, principes civitatis. Ex his Sulpicius, qui ætate cæteros anteibat, quum jam prope caſtra veniſſet, fato functus eſt; cæteri metu an alia cauſſa incertũ, nihil egerunt amplius, quam ut mandata porrigerent.

Civitas ſaga ſumit. Dio. Cic. Philipp. 8. 1. 24 2. 11. 9. 1. 7. 8. 13. 9. 9. 2. Famil. 10. 33. et epiſt. ad Cæſ. Iun.

XIV. Accepit ille gaudens cauſam ſibi datam ab Senatu hoſtiliter agendi. Quamobrem in conſpectu legatorum Mutinam verberavit tormentis: & multa ſtatim in Senatum, in Ciceronem, in Octavianum coram iiſdem effudit: *Mirari quod Romæ ſint qui Cæſarem optime de Republica meritum pro tyranno & hoſte habeant; Ciceronem non habeant, qui ſervatus à Cæſare, quum necari jure potuiſſet, hanc ei referat gratiam, ut percuſſores ejus potiores habeat amicis omnibus: Decimum donec recte feciſſet, habuerit odio; idem nunc parricidam diligat. huic conſervatam provinciam velit à ſolo Cæſare datam; Antonio eat ereptum quam habeat populi Romani beneficio. Sed & Patres Conſcriptos pravis conſiliis uti, qui ingratiam pueri* (Cæſarem notabat) *ſe adficerent injuriis. Dari præmia militibus, qui à ſe deſciviſſent, eui Senatuſconſulto eſſent dati: minas denunciari his, qui maneane in officio. Eam vero rem tam ad ſuum incommodum, quàm Reipublicæ detrimentum, depravata in tantum diſciplina, pertinere.*

Antonius in Ciceronem invehitur. Cic. Philipp 8 7. App. Dio.

XV. *Se tamen adſenſum eſſe decretæ oblivioni, propter viros duos Caſſium & Brutum. Sed quando ipſe & Dolabella hoſtium numero habeantur, non aliam ob cauſſam, quàm quia jure data retineant, ſe quoque irritam pactionem illam oblivionis facere, quàm hi quorum ad beneficium ea res pertineret, priores violaſſent.* Dedit deinde vicißim mandata iiſdem legatis perferenda Senatui: quamquam & ipſe legatum mitteret L. Varium Ædilicium hominem, compotorem ſuum, cui propter morum turpitudinem cognomentum erat inditum *Cotylæ*. Mandatorum ea fuit ſumma, *futurum ſe in poteſtate Senatus, amore pacis & patriæ. Ciceroni, à quo profecta ſciat, quæ nomine Senatus ſcripta fuiſſent, hæc reſpondere: ſibi conceſſam plebiſcito Galliam, juſque datum bello Decimum proſequendi, lege contempta repugnantem. adeoque ſi perſtet, pœnas ab eo ſumpturum uno percuſſorum pro omnibus, ut tandem exſolvatur piaculo Senatus, quo per Ciceronem Decimo opitulantem ſe obſtringat.*

Eius mandata ad Senatum. Cic. Philipp. 8. 8 et 11. 6. et 13. 12. Famil. 12. 4. Appian. Dio. Iul. Anton. cap. 22.

XVI. Hæc legatis Senatus injuncta. Modeſtiora per Varium, tectiora certe, nunciavit: *Provinciam*, his enim verbis uſus eſt, *remitto: exercitum depono: privatus eſſe non recuſo: omnia obliviſcor. in gratiam redeo: ſi legionibus meis, & ſi equitibus, & ſi cohorti Prætoriæ prædam agroſque dederitis: & quibus ego atque Dolabella dedimus agros, eos tenere patiamini.* Poſtulavit præterea *uti chiro-*

Acta ej ſiem. Cic. Philipp. 10. 8. 8.

Tributa longo intervallo indicta Rom.

C. Panſa et A. Hirtio Coſs.

graphorum atque commentariorum Cæſaris obtentu facta ſua atque collegæ decreta manerent: ne tangerentur rationes ad Opis: ne fraudi eſſet ſeptem viris agrorum dividendorum, quod egiſſent: cæterique qui ſecum eſſent, & adverſus leges commiſiſſe dicerentur. ne ſua judiciaria lex abrogaretur. Ut pro Togata Galliæ Comatæ provinciam haberet, cum ſex legionibus, iiſque ſuppletis ex D. Bruti exercitu, non ſolum ex delectu ſuo: tamdiuque ut obtineret, quamdiu M. Brutus, C. Caſſius Conſules prove Conſulibus futuri in provinciis eſſent.

Antonius hoſtis judicatur. Dio. Vell. 2. 65. 1. Appian. Cic. Philip. 5. 12. et 8. 11. et ad Cæſ. Jun.

XVII. Hoc addebat, ut potentes viros demereretur; ſimul Cæſari ſolicitudinem immitteret, ne cum his conjungeret vires Antonius, ſi nimis ab eo premeretur. Non enim erat ullum concordiæ ſtudium Antonio: nec aliud agebat his mandatis, quàm ut colorem quæreret bonæ cauſſæ, Senatui ſe permittens; ſed has conditiones adjecerat, quas neque recepturus Senatus eſſet, neque Cæſar pateretur. Qua enim ratione hic aut interfectores patris ſui Conſules creari ſineret: aut Antonianis copiis paria decerni præmia, quàm decreta ſuis eſſent: atque per hoc Antonii apud milites auctoritatem & potentiam adaugeri? Neque dubitatum eſt, quin extemplo hoſtis Antonius judicaretur: militibus alia diceretur dies, *uti* nimirum *cum Antonio fuiſſe fraudi non eſſet his, qui ante Idus Martias cum reliquiſſent, & aut ad Conſules, aut ad Cæſarem, aut ad Brutum adiſſent.*

Ciceronis in ea re ſtudium. Dio. App. Cic. Famil. 11. 24. et Philipp. 7. 8.

XVIII. Conſulibus permiſſum, *ut Rempublicam defenderent, viderentque ne quid ea detrimenti acciperet.* In hæc quia ingenti pecunia erat opus, *quintam & viceſimam facultatum omnium conferri* juſſerunt. Hoc tempore præcipua Ciceronis opera fuit, quotidianis ferme concionibus populum hortantis. hinc & armorum magna vis gratuito fabrorum labore, & variis nominibus pecuniæ collectæ. Antonii præſertim amicis auctore eodem impenſæ graves injunctæ. quas illi ſane ſuſtinebant alacriter, tamquam reipſa criminationes refellerent. Etiam municipia Italiæ opes ſuas conferebant, principibus pecuniæ pollicendæ Firmanis. quibus ob eam rem actæ erant ab Senatu gratiæ: quemadmodum & Marrucini, qui *ignominia notandos* cenſuerant; *quotquot militiam ſubterfugiſſent*: & L. Naſidio Equiti Romano, cujus hortatu non milites modo facti vicini, ſed etiam facultatibus ſublevati fuerant.

Romæ tributa horum inducuntur. Cic. Phil. 12. 4. et 14. Famil. 1. 24. 25. 12. 30. et 12. 30. ad Brut. 2. 6. 17. erad Cæſar. junior. Plutarch. Æmilio c. 63. Dio.

XIX. Patavini quoque rejectis Antonianis, pecunia, militibus, & quod maxime decerat, armis Conſules & Cæſarem juverunt: horumque ſtudium alii Tranſpadani, qui prius Antonio favere putabantur, imitati ſunt. Sed eò perventum erat, ut Urbem, jam inde à triumpho Pauli Macedonico immunem a tributis, ſubire inſolitum onus, pecuniam dare, contribuere, ſolvere oporteret. Nam & Mutinenſis Brutus valde urgebatur inopia: & Marcus non abundabat. & advocem tributi quotidie obdurefcebant homines: quæ ſupra annos centum viginti vix audita in Urbe fuerat. Et renato in Africa bello, etiam Q. Cornificius pecuniam petebat. Igitur & Senatores in ſingulas tegulas ſive propriarum ædium ſive conductarum quaternos obolos pependerunt. Maxima enim erat rei nummariæ difficultas publicæ, ut etiam annuos prætermitti ludos oporteret, præterquam paucos obiter factos, & dicis cauſſa.

Bruto et Caſſio multa decernuntur.

XX. Igitur M. Bruto, qui per eadem tempora *provincias & exercitus à ſe occupatos retinere* jubebatur, Senatuſconſulto permiſſum, *uti pecunia, ſi*

qua opus ſit, & exigi poſſit, utatur, exigatque à quibus videatur: ad rem militarem mutuam ſumat à civitatibus, frumentumque imperet. Eodem Senatuſconſulto laudatus eſt *Q. Hortenſius*, juſſuſque *cum Q. Cæpione proconſule & legatis ſuis Macedoniam provinciam obtinere, quoad ei ex Senatuſconſulto ſucceſſum ſit.* Sed & C. Caſſio decretum, *uti Syriam obtineret cum imperio, bellumque cum Dolabella gereret.* Q. Cæpionis nomine non alium niſi M. Brutum intelligi monendum eſt, qui nomen illud prænomenque, quum ab Servilio Cæpione avunculo eſſet adoptatus, adſciverat. Dum hæc in Antonium Romæ fiunt magno plerorumque ſtudio, non defuerunt qui partes ejus modis omnibus tutarentur. Ex quorum numero adverſus Senatuſconſultum, quo contra Rempublicam feciſſe exiſtimabantur, ad Antonium profecti ſunt Prætores ejus anni duo, P. Ventidius, L. Marcius Cenſorinus: unuſque Tribunus plebis, & deſignati duo, cum aliis quibuſdam Senatoribus. Appian. Cic. Philipp. 10. 11. & ep. ſt. ad Brut.

XXI. Alii manentes in Urbe omnem pro Antonio lapidem movebant: Fufius præſertim, & Piſo: plerumque ſententiis diſſidere à Cicerone ſoliti, & pacis commoda inculcantes. Hi neque veſtem mutaverunt ſtatim, & Senatui fuerunt auctores *iterum ad Antonium legatos mittendi*, Panſa quoque Conſule hortatore. dictæque ſunt ſententiæ, *ut Conſulares quinque, atque inter eos Cicero legarentur.* Sed hic quidem Senatui cauſſas, cur proficiſci neque poſſet, neque deberet, luculenta oratione expoſuit: atque illo detrectante legationis munus, cæteri quoque remanſerunt. Sed Vibio Panſæ Conſuli ad bellum exeunti fœda oſtenta facta. Nam ultima concione quam ad populum habuerat, quemdam ex turba comitialis morbus proſtravit: & qua profectus eſt hora, ſtatua ejus ænea equeſtris, quam habebat domi, corruit. Amici Antonii. Cic. Philipp. 8. 4. & 12. 1. 7. 11. 6. & 13. 12. 17. Dio.

XXII. Equus phaleratus in heri conſpectu feſtinans concidit: Inter immolandum, ut ſolebat, priuſquam paludati magiſtratus proficiſcerentur, exta ab haruſpice propter mirificam ſanguinis exundantis copiam judicari nequiverunt: & quidam è populo in eodem ſanguine lapſus, palmam quam boni ominis cauſſa proficiſcenti daturus erat, cruentavit porrexitque. Ad hæc ſimulachrum Matris deûm in Palatio ab Ortu ad Occaſum ſe convertit: & Dianæ ſignum, quod Mutinæ colebatur, plurimo ſanguine primum, deinde lacte fluxit. Conſules ante Ferias latinas ex Urbe profecti ſunt, quod ſemper exitioſum ipſis fuiſſe, multa documenta declarare videbantur. Neque leviora minis mala ſequuta. Oſtenta Conſuli Panſæ oblata. Jul. Obſeq. Dio.

XXIII. Rediit Sullana proſcriptio, omniſque ferme nobilitas, exceptis qui fecerunt, ſublata eſt. Hujus calamitatis cauſſa *Senatui* a Dione adſcribitur: *qui prava calliditate neminem toleraturus dominum, alios aliorum ope ſtuduerit evertere: atque ſic offenſos ſibi omnes effecerit, amicum neminem.* Nec reprehendendum hoc judicium eſſe, manifeſtum erit ex rerum expoſitione, quæ ſequutæ ſunt: quas parebit non alias fuiſſe, quàm ex ejuſmodi conſiliis proficiſci debuerunt. Quippe Antonius jam diſſimulans, quod ab initio ſolum prætulerat, *non propter ſpretum plebiſcitum Decimo bellum ſe facere, ſed tamquam Cæſaris percuſſori* jactabat, etiam ſcriptis ad Senatum literis: eo haud dubie animo, ut vel adliceret juniorem Cæſarem, vel certe ſuſpectum partibus faceret. Senatus magna culpa. Dio. Cic. Philipp. 13. 10. App. lib. 3. Civil.

XXIV. Et profecto varie nutabat Cæſar, incerta temporum & negotio- Cæſaris cogitationes.

Appian. Cic. Philipp. 10. 5.

rum intuens. Oblivio præteritorum & impunitas ab Senatu viris ejuſdem ordinis, & pleriſque arcta neceſſitate junctis, humanitati imputari poterat; conceſſæ pro majoribus exiguæ provinciæ, ſecuritatis ipſorum cauſſa datæ videri. *Sed quorſum in Gallia retineri Brutum: & decretam ſibi provinciam ingreſſo Antonio, dominationis impingi crimen: eoque prætextu ſe quoque in eum armari? Prætereà Dolabellam uno percuſſorum Cæſaris interfecto C. Trebonio, hoſtium numero haberi: Bruto Caſſioque imperium ampliſſimum, poteſtatemque in omnes alios qui provincias ab Ionio mari ad Ægyptum uſque obtinerent, concedi. Quorſum enim iſta niſi ad partes attollendas Pompeianas pertinere?*

Egregie litato excitatus. Plin. 22. 17. 111 Suet. Aug. cap. 95.

XXV. Reputabat & quid ſibi decretum eſſet ab Senatu, reperiebatque *tanquam adoleſcentulo fieri ſuccum, concedi ſpecioſa, ſtatuam, Ordinem Senatorium, nomen proprætoris* (de his enim rebus jam acceperat;) *at decreto, uti cum Conſulibus bellum adminiſtraret, exercitum ſuum eripi, parere coacto maius imperium obtinentibus. Ad hæc præmia decreta tantummodo his, qui tranſfugiſſent ab Antonio, non etiam qui Cæſarem ſequuti alii eſſent, ad ſuam injuriam pertinere* judicabat; *neque aliud agi ab Senatu, quàm ut ſe ad tollendum Antonium abuterentur, illo dejecto, ſe quoque tollerent.* Interim & imperium ſuſcepit Spoleti, & pro more novam poteſtatem auſpicantium immolari juſſit. adparueruntque omnium victimarum jecinora replicata intrinſecus ab imâ fibra, reſponſumque à vatibus, *intra annum duplicaturum eſſe potentiam, quemadmodum exta duplicia fuiſſet.*

Totum ſe militibus tradit. Iul. Obſeq. Plin. Appian. Dio. Cic. Famil. 12. 5. et ad Brut. epiſt. 1. 10. 2. 1. et Philipp. 8. 2.

XXVI. Sic animatus in concionem vocavit milites, oſtenditque, *ſe horum etiam quæ ab Senatu acciperet cauſſa gratias iis agere: nec enim daturos ei imperium Patres, niſi prius à militibus habuiſſet: neque ſe defore præmiis eorum re feliciter geſta.* Confirmabant adoleſcentis ſuſpiciones cætera quoque: quod legati & mandata publico nomine ad Antonium mittebantur: Conſules ad eum ſe neſcio ſcribebant; & litteras Antonii ad Senatores quoſdam deſtinatas, quum intercepiſſent, clam ſe reddendas curaverant: neque ſeriò gerebant bellum, per cauſſam hyemis omnia tardantes atque procraſtinantes. Præter præſidium Antonii Claterna dejectum, nihil erat ab Hirtio geſtum: & Panſa tollendis Antonii legibus, agendoque per Urbem & Italiam delectu occupabatur.

Studiis inter arma dat operam. Dio. Cic. Philipp. 8 et Famil. 12. App. Suet. Aug. cap. 84.

XXVII. Sed quia nondum erat tempeſtivum hæc intelligere videri; etiam Hirtio, ut à Senatu clam mandatum fuerat, duas poſcenti legiones, quartam & Martiam, quod erat roboris in exercitu, conceſſit. & Hirtio Clasternæ hybernaturo, Forum Cornelii profectus, quotidie & legendo, & ſcribendo, & declamando ſe exercuit; gnarus in ſumma dignitate pocentiam munitam armis, facundia deſtitutam & civilibus artibus, metui quàm amari, & terrere quàm rogare aptiorem eſſe. Interea & legatus Bruti Pontius Aquila, qui Tribunus plebis offenderat Cæſarem, deinde inter pereuſſores ejus fuerat, T. Munatium Plancum aliquot prœliis victum, Pollentia, etiam crure fracto, expulit.

D. Brutus rem bene gerit. Cic. Philipp. 11. 6. 13. 12. et 12. 6. 13. 9. et Famil. 10. 8. Appian.

XXVIII. Et ipſe Brutus Senatori cuidam, qui profugerat ad Antonium, ſupellectilem quam ille Mutinæ reliquerat, mittendo, in tantum celebratus eſt, ut & complures civitates, quæ ſuperiore anno largitionibus, conceſſi ſibique privilegiorum erant obligatæ Antonio, à partibus ejus alienarentur, & exercitus fierent ſegniores. Igitur Antonius ad corrumpendos Mutinenſes ſuorum aliquos in oppi-

dum misit. At Brutus hoc sentiens, dolum haud inelegantem machinatus, convocavit omnes cujusque modi homines, qui tum Mutinæ degebant: pauciſque verbis factis, demonstravit locum, in quem milites, simul alium, in quem cæteri discederent.

XXIX. Ita relictos in medio hostes facile comprehendit. At ubi circumvallatus urgeri fame cœpit, Cæsar ei metuens, Hirtium impulit, ut ad liberandam obsidione Mutinam unà proficiscerentur. In itinere Bononiam occuparunt, quæ antiquitus in clientela Antoniorum constituta, cum præsidium non haberet, sine certamine aperuit portas. Neque præter Rhegium Lepidi & Parmam, ullum oppidum Antonio supererat. Sed erat is equitatu firmus. quem obviam venientibus à Bononia misit. Fiebant igitur equestria crebra prœlia, sed vincebantur Antoniani, quamquam superiores numero: quia torrentibus interrupta planities multitudinis usum auferebat. Consules et Cæsar succurrunt Bruto. Suet. Aug. cap 17. Cic. Famil. to. 15. et 12. 5. et Philip. to. 3. Dio. App. Plin. l 16. 7.

XXX. Ne tamen Mutinam venire victores possent, Scultenna fluvio & præsidiis ad eum Antonii prohibebantur. Igitur ut quibus possent modis, Brutum præsentia horum cognita confirmarent, ab altissimis arboribus efferri faces accensas jusserunt. Deinde quum id parum intelligeretur, tenuem plumbi laminam literis insculptis convolverunt, quæ per urinatorem adligata brachio sub aqua deferretur. Quum hoc modo sæpe commeassent literæ, atque parte Scultennæ, quæ nunc quoque Mutinam intrat, salem quo maxime indigebant obsessi, cuppis incluſum, itemque pecora intromisissent; sentiens quod agebatur Antonius, retia per amnem tetendit, quibus omnia hæc exciperentur. Tum ad aliam astutiam transitum, & columbæ cum epistolis ultro citroque missæ. Priusquam dimitterentur, in obscuro loco fame macerabantur. Deinde epistolæ seta religabantur ad collum, sic dimissæ quam proxime urbem poterat, cibi luciſque desiderio petebant summa quæque ædificia, ibi excipiebantur. utique postquam intellecta re cibum certis locis collocari Brutus jusserat. Literæ ad eũ per urinatores et columbas mittunt. Frontin. Strat. lag. 3. 73. 7. & et 14. 3. Dio. Cluver. Ital. Antiq. lib 1. f. Plin. to. 37. 3.

XXXI. Eædem deinde remittebantur a Bruto cum literis, loca nota repetentes. Sic obfirmato ad tolerandam obsidionem Decimo, Antonius fratri Lucio custodia operum ad Mutinam demandata, castra hostium castris oppoſuit. Crebræ inde velitationes; sed nihil ad rerum summam, inter quas & Galli equites, quos cum elephantis ad Cæsarem defeciſſe diximus, ad Antonium redierunt, clade etiam aliqua Cæsarianis inlata; & inter pabulatores oborto certamine, suos unoquoque conante defendere, acriter pugnatum, superiorque discessit Antonius. Interim P. Ventidius ex coloniis Cæsaris instar duarum legionum collegit, notus pleriſque & militiæ socius. Magni inde rumores exstiterunt in Urbe; quum eò properare audiretur. fugerantque multi, atque inter eos Cicero. Sed conjungere se cupientem Antonio Ventidium Cæsar & Hirtius excluserunt. Ergo profectus in Picenum, ibi quoque delectibus habitis, aliaque conscripta legione, temporibus insidiabatur. Antonii cum his velitationes. Plin. Dio. Appian. Cic. epist. ad C. Pansan.

XXXII. Dum hæc in Urbe & Italia fiunt, M. Brutus in Macedonia & Epiro res suas insigniter auxit. C. Antonius progressus Apolloniam eò contrahere quidquid militum vicinis locis erat, moliebatur. Sed ubi & illi se ad Brutum potius contulerunt; & Apolloniatas eodem inclinare Antonius sensit, magnam urbem & gravem, relicta Apollonia, Buthrotum profectus est. Mox amissis in M. Bruti successus in Macedonia. Plut. Brut. c. 37. Dio 47. 3. 27. Cic. Philipp. 11. 11.

itinere cohortibus tribus, quæ cæſæ à Bruto fuerant, quum præter Amantiam & Bullidem teneret nihil, huc ſtatuit contendere.

C. Antonium in poteſtatem redegit. Plut. Appian. Cic. epiſt. ad Brut. 14. 27. Dio.

XXXIII. Sed loca per quæ eundum erat, Cicero adoleſcens jam præceperat: per quæ vi conatus aperire viam, victuſque: dum inter paludes longo agmine ſe recipit, à Bruto circumvenitur. Facile erat delere univerſos, ſed Brutus *parcendum* dicens *ſuis mox futuris*, *conſalutari eos* juſſit. & quum nihil reſponderent, *tamen dimitti*. Sed rurſus in præruptis locis nactus, circumdatoſque, uti prius ſalutans, commovit omnium animos, ut *dignum exiſtimatione ſua* prædicantes, *qua mitis & ſapiens ferebatur*, in fidem ejus concederent. Antonium etiam deditum ita clementer habuit, ut ne magiſtratus quidem eriperet inſignia: ſimulque cum Bruti literis ad Senatum adlatæ ſunt Idib. April. à C. Antonio *Proconſule*, hoc enim adhuc vocabulo utebatur.

Senatus decreta in favorem Bruti et Caſſii. Vell. ejus 2. 62. 2. Plutarch. App. lib. 4. Civil.

IV. Hæc igitur epiſtola movit iram Patribus: ut quam Brutus ſcripſerat, mira Senatus lætitia, totiuſque civitatis alacritas excepit atque laudavit. Igitur paucis ab inde diebus, quàm fugatus à Mutina Antonius animos Patribus feciſſet, Bruto Caſſioque provinciæ, quas jam privato conſilio occupaverant, decretæ ſunt. laudati exercitus qui his ſe tradidiſſent. Senatuſconſulto comprehenſæ comprobatæque pecuniæ, quas à Quæſtoribus tranſmarinarum provinciarum acceperant. poſtremo præceptum rurſus omnibus provincias trans Jonium habitantibus, *uti M. Bruto C. Caſſio dicto audientes eſſent*. Sed jam de rebus, quas interim in Aſia Dolabella geſſit, exponendum eſt.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXIX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

C. *TREBONIUS in Aſia fraude P. Dolabellæ occiſus eſt: Ob id facinus Dolabella hoſtis ab Senatu judicatus eſt. Quum Panſa Conſul male adverſus Antonium pugnaſſet, A. Hirtius Conſul cum exercitu ſuperveniens, fuſis M. Antonii copiis, fortunam utriuſque partis æquavit. Victus deinde ab Hirtio & Cæſare Antonius, in Galliam confugit, & M. Lepidum cum legionibus, quæ ſub ipſo erant, ſibi junxit: hoſtiſque ab Senatu cum omnibus qui intra præſidia ejus eſſent, judicatus eſt. A. Hirtius, qui poſt victoriam in ipſis hoſtium caſtris ceciderat, & L. Panſa è vulnere, quod in adverſo prælio exceperat, defunctus, in Campo Martio ſepulti ſunt. Adverſus C. Cæſarem, qui ſolus è tribus ducibus ſuperſterat, parum gratus Senatus fuit: qui D. Bruto obſidione Mutinenſi ab Cæſare liberato,*

rato, honore triumphi decreto, Cæsaris militumque ejus mentionem non satis gratam habuit: ob quæ C. Cæsar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cum exercitu venit: Et perculsis adventu ejus iis, qui in eum iniqui erant, cum annos novemdecim haberet, Consul creatus est.

P. DOLABELLA, quum in Consulatu suo Syriam plebiscito obtinuisset, sic instituit agere, tanquam non ad unam provinciam tuendam, sed ad infinitam colligendam potentiam viribus opus haberet. Erat enim inter hunc & Antonium Collegam, sicut mox ejus rei certa indicia eruperunt, de occupanda dominatione inita pactio: Idcirco simul Achaiam adigit, Veterem Antistium nactus (quem posteà Bruto accessisse diximus) pecuniam ab eo poposcit; deinde per Macedoniam atque Thraciam agendo eadem, M. Octavium Marsum legatum cum una legione præmisit in Asiam. Dolabellæ consilia et acta. Dio. 47. 4. 25. App. lib. 2. Civil. Vellejus 2. 60. 4. Cic. Philipp. 11. 2. et 13. 19. et Epist. ad Brut. 1. 18.

II. Ipse tardius insequutus, adlato Senatusconsulto, quo Cassio Syriam ab Senatu datam cognovit, C. Trebonium, qui tum Asiæ præerat, adiit: complexusque hominem & familiarissime colloquutus, adeo fefellit, ut nihil non in ejus amicitia collocandum esse Trebonius crederet: cibaria militibus ejus daret, cum ipso creberrime & confidenter versaretur. Sed hæc utrum eo animo facta sint, an vero ut ad fraudem Dolabella inliceretur, inter auctorum dissensionem tanto post tempore, difficile dijudicatu est. Certe neque Pergami, neque posteà Smyrnæ admissum esse Dolabellam traditur, forum tantum rerum venalium, tanquam Consuli videlicet, præbitum. Ideoque incensum ira Dolabellam, oppugnationem tentasse ferunt oppidi: submotumque Trebonii promissis, fore ut Ephesi intromitteretur. C. Trebonio se amicissimum ostendit. Cicer. Dio. Appian. lib. III. Civil.

III. Neque tamen excusandus Dolabella est, utro modo res acciderit, fide violata. Quippe missis à Trebonio copiis, quæ proficiscentem Ephesum sequerentur, atque observarent; hostilia agitans animo, dissimulavit omnia, donec minore parte in proximis locis relicta, plures revertisse Smyrnam cognovit. Tum vero paucos illos per insidias delevit: statimque Smyrnam contendens, fidelissimorum, antiquissimorumque sociorum oppidum irrupit noctu: scalis ad mœnia, quà parum attente custodiebantur, adpositis. Trebonius in cubili deprehensus, quum ad Dolabellam deduci posceret, contumeliosissime exceptus, deinde Samario cuidam exsuli traditus, verbera atque tormenta pertulit, ne publicam pecuniam proderet. Mox eum perfide redactum in potestatem. Vellejus. 2. 69. 1. App. Cic. Philipp. 11. 2. 12. 26. Dio.

IV. Postquam sic excruciatus est biduo, *caput abscidi* jussit Dolabella; idque in tribunali, ubi jus reddere consueverat, propositum deinde ad Cæsaris statuam projectum, pilo suffixerunt milites, gestaruntque circum vias: postremo per plateas silice stratas mittentes remittentesque pro pila, sic contriverunt, ut amplius agnosci nequiret. Corpus tractum atque laceratum in mare abjectum est. Ad hunc modum occiso Trebonio Dolabella occupavit Asiam, seque munire rebus omnibus instituit, acerbe cogendo pecunias, & classem à Rhodiis, Lyciisque, atque ex Pamphylia & Cilicia, per L. Figulum conrahendo: non ignarus instantium. Fœde lacerat occiditque Cic. Philipp. 11. 2. et Famil. 12. 12. Appianus. Dio.

V. Quippe quàm primum hæc sunt Romæ cognita, hostis ab senatu judicà-

Propter hæc hoſtis à Senatu judicatur. Liv. Epitom. Dio. Cic. Famil. 12. 14.

tus eſt: *dieſque dictus, intra quem impune ab eo diſcedere milites atque familiares poſſent.* Decretum præterea, *uti Conſules Mutinenſi bello confecto, Aſiam obtinerent provinciam, & de Dolabella ſumerent pœnas.* nondum enim Caſſii conatum ſucceſſuſque compererant: & veriti, ne interea Dolabella fieret firmior, finitimarum provinciarum Prætoribus *curam Aſiæ, donec eò veniſſent Conſules,* demandarunt.

Idque belli mandatur Caſſio. Cic. philipp. 11. 12.

VI. Sed priuſquam ab illis quidquam ageretur, rebus Caſſii auditis, *huic bellum contra Dolabellam* decreverunt, ampliſſimis verbis Cicerone dicente ſententiam; *uti ejus belli gerendi cauſſa, C. Caſſius proconſule, quibus ei videatur, naveis, nautas, pecunias, cæteraque omnia, quæ ad bellum gerendum pertineant, imperandi in Syria, Aſia, Bithynia, Ponto jus poteſtatemque habeat: utque quamcumque in provinciam ejus belli gerendi cauſſa advenerit, ibi majus imperium C. Caſſii procoſ. ſit, quàm ejus erit, qui eam provinciam tum obtinebit, quam C. Caſſius procoſ. in eam provinciam venerit.*

Panſa Conſul Mutinam proficiſcitur. Cic. Philipp. 12. 17. & Fam. 10. 30. 33. App. Dio. 46. 6. 14. Hirt. de bell. Alexandr. cap 31.

VII. Eodem Senatuſconſulto comprehenſum, uti *finitimi Reges, Tetrarchæ, Dynaſtæ C. Caſſium ſuis copiis opibuſque adjuvent*: & de Dejotaro patre & filiis Regibus nominatim, qui audita morte Cæſaris, Armeniam ab eo ſibi ablatam, ſuo Marte recuperaverant. Interim & Mutinenſe bellum ad finem venit, ſed ita, ut majorum inde motuum exordium oriretur. C. Panſa Conſul cum novis ex Italia delectibus (quatuor legiones tironum erant) & Ser. Sulpicio Galba, qui ad eum itineris adcelerandi cauſſa, millia paſſuum centum erat miſſus, Bononiam proceſſerat. inde ut ad caſtra collegæ & Cæſaris perveniret, per viarum anguſtias turius noctu obviam ei D. Carſulenum, qui bello Alexandrino præclaram operam Cæſari navaverat, cum legione Martia & duabus Prætoriis cohortibus, Hirtii atque Cæſaris, miſerunt.

Ei inſidiatur Antonius. Cic. famil 10. 9 et 12. 2. et Philipp 13. 4. Frontin. ſtrat. 5. 2. 39. Appian. Dio.

VIII. Hoc ubi ſenſit Antonius, quamquam iter arctum occludere palam potuiſſet; tamen ne moram injiceret bello, quàm primum enim pugnare cupiebat, inſidias per ſylveſtria Æmiliæ viæ diſponere maluit. quam ad rem quia parum idoneus eques erat, duas robuſtiſſimas legiones, ſecundam & trigeſimam quintam, in arundinetis, quæ ad utrumque latus viæ erant, collocavit: duaſque inſuper Prætorias cohortes, alteram ſuam, alteram M. Silani, qui nuper à Lepido ad eum venerat. Quippe Lepidus à Senatu ad opprimendum Antonium evocatus, ambigua fide, & propter recentem adfinitatem Antonii in hunc propenſior; quum ad Senatum fruſtra de reconciliando eo ſcripſiſſet; M. Silano tribuno copias ducendas dederat, non expreſſo, utri ſe parti adjungeret.

Pugna oritur Cic. Philipp. 10. 13. et Fam. 10. 31. Frontin.

IX. At Silanus Imperatoris ſui mentem tenens (nam ille & Narbone concionatus fuerat, & ad multos ſcripſerat, *ſe cum Antonio conſentire*) ad Antonium conceſſerat. Partem tamen equitatus, cum leviter armatis oſtendebat Antonius, ſigna legionum apud Forum Gallorum occultans. At legio Martia, Prætoriæque Cohortes hoſte conſpecto, retineri non potuerunt, quo minus prœlium conſertum irent. Igitur Panſa duabus legionibus tironum ſequi juſſis, tranſitis ſylvarum & paludis anguſtiis, aciem inſtruxit cohortium duodecim. Nondum illæ duæ legiones aderant, quum Antoniani prorumpunt ex inſidiis, manuſque continuo locis impeditis conſerunt.

X. Igitur Martiæ legionis milites inveterati bellorum uſu, ne turbarentur

à tironibus, qui mox ſupervenerunt, ſeorſim hos juſſerunt conſiſtere; ipſi & Prætoriani alacriter capeſſiverunt pugnam. Tria ſic prœlia diſcreta locorum ingeniis ſimul facta. Nam à dextro cornu, ubi legionis Martiæ cohortes octo contra legionem triceſimam quintam conſtiterant, Carſulenus & Galba Antonianos loco pepulerunt, in fugam non potuerunt vertere. In ipſo viæ Æmiliæ aggere ubi cohors Cęſaris Prætoria contra Prætorianos Antonii erat collocata, diu pugnatum eſt perquàm acriter. ſed in ſiniſtro cornu, quod erat infirmius, ubi cohors Prætoria Hirtii, cum duabus ex legione Martia pugnabat, Antonius fuit ſuperior: & quum equitatu, quo valebat plurimum, circumire cœpiſſet hoſtes, pedem eos referre ad caſtra coëgit, quæ interim prudenti conſilio Torquatus Panſæ Quæſtor muniverat. Tribus ſimul locis. Appian. Cic.

XI. Hoc modo certatum inter hos accepimus A.D. duodevicęſimum Kalend. Maji: quo prœlio Panſa Conſul quum accepto vulnere fortiter repugnaret, pilo per ilia tranſacto aliud accepit gravius, & ex prœlio elatus eſt Bononiam. Antonius victorem ſe ferens caſtra etiam hoſtium oppugnavit; neque capere potuit, multis occiſis tironibus Panſæ, multis etiam amiſſis militibus ſuis. Idcirco ne interim cognita re Cæſar atque Hirtius ſupervenirent, omiſſa oppugnatione caſtrorum, ad ſua reduxit exercitum. At Hirtius ad defenſionem valli ſui, quod interim à parte ſuorum oppugnari Antonius juſſerat, relicto Cæſare, cum legione quarta, & veteranorum decem cohortibus (hæc ſeptima erat legio) redeunti Antonio occurrit adpetente jam veſpera. Panſa graviter vulneratur. Ovid. Faſtor. 4. 625. Cic. Philip. 14. 9. 10. et am. 10 36. et Epiſt ad Brut. 1. 3. Oroſ. 6. 18. Jul. Obſeq. cap. 128. Dio.

XII. Ibi defeſſi & inordinati ab integro milite excepti, quamquam ſatis fortiter ſe defenderent, cladem acceperunt; majori parte veteranarum Antonii copiarum deleta. In hoc prœlio ſummi ducis atque fortiſſimi militis munia Conſul explevit, non modo rebus omnibus optime proviſis, ſed adico inter primos periculo, & aquilam quartæ legionis ipſe in hoſtium adverſa ſigna inferens. Quod niſi nox & paludoſa circum loca, Hirtium ab inſequendo deterruiſſent, confici bellum potuit. Hæc & Antonii eripuerunt equites, & his occaſionem dederunt plures ſuorum conſervandi, quippe ſaucios, nonnullos & integros, præ laſſitudine in uliginoſis locis hærentes, partim in equos imponendo, alios recipiendo poſt terga, & valentiſſimum quemque jubentes correptis equorum caudis adcelerare fugam, magnum eorum numerum reduxerunt in caſtra ad Mutinam; quarta demum noctis hora reverſi. Hirtius Antonium vincit. Cic Fam 10. § 33. et Philipp. 14 10. Appian.

XIII. Aquilas duas, ſigna ſex & ſexaginta victores reculerunt. Sic æquata partis utriuſque fortuna, non ſolum Hirtius, cujus id proprium decus fuerat, ſed Panſa quoque & Cæſar à militibus, & mox ab Senatu, ad quem literas Hirtius & Cæſar ſcripſerant, adpellati ſunt Imperatores: quamquam adverſum prœlium Panſa fecerat, Cæſar non interfuerat pugnæ ille quidem, ſed tamen caſtra multarum legionum paucis cohortibus tutatus, oppugnantes repulerat. Sed è *prœlio fugiſſe eum* Antonius ſcripſit, *at ſine paludamento equoque poſt biduum demum adparuiſſe*: & velut teſtimonio conſentiens per eos dies fama *ipſum etiam cecidiſſe* vulgavit. Conſules et Cæſar imperatores adpellantur. Liv. Epit. Dio. Ovid. Faſt. 4. 67. Cic. Philipp. 14 8. 14. 9. 10. et Philipp. 14 10. et 14.

XIV. His tribus prœliis ferme dimidia militum utrimque pars interiit, cum tota cohorte Prætoria Cæſaris: ex Hirtianis haud perinde multi ceciderunt. Quum in caſtra ſua omnes rediiſſent, Antonio decretum erat abſtinere præ- Clades utriuſque partis.

Sueton. Aug. 10. 9. Cic. Famil. 10. 33. et Philipp. 14.

liis, urgere obsidionem, & equitatu, qua parte virium prævalebat, hostibus negotium facessere; donec confectus fame Brutus deditionem facere cogeretur. Sed eadem causa diversis ducibus festinationem suadebat. Idcirco frustra sæpius hoste lacessito, qua parte Mutina propter locorum naturam claudi minus potuerat, perrumpere conati, quum Antonius solos equites emisisset, equitatu suo his oppositio, ut instituerant, Mutinam cum legionibus ire perrexerunt.

Aliud prælium in quo cadit Col. Hirtius. Dio. App. Cic Fam. 10. 33 Sueton.

XV. Tum vero Antonius omittendæ Mutinæ metu, legiones duas produxit: reliquas ex aliis castris adiciri propere jussit. At Hirtius & Cæsar cupide adgressi instructos, priusquam subvenire alii possent, egerunt in fugam. Hirtius quum Antonii vallum superasset, circa principia pugnans interfectus est; quarta legio, quam ille secum habuerat, à quinta Antonii pene tota concisa. ibi Cæsar, ad quem jam summa rerum redierat, consilio manuque insignis adparuit per omnia, receptoque Hirtii corpore, etiam castra Antonii occupata aliquandiu tenuit.

Magna clades civilis belli. Florus 4. 4. 8. Sueton. Herodian. in Caracall. Cic ad Brut. 1. 24. 10. et Famil. 11. 24. et 19. 33.

XVI. Sed paulo post summâ vi connisus Antonius ejecit hostem, multosque Cæsarianorum occidit: quo tempore Cæsar Aquilam à moriente Aquilifero traditam humeris subiit, ipse quoque eruentus & laucius; & tanto pondere, sicuti tum signa erant, non deterritus, in castra reportavit. Victoriam absolvit D. Bruti eruptio, cui inter diversa partium studia, quidam omnia, nonnulli nihil tribuerunt. His præliis & robur & soboles militum interisse visa est. viri quoque illustres multi ceciderunt, in primis Consul uterque (nam & Pansa ex vulneribus est mortuus) & L. Fabatus, & C. Peducæus, & D. Carsalenus, & Pontius Aquila.

Antonii consultatio. Appianus.

XVII. Noctem proximam mutuo metu utrimque exegerunt in armis. At Antonius vocatis in consilium amicis, quamquam plerique censerent *manendum esse non majori accepta quàm reddita clade, ducibus hostium occisis, equitatu salvo & Mutina ad extremum deducta; Recte quidem vos*, inquit, *considitis; plures enim habemus sperandi causas; sed obsequendum Fortunæ est, quæ victoriæ nobis hanc obstruxit viam, alias aperuit munivitque. Modo perrumpere in oppidum voluerunt hostes: sive idem consilium denuo tentet Cæsar, sive circumvallare nos incipiat, quod erit ei propter multitudinem operarum haud difficile, in arcto res nostræ erunt, omnibus circa hostilibus, & equitatus usu adempto.*

Et fuga. Pront. Strat. 2. 7. 7. Cic. Famil. 11. 23. App.

XVIII. *Sed & M. Lepidus & L. Plancus me pro victo contemnent, & ut solet infelicibus, ex amicis hostes & illi fient. At si Mutinam relinquimus, mox cum tribus legionibus suis Ventidius aderit; Lepidus etiam & Plancus auxilia magnæ & firma subministrabunt. Quod igitur bene vertat, paratos habete ad iter milites; & quia multis arma desunt, pro scutis cortices dabimus.* Hæc loquutus, non magno post intervallo castris egressus, ad Alpes magnis itineribus contendit. At Decimus timore Antonii liberatus, Cæsarem metuere incipiens, noctu abruptis fluvii pontibus, ad eum certos homines misit, gratias tanquam servatori agens, petensque, *ut succedens ad ripam, flumine medio, & civibus arbitris in colloquium veniat. Se enim certis indiciis declaraturum, non sponte, sed fatali quodam infortunio tractum ad conspirationem esse.*

XIX. His Cæsar respondit iracundius, *se neque Decimi servandi, sed belli*

cum Antonio implacabili hoſte gerendi cauſſa veniſſe: neque pietatem ſinere, ut adloquatur aut etiam adſpiciat interfectorem patris: pati tamen incolumem eum eſſe, donec Senatui populoque Romano videretur. Tum vero Decimus progreſſus ad flumen, clara voce adpellavit Cæſarem, & recitato Senatuſconſulto, quo Gallia ſibi data provincia fuerat; edixit, *ne trajecto fluvio Cæſar, alienam provinciam ſine Conſulibus invaderet; neve perſequeretur Antonium: huic enim operi ſe ſufficere.* D. Bruti ferocia in Cæſarē. Oroſius. 6. 18. Appian.

XX. Non fallebat Cæſarem hanc ferociam Bruto ex fiducia Patrum accedere: igitur quantum vis eum in ordinem redigere facile potuiſſet, moderatus eſt iræ, ſeque Bononiam ad C. Panſam contulit, rebus omnibus Senatui perſcriptis, effectoque, ut de iiſdem nomine Panſæ ſcriberetur. Hoc fuit illud in Republica tempus, quo nullum reperio fuiſſe umquam difficilius. Plena ſuſpicionum omnia, plena timoris, ſimulationis, perfidiæ. & Dolabellæ quidem atque Antonii jam eruperat furor: neque obſcurum erat, quid Brutus, quid Caſſius molirentur. Lepidi, Planci, Aſinii contatio quorſum tenderet, mox adparuit. Reipubl. Romanæ miſerrimus ſtatus. Vell. 2. 60.

XXI. Sed Senatus, quem *caſtra Pompeji* non præter rem appellabat Antonius, id agebat unice, ut per diſſenſionem Julianorum ducum partes illæ penitus tollerentur, eamque tum machinationem Octaviano C. Panſa detexit, tanto ſimplicius atque apertius, quanto certius de inſtantibus ſupremis, minus movebatur metu gratiaque, & cæteris adfectibus qui propter vitæ commoda ſolicitant animos. Igitur quum vocari Cæſarem juſſiſſet, *Ego*, inquit, *patrem tuum tanta charitate dilexi, ut me ipſe non potuerim magis. Sed neque mortem ejus vindicare licuit, neque conſenſui cæterorum reſiſtere; cui & tu, quamquam exercitu parato, prudenter ſane ceſſiſti.* Senatus conſilia. Cic. Phil. 12. 11. Appian.

XXII. *At illi quum & te metuerent & Antonium, qui & ipſe ingens Cæſaris ſtudium præferebat, penitus gaviſi ſunt, inter vos male convenire: futurum ſperantes, ut mutuis offenſis invicem attereremini. Poſtquam autem copias haud ſpernendas penes te eſſe viderunt, primo quidem tanquam adoleſcentulum, inani honorum ſpecies adlicere ſunt conati; deinde ubi tu quum alibi, tum in recuſando quod exercitus offerebat imperio, magnum animum & ſui compotem oſtendiſti; exterriti eo flexerunt conſilia, uti nobiſcum adminiſtrares bellum, atque hoc prætextu Martia & Quarta legiones robur exercitus abs te abduceretur.* Cæſari à Panſa producuntur.

XXIII. *Neque deſperabant fore, ut alteruter veſtrûm bello interiret, ſuperſtes ſolus & imbecillus facile tolleretur; atque ita prorſus oppreſſis jam ab initio Cæſaris partibus, Pompejanæ reſurgerent. Atque hanc ipſis conſiliorum jam fuiſſe ſummam novi. nam & pleroque eo tempore Romæ, & Senatui interfui: neque vitavi ſuſpiciones atque voces, quod mentionem pacis atque concordiæ intuli. Cæterum poſtea quoque non mihi, non A. Hirtio, quum ad bellum miſteremur, alia mens fuit, quàm ut Antonium, caſtigata viri ſuperbia, redderemus commodiorem, deinde reconciliaremus tibi.* Panſæ & Hirtii conſilia. Cic. Phil. 12. 7. Appian.

XXIV. *Non enim putabamus aliud à nobis fieri poſſe, vel referendæ patris tui meritis gratiæ melius, vel firmandis partibus noſtris utilius. Sed hoc quidem conſilium, quod occultari interim ratio fuit, nunc Antonio victo, occiſo Hirtio, & me in fata concedente, mature tibi aperio: non ut à te gratiam* Et eorum cauſæ.

ineam, quæ morienti ſera & infructuoſa eſt; ſed quia, quemadmodum oſtendunt omnia, felix naſcenti genius adfuit, uti his cognitis, & quæ tibi ſint utilia ſcires, meamque ſimul atque Hirtii quum voluntatem, tum quæ præter illam facere coacti ſimus intelligeres.

Panſæ legiones Cæſari reſtitutæ. Cic. Phil. 12. 13. 14. Appianus.

XXV. *Exercitum autem quem ipſe dediſti nobis te recipere minime invidoſum erit: eum itaque tibi reſtituo. Neque vero moleſte ferent Patres, ſatis cognito (non enim tentare neglexerunt) nullis conditionibus perduci ad Brutum poſſe Tirones meos, per me licet, ipſe etiam habeas. Quod ſi forte nimia Senatus reverentia tenentur, ſatius erit relinqui. Curæ enim fuit Senatui ut hos haberet in poteſtate. igitur & tribunos delegit, à quibus non milites modo, ſed etiam nos Conſules cuſtodiremur. Rem igitur majoris invidiæ quam utilitatis, & ante tempus te excitaturam, omitti ſatius fuerit. igitur ad hos quidem accipiendos Decimum evocavi. ſed quia nondum ille venit, Torquato Quæſtori tradentur.* Hæc fatus & mox exſequutus animam efflavit.

Conſulum et militum publica ſepultura. Appian. Liv. Epit. Vell. 2 62. 5. Val Max. 5. 2. 10. Cic. Phil. 14. 12. 14. Suet. Aug. 12. 2.

XXVI. At Torquatus de voluntate Patrum copias Decimo adduxit: funera Conſulum eum honorifica pompa Cæſar Romam tranſmiſit: iique in Campo Martio publica ſepultura honorati ſunt, quia pro Republica dimicantes ceciderant. Cujus rei ſenſus etiam abjectorum hominum animos ita pertentaſſe traditur, ut M. Cornuto Prætore Urbano funus locante, qui tunc Libitinam exercebant, gratuitum miniſterium præbuerint, paratumque exſequiarum conduxerint ſeſtertio nummo. Militum etiam corpora, præſertim qui ex Martia legione ceciderant, publicis operibus atque muneribus, & communi exſtructione ſepulti ſunt.

Suſpicio in Cæſarem de morte Conſulum. Liv. 46. 7. 2. Suet. Aug. Tacit. 1. 10. 2. Brutus ad ic. epiſt. 6.

XXVII. Per eos dies de morte Conſulum ſuſpicio percrebuit, *opera Cæſaris occiſos, Hirtium in acie per ſuos milites, aut ipſius Cæſaris manu; Panſam per venenum vulneri adfuſum.* Certe Torquatus Glyconem Medicum eo nomine cuſtodiendum aliquandiu curavit, ut parricidam. Sed M. Brutus, cujus ad Ciceronem epiſtola exſtat, in tuenda Medici innocentia etiam Cæſaris famam fidemque adſeruit. Certe ambitioſos hæc ſuſpicio ſemper ſequitur, ut nullum ſit tam inſigne atque exſecrabile ſcelus, quod pro dominatione facturi non exiſtimentur: cæterum longe abeſt à prudentia Octaviani, ut rem minime facilem tegi, & ſi erumperet, omnium alienaturam animos, adoleſcens necdum ſatis firmus auderet.

Senatus extraordinaria imperia tollit.

XXVIII. At Senatus, donec incertus belli exitus eſſet, adverſus victorem ſibi providendum ſtatuens, extraordinaria imperia tollebat, decreto, *ne quis longius annuo imperium obtineret: neu quis unus curationem annonæ.* quantum enim ad ſolvendam Rempublicam diuturnæ & ſolitariæ poteſtates valerent, multis exemplis adparuerat. ita præveniri poſſe putabant eum, qui futurus eſſet ſuperior, ne quid præter ſolita & conceſſa legibus adpeteret; & invidiam transferri in victum, cujus videlicet immitem & ambitioſum animum Senatus timuiſſet.

Supplicationes dierum ſexaginta. Cic. Phil. 14. 7. Dio. Liv. 5. 2 3. Cæſ. de bell. Gall. 2. 35.

XXIX. Poſtquam de Antonii clade relcitum, reſumpto pacis habitu, ſupplicationes dierum ſexaginta decretæ. At Camillo Veiis captis, ſupplicationes in quatriduum primo omnium decretæ fuerant: nec ſcio an ulli temere plurium dierum ante Pompejum: cujus Mithridatica victoria duodecim dierum ſupplicationem habuit. mox Cæſari tres dies additi: ſtatimque cum ejus potentia crevit adulatio. Scilicet nihil eſt in rebus humanis ſtabile, ſed ut quæque ab initio con-

Digitized by Google

Senatus & Cæſaris mutuæ ſuſpiciones.

ſtituta ſunt, ita ferme ab ambitione & vanitate abſunt longius: paulo poſt inclinat ſenſim mos antiquus, dein ſolutius prolabitur: donec tandem eum impetu ruat, & ultra omnem finem modumque proferatur.

Decreta contra Antonium. Cic. Philip. 14. 1. 11. & 14. & Fam. 11. 10. & 21. 1 0. 11. et ad Brut. 1. 5. Appian.

XXX. Igitur nuper Cicero quinquaginta dies ſententia ſua comprehenderat, quum debellatum nec eſſet, nec crederetur; quot neque Gallicis antea bellis, neque aliis decretum umquam fuerat. Tum vero propter fugatum à Mutina hoſtem decendium additum. Antonius, quique eum eo fuerant, bonis omnium publicatis, hoſtes judicati; deque iis bello perſequendis ſententiæ dictæ. Quin & decemviri, in quibus & Cicero fuit, tanquam ad præmia militibus perſolvenda creati, edictum propoſuerunt, *uti quiſquis aliquid accepiſſet ab Antonio Conſule, ea de re profiteretur;* cum gravibus minis in eos qui ſecus feciſſent.

Attici integritas. Corn. Nepos in vita Attici cap. 6o. Appian. Dio.

XXXI. Hoc tempore T. Pomponii Attici laudabilis æquitas exſtitit, qui licet amiciſſimus eſſet Ciceroni & Bruto, nihilominus Antonii præſentem fortunam aliorum fere omnium exemplo minime deſpexit, ſed priſtinæ neceſſitudinis memor, Fulviæ uxori, liberiſque Antonii, cum illa de bonis, & hi etiam de vita periclitarentur, quam potuit, opem tulit.

Senatus Cæſarem deprimere ſtudet. Cic. ad Attic. 1. 13. et Famil. 10. 20. Vell. 2. 62. 7. Sueton. Aug. 12. 1. Dio.

XXXII. Erat ea temporis oblata Pompejanis opportunitas, ut tum demum vere liberos ſe crederent & gloriarentur: & velut omni periculo defuncti ſpernere Cæſarem atque etiam opprimere ineiperent. Nam neque triumphum decreverunt petenti; & quum Cicero, provido magis quàm grato animo, quod ampliora meritum credebat, & invitis extorquere poſſe ſuſpicabatur, ſententiam dixiſſet, *ut ovanti introire Cæſari liceret*, à pleriſque repugnatum eſt. Neque Cicero ſatis animum texit, *laudandum adoleſcentem, ornandum, tollendum* dictitando. Quo tempore dixiſſe Cæſar dicitur, *ſe vero non eſſe commiſſurum, ut tolli poſſet.*

D. Brutum extollere. Cic. Famil. 11. 18. 19 et 20. et ad Brut. Liv. Epitom. Vell. 2. 62. 5. Dio. App.

XXXIII. Cæterum, uterga Cæſarem parci, ſic in honorando Bruto profuſi fuerunt, omnia huic tribuentes quæ ſperare ille debuiſſet. Supplicatio ejus nomine ad omnia pulvinaria decreta. Et quia forte natali ſuo liberatus obſidione fuerat, *faſtis ad eum diem Bruti nomen adſcribi* juſſum: triumphum denique decreverunt homini, qui beneficio vivere alieno diceretur, neque adjutor victoriæ, ſed ſpectator tantum prœlii cum aliis è muro fuiſſet. Martiam quoq; & Quartam legiones Druſus ei Pauluſque cæteris adſentientibus decreverant. Sed ea res irrita fuit; bellum quoque adverſus Antonium uni decretum, votaque nomine ejus nuncupata publice.

Legionibus data præmia. Cic. Phil. 14. 13 et ad Brut. 1. 15. Dio. Appian. Liv. Epit.

XXXIV. *Legionibus quæ ab Antonio defecerant, promiſſum à Cæſare donativum exſolvi* placuit; *partem eorum qui pro libertate occiderant, liberis aut propinquis dari: ſuperſtitibus honoris cauſſa concedi, ut ludos oleæ frondibus coronati ſpectarent.* Cæſaris inter hæc militumque ejus nulla aut parca mentio: quamvis & ad Lepidum, & Plancum, & Pollionem literæ de perſequendo Antonio mitterentur; & Senatus non vivos tantum ſed etiam mortuos laudibus ac honoribus cumularet. In quibus & Pontio Aquilæ ſtatua eſt poſita, hæredibuſque reddita pecunia, quam ille mutuam Bruto dederat, ſuas atque amicorum opes inter publicam inopiam alendis legionibus inſumenti.

Cæſar reconciliationem cum Antonio meditatur.

XXXV. Enimvero Cæſar hæc conſiderans, & præterea omnes ſuos adverſarios potentia & imperiis auctos, Sex. Pompejo præfecturam maris, Bruto Caſ-

Elabitur connivente Cæsare Antonius.

C. Pansa & A. Hirtio Coss.

Cic. Famil. 11. 10. Liv. Epit. Dio. Vell. 2. 62. 1. Appian.

sioque in Macedoniam & Syriam cum amplissima potestate datas; atque hæc omnia cum Pansæ verbis congruere, ad reconciliandam cum Antonio gratiam animum adjecit. Neque deerat Senatus obtentum præbere quidlibet novaturo. Centuriones missu legionum Romam iverant, petendæ pecuniæ caussa quæ promissa erat victoribus. Responsum est, *legatos ab Senatu venturos ad exercitum.* miseruntque jussos *submoto Cæsare milites alloqui.* non repugnavit Cæsar: sed nec dissimulavit *frustra eos fatigatos non relaturos responsum, priusquam ipse esset adhibitus.*

Senatus injuriis irritatus. Plut. Cic. c. 66. et ad Brut. cap. 38. Appian. Dio. Vellejus.

XXXVI. Consilium Senatui erat sub specie pulsi Antonii abducere à Cæsare, tanquam non necessarias amplius copias; easque tradere Bruto, ut Cæsar exarmaretur. quærebantque in ejus exercitu serenda discordia, dissociare animos, & alios voluntate ac largitionibus, reliquos deinde vi redigere in potestatem. Igitur Martiæ & Quartæ legionis militibus quæ decreta erant præmia laudesque legati adferebant: cæterorum Cæsaris militum, non major quàm ducis ipsius ratio habebatur. Sed omnis ista calliditas in contrarium vertit. legiones negarunt *sine Imperatore suo ulla audituras mandata.* legati reinfecta redierunt.

Quibus et exercitus commovetur. Appian. Dio.

XXXVII. Tum vero simul Cæsar adfuit, arteque increpavit Patrum, universis idem animus fuit, ut non minus qui honorati, quàm qui neglecti erant, injuria se adfectos opinarentur. Nam & illi suspecta habebant omnia, & contumeliam commilitonum, sed maxime Cæsaris, ad suam ignominiam pertinere arbitrabantur: & præteriti docebant, *consilium Senatus non ad beneficium duarum legionum, sed ad ruinam exercitus Imperatorisque spectare. nec ornari illos præmio, sed emi: tradendos mox percussoribus optime de se meriti Cæsaris, contrasilium ejus & amicos, ut sceleste & indigna quælibet facerent & paterentur.*

Cæsar Antonium elabi patitur. Cic. Fam. 11. 10.

XXXVIII. Hæc audita Romæ terruerunt non ignaros vacillare Cæsarem, & Antonio locum dare respirandi. Is enim quum ad extremas angustias redigere hostem potuisset, si transisset Apenninum; alia omnia habens in animo, captivos milites ducesque tractabat comiter: volentes in suorum adlegebat ordines, si mallent ad Antonium se recipere, patiebatur. Quin & Ventidium tres legiones habentem terruisse contentus, *aut ad se transire* jussit, *aut omisso metu ad Antonium pergere: exprobratum communis utilitatis ignorantiam.* Sed & Decium quemdam ex illustribus dimittens, atque ab hoc interrogatus, *quo igitur animo in Antonium esset? sapientibus sufficere edita ab se indicia* respondit, *insanis autem nulla sufficitura.*

Lepidum et Asinium soli. citat. Suet. Aug. 12. 1.

XXXIX. Sub idem tempus ad Lepidum & Asinium scripsit apertius, *nec sibi nec veteranis parem referri gratiam; sed omnia tradi parricidis cum certo interitu Julianarum partium, si pauci qui superfint, pari atque Antonius imprudentia inter se committerentur. Cautius agere gregarios milites, qui finitis stipendiis ægre divellantur, sed iisdem coloniis junctis unitique confideant. Hoc & ipsis procurandum esse, & monendum Antonium. interea posse eos in speciem parere Senatui, sed memores primam esse debere suæ salutis atque dignitatis curam.* Nec aliud ab his agebatur, sponte inclinantibus in hanc sententiam, & Antonio adfinitate aut familiaritate intima devinctis.

XL. Et licet ad Brutum collega Plancus accesserat, tamen neque huic constabat

ſtabat fides, & Bruti perquam infirmæ erant copiæ ; cui maximus tironum, ſed idem prope inutilis numerus, octo legiones : veterani belli caſibus imminuti, & ex his qui ſupererant, multi quotidie ex longa inopia ſe replentes incautius rumpebantur. His rebus effectum eſt ut Senatus aliquanto honeſtius tractare Cæſarem inciperet, conciliante ei gratiam Cicerone, cujus ambitioſam ſenectutem adoleſcentis calliditas egregie deceperat. Nam quod ipſo poſtea tradente Cæſare conſtitit, ruinam metuens, Ciceronem adjungere & retinere ſtuduit.

Ciceronem decipit. Dio. Cic. Fam. 10. 24. et ad Brut. epiſt. 1. 17. Plut. Cic. c 66. et Brut. c. 38. Appian.

XLI. Quod quia nullo firmiore vinculo conſequi poſſe rebatur, Conſulatum inſtituit petere, miſitque ad Ciceronem nuncios, *patrem* adpellitans, *ex uſu publico, & gloria illius fore, ſi det operam, ut unà gerant Conſulatum. Penes illum enim, ut peritum & ſenem, vim Magiſtratus omnem fore, ſe honore contentum, per quem arma glorioſius ponerent ; nec aliam petendi triumphi cauſſam fuiſſe.* Sic ineſcatus Cicero negotium Cæſaris in Senatu egit : *Difficilia eſſe Reipublicæ tempora : qui cum imperio ſint, inter ſe fœdera agitare, inconſulto Senatu referre, ut adoleſcens ſine cauſa contumelioſe habitus, quibuſdam honoribus mulceatur. Eumdem magnas habere copias : neque tam intereſſe Reipublicæ, ne præter ætatem fiat Conſul, quàm ne ſimultates armatus exerceat. Præterea dari collegam tanquam puero præceptorem poſſe, ne quid contra utilitatem Senatus atq; Reipub. auſit.*

Ut ejus negotium in Senatu agat. Appian. Cic. ad Brut. epiſt. 1. 4.

XLII. Sed irriſa ſunt hæc à percuſſoribus, non occulto Ciceronis morbo, & minime dubio omnium periculo, ſi filius interfecti, idemque magnis copiis ſubnixus, Conſulatum indipiſceretur. Igitur inter omnia dantes & nihil relinquentes media via placuit, *uti ſententiæ inter Conſulares dicendæ jus ei eſſet* : poſtquam hoc parvi fiebat, decretum, *uti proximis comitiis Prætor, ſequentibus Conſul renunciaretur.* Hoc modo ſatis acute putabant eluſiſſe puerum, ut ipſi quidem appellare conſueverant. Sed ille hoc ipſum velut convicium ad defenſionem eorum quæ meditabatur, adripiens, Lepido ſatagenteeum Antonio reconciliavit gratiam, non obvius modo excipiens redeuntem, ſed ipſe allieiens eum & provocans.

Senatus mediam viam male eligit. Dio. Zonaras. Cic. ad Brut. 1. 15. et Phil. 4. 1 Sueton. Aug. 12. 1. Oroſ. 6. 8. Liv. Epitom.

XLIII. Inter hæc, Antonii rurſus emerſit Fortuna, cujus de rebus curatius referendum eſt, ſine quarum cognitione ſequutæ mox converſionis tota ſit obſcura ratio. Fugatus à Mutina petebat Alpes, vir adverſus incommoda non minus pervicax, quàm luxui quoad vacaret deditus. Igitur & in hoc itinere diverſi & pene contrarii generis documenta edidit : plerumque tolerans inediæ & laborum, ſupra quàm ſit credibile : iterum, ubi videbatur eſſe aliqua occaſio, profuſus in vinum & epulas. Unde non ineleganter reſpondiſſe vilus eſt familiarium ejus unus, quærenti *quid Antonius ageret ; quod canis in Ægypto : bibit & fugit.* quando in illis regionibus canes metu crocodilorum currendo bibunt ex flumine. Sed ſæpius vix neceſſariorum erat copia : ut & cortice vixiſſe copiæ ejus, & nullius animalis carnibus abſtinuiſſe tradantur.

Antonii fortuna poſt prœlium Mutinenſe. Vell. Appian. Plut. Ant. cap. 23. & 24. Macrob. Saturn. 2. 2.

XLIV. Non erat difficilis exſtinguendi hoc tempore belli labor, ſi quis inſequi fugientem voluiſſet. Verum enim vero Cæſarem indignatio, quod Bruto mandatum bellum erat, averterat : Brutus inſanum rebatur, inimici ſui adverſarium, ſuo periculo tollere. Tendebat ad Lepidum caſtra trans Alpes habentem. erat & in illo ſpes, Pontificatum & alia quædam Antonii ſtudus conſequuto ;

Unde nemine inſequente profugus. Cic. Famil. 10. 11. 31. 33. et 12. 10. Plut. Cæſ. Plin. 4.

& in exercitu: in quo multos sciebat suis partibus addictos. Custodiam Alpium Lepidus Culleonis mandaverat: is transitum Antonio dedit, ut penetrare in Narbonensem Galliam posset, ubi castra ad flumen Argenteum Lepidus habebat.

Ad Lepidum venit. App. Dio. Cic. Phil. 13. 9.

XLV. Interim & P. Ventidius cum tribus suis legionibus ad Antonium venit. quibus receptis haud procul Lepidi castris castra posita sunt, nullo munita vallo, ut venisse ad amicos videretur. Magna hîc & pudenda tum inconstantia, tum temeritas Lepidi fuit. Hunc antea Senatus ad opprimendum Antonium in Italiam acciverat; eodemque tempore L. Plancum. mox quia Silanus ad Rhodanum adductis copiis Lepidum suspectum Patribus fecerat, Plancum Antonius diserte *participem consiliorum* appellabat, miserunt ad eos literas, *illorum opera Rempublicam in præsentia non indigere.*

Origo Lugduni. Tacit. Hist. 1. 65. 1. Dio. Plin. 4. 18. Merula Cosmograph. 2. 3. 24. Plutarch.

XLVI. Ut tamen aversi animi nullum indicium ederent, quo ad maleficium illi perpellerentur, negotium imposuerunt *oppidi condendi, quo deducerentur, qui olim Vienna pulsi ab Allobrogibus* (unde initium discordiarum Viennam & Lugdunum incolentibus exstitit) *ad confluentes Rhodani Araris que in campis Segusianis consederant.* Haec origo Lugduni fuit nobilissimæ civitatis: nomen ut ajunt à Corvo (*lugum* vocabant Galli) adeptæ, & situ loci edito. quippe *dunum*, & olim & nunc quoque collem significare quibusdam certum est, & colli Lugdunum inædificatum fuisse constat. Tanta autem loci fuit opportunitas, ut intra centesimum annum in maximam perducta frequentiam, deinde ultius noctis incendio consumpta, mox reflorueri t, & hodie quoque inter clarissimas Gallorum urbes numeretur.

Lepidus Senatum verbis ducens, Senec. ep. 83. Gruteri Inscript. 439. 8. Dio. Cic. Fam. 10. 34.

XLVII. Ab eodem Planco & alia tum deducta colonia est Rauraca. Quamquam enim venire in Italiam prohibente nemine potuissent, malebant paruisse Senatui videri, atque interim Antoniani belli speculari exitum. Silanum certe Colleonemque reversos ab Antonio verbis castigavit Lepidus, scripsitque Romam, *se neque opera eorum uti, neque in castris habere, neque ulli negotio præfeciſſe.* Cæterum res ipsa indicio est, simulate hæc acta, neque contra voluntatem Lepidi hos accessisse Antonio, neque ab hoc rediisse tanquam desertores, sed internuncios.

Interim Antonium milites corrumpere patitur. Dio. Vell. 2. 63. 2. Plut. Ant. cap. 23.

XLVIII. Sane colloquium adhuc abnuebat Antonii: quin & contra eum scribebat Senatui, eoque fidus habebatur, & idoneus, cui bellum mandaretur. Sed neque hostile quidquam in eum designabat, in vicinia passus agere, sæpiusque venientem in conspectum militum, ita flectere universos, ut etiam invito Lepido exercitu ejus potiturus fuisse videatur. Quippe Antonio comitas inerat, audacia, profusio: ubi otium esset, luxus; quoties expediret, industria, & quidquid placere corrupta disciplina militi potest. Lepidus ad omnia segnior, non virtute ulla notabili, non vitio charus, prope contemptum venerat. Forte accidit, ut Antonius cum barba capilloque promisso ad castra Lepidi veniens, adspectu simul atque sermone plurimorum misericordiam eliceret: ibi Lepidus ad disturbandum colloquium *tubas occinere* jussit: quia tribunorum imperia spernebantur.

Cur picti cū Antonio. App.

XLIX. At milites, concionante Lepido conclamarunt, *pacem se velle, neque cum ullis deinde civibus esse dimicaturos.* Mox Canidio Rufrenoque & similibus auctoribus, per Lælium & Clodium meretriciis vestibus tectos secreta cum

Antonio pacta fecerunt; *etiam Lepidi eadem, ſi vellet*, polliciti. *Sed is parci Lepido* juſſit, *ſibi cum exercitu venturo viam pandi.* Hoc præcipuo ſtudio agebant Decumani, quos aliquando Antonius duxerat. Neque fallebat ea molitio M. Juventium Laterenſem legatum Lepidi, prorſus egregium civem: ſed multa ſalubriter monenti non habuit Lepidus fidem. poſtremo auctor ei fuit *dividendi in partes exercitus, ſic evidentius quo quiſque ſit animo apparaturum.* Lepidus trifariam partitus copias, juſſit *occurrere præſidio Quæſtoribus, quos adventare* dicebat. Cic. Fam. 10. 21. et 34. Plutarch.

L. At hi de quarta vigilia ſumptis armis, tanquam exituri, vallum occuparunt, nunciosque miſerunt ad Antonium. Ille his auditis prima luce flumen tranſgreditur: & per averſa caſtrorum admiſſus, ubi vallum à Lepidanis erat dirutum, protinus ad Prætorium contendit, proſequente eum Lepidi exercitu, & orante Imperatorem, *parceret tantæ multitudini civium Romanorum, eorumque ſalutis atque ſecuritatis cauſſam ſuſciperet.* Atque is ut è cubili diſcinctus exſiluerat, Antonium complexus eſt, prioremque *auſteritatem ſuam neceſſitate temporum* excuſavit. Sunt qui *& ad pedes ejus procidiſſe* tradant: quod, quamvis in timido homine nihil non credi poteſt, quia pleriſque non eſt traditum, neque factum puto: aut ſi forte, ſimulatum à Lepido timorem, ne prodidiſſe cauſſam Senatus ſponte videretur. Eum in caſtra accipiunt. Plutarch. Vell. App. Cic. Famil. 10. 34.

LI. Scelere enim potius quàm ignavia peccaviſſe pleriſque tum viſus eſt, receptumque ab eo Antonium, non modo ſcriptores inferioris ævi, ſed M. Cicero, D. Brutus, L. Plancus, totus denique Senatus cenſuit. Eamque opinionem & quæ præceſſerunt omnia, & quæ ſequuta ſunt, corroborarunt. At Laterenſis quum & Lepidum fruſtra monuiſſet, & Plancum, quos inter ſe diſcordes reconciliare Reipublicæ cauſſa acerrime niſus fuerat, ſub ingreſſum Antonii gladio ſe transfixit. Ob hæc ſtatuam ei decrevit Senatus, laudationemque & publicum funus: at quæ poſita Lepido pro Roſtris fuerat, ſubverſa eſt. iſque hoſtis judicatus, cum cæteris qui ſimul à Republica defecerant, *niſi ante Kal. Septembres ad ſanitatem rediſſent.* Eo dolore Laterenſis ſemetipſum interfecit. Rutilius Itinerario 1. 301. Suet. Aug. 12. 3. Cic. Fam. 13. 21. & ad Brut. ep. 1. 13. Dio. Liv. Epit.

LII. Saga quoque reſumpta crebrique ad M. Brutum, C. Caſſium, Sextumque Pompejum nuncii miſſi, *ut Reipublica ſubvenirent.* Etiam duo Senatores, Lucejus & Panſa, tanquam ad viſendum Græciæ ſtatum miſſi, qui *properare Brutum* juberent. E Sardinia quoque evocatæ copiæ, *& è tribus Sextianis legionibus, quæ erant in Africa, unam accipere* juſſus *Q. Cornificius; duas mittere in Italiam:* quamquam ne his quidem ſatis confidebant, quod & ipſe ſub Cæſare militaſſent, ſed omnia experiri cogebat neceſſitas. Poſtremo quum longe hæc ſpes abeſſe videretur, ad Cæſarem recurſum eſt, neglectum contemptumque paulo prius, & coactum ad nova, ſed incognita adhuc Patribus conſilia. Patres omnia tentantes ad Cæſarem recurrunt. Cic. Fam. 11. 13. 20. & 12. 10. Dio. Appianus.

LIII. Triumphus etiam ac ſtipendium ei decernitur, & omnibus decretis ornatur. Idcirco lætus hanc ſibi ad obſeptum antea Conſulatum viam aperiri, ſimulavit obſequium, paravitque ad bellum omnia. ſed interim clanculum induxit milites, ut jurarent *contra nullum ſe exercitum, qui Cæſaris fuiſſet, arma capturos.* Hoc aperte ſpectabat ad Antonium & Lepidum, quorum copiæ majorem partem conflabant è Cæſarianis legionibus. Prætereà inſtigabat eos, *ut legatos iterum ad Senatum mitterent: quaſi deprecaturos, ne contra fas & religio-* Abuſus hac occaſione. Cic. ad Brut. epiſt. 2. 17. Dio. App.

nem dimicare cum civibus cogerentur: revera, ut exigerent nondum perſolutas pecunias, Cæſarique darent Conſulatum.

Cæſaris concio adverſus Senatum.

LIV. Nec hoc timide fiebat amplius, ſed palam advocata concione. *Quouſque*, inquit, *commilitones, adverſariorum inſatiabilem importunitatem perferimus? Hæc ſcilicet, ut plurima vobis ante nota præteream, præmia meruimus, ut ab his vexemur atque opprimamur, quibus noſtro ſanguine ſalus atque ſecuritas parta eſt. Antonii præda fuiſſent, neque rem aut publicam aut ſuam tueri quiſquam eorum potuiſſet, niſi ego ille puer (ſed virum ſentient!) niſi ego, inquam, quem puerum apellare conſueverunt, vobis adjutoribus cauſam ſuſcepiſſem publicam, & nimiam Antonii ferociam Mutinenſi victoria refrænaſſem.*

Cujus ingratum animum accuſat.

LV. *At illi præclaram ſcilicet vicem ſervatoribus ſuis reddunt, contemptum, ignominiam, pericula. neque deſinent, niſi caverimus, priuſquam univerſos, alios alia fraude circumventos deleverint. Hoc enim agunt homines Pompejanis partibus devoti, ut eos qui patri meo navarunt operam, occaſione temporum inter ſe commiſſos, mutuis vulneribus conficiant. Ideo nempe bella ex bellis ſeruntur, donec omnes, quos ob militiam Cæſaris peroſi ſunt, duces militeſque prorſus interierint. Neque enim alio pertinuit, quod nuper duabus legionibus oblata ſunt præmia: quàm ut ex dolore cæterarum oriretur in hoc exercitu perniciosa diſſenſio.*

Periculum ab his militibus & ſibi oſtendit.

LVI. *Quàm vero ſint infenſi Cæſaris amicis, numquid proximis diebus oſtenſum eſt? quum ab Antonio quidem, ſed ex parentis mei commentariis data cunctis eriperentur. Unde & vobis facilis eſſe conjectura poteſt, quæ veſtra ſit futura conditio, qui agros, qui pecunias accepiſtis à Cæſare, ſiquidem hi Rempublicam obtinebunt: quæ vero mea, dum regnabunt in Senatu percuſſores patris mei. Sed mihi quidem curæ erit, ut neque vita mihi incuſtodita ſit; neque mors indecora. Veſtri me miſeret, quibus nemo relinquetur, à quo ſperetis operæ patri mihique navatæ pretium. Nam me quidem ab ambitione longius abeſſe, quàm huic ætati credi potuiſſet, ipſi comperiſtis, quum oblatum à vobis imperium abnui. nunc alia conditio eſt temporum, neque pro vobis, neq; ad ultionem patris quidquam profecero, donec ero privatus.*

Quod non niſi ſe Conſule diſcuti poſſit. Dio. 46. 7. 27.

LVII. *Ea me cauſſa Conſulatum petere coëgit: atque is eamdem ob cauſam negatur ab his, quorum intereſt neminem eſſe aut veſtrarum utilitatum procuratorem, aut Cæſarianæ necis vindicem. Igitur communis ſalutis mihi vobiſque tantum unam reliquam video viam, ſi veſtro favore Conſulatum conſequar: nec enim aliter aut quæ à parente meo accepiſtis confirmari, aut quæ à me expectatis perſolvi quibunt. Sed & ad publicum bonum, quietumque patriæ res pertinet. percuſſores enim patris reos agam, quibus ſublatis, finis aliquando civilium bellorum erit.*

Centuriones Cæſari Conſulatū ab Senatu petunt. Appian. lib. 2. 1. Civil. Cic. Phil. 5. 17. D. o.

LVIII. Alacri adclamatione militum hæc excepta: delectique ſtatim ex promptiſſimis veteranorum quadringenti, qui legatione ea fungerentur. Quum *Patres ætatem* Cæſaris excuſarent, centuriones legationis principes (edocti enim erant) reſponderunt, *& apud antiquos Rullis, Deciis, Corvinis, multiſque aliis Conſulatum fuiſſe creditum, & recentiore memoria ſuperiorem Africanum, Titumque Flaminium admodum adoleſcentes Conſules factos, utilem Reipu-*

blicæ operam præstitisse Magnus quoque Pompejus & Dolabella adlegabantur, *atque in hoc ipso Cæsare factum Senatus decretum, quo multis annis ante legitimam ætatem honores petendi facultas concessa erat.* Quum propter gravitatem negotii tempus traheretur; legati, ut moniti à Cæsare erant, *impunitatem* petere *Antonianis* cœperunt, ut credibile est, non tam impetrandi proposito, quàm ad tentandos Senatus animos, an & huc adduci possit; & si succenseret, hunc armorum prætextum habituri.

Minis postremo additis. Suet. Aug. 26. Dio.

LIX. Sed elusum satis commodo æstu periculum est, contradicente nemine, sed pro magno aliorum numero eadem postulantibus plerisq; unde effectum est, ut citra invidiam propter multitudinem hominū, quibus in caussa dispari paria concedi rectum non esset, tota res omitteretur. Inter has altercationes, quum ferociter loquuti milites, atq; ab Senatoribus nonnullis increpiti essent, acrius ad Consulatum Cæsari conficiundum exarserunt, & quia intromissi in Senatum arma deposuerant, caput legationis Cornelius centurio Curia egressus resumpsit gladium, saguloq; rejecto capulum ostendens, *si vos non dederitis*, inquit, *hic dabit.*

Sueton.

Cæsar Rubiconē transit. Plut. Anton. cap. 24. Appian. Dio. Liv. Epit. Oros. l. 18.

LX. Quo tempore Ciceronem respondisse ferunt, *si hoc modo petieritis Cæsari Consulatum, auferetis.* Eaque vox exitium ei acceleravisse creditur. namque Cæsar libertatis studiosissimum esse cernens, viliorem habere cœperat. Hæc quum in castris audirentur, exasperati sunt milites, confestimque ad Urbem duci voluerunt. Nec Cæsar lenivit, quin verbis adaugens iras, barbara suorum dicta factaque non reprehendit; Senatum increpavit, *quod milites intrare Curiam inermes jusserat, quodque interrogati à Senatore quodam fuerant, ab exercitu, an vero à Cæsare mitterentur.* Igitur propere legatis quibusdam ad Lepidum & Antonium (nam & cum Antonio gratiam, Lepido fatagente, reconciliarat) cum octo legionibus & magno equitatu atque auxiliis, coactus scilicet à militibus, Rubiconem transiit, unde & proximi belli civilis initium fuerat.

Inde Romam contendit. Appian. Dio.

LXI. Inde bisariam exercitu diviso, cum potiori parte contendit Romam, cæteris ex commodo sequi jussis. In itinere, ut fit ubi milites Imperatorem ducunt, minime à maleficiis temperatum. homines qui forte per viam occurrerant, & in his Eques Romanus, pro speculatoribus occisi: direptæ adversariorum villæ. legati qui cum pecunia veniebant, Cæsaris artibus terrore injecto refugerunt. Hæc res tanta consternatione replerunt Urbem, ut nihil ad extremum terrorem superesset.

Senatus fœda inconstantia. Plut. Cæs. c. 78. Appian. Dio.

LXII. Anxii Patres, & alius alium varie accusantes, *quod exercitus ademptus Cæsari, quod triumphus denegatus, quod præmia militum maligne repræsentata essent;* repente in contraria omnia transierunt: nusquam jam adparente Cicerone, qui multus antea ubique fuerat. Augetur donativi modus, neque duabus jam, sed *octo legionibus* decernitur. *Decemviri cessare, Cæsar dividere præmia* jubetur: *ipse absens Consul* designatur. ad hæc omnia significanda legati festinanter emittuntur, sed neque milites flexit profectum ab invitis beneficium: & Senatus fœda inconstantia, vix dum egressis porta legatis consilium mutavit: excipiente mecum pudore, quod indigna viris trepidatione subacti prono collo excipierent jugum, nihil pro libertate ausi. *Quod igitur postea vacaturum periculo & ignominia tempus, si hæc consuetudo invaluisset, ut ambitione cujusliet honores armis obtineantur? quin huc eniterentur, ut militem, si lenibus*

conſultis requirent, conſtantia & ſeveritate in officio continent. armis opus adverſum armatos eſſe.

Et ſubita fiducia. Theutnus lib. 11. Dio. Appian. LXIII. *Si primum impetum fregerint, ſubiturum animos pudorem, ſubiturum reverentiam patriæ, & metum ex legibus. Quod ſi præter ſpem arma pro Republica accepta contra eam miles verterit, L. Plancum, D. Brutum adfuturos auxilio. Denique ſi neque pudore militis, prohiberi fatum Reipublicæ, neque armis defendentium poſſet; at illi occumberent pro libertate potius, quàm male & infeliciter expertam dominationem reciperent. Et majorum exempla* memorabantur, *quibus præ amore libertatis nihil fuerit in vita charum atque pretioſum.* Hujuſmodi inter ſe dictis animati, mox in maximam fiduciam venerunt, poſtquam eadem die adpulſis ex Africa legionibus duabus, equitibus mille, *dius ipſis curæ eſſe cuſtodiam civitatis* interpretati ſunt.

Mox iterum timor. App. Dio. 27. 1 5. Jul. Obſeq. LXIV. Igitur adjuncta legione quam nuper Panſa præſidio Urbi reliquerat, Janiculum ubi pecuniæ erant repoſitæ, pontemque fluminis occuparunt præſidiis: per Urbem diſpoſuerunt ſtationes: in portu quoque parandas naves curaverunt, ut victi cum pecuniis fugerent. Cæſarem *intra centeſimum ab Urbe lapidem cum exercitu conſiſtere* vetuerunt. Hæc latis confidenter acta. Sed ubi ſigna legionis à Panſa relictæ araneis velut ex longo ſitu oppleta venire viſa prodigii ſpeciem metumque fecere; quæſitæque Cæſaris mater & ſoror non comparuerunt, amicis apud quos celabantur, gratiam minaſque adverſariorum pariter ſpernentibus; iterum rediit timor, tanta opportunitate amiſſa, quod his obſidibus quidlibet impetraturi facilius à Cæſare fuerant.

Interim Cæſar Urbē intrat. Dio 46. 7 24. App. LXV. Atque ille ſuis timens, quum prioribus Patrum legatis, dum mandata exponunt, mutatæ ſententiæ nuncium ſuperveniſſet, cum irritatis ſupra modum militibus Romam properat; præmiſſis qui *bono animo eſſe populum Romanum, & quieſcere* juberent, *nihil hoſtile paſſurum.* Ita pacato agmine acceſſit, omnibuſque citra controverſiam in poteſtatem acceptis, ſub Quirinali colle conſtitit. Eò ſtatim mira mutatione adfectuū venerunt quidam ex Senatoribus, mox etiam promiſcua multitudo ſalutandi ipſum militeſque gratia. At ille caſtris in loco poſitis poſtridie Urbem, ſeptus idonea manu, intrat; quacumque incedit, occurrunt ſalutantium gratulantiumque agmina: nihil in ſpeciem officioſæ humanitatis prætermittitur. Sic ad ædem Veſtæ pergit, ubi matrem ſororemque eſſe audiverat.

Urbanas legiones in deditionem accipit. Dio. Appian. LXVI. Interim & illæ tres legiones miſſis legatis fecerunt deditionem. Ex Prætoribus qui præfuerant, Cornutus ſibi manus intulit; reliqui in fidem recepti ſunt. Cicero per amicos impetrato Cæſaris colloquio, magnis eum laudibus extulit, *ſe quoque Senatui deferendi Conſulatus auctorem fuiſſe* dictitans. Reſpondit Cæſar, nec ſine morſu: *Ciceronem ſibi noviſſimum amicorum occurrere.* Sequuta deinde nocte vanus rumor terruit civitatem, *Martiam & Quartam legiones adeſſe, diripiendæ patriæ cauſſa.* Tum iterum velut furore tacti principes, & lecure credidérunt dictis, & ſuis ſe viribus ſuſtinere poſſe Cæſarem, quamvis ſanctas habentem in proximo copias, rati ſunt.

Senatus alius vanus conatus. Cic. Philipp. 14 6. LXVII. Igitur eadem nocte Senatu habito M. Aquilium Craſſum emiſerunt ad parandas è Piceno copias: idque tanquam lætum nuncium diſcurrente per Urbem Tribuno plebis Apulejo vulgarunt. Sed ubi falſam fuiſſe famam reſcitum eſt,

Digitized by Google

Proconſules creati comitiorum cauſa.

Cicero, qui pro foribus Curiæ Senatores adventantes cum laudibus exceperat, in lectica fugit. Cæſar irriſa hominum vecordia *exercitum in campum adduci* juſſit. quo tempore lætum ei augurium apparuit ſex vultures. nec tamen in quemquam conſuluit durius, quin etiam Craſſum, qui ſervili habitu in Picenum penetraverat, dimiſit incolumem, interim clementiæ captatis laudem, mox eoſdem quibus tum videbatur ignoſcere, proſcripturus. Appian. Jul. Obſeq. cap. 128.

LXVIII. *Pecuniam* autem *ex Janiculo, & quidquid ubivis publicæ* fuit, comportari juſſit: ipſe exceſſit Urbe, libertatem ſcilicet præbiturus Comitiis. eo jam adductis rebus, ut eadem omnia abſens poſſet. Igitur & nova Comitiorum forma fuit, quia more majorum Interrex prodi tam celeriter non poterat, abſentibus pleriſque patriciis magiſtratibus. Nam decreto Prætoris Urbani (exſtincto jam Cornuto Q. Gallium fuiſſe conſtat) duo nominati ſunt Proconſules Comitiorum habendorum cauſſa; his perfectis, nihil ultra poteſtatis uſurpari. Ab his Conſul creatus Cæſar, collegæ nomine Q. Pedium Q. F. adminiſtrum accepit. & exſultabat adoleſcens honore ante tempus capto, quem præter juniorem Marium nemo præcocius invaſerat: Conſulatum enim, ſi civiliter computes, annos undeviginti natus iniit; ſive dies incundi XIV. Kal. Septembr. (variant enim Scriptores) ſive X. Kal. Octobr. fuit: revera vicesimo ætatis anno, quia trimeſtre circiter correcti ab Julio faſti abſorbuerant: quod ſpatium tametſi proceſſerat, tamen vulgo non computabatur. Cæſar novæ formæ Comitiis Conſulatum adipiſcetur. Dio lib. 56. App. Auct. de cauſ. cogrup. Eloq. & Fragment. Collect. apud Pigh. Jul. Obſeq. Caſaubon. ad Suet. Aug. 26. 2

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CÆSAR Conſul legem tulit de quæſtione habenda in eos, quorum opera pater occiſus eſſet: poſtulatique ea lege M. Brutus, C. Caſſius, D. Brutus, abſentes damnati ſunt. Quam M. Antonio vires Aſinius quoque Pollio, & Munatius Plancus cum exercitibus ſuis adjuncti ampliaſſent, & D. Brutus, cui Senatus ut perſequeretur Antonium mandaverat, relictus à legionibus ſuis profugiſſet; juſſu Antonii, in cujus poteſtatem venerat, ab Capeno Sequano interemptus eſt. Cæſar pacem cum M. Antonio, & Lepido fecit: ita ut Treſviri Reip. conſtituendæ per quinquennium eſſent, ipſe, & Lepidus, & Antonius, ut ſuos quiſque inimicos proſcriberent: In qua proſcriptione plurimi Equites Romani, CXXX. Senatorum nomina fuerunt, & inter eos L. Paulli fratris M. Lepidi, & L. Cæſaris Antonii avunculi, & M. Ciceronis: hujus occiſi à Popilio legionario milite, quum

haberet annos ſexaginta tres, caput quoque cum dextra manu in Roſtris poſitum eſt. Prætereà res à M. Bruto in Græcia geſtas continet.

Augurium Romuli delatum Cæſari. App. Suet. Aug. cap. 26. & 95. Jul. Obſeq. Liv. Dio lib. 47.

INITO Conſulatu C. Cæſar quum reverſus in Urbem ſacrificiis factis augurium capraret, duodecim vulturibus viſis, quod augurium Romulo novam urbem condituro conſpectum dicebatur, in ampliſſimam ſpem ſimilis fortunæ erectus eſt. militibus deinde pecunias diſtribuit, *ſuis ex facultatibus dare* dictitans, quum in manu haberet publicas. iiſdem gratias egit. egit & Senatui; ſed militibus ex animo magis. Horum enim ope ſe ſciebat adjutum, Senatum, quod feciſſet, metu feciſſe. Par apud Patres ſimulatio, qui *& hæc ultro tribuiſſe Cæſari* prædicabant, *& reliqua adcumulaturos.*

Ei multa decernunt latæ. App. an. Dio.

II. Idcirco quem paulo ante Conſulatu judicaverant indignum, ei decreverunt, *ut etiam exacto magiſtratu, donec apud exercitum eſſet, Conſules honore anteiret*: judicia paulo ante & pœnas comminati ob copias privato conſilio contractas; nunc *& alias adlegere* juſſerunt: & ſicuti Bruto in Cæſaris ignominiam bellum Antonianum decreverant; ita nunc Cæſari *legiones etiam Bruti* adjecerunt. Poſtremo & cura Urbis permiſſa, poteſtatem dederunt *agendi pro arbitrio, etiam præter leges omnia.*

Lex Pedia de quæſtione in percuſſores Cæſaris. Appian. Dio. Liv. Epit. Vell. 2. 69. 6. Suet. Nerone. cap 11. Qui omnes damnantur. Appianus. Liv. Epitom. Plut. Brut. c. 39. & Cæſ. c. 95. Cic. Attic. 16. 14. & Philipp. 13. 15. et ad Brut. Epiſt. 1. et Fam. 10. 12. Brut. ad Cic. 1. 17.

III. Cæterum Cæſar poſt ſacra peracta adoptionem ſuam Curiata lege confirmavit. Mox alia rogatione Dolabellam abſolvit, qui judicatus hoſtis fuerat; & præparata primum largitionibus populi gratia, ſolutoque reſidio, quod debebatur ex teſtamento Cæſaris, legem tulit *de quæſtione habenda in eos, quorũ ſcelere pater occiſus eſſet*: quâ de nomine collegæ *Pediam* maluit adpellari.

IV. Hac poſtulati ſunt non percuſſores modo, ſed & qui conſcii fuiſſe conſiliorum dicerentur; abſentes plerique. nonnulli & inſontes, qui nec inſidiati Cæſari, nec omnino eo tempore verſati Romæ fuerant. Hac fraude præcipue Sext. Pompejus petebatur, hoc crimine haud dubie innoxius; ſed quem quolibet prætextu tolli Julianarum partium intereſſet. Reis hac lege univerſis una præconis denunciatione dicta dies eſt, damnatique inſpectante Cæſare ad unum omnes, abſentes plerique, nemine judicum abſolvente quemquam, uno Senatorum excepto; P. Sicilio Coronate, qui M. Brutum abſolvit palam: cujus rei diſſimulata interim ira mox proſcriptione hominis patuit. P. Servilius Caſca, qui primum ictum inflixerat Cæſari, Tribunatum plebis eo anno gerebat, patiente Octaviano, qui tum adhuc odium in percuſſores tegebat.

Collegæ magiſtratum abrogans annũ non ſuperavit: Dio. Jul. Obſeq. cap. 129. App Suet. Auguſt. 278.

V. Is neque adoleſcenti fidens, & exagitatus à Cicerone (qui *parricidam* adpellare ſuſtinuerat, quum eodem tempore pro ſalute percuſſorum, quibus erat amiciſſimus, Cæſarem per epiſtolas rogaſſet) non exſpectato Cæſaris adventu Roma profugerat. Hunc P. Titius collega magiſtratu abrogato reum peregit; & ante annum mortuus firmavit opinionem, non poſſe annum ſupervivere, qui collegæ magiſtratum abſtuliſſet. Nec diſſimile Q. Gallii Prætoris fatum fuit, cujus opera tum Bruto atque Caſſio abrogatum imperium erat. Idcirco provinciam Africam præmii loco nactus à Cæſare, paulo poſt miſerabiliter interiit. Quum enim pugillares duplices veſte tegens ad Cæſarem ſalutandum introiiſſet, ſuſpicionem movit gladium oculi. Nec auſus ſtatim inquirere Cæſar, ne quid aliud inveniretur, paulo poſt è tribunali raptum, ſervilem in modum

torſit,

Senatui reconciliantur Antonius & Lepidus.

torsit, negantemque jussit occidi, prius oculis sua manu effossis.

Cæsaris libri de vita sua. Sueton. Aug. 83. 3. & 27. 81. Appianus. Dio.

VI. Ipse scripsit in libris de vita sua, *Q. Gallium colloquio perito insidiatum sibi, conjectumque à se in custodiam: deinde Urbe interdicta dimissum, naufragio vel latronum insidiis periisse.* Crudelitatem Cæsaris, quo plus metuebatur, studiosis tegere atque adjuvare nisi sunt omnes. Gallio magistratum abrogarunt collegæ: populus diripuit domum: Patres capitis damnaverunt. Namque fortunam adolescentis omnia sequebantur. & alii formidine, multi favore, pars magna præmiis incitabatur. Quippe *& accusatoribus percussorum pecunia* promissa erat; *& magistratus quem accusatus gereret, militiaq; vacatio ipsis liberisque & nepotibus.*

Cæsar amicitiam Antonii expetit. Vell. 2. 69. 6. Plut. Brut. Appianus. Dio.

VII. His motus, opinor, Capito, Vellei Historici patruus, Agrippæ subscripsit in C. Cassium. Nam M. Agrippam Cassio Cæsar, L. Cornificium Bruto accusatores appositerat. Nihil erat actum damnatione reorum, nisi & vi armisque possent superari. Namque Brutus atque Cassius *jam habere legiones circiter viginti* dicebantur. Idcirco Cæsar ad hos debellandos amicitiam Antonii sibi necessariam fore videns, à quo propter adfinitatem dissociari Lepidus nequiret; eò contulit consilia, ut hos interim haberet adjutores, postea sublatis eorum ope percussoribus, ipsos quoque tollendi rapturus aut facturus occasionem.

Diversum interim simulans. App. Dio.

VIII. Ne tamen ejus propositi emanaret intempestiva suspicio, neque de rebus iis retulit, & quasi bellum illaturus hostibus judicatis, ad mare Superum lentis itineribus processit. Interea ex composito Q. Pedius ad Senatum *de venia Lepido atq; Antonio concedenda* retulit. Alia jam plane rerū facies esse cœperat, ut qui modo pro defensoribus libertatis habiti fuerant, tanquā hostes & parricidæ in execrationem essent: contra despecti modo & tantū non hostes patriæ judicati, non benevoli tantum fidique Reipublicæ, sed etiam civitatis ac Senatus patroni haberentur.

Sic Antonius et Lepidus Senatui reconciliantur. Eutrop. Dio. Appian.

IX. Igitur ad Cæsarem Senatus misit, tanquam ignarum eorum quæ agerentur, ut hujus sententiam exquireret. Atque is, *omnia alia cupientem, vi militum adigi ad conficiendum* rescripsit. Sequutumq; Senatusconsultum, quo prius decretū antiquabatur, cum amicis ad eos literis. Eam ob caussam Senatui gratulatus est Cæsar, Antonioque scripsit, *auxilio se venturum adversus Decimum si ei videretur.* Ob hæc collaudatus ab iisdem Patribus, quibus pauloante nihil Decimo charius, nihil exsecrabilius Antonio fuerat. Adeo facile convelluntur animi externa tantum spectantes, quotiescumque eorum à quibus dependent, aliqua intervenit conversio. nec enim abripi fluxu mortalium fas est, quisquis constantibus verisque bonis innititur.

Unde D. Brutus periculis, Cic. Famil. ep. 24. 26. & 11. 13. Dio. Et consilium ad M. Brutum evadendi. Cic. Famil. 10. 24. & 12. 15. 12. 8. Dio. Vell. 2. 63. 4. App. Plancus ad Ciceronem. Brut. ad Cic.

X. Sed Antonius respondit *in Decimo se vindicaturum Cæsaris injurias, in Planco suas: Cæsarique se conjunctiurum.* Hinc vero D. Bruti res subito miserandum in modum labare cœperunt. Is tertio post Mutinensem pugnam die insequi Antonium orsus, postquam receptum à Lepido audiit, cum L. Planco qui designatus unà Consul sequentem in annum fuerat, consilia vireisque sociaverat. Sed ubi se damnatum esse Romæ, Asinium Pollionem semper Juliani partibus fidum, cum suis legionibus accessisse Antonio, & insuper solicitare Plancum cognovit; diffidens rebus suis, adversus Cæsarem convertere signa cœpit.

XI. Sed desertus à Planco, mox etiam petitus insidiis, extremam in desperationem incidit. Nam Plancus frequentibus epistolis multa de se Senatui, multa Ciceroni liberaliter & facunde pollicitus, ad potentiores desciverat: quatuor transductis ad Antonium legionibus. Idcirco Brutus, numero quàm viribus

ampliores copias agens, quod ex decem legionibus una tantum veteranorum erat, altera bima, eæque nondum ſatis ex inopia Mutinenſi recreatæ; relicta Gallia, per Ravennatem & Aquileienſem agrum in Illyricum ducere conatus eſt, ut in Macedoniam ad M. Brutum evaderet.

Sed Cæſar & Antonius obſtant. App. Illyric et lib. III. Civil.

XII. Sed quando iſtam quidem viam Cæſar & Antonius obſepſerant, & in Japydia congreſſum repulerant: relictis machinis, alia longiore atque difficiliore via Rhenum petere ſtatuit, atque ibi transjectus per Germaniam proficiſci. Sed ubi conſilium ejus emanavit in milites, deſperare omnes, atque alia circumſpicere præſidia cœperunt. Primum ad Cæſarem ſex tranſierunt tyronum legiones cum auxiliis ſuis: reliqui mox omnes ad Antonium. ſolis permanentibus Gallis Equitibus, quibus cuſtodiam corporis ſui crediderat.

D. Bruti fuga. Strabo lib. 5. Appian. Oroſ. 6. 18.

XIII. Cum his per Salaſſos, empto tranſitu, ſinguliſque in capita denariis datis, penetravit in Galliam, dimiſſiſque & donatis qui domum reverti maluerant, cum equitibus omnino trecentis ad Rhenum venit. Ibi vero, dum ad difficilem plerumque periculi tranſitum contatur, paulatim deſertus decem tantummodo comites retinuit. Ideireo hac ipſa paucitate ſpem dante fallendi, rurſus Aquileiam petere conſtituit, Gallico habitu ſumpto, nam & linguæ non ignarus erat.

Et cædes. Appian. Velleius. 2. 64. 2. Val. Maxim. 4. 7. 6. Liv. Epitom.

XIV. Sic oberrans, quum captus à latronibus Sequanis vinctuſque eſſet, *cujus eſſet ea ditio* interrogavit. Ubi reſponſum eſt *Camilli eſſe*, *duci ad eum* poſtulavit; quod ſua quædam beneficia Camillus habebat. Sed ille palam objurgans ſuos, *qui per ignorantiam in tantum virum injurioſe peccaviſſent*; clam nuncios ad Antonium miſit. ille propere Furium quemdam cum equitibus ire juſſit: à quo trucidatus eſt Brutus. Caput ad ſe delatum inſpexit Antonius, ſepelirique juſſit. Nec obliteranda duorum amicorum Bruti memoria, quorum alter in gratiam ejus ſibi conſeivit necem; alter quum mori pro eo cuperet, invitus ſupervixit.

Amicorum ejus fides: Val. Max. 4. 3. 3. Sen. epiſt. 82. 24.

XV. Territus equitum adventu Brutus in latebras ſe abdiderat. Has ubi repererunt Antoniani, Ser. Torentius obtulit ſe irrumpentibus, Brutum ſimulans, ac obſcuritate loci ſperans falleret. Sed agnitus à Furio, ſervaruſque eſt. Brutum caſus ſuos deplorantem, & inani ſubterfugio ſubtrahentem gladio cervicem, Helvius Blaſio ad ferendam fortiter mortem, non voce tantum, ſed & exemplo ſuo excitare niſus eſt; ſibique ultro intulit manus. Nec ultra profectum, quàm ut præ metu mortis vecors homo, Furio admonenti, *conſtantius præberet cervicem*, reſponderet his ipſis verbis, *Ita vivam*, *dabo*.

Minucii Baſili mors. Appian. Oroſ. 6. 18. Dio. Plut. Ant. c. 24.

XVI. Sic alter hic poſt C. Trebonium pœnas interfecti Cæſaris dedit: & ſub idem fere tempus alius ex percuſſoribus Minucius Baſilus, quum per iram quoſdam ſervorum caſtraviſſet, à familia interemptus eſt. At Antonius maximi rurſus exercitus Imperator, adjuncto Lepido, cum decem millibus equitum, & legionibus ſeptendecim Alpes iterum tranſcendit; ſex relictis in Gallia, ſub compotore ſuo, L. Vario Cotyla. Necdum enim ſatis fidebant Cæſari: neque etiam magis illius beneficio, quàm ſuis viribus reſtitutos videri decorum rebantur. Similiter in hos adfectus animo Cæſar, Bononiam occurrit cum valida manu. callidos & tempori ſervientes facile mutuus metus jungit: iræ atque odia in occaſionem differuntur: fit pactio, ut inter ſeſe de rebus omnibus colloquantur. & quia par utrobique timor erat, omnia ſolicite exæquantur.

Digitized by Google

XVII. Et Fortuna providerat. Medio inter diversa castra spatio, nomine non magnitudine par Germanico Rhenus parvam insulam efficit (hodie peninsula esse dicitur) plano solo, & parum insidiis apto. Ad hujus viciniam adduci legiones quinas placuerat: deinde his æquali spatio relictis, pergi cum trecenis comitibus ad pontes. duo enim erant, hic Cæsaris, ille Antonii castra respiciens. Hoc ubi factum, Lepidus, cui cum neutro simultas fuerat, præmissus ad speculandum, esse nec omni ex parte vacua insidiis insula, paludamentum extulit. Colloquium Cæsaris et Antonii. Silius 8. Plutarch. Appian.

XVIII. Eo signo conspecto, utrimque relicto ad pontes comitatu, Cæsar & Antonius in media insula, loco undique conspicuo, ubi scillæ erant positæ, congressi sunt: seque mutuo, ne forte sub alis pugiones haberent, excusserunt. Inde Cæsar, tanquam Consul, in medio; cæteri lateribus ejus adsederunt: summissaque voce colloquuti sunt, ne quid ab iis, quos ad pontes adduxerant, excipi posset. Hoc continuo biduo factum, ut ab orto die ad occasum usque contenderent. Tertio demum die cessit Cæsar, ut inter alios qui exitio communiter destinabantur, proscribi Ciceronem paterentur: *sine qua conditione* negabat Antonius *reconciliationem fieri posse*; atque Antonio Lepidus adsentiebatur. Cæsar Antonio concedit de Ciceron. Dio. App. Lipsius epist. ad Italos 90. supr. 27 8. Plut. Cicer. cap. 67.

XIX. Eratque tantus hominum furor, ut vicissim Antonius avunculi sui L. Cæsaris, Lepidus fratris Pauli necem gratificarentur: dum inimicos tollerent, ne quidem necessariis parcentes. & præterea odio suorum, à quibus increpati forte fuerant, accensi. Cæterorum quæ tunc decreta sunt, hæc summa fuit. *Cæsar Consulatum in reliquam anni partem P. Ventidio cedat. Tresviri Reipublicæ constituendæ per quinquennium sint, eumque magistratum Lepidus cum Antonio ac Cæsare Consulari potestate gerant: iidemque confestim in istud quinquennium magistratus Urbanos designent: in his neque Senatus auctoritate, neque populi jussu sit opus: provincias seorsim Lepidus Hispaniam omnem cum Narbonensi Gallia; cætera Galliarum citra & ultra Alpes Antonius; Africam utramque, Sardiniam ac Siciliam Cæsar obtineant.* Triumviratus constituitur. Senec. Suasor. 6. Floras 4. 6. 4. Plut. Ant. c. 25. Cic. ad Brut. 2. 2. Appian. Tabul. Collat. apud Pigh. Liv. Epitom.

XX. Transmarinæ provinciæ silebantur, sive ut opinionem efficerent Tresviri non omnia se sibi cupere; sive potius, quia tum illæ in potestate percussorum, & bello repetendæ erant. *Id vero bellum Antonio Cæsarique demandari, Lepidum in locum D. Bruti Consulatum invadere, Romamque & Italiam custodire placuit, Hispanias & Narbonensem per legatos obtinere.* Ad hæc tres ei legiones sufficere visæ, cæteræ ita distributæ, ut viginti Antonius, totidemque Cæsar haberent. Militibus inter alia victoriæ præmia, *coloniæ* quoque promissæ *duodeviginti urbium Italicarum, quarum in ædificia finesque deducerentur.* Partes inter Triumviros dividuntur. Dio. Appian. Plut. Ant. Flor. 4. 7. 5.

XXI. Neque contemptissima ea pars Italiæ erat; sed pulcherrima oppida lætissimusque ager destinabatur, Capua, Rhegium, Venusia, Beneventum, Nuceria, Arminum, Vibona. In has conditiones junxerunt manus, jurejurando interposito: & quia diis testibus non satis obstricta fides videbatur, etiam advocarunt exercitus. iisque Cæsar, pro honore magistratus quem gerebat, de scripto recitavit omnia, præterquam de proscriptione, quod convenerat. Sic exercitus inter se consalutaverunt, & quo firmior esset Imperatorum concordia, postulatum est, *uti velut obsidem reconciliatæ gratiæ, privignam Antonii Clodiam*, vixdum nubilem, *Cæsar duceret.* Exercitus consalutant. Florus 4. 6. 5. Dio. App. Suet. Aug. 62. 1. Oros. 6. 18.

XXII. Adsensit adolescens, satis gnarus, ad servanda conventa non for- Ostentum oblatum Cæsari.

Velleius 2. 65. 3. Dio. Jul. Obſeq. Suet. Aug. 96. 2.

tius adfinitatis vinculo, quàm cæteris adſtringi potentes & cupidos: & modo patrem ſuum Cæſarem, quo minus Pompeium everteret, ea neceſſitudine nihil impeditum fuiſſe noverat. Tum etiam oſtentum ei factum ferunt, quoad ſummæ rei ſpem acrius excitaretur. In caſtris ejus luce prima in culmine Prætorii ſuper linteum aquila ſedens, duos corvos hinc inde infeſtantes adflixit, & mortuos dejecit in terram, notante univerſo atque exitum præſagiente exercitu; *futurum ut ex his tribus hic ſolus ſuperſtes & victor eſſet.*

Prodigia varia. Dio 47. 1. 2. Appian.

XXIII. Trahebantque eodem, quod paulo antequam in Italiam regrederentur, in caſtris Lepidi, centurionis gladium circumvolutus anguis vinxerat; & in tabernaculum Lepidi lupus irrumpens, everterat menſam. id everſæ potentiæ fuiſſe præſagium crediderunt: Antonio voluptatum inſaniam, & ex his perniciem oſtendi, quod circa foſſam caſtrorum ejus lac fluxerat, & concentus quidam fuerat exauditus. Nec Urbana mala prodigiis caruerunt. canum ululatus, luporum per Forum diſcurſus, bovis & infantis recens nati ſermo, ſimulachrorum ſudor ſanguine mixtus, clamores pugnantium, ſtrepitus armorum, equorumque currentium, adparente nullo, ſolis varie mutata ſpecies, lapidum imbres, ædes ſacræ ſtatuæque de cœlo tactæ multum timoris incuſſerant; ſed ille in immenſum crevit ex eo quod inter procuranda hæc prodigia evenit.

Tuſci haruſpicis prædictio et mors irrita. Oroſ. 6. 18. Appian.

XXIV. Quippe Tuſcus haruſpex, *actum eſſe de libertate, & antiqua redire Regna, ſeque excepto uno cæteros ſervituros omnes* vaticinatus, compreſſit ſpiritum, vivendique finem ſibi poſuit. At Treſviri tollendos ante omnia præcipuos inimicorum rati, ne conſiliis ſuis impedimento forent, percuſſoribus in Urbem præmiſſis, occupari ſtatim duodecim, vel ut alii tradunt, ſeptemdecim imperarunt, & in his M. Ciceronem. Horum quatuor ſtatim in publico aut inter convivia reperti occiſique, cæteri per ſacra ac profana omnia tumultuoſiſſime quæſiti, tantum excitarunt pavoris, ut tota nocte cum ejulatu ac clamore, quemadmodum captis Urbibus ſolet, diſcurſaretur.

Q. Pedii diligentia & mors.

XXV. Et quia nomina proſcriptorum nondum erant publice propoſita, ſe quiſque peti ratus, in eam deſperationem venerant, ut alii ſuas, alii publicas ædes incenſuri eſſent, ne inulti morerentur; niſi Q. Pedius Conſul ſumma diligentia, hac illac volitans *bene ſperare* juſſiſſet, *& exſpectare diem, vanos aperturam timores.* Deinde quamprimum lux apparuit, nomina ſeptemdecim illorum edidit, *auctores malorum omnium* inculans, & ſecuritati cæteris promiſſæ fidem publicam interponens. necdum enim, quid de Proſcriptione Treſviri conſtituiſſent, cognoverat.

Triumvirorũ ingreſſus in Vrbem. Dio. Appian. Fragmenta Marmorea apud Pigh.

XXVI. Sed ille quidem proxima nocte per nimiam contentionem ruptis vitalibus interiit. Treſviri paulo poſt ingreſſi ſunt triduo, cum cohortibus Prætoriis & ſingulis legionibus. Prima die Cæſar, ſequenti Lepidus, tertio Antonius intrarunt. ſtatimque patuit funus apparari Reipublicæ. Namque diſpoſitis per Urbis opportuna ſtationibus, concionem populi P. Titius Tribunus plebis advocavit, legemque ſimul promulgavit atque pertulit: *Reipublicæ conſtituendæ Treſviros in quinquennium creari cum poteſtate Conſulari*: hoc verbo utebantur, quum pluſquam Regiam rapuiſſent. *eos eſſe M. Lepidum, M. Antonium, C. Cæſarem, ex ante diem V. Kal. Dec. in ante diem Prid. Kal. Jan. ſextas.*

Et impudens voluntatis ſuæ diſſimulatio.

XXVII. Unum etiam ad ſummam indignitatem deerat, ut curatis precibus

Proscripti magno numero primores

exorandi essent suscipere honorem, quem oppressis legibus vi ac fraude invaserant. Igitur & sacrificatum est, tanquam ob magnam & repentinam felicitatem, & ad consuetum habitum Senatus rediit: quamquam & ex iis quæ agebantur, & ex prodigiis recentibus imminentium rerum gravis cura occupasset animos. Nam & armorum telorumque species à terra visæ cum fragore ad cœlum ferri: & in fastigio ædis Æsculapii examen apum; supra templum Genii Publici, itemque Concordiæ vultures consederant. Nam *& hæc præsagire convulsionem boni status, fugamque & cædes* credebantur: *quod post constitutam sedem opesque industria paratas, fumo & turbulento æris strepitu apes pelluntur; & vulturibus hanc inseviisse naturam sagacitatem* putabant, *ut triduo aut biduo ante circum ea loca oberrent, ubi cadavera futura essent.* Jul. Obseq. Dio. Plin. 10. 6. 2.

XXVIII. Neque diu his exspectandum fuit. statim enim atque magistratum Tresviri acceperunt, super septemdecim illos, proscripserunt alios centum triginta, eorumque nomina variis per Urbem locis proponenda curarunt. Neque multo post alios adjecerunt centum quinquaginta. deinde sæpius, & subinde plures; ut aliqui recens damnati erant, aut etiam indemnati perierant, ne innocentes occisi viderentur. Redit Sullanæ crudelitatis exemplum: funeribus Urbs completur: per domos, vias, fora, theatra, templa sanguis funditur, capita in Rostris proposita, mox ad trium viros deportantur: corpora abjiciuntur in profluentem, aut canibus avibusque esca relinquuntur. Proscriptiones civium. App. Otosius. 5. 21. Florus 4. 6. 3. August. de Civit. Dei, 3. 27. Dio.

XXIX. Nec fidum cuiquam aut tutum quidquam erat, quum & excipientibus eadem pœna erat proposita, & absconditis, & vetantibus exuti domos suas, atque apetiti perspicique conclavia omnia. Neque interfectoribus modo promissa erant præmia, sed & indicibus cujuslibet hoc genus facti. Sed edicti sanguinarii hunc in sensum concepta formula fuit. Eius edicti formula. Appian.

XXX. *Nisi tanta quorumdam esset tamque insanabilis improbitas, ut servari nescirent, & servatoribus ultro timendi essent; nihil ad summam humanitatem atque clementiam desiderari hoc tempore pateremur. Sed occasus Cæsar documento nobis esse debuit, ne aut vindictam illius, aut nostra pericula negligeremus. Neque vero consilium hoc nostrum iniquitatis aut sævitiæ arguet, quisquis & ipsi & nobis illatas injurias expenderit. Illum quidem & Imperatorem & Pontificem Maximum excisis aut subactis validissimis nationibus, quæ populo Romano terrori semper fuerant, novas trans Oceanum terras aperientem Imperio, in media Curia, loco sacro, sub oculis deorum interemerunt ii, quos aut in summa sua gratia amicitiaque constitutos, aut bello victos, clementia servatos, ad summos honores opesque provexerat; partim etiam testamento hæredes instituerat.* Necem Cæsaris exaggerant.

XXXI. *Nec occidisse contenti, trivus & viginti vulneribus lacerarunt, ut sævitiæ & perfidiæ ludibrium adjicerent. Cæteri vero boni viri, tantum abest, ut animadvertere in parricidas conati sint, ut etiam magistratus illis, provincias, exercitui darent, quos illi abusi publicas diripuerunt pecunias, atque inde majores adversus nos copias comparaverunt. quin & accitis barbarorum auxiliis, atque eorum barbarorum, qui semper hostili animo in populum Romanum fuerunt; Romani juris civitates, quotquot imperata facere scelleratorum hominum recusabant, vi metuque adegerunt ad partes; alias etiam diruerunt cremaruntque.* Senatum perstringunt favente percussoribus. Hostes suos relinquere nolunt domi ad transmarina bella profecturi.

XXXII. *At nos ab aliquibus horum jam sumpsimus pœnas; idque uti videatis etiam in reliquis, dii dabunt. Quod igitur constituta domi Republica, magnisque*

Proscriptionis tabula & formula.

per Hispanias, per Gallias gestis rebus, unum etiamnum grave certamen contra parricidas, qui transmarinis provinciis incubant, certaturi sumus; nec tutum esse, nec aut nobis aut patriæ utile arbitramur, dum gerundi belli caussa peregre absumus, hostes à tergo relinquere, qui temporibus nostris insidientur, & nobis alibi occupatis, denuo fluctus aliquos in Urbe atque Italia excitent.

Sed in tollendis moderationem pollicentur.

XXXIII. *Igitur ne dilatum quidem oportuit, quin è vestigio de medio tollerentur: quando ipsi priores denunciarunt nobis periculum, bellumque intulerunt, hostes judicando & nos, & qui nobiscum essent exercitus. Nec vero nimium aut invidiosum rati sunt, tot simul civium millia destinare exitio: quos imitaturi non sumus. neque enim molesti nulli multitudini erimus; neque etiam ex divitum aut honoratorum numero inimicos omnes conquiremus; sed in pessimum tantummodo & fœdissimum quemque advertemus.*

Et totum negotium reliquis salutare esse contendunt Oros. 6. 18. Appian.

XXXIV. *Igitur licet plures esse inimicos credibile fiat tribus quàm uni: pauciores tamen puniemus, atque alius ante nos Imperator in constituenda Republica fecit, quem vos ob rem bene gestam Felicem cognominastis. Sane etiam vestra non minus, quàm nostra refert, esse aliquem certaminum finem, exscindique velut radices bellorum, quibus jam olim atterimini, paulo post interituri cum Republica, nisi caussæ duceique factionum tollantur. Expedit etiam nonnihil facere in gratiam exercituum, ne injurias suas contemni à nobis putent.*

Pœnas in receptores proscriptorum statuunt.

XXXV. *Et poteramus quidem comprehendere citra negotium quos supplicio addiximus; sed vestræ salutis ergo, ne velut in cæca licentia militum ira latiùs quàm sit imperatum evagetur; proscribere nominatim, certoque atque definito numero malumus. Quod igitur fausstum felixque sit, nobisque & Reipublicæ salutare, quorum huic edicto subjuncta sunt nomina, eorum neminem recipere, celare, dimittere quisquam velit: neque pecuniam accipere, quo quid quam eorum faciat: qui secus faxit, inter proscriptos & ipse referatur. Capita occisorum ad nos reportantor: in singula, si liber retulerit, vicena quina sestertia; sin verò servus, cum libertate & civitate quam herus habuerit, denadantor: indicibus paria præmia sunto. nomina præmium accipientium in occulto manento; nec in commentarios referuntor.*

Proscriptionis tabula proponitur. Oros. Appian.

XXXVI. Hac clausula timori occurrebatur, ne quis exemplo M. Catonis Quæstoris repetere aliquando data hoc nomine præmia posset. Proposita deinde proscriptionis est tabula, & velut ordine servato proscribentium, quorum primus fuerat Lepidus, proximus Antonius; primo loco Lepidi frater proscriptus est Paulus; secundo L. Cæsar avunculus Antonii; quod horum quoque sententiis judicati hostes illi fuerant, proximi frater L. Planci Plotius, & L. Quintius Pollionis Asinii socer legebantur; quum Asinius & Plancus alia tabella juxta posita, designati Consules nunciarentur.

Comparatio proscriptionis nuius cum Sulana. Suet. Aug. 27. 30. App. Dio. Sullana.

XXXVII. Ejusmodi viros in primis tabulis proscribi placuerat; ne quis aliorum sperare veniam auderet. His additus C. Toranius; qui tutor Cæsaris, idemque patris ejus Octavii collega in Ædilitate fuerat. Erant omnino multis de caussis graviora hæc Sullanis temporibus mala: non ob multitudinem occisorum, quin aliquanto minor numerus tum interiit. patentibus adhuc effugiis, & errore sublato, qui in proscriptione Sullæ multos, de quibus non erat cogitatum, fefellerat. Quum enim factum hoc recordarentur Treviri, ne periculum ex simi-

litudine nominum aliis quàm qui peterentur eſſet, ſeorſim Senatores, in alia tabula cæteros proſcripſerunt.

XXXVIII. De numero tamen auctores diſſentiunt. Qui plurimum ponunt, Senatores proſcriptos circiter trecentos tradunt, Equitum duo millia; qui minimum, Senatores centum triginta. Sed priori proſcriptione minus & apud interfectores malitiæ, & apud interfectos miſeriarum fuit. Juſſu enim Imperatoris, nec inviſos antea, nec inſenſos, ſubito percutiebant; ut tempori magis imputari hæc crudelitas, quàm animo poſſet: & qui peribant, ante metum mortis occiſi, nece tamen ſimplici defungebantur. Tum vero nondum exoleſcente ſuperiorum malorum memoria, quin & ſuperſtite aliquo numero, qui pars illorum fuerat (nec enim amplius ſeptem & triginta anni intercrant) magno autem eorum qui audiverant recens perpetrata; evenicbat, ut & qui facturi eſſent eadem, quadam improbitate ſuperare propoſitum exemplar ſtuderent; & qui paſſuri, omnium cruciatuum quos cuiquam accidiſſe meminerant, in ſemetipſos ſpeciem atque dolorem imaginando timendoque exſequerentur. Hæc terribilior et gravior. App. Plut. Ant. c 26. Liv. Epit. Oroſ. 6. 18. Plin. 6. 43.

XXXIX. Hoc quoque nomine gravior erat Triumviralis proſcriptio, quod Sulla tantum inimicos tollebat, aut ex cæteris prædivites (his enim præcipue timenda eſt omnis rerum converſio, ipſis opibus deſideria potentiorum irritantibus) nunc autem non inimici modo aut divites, ſed amiciſſimi quique, præter & ipſorum & omnium expectationem proſcribebantur. Non enim unis tantum de cauſſis ſtringebantur Triumvirorum gladii: ſed & privatim inviſi peribant; & multo plures eorum, qui dominatum adſectantibus ullo modo obſtare videbantur. Ideirco quiſquis unum horum præcipuis adſectatus ſtudiis fuerit, à duobus pro hoſte notabatur; & quia duos offendere unus nolebat, etiam ab hoc odium reddebatur pro gratia: ut idem homo & amiciſſimus cuipiam horum, & inimicus omnium videretur. & quia invicem ſe cogitabant peſſumdare, non minus ſpoliare ſeſe mutuo amicis, quàm tollere hoſtes ſtudebant. In qua etiam amici proſcripti. Lactant. 6. 12. Dio.

XL. Igitur ut hoc adſequerentur, valde illiberali permutatione concedebant invicem neceſſarios ſuos ad necem, ut viciſſim alterius familiares tollerent. & ſi quidem par videretur ratio, ſinguli pro ſingulis dabantur: interdum & pro uno præpotente tres minore dignitate, aut quatuor. Tria igitur ad ſummum delicta erant, quæ morte vindicanda judicabant qui tum rerum potiebantur. Unum ſi quis inimicus eſſet: alterum, ſi amicus uni aut duobus reliquis collegis: tertium, ſi magnas opes poſſideret. quod enim ad perficienda quæ animo deſtinaverant, plurima pecunia erat opus; quemlibet hoſtium habebant numero, à quo illa tenerctur. Quadam Triũ Virorum permutatione.

XLI. Caſſius enim & Brutus ex Aſiæ vectigalibus, vicinorumque Regum atque Tetrarcharum collatione, magnas atque paratas habebant opes; his Europa reſtabat, vacua, & continuis exhauſta bellis. Igitur inter alia ſæva & pudenda, puerum quemdam virilem togam ſumere coegerunt, ut tanquam virum occiderent. Atilius is fuit, qui deducentibus eum ex more amicis, repente inter conjuratos adſcriptus eſt. Opum cauſa proſcripti quidam pueri.

XLII. Atque ita deſolatus fuga ſervorum atque comitum, quum ne mater quidem eum præ metu recepiſſet, in montana confugit: mox fame premente degreſſus in planitiem, à plagiario quodam interceptus eſt (nam id quoque genus Cæſarem hic excuſans Dio refellitur. Tacit. 2. 2.

nem dimicare cum civibus cogerentur: revera, ut exigerent nondum perſolutas pecunias, Cæſarique darent Conſulatum.

Cæſaris concio adverſus Senatum.

LIV. Nec hoc timide fiebat amplius, ſed palam advocata concione. *Quouſque*, inquit, *commilitones, adverſariorum inſatiabilem importunitatem perferimus? Hæc ſcilicet, ut plurima vobis ante nota præteream, præmia meruimus, ut ab his vexemur atque opprimamur, quibus noſtro ſanguine ſalus atque ſecuritas parta eſt. Antonii præda fuiſſent, neque rem aut publicam aut ſuam tueri quiſquam eorum potuiſſet, niſi ego ille puer (ſed virum ſentient!) niſi ego, inquam, quem puerum apellare conſueverunt, vobis adjutoribus cauſam ſuſcepiſſem publicam, & nimiam Antonii ferociam Mutinenſi victoria refrænaſſem.*

Cujus ingratum animum accuſat.

LV. *At illi præclaram ſcilicet vicem ſervatoribus ſuis reddunt, contemptum, ignominiam, pericula. neque deſinent, niſi caverimus, priuſquam univerſos, alios alia fraude circumventos deleverint. Hoc enim agunt homines Pompejanis partibus devoti, ut eos qui patri meo navarunt operam, occaſione temporum inter ſe commiſſos, mutuis vulneribus conficiant. Ideo nempe bella ex bellis ſeruntur, donec omnes, quos ob militiam Cæſaris peroſi ſunt, duces militeſque prorſus interierint. Neque enim alio pertinuit, quod nuper duabus legionibus oblata ſunt præmia: quàm ut ex dolore cæterarum oriretur in hoc exercitu perniciosa diſſenſio.*

Periculum ab his militibus & ſibi oſtendit.

LVI. *Quàm vero ſint infenſi Cæſaris amicis, numquid proximis diebus oſtenſum eſt? quum ab Antonio quidem, ſed ex parentis mei commentariis data cunctis eriperentur. Unde & vobis facilis eſſe conjectura poteſt, quæ veſtra ſit futura conditio, qui agros, qui pecunias accepiſtis à Cæſare, ſiquidem hi Rempublicam obtinebunt: quæ vero mea, dum regnabunt in Senatu percuſſores patris mei. Sed mihi quidem curæ erit, ut neque vita mihi incuſtodita ſit; neque mors indecora. Veſtri me miſeret, quibus nemo relinquetur, à quo ſperetis operæ patri mihique navatæ pretium. Nam me quidem ab ambitione longius abeſſe, quàm huic ætati credi potuiſſet, ipſi comperiſtis, quum oblatum à vobis imperium abnui. nunc alia conditio eſt temporum, neque pro vobis, neq; ad ultionem patris quidquam profecero, donec ero privatus.*

Quod non niſi ſe Conſule diſcuti poſſit. Dio. 46. 7. 17.

LVII. *Ea me cauſſa Conſulatum petere coëgit: atque is eamdem ob cauſam negatur ab his, quorum intereſt neminem eſſe aut veſtrarum utilitatum procuratorem, aut Cæſarianæ necis vindicem. Igitur communis ſalutis mihi vobiſque tantum unam reliquam video viam, ſi veſtro favore Conſulatum conſequar: nec enim aliter aut quæ à parente meo accepiſtis confirmari, aut quæ à me expectatis perſolvi quibunt. Sed & ad publicum bonum, quietumque patriæ res pertinet. percuſſores enim patris reos agam, quibus ſublatis, finis aliquando civilium bellorum erit.*

Centuriones Cæſari Conſulatū ab Senatu petunt. Appian. lib. 3. 11. Civil. Cic. Phil. 5. 17. D. o.

LVIII. Alacri adclamatione militum hæc excepta: delectique ſtatim ex promptiſſimis veteranorum quadringenti, qui legatione ea fungerentur. Quum *Patres ætatem* Cæſaris exeuſarent, centuriones legationis principes (edocti enim erant) reſponderunt, *& apud antiquos Rullis, Deciis, Corvinis, multiſque alius Conſulatum fuiſſe creditum, & recentiore memoria ſuperiorem Africanum, Titumque Flaminium admodum adoleſcentes Conſules factos, utilem Reipu-*

blicæ operam præſtitiſſe Magnus quoque Pompejus & Dolabella adlegabantur, *atque in hoc ipſo Cæſare factum Senatus decretum, quo multis annis ante legitimam ætatem honores petendi facultas conceſſa erat.* Quum propter gravitatem negotii tempus traheretur; legati, ut moniti à Cæſare erant, *impunitatem* petere *Antonianis* cœperunt, ut credibile eſt, non tam impetrandi propoſito, quàm ad tentandos Senatus animos, an & huc adduci poſſit; & ſi ſuccenſeret, hunc armorum prætextum habituri.

LIX. Sed eluſum ſatis commodo aſtu periculum eſt, contradicente nemine, ſed pro magno aliorum numero eadem poſtulantibus pleriſq; unde effectum eſt, ut citra invidiam propter multitudinem hominū, quibus in cauſſa diſpari paria concedi rectum non eſſet, tota res omitteretur. Inter has altercationes, quum ferociter loquuti milites, atq; ab Senatoribus nonnullis increpiti eſſent, acrius ad Conſulatum Cęſari conficiundum exarſerunt, & quia intromiſſi in Senatum arma depoſuerant, caput legationis Cornelius centurio Curia egreſſus reſumpſit gladium, ſaguloq; rejecto capulum oſtendens, *ſi vos non dederitis*, inquit, *hic dabit.* Minis poſtremo additis. Suet Aug. 26. a. Dio. Sueton.

LX. Quo tempore Ciceronem reſpondiſſe ferunt, *ſi hoc modo petieritis Cæſari Conſulatum, auferetis.* Eaque vox exitium ei acceleraſſe creditur. namque Cæſar libertatis ſtudioſiſſimum eſſe cernens, viliorem habere cœperat. Hæc quum in caſtris audirentur, exaſperati ſunt milites, confeſtimque ad Urbem duci voluerunt. Nec Cæſar lenivit, quin verbis adaugens iras, barbara ſuorum dicta factaque non reprehendit; Senatum increpavit, *quod milites intrare Curiam inermes juſſerat, quodque interrogati à Senatore quodam fuerant, ab exercitu, an vero à Cæſare mitterentur?* Igitur propere legatis quibuſdam ad Lepidum & Antonium (nam & cum Antonio gratiam, Lepido ſatagente, reconciliarat) cum octo legionibus & magno equitatu atque auxiliis, coactus ſcilicet à militibus, Rubiconem tranſiit, unde & proximi belli civilis initium fuerat. Cæſar Rubiconē tranſit. Plut. Anton. cap. 24. Appian. Dio. Liv. Epit. Oroſ. 6. 18.

LXI. Inde biſariam exercitu diviſo, cum potiori parte contendit Romam, cęteris ex commodo ſequi juſſis. In itinere, ut fit ubi milites Imperatorem ducunt, minime à maleficiis temperatum. homines qui forte per viam occurrerant, & in his Eques Romanus; pro ſpeculatoribus occiſi: direptæ adverſariorum villæ. legati qui cum pecunia veniebant, Cæſaris artibus terrore injecto refugerunt. Hæ res tanta conſternatione replerunt Urbem, ut nihil ad extremum terrorem ſupereſſet. Inde Romam contendit. Appian. Dio.

LXII. Anxii Patres, & alius alium varie accuſantes, *quod exercitus ademptus Cæſari, quod triumphus denegatus, quod præmia militum maligne repræſentata eſſent;* repente in contraria omnia tranſierunt: nuſquam jam adparente Cicerone, qui multus antea ubique fuerat. Augetur donativi modus, neque duabus jam, ſed *octo legionibus* decernitur. *Decemviri ceſſare, Cæſar dividere præmia* jubetur: *ipſe abſens Conſul* deſignatur. ad hæc omnia ſignificanda legati feſtinanter emittuntur, ſed neque milites flexit profectum ab invitis beneficium: & Senatus fœda inconſtantia, vix dum egreſſis porta legatis conſilium mutavit: excipiente metum pudore, quod indigna viris trepidatione ſubacti prono collo exciperent jugum, nihil pro libertate auſi. *Quod igitur poſtea vacaturum periculo & ignominia tempus, ſi hæc conſuetudo invaleſcat, ut ambitione cujuslibet honores armis obtineantur? quin huc eniterentur, ut militem, ſi lenibus* Senatus fœda inconſtantia. Plut. Cæſ. c. 78. Appian. Dio.

conſultis requiret, conſtantia & ſeveritate in officio continent. armis opus adverſum armatos eſſe.

Et ſubita fiducia. Theurnus lib. 11. Dio. Appian. LXIII. *Si primum impetum fregerint, ſubiturum animos pudorem, ſubiturum reverentiam patriæ, & metum ex legibus. Quod ſi præter ſpem arma pro Republica accepta contra eam miles verterit, L. Plancum, D. Brutum adfuturos auxilio. Denique ſi neque pudore militis, prohiberi fatum Reipublicæ, neque armis defendentium poſſet; at illi occumberent pro libertate potius, quàm male & infeliciter expertam dominationem reciperent. Et majorum exempla* memorabantur, *quibus præ amore libertatis nihil ſuerit in vita charum atque pretioſum.* Hujuſmodi inter ſe dictis animati, mox in maximam fiduciam venerunt, poſtquam eadem die adpulſis ex Africa legionibus duabus, equitibus mille, *dius ipſis curæ eſſe cuſtodiam civitatis* interpretati ſunt.

Mox iterum timor. App. Dio. 27. 1 5. Jul. Obſeq. LXIV. Igitur adjuncta legione quam nuper Panſa præſidio Urbi reliquerat, Janiculum ubi pecuniæ erant repoſitæ, pontemque fluminis occuparunt præſidiis: per Urbem diſpoſuerunt ſtationes; in portu quoque parandas naves curaverunt, ut victi cum pecuniis fugerent. Cæſarem *intra centeſimum ab Urbe lapidem cum exercitu conſiſtere* vetuerunt. Hæc ſatis confidenter acta. Sed ubi ſigna legionis à Panſa relictæ araneis velut ex longo ſitu oppleta venire viſa prodigii ſpeciem metumque fecere; quæſitæque Cæſaris mater & ſoror non comparuerunt, amicis apud quos celabantur, gratiam minaſque adverſariorum pariter ſpernentibus; iterum rediit timor, tanta opportunitate amiſſa, quod his obſidibus quidlibet impetraturi facilius à Cæſare fuerant.

Interim Cæſar Urbē intrat. Dio 46. 7 24. App. LXV. Atque ille ſuis timens, quum prioribus Patrum legatis, dum mandata exponunt, mutatæ ſententiæ nuncium ſuperveniſſet, cum irritatis ſupra modum militibus Romam properat; præmiſſis qui *bono animo eſſe populum Romanum, & quieſcere* juberent, *nihil hoſtile paſſurum.* Ita pacato agmine acceſſit, omnibuſque citra controverſiam in poteſtatem acceptis, ſub Quirinali colle conſtitit. Eò ſtatim mira mutatione adfectuū venerunt quidam ex Senatoribus, mox etiam promiſcua multitudo ſalutandi ipſum militeſque gratia. At ille caſtris in loco poſitis poſtridie Urbem, ſeptus idonea manu, intrat; quacumque incedit, occurrunt ſalutantium gratulantiumque agmina: nihil in ſpeciem officioſæ humanitatis prætermittitur. Sic ad ædem Veſtæ pergit, ubi matrem ſororemque eſſe audiverat.

Urbanas legiones, in deditionem accipit. Dio. Appian. LXVI. Interim & illæ tres legiones miſſis legatis fecerunt deditionem. Ex Prætoribus qui præfuerant, Cornutus ſibi manus intulit; reliqui in fidem recepti ſunt. Cicero per amicos impetrato Cæſaris colloquio, magnis eum laudibus extulit, *ſe quoque Senatui deferendi Conſulatus auctorem fuiſſe* dictitans. Reſpondit Cæſar, nec ſine morſu: *Ciceronem ſibi noviſſimum amicorum occurrere.* Sequuta deinde nocte vanus rumor terruit civitatem, *Martiam & Quartam legiones adeſſe, diripiendæ patriæ cauſſa.* Tum iterum velut furore tacti principes, & lecture crediderunt dictis, & ſuis ſe viribus ſuſtinere poſſe Cæſarem, quamvis tantas habentem in proximo copias, rati ſunt.

Senatus alius vanus conatus. Cic. Philipp. 14 6. LXVII. Igitur eadem nocte Senatu habito M. Aquilium Craſſum emiſerunt ad parandas è Piceno copias: idque tanquam lætum nuncium diſcurrente per Urbem Tribuno plebis Apulejo vulgarunt. Sed ubi falſam fuiſſe famam reſcitum eſt,

Proconſules creati comitiorum cauſa.

Cicero, qui pro foribus Curiæ Senatores adventantes cum laudibus exceperat, in lectica fugit. Cæſar irriſa hominum vecordia *exercitum in campum adduci* juſſit. quo tempore lætum ei augurium apparuit ſex vultures. nec tamen in quemquam conſuluit durius, quin etiam Craſſum, qui ſervili habitu in Picenum penetraverat, dimiſit incolumem, interim clementiæ captans laudem, mox eoſdem quibus tum videbatur ignoſcere, proſcripturus. Appian. Jul. Obſeq. cap. 128.

LXVIII. *Pecuniam* autem *ex Janiculo, & quidquid ubivis publicæ* fuit, comportari juſſit: ipſe exceſſit Urbe, libertatem ſcilicet præbiturus Comitiis. eo jam adductis rebus, ut eadem omnia abſens poſſet. Igitur & nova Comitiorum forma fuit, quia more majorum Interrex prodi tam celeriter non poterat, abſentibus pleriſque patriciis magiſtratibus. Nam decreto Prætoris Urbani (exſtincto jam Cornuto Q. Gallium fuiſſe conſtat) duo nominati ſunt Proconſules Comitiorum habendorum cauſſa; his perfectis, nihil ultra poteſtatis uſurpari. Ab his Conſul creatus Cæſar, collegæ nomine Q. Pedium Q. F. adminiſtrum accepit. & exſultabat adoleſcens honore ante tempus capto, quem præter juniorem Marium nemo præcocius invaſerat: Conſulatum enim, ſi civiliter computes, annos undeviginti natus iniit; ſive dies ineundi XIV. Kal. Septembr. (variant enim Scriptores) ſive X. Kal. Octobr. fuit: revera viceſimo ætatis anno, quia trimeſtre circiter correcti ab Julio faſti abſorbuerant: quod ſpatium tametſi proceſſerat, tamen vulgo non computabatur. Cæſar novæ formæ Comitiis Conſulatum adipiſcetur. Dio lib. 56. App. Auct. de cauſ. corrup. Eloq. & Fragment. Collot. apud Pigh. Jul. Obſeq. Caſaubon. ad Suet. Aug. 26. a

---

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CÆSAR Conſul legem tulit de quæſtione habenda in eos, quorum opera pater occiſus eſſet: poſtulatique ea lege M. Brutus, C. Caſſius, D. Brutus, abſentes damnati ſunt. Quam M. Antonio vires Aſinius quoque Pollio, & Munatius Plancus cum exercitibus ſuis adjuncti ampliaſſent, & D. Brutus, cui Senatus ut perſequeretur Antonium mandaverat, relictus à legionibus ſuis profugiſſet; juſſu Antonii, in cujus poteſtatem venerat, ab Capeno Sequano interemptus eſt. Cæſar pacem cum M. Antonio, & Lepido fecit: ita ut Treſviri Reip. conſtituenda per quinquennium eſſent, ipſe, & Lepidus, & Antonius, ut ſuos quiſque inimicos proſcriberent: In qua proſcriptione plurimi Equites Romani, CXXX. Senatorum nomina fuerunt, & inter eos L. Paulli fratris M. Lepidi, & L. Cæſaris Antonii avunculi, & M. Ciceronis: hujus occiſi à Popilio legionario milite, quum

Senatui reconciliantur Antonius & Lepidus.

torſit, negantemque juſſit occidi, prius oculis ſua manu effoſſis.

Cæſaris libri de vita ſua. Sueton. Aug. 8.3. & 27.81. Appianus. Dio.

VI. Ipſe ſcripſit in libris de vita ſua, *Q. Gallium colloquio petito inſidiatum ſibi, conjectumque à ſe in cuſtodiam: deinde Urbe interdicta dimiſſum, naufragio vel latronum inſidiis periiſſe.* Crudelitatem Cæſaris, quo plus metuebatur, ſtudioſis tegere atque adjuvare niſi ſunt omnes. Gallio magiſtratum abrogarunt collegæ: populus diripuit domum: Patres capitis damnaverunt. Namque fortunam adoleſcentis omnia ſequebantur. & alii formidine, multi favore, pars magna præmiis incitabatur. Quippe *& accuſatoribus percuſſorum pecunia* promiſſa erat; *& magiſtratus quem accuſatus gereret, militiæq; vacatio ipſis liberiſque & nepotibus.*

Cæſar amicitiam Antonii experit. Vell. 2.69.6. Plut. Brut. Appianus. Dio.

VII. His motus, opinor, Capito, Velleii Hiſtorici patruus, Agrippæ ſubſcripſit in C. Caſſium. Nam M. Agrippam Caſſio Cæſar, L. Cornificium Bruto accuſatores appoſuerat. Nihil erat actum damnatione reorum, niſi & vi armiſque poſſent ſuperari. Namque Brutus atque Caſſius *jam habere legiones circiter viginti* dicebantur. Idcirco Cæſar ad hos debellandos amicitiam Antonii ſibi neceſſariam fore videns, à quo propter adfinitatem diſſociari Lepidus nequiret; eò contulit conſilia, ut hos interim haberet adjutores, poſtea ſublatis eorum ope percuſſoribus, ipſos quoque tollendi rapturus aut facturus occaſionem.

Diverſum interim ſimulans. App. Dio.

VIII. Ne tamen ejus propoſiti emanaret intempeſtiva ſuſpicio, neque de rebus iis retulit, & quaſi bellum illaturus hoſtibus judicatis, ad mare Superum lentis itineribus proceſſit. Interea ex compoſito Q. Pedius ad Senatum *de venia Lepido atq; Antonio concedenda* retulit. Alia jam plane rerũ facies eſſe cęperat, ut qui modo pro defenſoribus libertatis habiti fuerant, tanquã hoſtes & parricidæ in exſecratione eſſent: contra deſpecti modo & tantũ non hoſtes patriæ judicati, non benevoli tantum fidique Reipublicæ, ſed etiam civitatis ac Senatus patroni haberentur.

Sic Antonius et Lepidus Senatui reconciliantur. Euſeb. Dio. Appian.

IX. Igitur ad Cæſarem Senatus miſit, tanquam ignarum eorum quæ agerentur, ut hujus ſententiam exquireret. Atque is, *omnia alia cupientem, vi militum adigi ad conficiendum* reſcripſit. ſequutumq; Senatuſconſultum, quo prius decretũ antiquabatur, cum amicis ad eos literis. Eam ob cauſſam Senatui gratulatus eſt Cæſar, Antonioque ſcripſit, *auxilio ſe venturum adverſus Decimum ſi ei videretur.* Ob hæc collaudatus ab iiſdem Patribus, quibus paulo ante nihil Decimo charius, nihil exſecrabilius Antonio fuerat. Adeo facile convelluntur animi externa tantum ſpectantes, quotieſcumque eorum à quibus dependent, aliqua intervenit converſio. nec enim abripi fluxu mortalium fas eſt, quiſquis conſtantibus veriſque bonis inniritur.

Unde D. Bruto periculi, Cic. Famil. 10. 24.26. & 11. 13 Dio. Et conſilium ad M Brutum evadendi. Cic. Famil. 10. 24. & 11. 13. 12. 8. Dio. Vell. 2 63.4. App. Plancus ad Ciceronem. Brut. ad Cic.

X. Sed Antonius reſpondit *in Decimo ſe vindicaturum Cæſaris injurias, in Planco ſuas: Cæſarique ſe conjuncturum.* Hinc vero D. Bruti res ſubito miſerandum in modum labare cœperunt. Is tertio poſt Mutinenſem pugnam die inſequi Antonium orſus, poſtquam receptum à Lepido audiit, cum L. Planco qui deſignatus unà Conſul ſequentem in annum fuerat, conſilia vireſque ſociaverat. Sed ubi ſe damnatum eſſe Romæ, Aſinium Pollionem ſemper Julianis partibus fidum, cum ſuis legionibus acceſſiſſe Antonio, & inſuper ſolicitare Plancum cognovit; diffidens rebus ſuis, adverſus Cæſarem convertere ſigna cœpit.

XI. Sed deſertus à Planco, mox etiam peritus inſidiis, extremam in deſperationem incidit. Nam Plancus frequentibus epiſtolis multa de ſe Senatui, multa Ciceroni liberaliter & facunde pollicitus, ad potentiores deſciverat: quatuor tranſductis ad Antonium legionibus. Idcirco Brutus, numero quàm viribus

ampliores copias agens, quod ex decem legionibus una tantum veteranorum erat, altera bima, eæque nondum ſatis ex inopia Mutinenſi recreatæ; relicta Gallia, per Ravennatem & Aquileienſem agrum in Illyricum ducere conatus eſt, ut in Macedoniam ad M. Brutum evaderet.

Sed Cæſar & Antonius obſtant. App. Illyric et lib. III. Civil.

XII. Sed quando iſtam quidem viam Cæſar & Antonius obſepſerant, & in Japydia congreſſum repulerant: relictis machinis, alia longiore atque difficiliore via Rhenum petere ſtatuit, atque ibi transjectus per Germaniam proficiſci. Sed ubi conſilium ejus emanavit in milites, deſperare omnes, atque alia circumſpicere præſidia cœperunt. Primum ad Cæſarem ſex tranſierunt tyronum legiones cum auxiliis ſuis: reliqui mox omnes ad Antonium. ſolis permanentibus Gallis Equitibus, quibus cuſtodiam corporis ſui crediderat.

D. Bruti fuga. Strabo lib. 5. Appian. Oroſ. 6. 18.

XIII. Cum his per Salaſſos, empto tranſitu, ſinguliſque in capita denariis datis, penetravit in Galliam, dimiſſiſque & donatis qui domum reverti maluerant, cum equitibus omnino trecentis ad Rhenum venit. Ibi vero, dum ad difficilem plerumque periculi tranſitum contatur, paulatim deſertus decem tantummodo comites retinuit. Idcirco hac ipſa paucitate ſpem dante fallendi, rurſus Aquileiam petere conſtituit, Gallico habitu ſumpto, nam & linguæ non ignarus erat.

Et cædes Appian. Velleius. 2. 64 ſ. Val. Maxim. 4. 7. 6. Liv. Epitom.

XIV. Sic oberrans, quum captus à latronibus Sequanis vinctuſque eſſet, *cujus eſſet ea ditio* interrogavit. Ubi reſponſum eſt *Camilli eſſe*, *duci ad eum* poſtulavit; quod ſua quædam beneficia Camillus habebat. Sed ille palam objurgans ſuos, *qui per ignorantiam in tantum virum injurioſe peccaviſſent*; clam nuncios ad Antonium miſit. ille propere Furium quemdam cum equitibus ire juſſit: à quo trucidatus eſt Brutus. Caput ad ſe delatum inſpexit Antonius, ſepelirique juſſit. Nec obliteranda duorum amicorum Bruti memoria, quorum alter in gratiam ejus ſibi conſcivit necem; alter quum mori pro eo cuperet, invitus ſupervixit.

Amicorum ejus fides: Val. Max. 4. 3. 3. Sen. epiſt. 24.

XV. Territus equitum adventu Brutus in latebras ſe abdiderat. Has ubi repererunt Antoniani, Ser. Torentius obtulit ſe irrumpentibus, Brutum ſimulans, ac obſcuritate loci ſperans falleret. Sed agnitus à Furio, ſervatuſque eſt. Brutum caſus ſuos deplorantem, & inani ſubterfugio ſubtrahentem gladio cervicem, Helvius Blaſio ad ferendam fortiter mortem, non voce tantum, ſed & exemplo ſuo excitare niſus eſt; ſibique ultro intulit manus. Nec ultra profectum, quàm ut præmetu mortis vecors homo, Furio admonenti, *conſtantius præberet cervicem*, reſponderet his ipſis verbis, *Ita vivam*, *dabo*.

Minucii Baſili mors. Appian. Oroſ. 6. 18. Dio. Plut. Ant. c. 24.

XVI. Sic alter hic poſt C. Trebonium pœnas interfecti Cæſaris dedit: & ſub idem fere tempus alius ex percuſſoribus Minucius Baſilus, quum per iram quoſdam ſervorum caſtraviſſet, à familia interemptus eſt. At Antonius maximi rurſus exercitus Imperator, adjuncto Lepido, cum decem millibus equitum, & legionibus ſeptendecim Alpes iterum tranſcendit; ſex relictis in Gallia, ſub compotore ſuo, L. Vario Cotyla. Necdum enim ſatis fidebant Cæſari: neque etiam magis illius beneficio, quàm ſuis viribus reſtitutos videri decorum rebantur. Similiter in hos adfectus animo Cæſar, Bononiam occurrit cum valida manu. callidos & tempori ſervientes facile mutuus metus jungit: iræ atque odia in occaſionem differuntur: fit pactio, ut inter ſeſe de rebus omnibus colloquantur. & quia par utrobique timor erat, omnia ſolicite exæquantur.

Digitized by Google

XVII. Et Fortunâ providerat. Medio inter diversa castra spatio, nomine non magnitudine par Germanico Rhenus parvam insulam efficit (hodie peninsula esse dicitur) plano solo, & parum insidiis apto. Ad hujus viciniam adduci legiones quinas placuerat: deinde his æquali spatio relictis, pergi cum trecenis comitibus ad pontes. duo enim erant, hic Cæsaris, ille Antonii castra respiciens. Hoc ubi factum, Lepidus, cui cum neutro simultas fuerat, præmissus ad speculandum, esse rne omni ex parte vacua insidiis insula, paludamentum extulit. Colloquium Cæsaris et Antonii. Silius 8. Plutarch. Appian.

XVIII. Eo signo conspecto, utrimque relicto ad pontes comitatu, Cæsar & Antonius in media insula, loco undique conspicuo, ubi sellæ erant positæ, congressi sunt: seque mutuo, ne forte sub alis pugiones haberent, excusserunt. Inde Cæsar, tanquam Consul, in medio; cæteri lateribus ejus adsederunt: summissaque voce colloquuti sunt, ne quid ab iis, quos ad pontes adduxerant, excipi posset. Hoc continuo biduo factum, ut ab orto die ad occasum usque contenderent. Tertio demum die cessit Cæsar, ut inter alios qui exitio communiter destinabantur, proscribi Ciceronem paterentur: *sine qua conditione* negabat Antonius *reconciliationem fieri posse*; atque Antonio Lepidus adsentiebatur. Cæsar Antonio concedit de Ciceone. Dio. App. Lipsius epist ad Italos 90. supr. 27 8. Plut. Cicer. cap. 67.

XIX. Eratque tantus hominum furor, ut vicissim Antonius avunculi sui L. Cæsaris, Lepidus fratris Pauli necem gratificarentur: dum inimicos tollerent, ne quidem necessariis parcentes. & præterea odio suorum, à quibus increpati forte fuerant, accensi. Cæterorum quæ tunc decreta sunt, hæc summa fuit. *Cæsar Consulatum in reliquam anni partem P. Ventidio cedat. Tresviri Reipublicæ constituendæ per quinquennium sint, eumque magistratum Lepidus cum Antonio ac Cæsare Consulari potestate gerant: iidemque confestim in istud quinquennium magistratus Urbanos designent: in his neque Senatus auctoritate, neque populi jussu sit opus: provincias seorsim Lepidus Hispaniam omnem cum Narbonensi Gallia; cætera Galliarum citra & ultra Alpes Antonius; Africam utramque, Sardiniam ac Siciliam Cæsar obtineant.* Triumviratus constituitur. Sene...Suafor. 6. Florus 4.6.4. Plut. Ant c 25. Cic. ad Brut. 2.2. Appian. Tabul. Collat. apud Pigh. Liv. Epitom.

XX. Transmarinæ provinciæ silebantur, sive ut opinionem efficerent Tresviri non omnia se sibi cupere; sive potius, quia tum illæ in potestate percussorum, & bello reperendæ erant. *Id vero bellum Antonio Cæsarique demandari, Lepidum in locum D. Bruti Consulatum invadere, Romamque & Italiam custodire placuit, Hispanias & Narbonensem per legatos obtinere.* Ad hæc tres ei legiones sufficere visæ, cæteræ ita distributæ, ut viginti Antonius, totidemque Cæsar haberent. Militibus inter alia victoriæ præmia, *coloniæ* quoque promissæ *duodeviginti urbium Italicarum, quarum in agro ficia finesque deducerentur.* Partes inter Triumviros dividuntur. Dio. Appian. Plut Ant. Flor. 14.7 5.

XXI. Neque contemptissima ea pars Italiæ erat; sed pulcherrima oppida lætissimusque ager destinabatur, Capua, Rhegium, Venusia, Beneventum, Nuceria, Arminum, Vibona. In has conditiones junxerunt manus, jurejurando interposito: & quia diis testibus non satis obstricta fides videbatur, etiam advocarunt exercitus. iisque Cæsar, pro honore magistratus quem gerebat, de scripto recitavit omnia, præterquam de proscriptione, quod convenerat. Sic exercitus inter se consalutaverunt, & quo firmior esset imperatorum concordia, postulatum est, *uti velut obsidem reconciliatæ gratiæ, privignam Antonii Claudiam*, vixdum nubilem, *Cæsar duceret.* Exercitus consalutant. Florus 4. 6. 5. Dio. App. Suet. Aug. 62.1. Oros. 6.18.

XXII. Adsensit adolescens, satis gnarus, ad servanda conventa non for- Ostentum oblatum Cæsari.

Velleius 2. 65. 3. Dio. Jul. Obseq. Suet. Aug. 96. 2.

tius adfinitatis vinculo, quàm cæteris adstringi potentes & cupidos: & modo patrem suum Cæsarem, quo minus Pompeium everteret, ea necessitudine nihil impeditum fuisse noverat. Tum etiam ostentum ei factum ferunt, quoad summæ rei spem acrius excitaretur. In castris ejus luce prima in culmine Prætorii super linteum aquila sedens, duos corvos hinc inde infestantes adflixit, & mortuos dejecit in terram, notante universo atque exitum præsagiente exercitu; *futurum ut ex his tribus hic solus superstes & victor esset.*

Prodigia varia. Dio 47. 3. 2. Appian.

XXIII. Trahebantque eodem, quod paulo antequam in Italiam regrederentur, in castris Lepidi, centurionis gladium circumvolutus anguis vinxerat; & in tabernaculum Lepidi lupus irrumpens, everterat mensam. id everſæ potentiæ fuisse præsagium crediderunt: Antonio voluptatum insaniam, & ex his perniciem ostendi, quod circa fossam castrorum ejus lac fluxerat, & concentus quidam fuerat exauditus. Nec Urbana mala prodigiis caruerunt. canum ululatus, luporum per Forum discursus, bovis & infantis recens nati sermo, simulachrorum sudor sanguine mixtus, clamores pugnantium, strepitus armorum, equorumque currentium, adparente nullo, solis varie mutata species, lapidum imbres, ædes sacræ statuæque de cœlo tactæ multum timoris incusserant; sed ille in immensum crevit ex eo quod inter procuranda hæc prodigia evenit.

Tusci haruspicis prædictio et mors irrita. Oros. 6. 18. Appian.

XXIV. Quippe Tuscus haruspex, *actum esse de libertate, & antiqua redire Regna, seque excepto uno cæteros servituros omnes* vaticinatus, compressit spiritum, vivendique finem sibi posuit. At Triumviri tollendos ante omnia præcipuos inimicorum rati, ne consiliis suis impedimento forent, percussoribus in Urbem præmissis, occupari statim duodecim, vel ut alii tradunt, septemdecim imperarunt, & in his M. Ciceronem. Horum quatuor statim in publico aut inter convivia reperti occisique, cæteri per sacra ac profana omnia tumultuosissime quæsiti, tantum excitarunt pavoris, ut tota nocte cum ejulatu ac clamore, quemadmodum captis Urbibus solet, discurraretur.

Q. Pedii diligentia & mors.

XXV. Et quia nomina proscriptorum nondum erant publice proposita, se quisque peti ratus, in eam desperationem venerant, ut alii suas, alii publicas ædes incensuri essent, ne inulti morerentur; nisi Q. Pedius Consul summa diligentia, hac illac volitans *bene sperare* jussisset, *& exspectare diem, vanos aperturam timores.* Deinde quamprimum lux apparuit, nomina septemdecim illorum edidit, *auctores malorum omnium* inculans, & securitati cæteris promissæ fidem publicam interponens. necdum enim, quid de Proscriptione Triumviri constituissent, cognoverat.

Triumvirorū ingressus in Vrbem. Dio. Appian. Fragmenta Marmorea apud Pigh.

XXVI. Sed ille quidem proxima nocte per nimiam contentionem ruptis vitalibus interiit. Triumviri paulo post ingressi sunt triduo, cum cohortibus Prætoriis & singulis legionibus. Prima die Cæsar, sequenti Lepidus, tertio Antonius intrarunt. statimque patuit funus apparari Reipublicæ. Namque dispositis per Urbis opportuna stationibus, concionem populi P. Titius Tribunus plebis advocavit, legemque simul promulgavit atque pertulit: *Reipublicæ constituendæ Triumviros in quinquennium creari cum potestate Consulari*: hoc verbo utebantur, quum plusquam Regiam rapuissent. *eos esse M. Lepidum, M. Antonium, C. Cæsarem, ex ante diem V. Kal. Dec. in ante diem Prid. Kal. Jan. sextas.*

Et impudens voluntatis suæ dissimulatio.

XXVII. Unum etiam ad summam indignitatem deerat, ut cuiatis precibus

Proscripti magno numero primores

exorandi essent suscipere honorem, quem oppressis legibus vi ac fraude invaserant. Igitur & sacrificatum est, tanquam ob magnam & repentinam felicitatem, & ad consuetum habitum Senatus rediit: quamquam & ex iis quæ agebantur, & ex prodigiis recentibus imminentium rerum gravis cura occupasset animos. Nam & armorum telorumque species à terra visæ cum fragore ad cœlum ferri: & in fastigio ædis Æsculapii examen apum; supra templum Genii Publici, itemque Concordiæ vultures consederant. Nam *& hæc præsagire convulsionem boni status, fugamque & cædes* credebantur: *quod post constitutam sedem opesque industria paratas, fumo & turbulento æris strepitu apes pelluntur; & vulturibus hanc inseviisse naturam sagacitatem* putabant, *ut triduo aut biduo ante circum ea loca oberrent, ubi cadavera futura essent.* Jul. Obseq. Dio. Plin. 10. 6. 2.

XXVIII. Neque diu his exspectandum fuit. statim enim atque magistratum Tresviri acceperunt, super septemdecim illos, proscripserunt alios centum triginta, eorumque nomina variis per Urbem locis proponenda curarunt. Neque multo post alios adjecerunt centum quinquaginta. deinde sæpius, & subinde plures; ut aliqui recens damnati erant, aut etiam indemnati perierant, ne innocentes occisi viderentur. Redit Sullanæ crudelitatis exemplum: funeribus Urbs completur: per domos, vias, fora, theatra, templa sanguis funditur, capita in Rostris proposita, mox ad trium viros deportantur: corpora abjiciuntur in profluentem, aut canibus avibusque esca relinquuntur. Proscriptiones civium. App. Orosius. 5. 21. Florus 4. 6. 3. August. de Civit. Dei, 3. 27. Dio.

XXIX. Nec fidum cuiquam aut tutum quidquam erat, quum & excipientibus eadem pœna erat proposita, & abscondentibus, & vetantibus excuti domos suas, atque aperiri perspicique conclavia omnia. Neque interfectoribus modo promissa erant præmia, sed & indicibus cujuslibet hoc genus facti. Sed edicti sanguinarii hunc in sensum concepta formula fuit. Edictum edicti formula. Appian.

XXX. *Nisi tanta quorumdam esset tamque insanabilis improbitas, ut servari nescirent, & servatoribus ultro timendi essent; nihil ad summam humanitatem atque clementiam desiderari hoc tempore patiemur. Sed occasus Cæsar documento nobis esse debuit, ne aut vindictam illius, aut nostra pericula negligeremus. Neque vero consilium hoc nostrum iniquitatis aut sævitiæ arguet, quisquis & ipsi & nobis illatas injurias expenderit. Illum quidem & Imperatorem & Pontificem Maximum excisis aut subactis validissimis nationibus, quæ populo Romano terrori semper fuerant, novas trans Oceanum terras aperientem Imperio, in media Curia, loco sacro, sub oculis deorum interemerunt ii, quos aut in summa sua gratia amicitiaque constitutos, aut bello victos, clementia servatos, ad summos honores opesque provexerat; partim etiam testamento hæredes instituerat.* Necem Cæsaris exaggerant.

XXXI. *Nec occidisse contenti, triviis & viginti vulneribus lacerarunt, ut sævitiæ & perfidiæ ludibrium adjicerent. Cæteri vero boni viri, tantum abest, ut animadvertere in parricidas conati sint, ut etiam magistratus illis, provincias, exercitus darent. queis illi abusi publicas diripuerunt pecunias, atque inde majores adversus nos copias compararunt. quin & accitis barbarorum auxiliis, atque eorum barbarorum, qui semper hostili animo in populum Romanum fuerunt; Romani juris civitates, quotquot imperata facere scelleratorum hominum recusabant, vi metuque adegerunt ad partes; alias etiam diruerunt cremaruntque.* Senatum perstringunt favente percussoribus. Hostes suos relinquere nolunt dum ad transmarina bella proficiscuntur.

XXXII. *At nos ab aliquibus horum jam sumpsimus pœnas; idque uti videatis etiam in reliquis, dii dabunt. Quod igitur constituta domi Republica, magnisque*

per Hiſpanias, per Gallias geſtis rebus, unum etiamnum grave certamen contra parricidas, qui tranſmarinis provinciis incubant, certaturi ſumus; nec tutum eſſe, nec aut nobis aut patriæ utile arbitramur, dum gerundi belli cauſſa peregre abſumus, hoſtes à tergo relinquere, qui temporibus noſtris inſidientur, & nobis alibi occupatis, denuo fluctus aliquos in Urbe atque Italia excitent.

Sed in tollendis moderationem pollicentur.

XXXIII. *Igitur ne dilatum quidem oportuit, quin è veſtigio de medio tollerentur: quando ipſi priores denunciarunt nobis periculum, bellumque intulerunt, hoſtes judicando & nos, & qui nobiſcum eſſent exercitus. Nec vero nimium aut invidioſum rati ſunt, tot ſimul civium millia deſtinare exitio: quos imitaturi non ſumus. neque enim moleſti ulli multitudini erimus; neque etiam ex divitum aut honoratorum numero inimicos omnes conquiremus; ſed in peſſimum tantummodo & fœdiſſimum quemque advertemus.*

Et totum negotium reliquis ſalutare eſſe contendunt Oroſ. 6. 18. Appian.

XXXIV. *Igitur licet plures eſſe inimicos credibile ſiat tribus quàm uni: pauciores tamen puniemus, atque alius ante nos Imperator in conſtituenda Republica fecit, quem vos ob rem bene geſtam Felicem cognominaſtis. Sane etiam veſtra non minus, quàm noſtra refert, eſſe aliquem certaminum finem, exſcindique velut radices bellorum, quibus jam olim atterimini, paulo poſt interituri cum Republica, niſi cauſſæ duceſque factionum tollantur. Expedit etiam nonnihil facere in gratiam exercituum, ne injurias ſuas contemni à nobis putent.*

Pœnas in receptores proſcriptorum ſtatuunt.

XXXV. *Et poteramus quidem comprehendere citra negotium quos ſupplicio addiximus; ſed veſtræ ſalutis ergo, ne velut in cæca licentia militum ira latiùs quàm ſit imperatum evagetur; proſcribere nominatim, certoque atque definito numero malumus. Quod igitur fauſtum felixque ſit, nobiſque & Reipublicæ ſalutare, quorum huic edicto ſubjuncta ſunt nomina, eorum neminem recipere, celare, dimittere quiſquam velit: neque pecuniam accipere, quo quidquam eorum faciat: qui ſecus faxit, inter proſcriptos & ipſe referatur. Capita occiſorum ad nos reportantor: in ſingula, ſi liber retulerit, vicena quina ſeſtertia; ſin vero ſervus, cum libertate & civitate quam herus habuerit, dena dantor: indicibus paria præmia ſunto. nomina præmium accipientium in occulto manento; nec in commentarios referuntor.*

Proſcriptionis tabula proponitur. Oroſ. Appian.

XXXVI. Hac clauſula timori occurrebatur, ne quis exemplo M. Catonis Quæſtoris reperere aliquando data hoc nomine præmia poſſet. Propoſita deinde proſcriptionis eſt tabula, & velut ordine ſervato proſcribentium, quorum primus fuerat Lepidus, proximus Antonius; primo loco Lepidi frater proſcriptus eſt Paulus; ſecundo L. Cæſar avunculus Antonii; quod horum quoque ſententiis judicati hoſtes illi fuerant, proximi frater L. Planci Plotius, & L. Quintius Pollionis Aſinii ſocer legebantur; quum Aſinius & Plancus alia tabella juxta poſita, deſignati Conſules nunciarentur.

Comparatio proſcriptionis hujus cum Sullana. Suet. Aug. 27. 3. App. Dio. Sullana.

XXXVII. Ejuſmodi viros in primis tabulis proſcribi placuerat; ne quis aliorum ſperare veniam auderet. His additus C. Toranius; qui tutor Cæſaris, idemque patris ejus Octavii collega in Ædilitate fuerat. Erant omnino multis de cauſſis graviora hæc Sullanis temporibus mala: non ob multitudinem occiſorum, quin aliquanto minor numerus tum interiit. patentibus adhuc effugiis, & errore ſublato, qui in proſcriptione Sullæ multos, de quibus non erat cogitatum, ſuſtulerat. Quum enim factum hoc recordarentur Treſviri, ne periculum ex ſimi-

Digitized by Google

litudine nominum aliis quàm qui peterentur eſſet, ſeorſim Senatores, in alia tabula cæteros proſcripſerunt.

XXXVIII. De numero tamen auctores diſſentiunt. Qui plurimum ponunt, Senatores proſcriptos circiter trecentos tradunt, Equitum duo millia; qui minimum, Senatores centum triginta. Sed priori proſcriptione minus & apud interfectores malitiæ, & apud interfectos miſeriarum fuit. Juſſu enim Imperatoris, nec inviſos antea, nec infenſos, ſubito percutiebant; ut tempori magis imputari hæc crudelitas, quàm animo poſſet: & qui peribant, ante metum mortis occiſi, nece tamen ſimplici defungebantur. Tum vero nondum exoleſcente ſuperiorum malorum memoria, quin & ſuperſtite aliquo numero, qui pars illorum fuerat (nec enim amplius ſeptem & triginta anni intercrant) magno autem eorum qui audiverant recens perpetrata; eveniebat, ut & qui facturi eſſent eadem, quadam improbitate ſuperare propoſitum exemplar ſtuderent; & qui paſſuri, omnium cruciatuum quos cuiquam accidiſſe meminerant, in ſemetipſos ſpeciem atque dolorem imaginando timendoque exſequerentur. Hæc terribilior et gravior. App. Plut. Ant. c. 46. Liv. Epit. Oroſ. 6. 18. Plin. 6. 43.

XXXIX. Hoc quoque nomine gravior erat Triumviralis proſcriptio, quod Sulla tantum inimicos tollebat, aut ex cæteris prædivites (his enim præcipue timenda eſt omnis rerum converſio, ipſis opibus deſideria potentiorum irritantibus) nunc autem non inimici modo aut divites, ſed amiciſſimi quique, præter & ipſorum & omnium expectationem proſcribebantur. Non enim unis tantum de cauſſis ſtringebantur Triumvirorum gladii: ſed & privatim inviſi peribant; & multo plures eorum, qui dominatum adſectantibus ullo modo obſtare videbantur. Ideirco quiſquis unum horum præcipuis adſectatus ſtudiis fuerit, à duobus pro hoſte notabatur; & quia duos offendere unus nolebat, etiam ab hoc odium reddebatur pro gratia: ut idem homo & amiciſſimus cuipiam horum, & inimicus omnium videretur. & quia invicem ſe cogitabant peſſumdare, non minus ſpoliare ſeſe mutuo amicis, quàm tollere hoſtes ſtudebant. In qua etiam amici proſcripti. Lactant. 6. 18. Dio.

XL. Igitur ut hoc adſequerentur, valde illiberali permutatione concedebant invicem neceſſarios ſuos ad necem, ut viciſſim alterius familiares tollerent. & ſi quidem par videretur ratio, ſinguli pro ſingulis dabantur: interdum & pro uno præpotente tres minore dignitate, aut quatuor. Tria igitur ad ſummum delicta erant, quæ morte vindicanda judicabant qui tum rerum potiebantur. Unum ſi quis inimicus eſſet: alterum, ſi amicus uni aut duobus reliquis collegis: tertium, ſi magnas opes poſſideret: quod enim ad perficienda quæ animo deſtinaverant, plurima pecunia erat opus; quemlibet hoſtium habebant numero, à quo illa teneretur. Quadam Triumvirorum permutatione.

XLI. Caſſius enim & Brutus ex Aſiæ vectigalibus, vicinorumque Regum atque Tetrarcharum collatione, magnas atque paratas habebant opes; his Europa reſtabat, vacua, & continuis exhauſta bellis. Igitur inter alia ſæva & pudenda, puerum quemdam virilem togam ſumere coegerunt, ut tanquam virum occiderent. Atilius is fuit, qui deducentibus eum ex more amicis, repente inter conjuratos adſcriptus eſt. Opum cauſa proſcripti quidam pueri.

XLII. Atque ita deſolatus fuga ſervorum atque comitum, quum ne mater quidem eum præ metu recepiſſet, in montana confugit: mox fame premente degreſſus in planitiem, à plagiario quodam interceptus eſt (nam id quoque genus Cæſarem hic excuſans Dio refellitur. Tacit. 2. 2.

per incerta temporum graſſari cœperat) & ergaſtulo incluſus. At ubi puer delicatus inopiam, & captivitatem, labores ultra perferre non potuit, eum ipſis compedibus occaſione captata prorepſit in viam, & quum indicaſſet ſe prætereuntibus, occiſus eſt. Alius etiam impubes, dum in ludum commeat, cum Pædagogo ſuo, qui corpus pro puero objecerat, interfectus. Atque hæc talia moveri à quolibet, ſed geri ſine conſenſu Trium non poterant: ut minime eredam exeuſanti Cæſarem Dioni; quamquam ſane poſtea, quum rerum ſolus potiretur, benignum & placabilem ſe exhibuit.

Ipſius et aliorum auctorum teſtimonio. Suet. Auguſt. 27 1. 4. 6. 6.

XLIII. Jam enim proſcriptionibus aut bello ſublatum erat, quidquid obſtare dominationi ejus potuiſſet. Equidem hunc adoleſcentem ipſe Dio hactenus pro potentia ſcelerum non ſegnem ubique depinxerat: & ſunt auctores haud contemnendi, tantoque potioris in hac cauſſa fidei, quanto enixius extollunt in cæteris Octavianum & mirantur; qui ſcribunt, *cum reſtitiſſe quidem aliquandiu collegis, ne quæ fieret proſcriptio, ſed incæptam exercuiſſe utroque acerbius*. Id ſane conceſſerim, eum non tam indigna perpetraſſe ſieuti reliquos, ſed pereuſſores maxime Cæſaris fuiſſe perſequutum; cæterum *ea quoque* ſane *multa cædes fuiſſe* dicitur: neque video quomodo eum ſuſpicione adpetitarum pecuniarum liberem, & ob eas aliquando laxati cædibus freni. Sed ne inimicos quidem præter paternos ei defuiſſe conſtat ex eo, quod adverſus ipſum facta ſunt Senatuſconſulta, legiones excitæ, Urbs firmata præſidiis, uti ſuperiore libro vidimus.

Tanuſia fides in virum. Dio. 47. 1. 25. Appian.

XLV. Sane Tanuſiæ fidem adjuvit atque Philopæmenis. Uxor illa T. Vinii, hic libertus fuit: conditumque in arca quales codicibus aut ſervandæ pecuniæ adhibentur, in ædes liberti Tanuſia tranſtulit. Hic occultatus eſt, donec obiviſſe Vinium homines crediderunt. Tum ludorum publicorum ſolennitatem captans Tanuſia, quos propinquorum ejus quidam edebat, per Octaviam ſororem Cæſaris, quæ multis eo tempore ſaluti fuit, obtinuit, ut ſolus Triumvirorum Cæſar in theatrum veniret; arcamque illatam aperuit, Cæſarique rem indicavit. Ille miratus fidem & ingenium eorum, qui commenti rem hanc fuerant, ſilentioque texerant, impunitatem conceſſit omnibus: Philopœmenem quin etiam poſtea equeſtri dignitate decoravit.

Alii etiam ab uxoribus ſervati. Suet. Aug. Vell. 2. 67. 2. Val. Maxim. 6. 7 2. Dio. lib. 54. Appianus. lib. 4. Civil.

XLV. Servati ſunt etiam eodem tempore plures proſcriptorum ab uxoribus, quarum tum ſumma comperta fides eſt, quum libertorum media, ſervorum aliqua, filiorum nulla adverteretur. Certe Thuria Q. Lucretium, qui poſtea Conſul factus eſt, inter eameram & tectum cubiculi, una conſcia ancilla toto tempore texit: quamquam & in hoc ſervorum fuit egregia fides. quippe vagatus aliquandiu cum duobus, inopia cogente, ſuccollantibus iiſdem in Urbem revertebatur, pro ægroto ratus latiturum.

Inter quos Q. Lucretius.

XLVI. Deinde quum alter bajulorum fracto crure herum deſtituiſſet, innixus alteri pergebat: donec ex eadem porta, ubi pater ejus Sulla proſcribente captus occiſuſque fuerat, armatam cohortem procurrere videns, omine ſimul loci, ſimul conſpectu militum conterritus, in ſepulchrum, quod forte in agro erat, ſe illatebravit. Nec ibi quidem tutum ei quidquam fuit, furibus eo delatis, qui effodere ſepulchra conſueverant. ſed dum iis ſe ſpoliandum ſervus præbet; effugium ad portam Lucretio fuit: iſque exſpectavit venientem, & parte data veſtium ſuarum eum eo perrexit domum: receptuſque ab uxore & occultatus, precibus amicorum veniam deinde impetravit.

XLVII.

XLVII. Ligarium autem quondam uxor celaverat. post ab ancilla, quæ sola rem norat, proditum lugens, caput auferentes milites cum clamore sequebatur, se quoque occidi jubens, quæ celasset virum. nam & ex his cædibus esse præmio locum. Quum hi non moverentur, ad Tresviros procurrit, eadem ingerens. Ubi & hi dissimularunt, media se confecit domi. Sulpicia vero quum diligenter à matre Julia esset asservata, ne Lentulum Cruscellionem in Siciliam sequeretur, ancillari habitu cum duabus ancillis totidemque servis, omnia quàm virum relinquere, & vel vitæ discrimen adire maluit, reperitque Messanæ humi stratum, & desiderio uxoris se adflictantem. quamquam dux copiarum à Sex. Pompejo, ad quem profugerat, creatus esset. Uxoris Ligarii fides infelix. Val. Max. Appian.

XLVIII. Acilium uxor redemit à militibus, omni suo mundo datoservaruntque illi fidem, atq; etiam navem conduxerunt in Siciliam fugituro. Apulejum coegit sua, ut comitem fugæ adsciscceret, indicium minata, si se relicta proficiscceretur. Atq; comitatus iste profuit, minime proscriptum suspicantibus obviis, qui cũ uxore servis atque ancillis, publica via tam secure iter faceret. Antium conjugis industria stragulis involutum per bajulos ad mare transtulit, unde trajecit in Siciliã. Servati ab uxoribus Acilius & alii.

XLIX. At C. Antistius Rheginus non vulgari modo servatus est. missus in cloacam ab uxore, proximum diem fœtore defensus latuit: nocte carbonarii habitu indutum, carbonibus onustum asinum præ se agere jussit; ipsa minime longo intervallo in lectica antecedebat. Quum ventum ad portam esset, adcurrit miles quidam & lecticam curiose scrutatur: celeriterque superveniens Rheginus orat militem, *ne molestus esse mulieribus pergeret*. Ille, dum contemptim tanquam eum carbonario rixatur, agnovit hominem, atque; *perge lætus fospesque Imperator; hoc enim tibi nomen atque hanc fidem etiamnum à me deberi sentio*. nam sub eo pridem in Syria meruerat. Antistii Rhegini fortuna.

L. Neque dedignentur optimæ matronæ pari pietate conjungi sibi Coponii uxorem; quamquam illa cæteris infelicior, servatam eo usque pudicitiam redimendi viri causa M. Antonio prostituit. Neque minus M. Lepidus gratiæ aut precibus exorabilem se præbuit. Hoc enim connivente centurionum humanitas, fratrem Imperatoris sui reverentium, effugium L. Paulo in Græciam dedit, unde mox cum M. Bruto Miletum profectus, hanc exsilii sedem habuit. Alias enim difficulter evadere proscripti poterant: quia statim tabulis propositis stationes ad portas aliosque Urbis exitus oppositæ sunt; portus etiam pari diligentia observati: lacus quin etiam & paludes, & quidquid vel effugium præstare posse, vel latebras videbatur. Coponii & L. Pauli. Suet. Aug. c. 27 Appian. Dio.

LI. Igitur & intra Urbem & extra discurrentibus passim centurionibus multi trucidabantur: virique modo summa in auctoritate constituti, ad effugiendam necem, habitu aut locis obscœnis occulabantur. Neque percussores tantum timebantur, ut non plus solicitudinis à familiaribus esset. Alium infensa uxor, alium ingrati liberi habebant anxium: plerique libertos servosve suos, aut debitores, aut vicinos metuebant. Omnium odiis quacumque occasione cœpissent, tristissima tempora viam ad vindictam patefecerant. Igitur senes summis honoribus usi, ad mancipiorum suorum accidebant genua, misericordiam orantes: neque hoc erat indignissimum, sed quod plerumque nihil tanta humilitas supplicandi proficiebat. Principum virorum tristes mortes aut latebræ.

Conditio deterior quàm bello oppreſſis.

LII. Tanto deterior tum erat Romæ, quàm bello & ab hoſte oppreſſis eſſe ſolet conditio: nam illi quum ab externis urgeantur, in fide tamen atque charitate domeſticorum acquieſcunt: hic vero non ſcelus modo atque offenſas ſuorum, ſed & cupiditatem, & ne quid mali deeſſet, timorem quiſque metuebat. Quos enim nulla propria ira ſtimulabat, ii ſpe oſtentati publice præmii, aut diripiendarum opum herilium abripiebantur: optimum quemque atque modeſtiſſimum, minæ Triumvirorum abſterrebant, ne quam ſuis opem ferre ſuſtinerent.

Fatum Urbis Romanæ ſingulare. Cornel. Nepos Attic. 11. 1. Oroſ. 6. 18. Appianus.

LIII. Reliqua vero multitudo aut inveſtigabat proſcriptos, prodebatque ad necem: aut occiſorum direptis bonis diruebant domos. pauci, qui relinquebantur, boni prudenteſque ſummo cum ſtupore fatum intuebantur Urbis; quum alias civitates diſſenſione civium adflictas, concordia reſtitutas eſſe didiciſſent. hanc eorumdem hominum diſcordia vexatam eſſe, concordia propemodum everti cernerent. Miſerabilis enim erat, ſupra quàm cogitari poſſit, facies; & varia mortis imago: quum alii percuſſoribus ſuis repugnarent, tanquam latronibus: alii cervices præberent, quari miniſtros hos, non auctores ſuæ calamitatis eſſe: multi ne tamen inimicorum arbitrio morerentur, fame, laqueo, præcipitio ſe conficerent, aut in aquam ignemve jacerent corpora.

Multi præter mentē Triumvirorum occiduntur.

LIV. Multi quoque per errorem, aut privata odia, præter mentem Triumvirorum occiſi: quorum cadavera facile dignoſcebantur à proſcriptis, quia proſcriptorum capita demebantur deportanda ad Treſviros. Sed & eorum qui eadem evaſerant, mira varietas fortunæ fuit. Nonnulli priuſquam ſuperare maria poſſent, naufragio hauſti: alios eadem Urbs, quæ tum proſcriptos atque fugientes, mox lætiora ad tempora ſervatos in magiſtratibus atque imperiis vidit. tantum rebus humanis inconſtantiæ ineſt: qua non modo parvæ civitates jactantur: ſed illa Regina prope rerum Roma, invicta armis, conſtituta legibus, exornata ingeniis, nullius eorum quæ per homines contentis ſtudiis appetuntur, indigna; ſuis ipſa bonis ad ſuam miſeriam abuſa eſt.

Meliora ſperanda in triſtibus.

LV. Eamdem tamen paulo poſt recreavit idem ille Cæſar, à quo tum propemodum exſtincta eſt: ne quis aut lætis rebus timere duras, aut triſtibus ſperare meliora deſinat. Quamquam ſane minus fallantur, qui deteriora exſpectant in dies: quando tam facile creſcit improbitas, & alioquin hæc eſt vitæ conditio, ut nocere cuilibet in promptu ſit; conſervatio rerum atque inſtauratio, bonis artibus, iiſque multis indigeat. Unius puerili incogitantia male cuſtoditus ignis conſumere paucis horis oppidum poteſt, quale multis annis aliquot hominum millia reſtituere nequeant. Sed ad res Romanas revertor, præter enarratos antea caſus, paucos adhuc relaturus, præ cæteris in utriuſque fortunæ exemplum dignitate hominum, aut raro miroque eventu notabiles.

Antonii lenitas in quoſdā. Corn. Nepos Attic. 11 2. Appianus.

LVI. Sergius apud ipſum Antonium delituit. donec ei Conſul jam Planeus, Antonio auctore, reditum impetravit. Nam inter ſummam crudelitatem, multas tum oſtendit Antonius clementiæ ſtricturas: certe Attico apud P. Volumnium latenti, ſua manu ſcripſit, *ne timeret, ſtatimque ad ſe veniret. ſe eum, & Q. Gellium Canum* (is unà latebat, æqualis & familiariſſimus Attico) *de proſcriptorum numero exemiſſe.* miſitque præſidium eis, ne per noctem in periculum aliquod incideret. At Salvius Tribunus plebis, quamquam ne hoſtis judicaretur Antonius interceſſerat, tamen diffidens ob alia, convivium amicis dabat, quaſi non diu cum ipſis futurus poſtea.

LVII. Supervenerunt armati, omnibusque præ metu exsilientibus, quiescere cæteros centurio jussit, Salvium cervices præbere, capillisque prehensum supra mensam traxit, quantum opus erat, ut caput præcideretur. quo correpto abiens, imperavit cæteris, *tenerent sese quo essent loco quieti, ne similia paterentur*. Ergo etiam post centurionis discessum, in multam noctem, cum relicto Tribuni corpore, attonitis & fulminatis similes accubuerunt. Post hunc Minutius Prætor, inter habenda Comitia, in Foro occisus est; quum audito periculo in tabernam quamdam veste mutata confugisset; indicio lictorum proditus; qui per ineptam pietatem discedere contabantur. Salvius super mensa occiditur.

LVIII. Alterius Prætoris L. Villii Annalis, itemque viri Prætorii C. Toranii exitus, nec sine scelere filiorum, nec sine sceleris vindicta commemorari potest. Annalem, dum in Campum cum filio Quæsturæ candidato descendit, comites repente deseruerant, proscriptum audientes. Idcirco ad clientis vile tectum in suburbio confugiens servari potuisset; nisi nefarius juvenis rem suspicatus eò deduxisset milites. Atque is auctor spectatorque paternæ necis, quum Triumvirorum impia liberalitate paterna bona simulque Ædilitatem obtinuisset; vino obrutus, ab iisdem militibus, qui patrem occiderant, orto jurgio interfectus est. L. Villius à filio proditur. Val. Max. 9. 11. App.

LIX. C. Toranii latebras, ætatem, notasque corporis, quibus agnosci posset, detestabilis filius centurionibus edidit. à quibus repertus senex indicias petiit, *donec filius ab Antonio*, cujus sequutus partes fuerat, *aliquid impetrasset*. Cui ridentes illi; *impetravit*, inquiunt, *sed mortem tuam*. Hoc audito iterum petiit *brevissimum spatium*, filiamque accitam monuit, *abstineret hæreditate paterna, neve causam præberet fratri, mortem etiam illius ab Antonio impetrandi*. Atque is postea filius, dilapidato patrimonio, furti damnatus, solum vertit. Horum mortibus admonitus P. Rupilius Rex, qui tum Præturam gerebat, matura fuga in M. Bruti castra se contulit. Itemque C. Toranius. Val Max. App. Horat. serm l. 7. & ibi Interpres.

LX. Sed vix alterius quàm Ciceronis fatum adnotatu dignius fuit. Proscriptus ille cum filio, fratre, filio fratris, & amicis atque familiaribus omnibus, pro certo habens id quod erat, non magis Antonio eripi se, quàm Cæsari Cassium & Brutum posse; primo in Tusculanum fugit, inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Cajeta navim conscensurus, proficisceretur. Unde aliquoties in altum provectum quum modo venti adversi retulissent, modo ipse jactationem navis cæco volvente fluctu pati non posset, tædium tandem eum & fugæ & vitæ cepit: corvorum etiam prodigio terrente, qui crocitantes, & capita tundentes funium, in utroque antennæ cornu consederant. regressusque ad superiorem villam, quæ paulo plus mille passibus à mari abest; *Moriar*, inquit, *in patria sæpe servata*. Ciceronis fuga. Liv. apud Senecam Suasoria 6. App. Plut. Cic. c. 63. Liv.

LXI. Interim appropinquantibus percussoribus, in cubiculum ejus involantes corvi ruperunt lumina, & in conspectu ejus ferrum horologii loco morum excusserunt: laciniamque togæ mortuo correptam retinuerunt. Inde excitati servi, quam possent opem hero ferre, quem etiam animantibus ratione non præditis curæ esse credebant, constituerunt. partimque precibus, partim vi sublatum demum impoluerunt in lecticam, mare petiturum. Supervenientibus deinde Herennio centurioni; & Tribuno Popillio cum paucis militibus, sive lutor quidam Clodianus cliens, sive Philologus Q. Ciceronis libertus, & ne quid sceleri Prodigia ei oblata. Val. Max. 1. 4. 5 Plutarch. Appian.

deesset, eruditus à Marco, semitam ostendit in densas sylvas pertinentem.

Mors constanter accepta. Appian. Liv. Ausidius Bass. apud Senec. Plutarch.

LXII. Tum viso Ciceronis comitatu exclamavit Popillius, *sequimini qui à tergo estis milites.* non quia plures adessent, verum ut exterreret Ciceronianos. satisque constat, hos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum *deponi lecticam, & quiete pati, quod fors iniqua cogeret*, jussisse, visisque armatis dixisse; *accede veterane, & si hoc saltem potes recte facere, incide cervicem.* Trementi deinde, dubitantique: *Quid si ad me*, inquit, *primum venissetis?* Ita prominenti ex lectica præbentique immotam cervicem, caput repetito ter ictu præcisum est. Nec satis stolidæ crudelitati militum fuit: manus quoque, scripsisse in Antonium aliquid exprobrantes, amputarunt.

Caput et manus in Rostris positæ. Livius. Cornel. Severus ap. Senec. Val. Maxim. 9. 3. 4. Senec. controv. 17. Butrid. Nig. apud Senec. Suasor. 6.

LXIII. Ita relatum caput ad Antonium, jussuque ejus inter duas manus tantorum operum ministras, in Rostris positum, ubi ille Consul, ubi sæpe Consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla umquam humana vox cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat. Vix adtollentes præ lachrymis oculos homines intueri trucidata membra ejus poterant: cæterorumque cædes privatos luctus excitaverunt; hæc una communem. Hoc tam infame ministerium C. Popillius Lænas sibi pro beneficio depoposcerat; olim in caussa maxime dubia à M. Cicerone defensus. Sed capite viso Ciceronis exclamasse Antonium ajunt, *nunc peractam esse proscriptionem suam.*

Popillium interfectorem Ciceronis honorat Antonius. App. Plut. Anton. cap. 26. Euseb. Chronic.

LXIV. Nam continuo post patratam cædem velut rem lætissimam Popillius & per veredarios terra, & mari per dromones nunciandam curaverat: deinde ipse adveniens in Forum, caputque tenens manu, sedenti pro tribunali Antonio monstravit quatiens. At ille exultavit præ gaudio sæpius cachinnos revocans: hominique exsecrando coronam imposuit, tanquam qui maximum omnium & velut decumanum hostem suum sustulisset. Tantaque fuit turpissimi latronis improbitas, ut imaginem suam coronatam, juxta caput Ciceronis in Rostris proponeret: tanta insuper summæ improbitatis apud spurcissimum Imperatorem gratia, ut decuplum ab Antonio præmium reportaret.

Elogium Ciceronis. Auct. de caus. corrupt. eloq. 37. Euseb. Chron. Liv. Asin. Pollio apud Senec. Suasor. 6.

LXV. Hunc exitum sortitus est M. Cicero ante diem VII. Idus Decemb. ut Tiro libertus ejus memoriæ prodidit. Vixit tres & sexaginta annos, ut si vis abfuisset, ne immatura quidem mors videri possit; ingenium & operibus & præmiis operum felix: ipse fortunæ diu prosperæ: facies ei decora ad senectutem, & commoda permansit valetudo: tum pax diutina, cujus instructus erat artibus, contigit. namque prisca severitate judiciis actis, maximorum noxiorum multitudo provenit; quos obstrictos patrocinio incolumes plerosque habebat. Jam felicissima Consulatus ei sors petendi, & gerendi maximo consilio, industriaque. Utinam moderatius secundas res, & fortius adversas ferre potuisset! namque utræque quum venerant ei, mutari eas non posse rebatur.

Adversitates ejus. Liv. Cic. ad Brut. epist. 2. 15. Asin. Pollio.

LXVI. Inde sunt invidiæ tempestates coortæ graves in eum, certiorque inimicis aggrediendi fiducia: majore enim simultates appetebat animo, quam gerebat. Igitur in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus, exsilio, ruina partium pro quibus steterat, filiæ morte, exitu tam tristi atque acerbo, omnium adversorum nihil, ut viro dignum erat, tulit, præter mortem: quæ vere æstimanti minus indigna videri potuit, quod à victore inimico nil crudelius

passus erat, quàm quod ejusdem fortunæ compos ipse fecisset.

LXVII. Sed quando mortalium nulli virtus perfecta contigit, qua major pars vitæ atque ingenii steterit, ea judicandum de homine est. Ergo si quis virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cujus laudes exsequendas Cicerone laudatore opus fuerit. Sed ille quidem semel proscriptus ab Antonio, vicissim illum ad perpetuam hominum memoriam victuris monumentorum suorum tabulis proscripsit. Neque reticenda Fulviæ crudelitas est, jam à Clodianis temporibus inimicissimæ Ciceroni. Hæc igitur caput ejus impositum genubus, nam & domi suæ superque mensam spectare hoc Antonius cupiverat; amarulentissime insultans mortuo conspuit: deinde linguam, à qua scilicet maxime læsam se arbitrabatur, compunxit acubus & calamistro. Laus brevis, at vera. Plin. 7. 30. 1. Dio. 47. 2. 30. App. Dio.

LXVIII. Nam & hæc Furia partes suas inter illam publicam cladem egit egregie; multique inimicitiarum aut pecuniæ causa, hujus jussu interempti sunt. Cæstius Rufus Senator vicinum Fulviæ habens ædificium, vendere petenti noluerat. Tum igitur, licet dono dedisset, proscriptus est, caputque ejus adlatum Antonio, convivium agitanti, cui tum in morem hæc crudelitas venerat, ut capita principum civitatis cœnanti referrentur. Is igitur diu versata considerataque facie; *Hunc*, inquit, *ego non noveram*: dubitansque uxoris esse facinus, referri ad illam caput, illa proponi non in Foro ut cætera, sed in ipso illo ædificio jussit: ne quærendum quis haberet, cur hic esset interfectus. Fulvia etiam multos occidendos curat. Val. Max. 9. 5. 4. App. Senec. epist. 83. 24.

LXIX. Similiter & C. Verres proscriptus est, ob negata Antonio Corinthia: & Nonius Senator, Strumæ filius, propter opalum gemmam, quam habebat avellanæ magnitudine. Parque horum contumacia, Antoniique feritas fuit: neque minus mori decreverunt illi pro his nugis, quàm hic occidere. Sapientius illi, quibus vita charior divitiis fuit. multos enim exemerunt Antonius & Fulvia, plus deferentibus ipsis consequuti, quam sperare ex illorum morte potuissent; & ne vacaret in tabulis locus, alios pro his adscripserunt, tanquam vicarios mortis. Ob signa et gemmas proscripti quidam. Lactant. 2. 4. Plin. 4. 2. et 37. 6. Dio. Appian.

LXX. At L. Cæsarem Julia soror servavit, ad quam ille quum profugisset, matrem Imperatoris sui reverentibus militibus, aliquandiu cutus fuit. Postea vincente pudorem avaritia, petitus à centurionibus in cubiculum sororis confugit. Atqui illa manibus expansis januam defendens, clamitabat, *non occidetis L. Cæsarem, priusquam me percusseritis, quæ vestrum Imperatorem peperi.* Sic his tandem abactis, processit in Forum Julia: sedentique pro tribunali cum collegis Antonio, *Me ipsam*, inquit, *indico: quæ L. Cæsarem habeo domi, & habebo, donec simul interficiamur: quando eadem in receptatores constituta pœna est.* At ille, *Sororem*, inquit, *meliorem, quàm matrem præstas; ab illo me judicari hostem passa, nunc mihi ultum cunti injuriam obstas.* Cessit tamen ad extremum, Plancoque negotium dedit, de salute L. Cæsaris referendi. L. Cæsar à sorore sua, Antonii matre, servatus.

LXXI. Sed & ab ipsis militibus nonnulli servati sunt, quorum tamen benevolentia Largus diu frui non potuit. quum enim alium quærentes, hunc reperissent; mors hominis infelicitate, qui captus antequam vestigatus est, in proximam sylvam pertugere jussit. Ille igitur in alios incidens, ad priores recurrit, *vos me potius interficite*, clamitans, *quando nihilominus est* A militibus quidam servati.

pereundum. vos potius capitis mei præmium accipere verum est, qui me servare voluistis.

Inter quos et Virginius. LXXII. Æquior Fortuna Virginio fuit, qui suavi eloquio præditus, primum servis suis persuasit, *se prodito modicum imo incertum præmium habituros, cum perpetua turpitudine & metu; servato præclaram conscientiam & aliquando famam facti, sed & mercedem longe majorem atque certiorem relaturos.* Ita cum his eodem habitu fugientem nacti milites agnoverunt. neque hîc eum facundia sua aut felicitas deseruit; quominus & hi sequerentur eum ad mare, pecuniam potius ab incolumi voluntate ipsius accepturi, quàm propter occisum per scelus. Sed ubi ventum ad litus est, jam abnavigarat uxor, quæ ex composito cum nummis eò accesserat, abiisse jam rata virum. servus tamen in litore ob hoc relictus, & navem commonstravit, & omnem exposuit rei ordinem.

Quem etiam comitantur in Siciliam. Dio. LXXIII. Igitur orante Virginio, *exspectarent, dum revocaretur uxor, aut in Sicilia acciperent nummos;* in scapham imposuerunt eum, alacrique remigio pervexerunt in insulam; quumque sibi eum fide exsolvi promissa vidissent, hujus viri comitatum sacramento suo prætulerunt; manseruntque eum eo usque ad pacis tempora. Ipsa quoque Trium virorum discors concordia, dum alii exosum servare conatur alius, aut contra gratum alii perdere, magnam eo tempore varietatem casuum peperit. tamque fuerunt incerta omnia, ut alias præmia proditoribus suorum, alias supplicia repræsentarentur.

Servi proditores heroüm puniti. Appian. LXXIV. Haterii servus hero prodito nactus libertatem, dum faculates occisi subhastantur, liberis Haterii bona paterna redimere cupientibus, improbus licitator se objecerat. Illi tempora non ausi arguere cum silencio & lachrymis adsectabantur nebulonem, donec commota populi indignatio extudit a Tribus viris, ut eum rursus proscripti liberis in servitutem addicerent. Alius conservum suum, pulchro stratagemate (quali & Panopioni pariam salutem postea memorabimus) vitam heri morte sua redempturum, vetuerat, demonstrata militibus fallacia. Igitur necatus est dominus: sed populus non destitit obtundere Tresviros, donec index ille patibulo, fidelis autem servus libertati vindicaretur.

Alii se pro dominis offerêt percussoribus. Val. Max. 6. 5. 6. Macrob. Saturn. 2. 11. Appian. Sen. ep. de Benef. 3. 25. LXXV. At Urbinium Panopionem in villæ Reatinę spelunca latitantem, quum infesti milites peterent; unus ex servis ejus, veste cum domino permutata, sumptoque annulo percussoribus sese objecit; *nihil causari* dictitans, *quominus imperatum peragerent.* Sic ille pro Panopione interfectus, pietatis hoc postea præmium ab domino retulit, ut amplo monumento, factique pulcherrimi testimonium præferente, conderetur. Menenii servus in lecticam domini opertam se conjecit, aliis è familia succollantibus, atque ita interfectus pro hero, evadendi in Siciliam ei spatium præbuit.

Servi stigmatis fides in herum Restionem. Val. Maximus. 6. 8. 7. Macrob. Appian. LXXVI. Sed hi quidem beneficiis adfecti retulerunt merentibus gratiam: majus miraculum fuit in Stigmatia, qui Antium Restionem noctu fugientem, ut poterat in compede adsequutus, terruit primum adspectu suo; deinde confirmavit, *bono jubens esse animo, sibi majorem acceptorum olim beneficiorum, quàm hujus injuriæ memoriam esse:* abstrusumque in spelunca quotidianis operis aluit. Postremo quum suspicantes rem milites supervenirent, exstruxit rogum: & senem forte oblatum occidit, atque in pyram imposuit. dominum data interfecti

Filiorum Aliquot pietas.

veſte dimiſit: ipſe induit herilem cum annulo, ſeque percuſſoribus obviam tulit. A quibus pro homicida retentus, *Reſtionem*, inquit, *occidi, vicemq; erudelitati ejus*, à quo ſic notatus ſum, *reddidi*. Quia veriſimilia loquebatur, credidérunt milites; caputque ignobile ferentes fruſtra contenderunt in Urbem. Antius à ſervo ſubductus in Siciliam cum eo transjecit.

LXXVII. Simili commento C. Hoſidium Getam filius eripuit morti; tanquam mortuo paratis exſequiis, crematoque in area domus rogo: nam *ſuſpendio fugiſſe vitam* finxerat. Hac arte ſenex elapſus in prædio recens empto ſubſtitit, ad diſſimulandum oris habitum, altero obligato oculo, quem deinceps reddita pace inutilem habuit, per longam videndi deſuetudinem facultate amiſſa.

Hoſidius Geta filii pietate ſervatur. Appian. Pigh. annal. 794. Dio.

LXXVIII. Et quia de filiorum pietate mentio fieri cœpta eſt, Oppius patrem decrepitum, & ætatis tædio fugere nolentem ſuſtulit in humeros; elatumque Urbe, modo manu ſublevans euntem, modo deficientem imponens cervicibus, in Siciliam tranſportavit, ſine ulla alia moleſtia. quum ſicut Æneæ patrem geſtanti viam pietas vel per medios hoſtes faceret. Arruntius quoque monumento ſuo ſimilis in filio fidei teſtimonium inſcribendum curavit; *Hic ſitum eſſe, cui proſcripto filius non proſcriptus, receptator primum, deinde auctor comeſque fugæ, atque ſic cauſa ſalutis fuiſſet.*

Itamque Oppius & Arruntius.

LXXIX. Neque retieendus eſt Q. Cicero Q. F. qui magni & multiplicis ingenii, poſtremum vitæ actum egregio facinore nobilitavit. Quum enim Q. Pater, dum Aſturam comitatur Marcum, de proſcriptione ſua cognoſſet; ſubitoque recurriſſet ad Urbem, exportandi viatici cauſſa, receptus eſt à filio & celatus, proſcripto & ipſo. Igitur prodente familia reportus juvenis, tortuſque ut patris indicaret latebras, magno animo pertulit dolorem; donec pater re intellecta, miratus ſimul pietatem filii, miſertuſque prodiit. Tum quoque filius oravit milites, *ut ſe priorem occiderent*: at idem poſtulante patre, diverſi eodem tempore utrumque contrucidarunt.

Q. Ciceronis patris & filii Fatum. Cic. ad Attic. 6. 2. Plut. Cic. c. 68. Appian. Dio. Plut. Ant. cap. 26.

LXXX. Sed Egnatios patrem filiumque complexu cohærentes una plaga confecit, militeſque capitibus ablatis, corpora ſe adhuc complectentia reliquerunt. Balbis duobus tutius viſum ſeorſim fugere utrumque perdidit. nam pater falſo de filii cæde nuncio credens, ultro ſe obtulit perſequentibus; filius interiit naufragio. idemque fatum Aruntii fuit, cui pater vix perſuaſerat, ut ſupereſſe ſeni ſuſtineret. Atque illum comitata ad portam infelix mater, neque felicior matrona, rediit ad componendas viri reliquias: neque multo poſt, audito filii caſu, inedia ſibi conſcivit mortem.

Et ſimile Egnatiorum, Balborum, Aruntiorum.

LXXXI. Inter hos terrores M. Terentius Varro Tribunus plebis, ne ſibi eveniret, quod Helvio Cinnæ nuper, edicto propoſito, *ſe cauſſa & agnomine diſtingui* profeſſus eſt *ab eo Varrone*, quem ſui ævi doctiſſimum, magnamque militiæ laudem parendo & imperando meritum, forte propter hæc ipſa, tanquam iniquum dominationi Tresviri proſcripſerant. Sed certatim eum recipere cupientibus amicis, Fufius Calenus vicit, habuitque eum in villa, ubi ſæpe ex itinere divertebat Antonius: neq; à quoquam ex ſua aut Caleni familia indicatus effugit periculum, vitamque & ſtudia ad centeſimum ferme annum prorogavit. Bibliothecis tamen ſuis hac proſcriptione direptis, partem deſi-

Varro proſcriptus elabitur. Agell. 19. 14. Val. Max. 8. 7. 3.

Fratrum pietas, uxorum perfidia.

deravit librorum, quos ad eam diem magno numero compoſuerat.

LXXXII. Sed in alio ſene humana infirmitas atque ignorantia rerum magno exemplo patuit. quomodo enim proſcriptus à Sulla M. Fiduſtius Senator timere potuiſſet, ne tanto intervallo ab hominibus, qui tum ne nati quidem omnes erant, proſcriberetur? Sed illi hæc ipſa proſcriptionis mortiſque cauſſa fuit. Contra Valerius Meſſala proſcriptus ab Antonio, poſtea Conſul in locum ejus factus eſt: interim exemptus proſcriptioni, non miſericordia Triumvirorum, ſed metu. Quippe Meſſala cum Bruto erat, juvenis probitate, conſtantia, cura, ſtudio Reipublicæ incomparabilis: ad hæc excellenti eloquentia, cum judicio, induſtriaque pari.

M. Fiduſtius bis proſcriptus. Agel. 3. 10. Dio. Plin. 7. 43. App. Cic. ad Brut. epiſt. 18. 1.

LXXXIII. Edixerunt igitur in hanc formam: *Quando M. Meſſalam ex propinquis ejus cognovimus, ne quidem in Urbe tum fuiſſe, quum interfectus eſt Cæſar; exemptus è numero proſcriptorum eſto.* Ille tamen uti hac venia contempſit, Bruti cauſſam amicitiamque præferens. Neque pigeat cæterorum quoque qui traditi ſunt notabiles caſus pertexere, quorum, ſicut & de quibus antea relatum eſt, pars ante Conſulatum Lepidi Plancique, pars his Conſulibus perierunt.

M. Meſſala numero proſcriptorum eximitur. Plut. Brut. c. 27. Cic. pro Ligario cap. 11. App.

LXXXIV. Ligariorum fratrum nota concordia & charitas fuit. Hi quum aliquandiu latuiſſent ſub camino, proditi ſunt à ſervis, alterque ſtatim occiſus. at qui effugerat audito periſſe fratrem, de ponte ſe dejecit in fluvium: diuque luctarus cum piſcatoribus, qui ſervare tanquam forte prolapſum nitebantur: *fruſtra eſtis*, inquit, *proſcriptus ſum, voſque perdere citius poſſum, quàm à vobis ſervari.* Quum ne ſic quidem fatigaretur illorum humanitas, milites ad cuſtodiam pontis adpoſiti accurrerunt, necaruntque proſcriptum.

Ligarius occiſo fratre in fluvium inſilit.

LXXXV. Duo quoque alia fratrum paria referuntur gravi mulctata exitio. In amnem ſe quidam præcipitaverat: quem inquiſivit ſervorum ejus unus, repertoque poſt quintum diem, quia nondum confuſa omnia oris lineamenta erant, caput præmii ſpe amputavit. Hujus fratrem alius ſervus in latrina ſe occultantem indicavit: percuſſoreſque dedignati deſcendere, haſtis confixum extraxerunt, occideruntque, ut erat, ſordidum, ne capite quidem abluto. Alius fratrem comprehendi videns, ſeque pariter proſcriptum ignorans; *me, me*, inquit, *prius interficite.* Tum centurio, *rem aquam poſtulas. nam & tu ſcriptus es prior.* amboſque interfecit ordine.

Aliorum fratrum varii casus.

LXXXVI. Vidit & ſcelera conjugum iſthæc ætas: & Septimium quidem uxor adultera, per amicum Antonii, quocum habebat ſtupri conſuetudinem, referendum curavit in proſcriptorum tabulas; & ad ſe refugientem diſſimulata conſcientia detinuit, donec percuſſores ſupervenirent: eademque die celebravit cum adultero nuptias. Salaſſum (quod Curtiorum cognomentum eſt) jam elapſum ex Urbe, perplexitas conſilii eodem revocavit, ſperantem interea potuiſſe tempeſtates eas detonare: ſed ubi venit ad ædes ſuas, venditas didicit à janitore, qui una fuerat tranſditus; & ab eodem in cellam receptus, uxorem adciri juſſit, ex illius ædibus. Illa noctem cauſſata ſpopondit *adfuturam poſtridie*; adfuitque, ſed cum percuſſoribus. quod ille proſpiciens ex ſummis ædibus, eo enim tædio more ſubierat, de tecto ſe præcipitem dedit. Fulvius ad mulieris ædes confugiens, quam concubinam ſuam manu miſerat, nuptumque dotatam

Uxorum perfidia in maritos. Cic. Fam. 6. 18. Appianus.

tatam dederat, oblivionem beneficiorum omnium, ſolamque memoriam ſuperinductæ uxoris invenit.

LXXXVII. At militarium virorum Statius Samnis, cujus egregia opera ſociali bello effulſerat, deinde propter egregiam laudem genuſque & opes in Senatum Romanum adſcriptus, octogeſimo jam ætatis anno proſcriptum ſe diſcens, diripiendas opes ſuas populo familiæque permiſit: multa & ipſe ſuis manibus in publicum jaciens. Exinanitam deinde domum elauſit, ineenditque: rogum ſibi effieiens, quo & pars Urbis conflagravit. Capito ſemiapertis foribus ſingulos intromiſit, confoditque aliquot. irrumpentibus deinde multis ſimul circumventus eſt. Vetulinus magna in Rhegienſi agro manu coacta, partim ex proſcriptis, partim ex duodeeim illis urbibus, quæ veteranorum præmiis deſtinari fremebant; multos intercipiebat eenturiones, donee adverſus ſe majore exercitu miſſo, coactus eſt in Siciliam ſe recipere. Statii et Capitonis interitus.

LXXXVIII. Nec hie ſtetit hominis audacia: redintegravit inde bellum; pluribuſque demum prœliis victus, filium eęteroſque proſcriptos Meſſanam prę-miſit; ipſe in medio freto deprehenſus à perſequentibus, repugnando in fruſta conciſus eſt. Naſo à liberto, quem habuerat in delieiis, proditus, militi extorſit gladium, unumque inter omnes proditorem petens, priuſquam oeeumberet, interfeeit. Alium à militibus oeeidi videns ſervus, qui à condueenda navieula redierat, *exſpecta*, inquit, *pauliſper Domine*, ſimul eenturionem ictu lethali occupans. deinde ſuo quoque eorpori gladium infigens, *accipe ſolamen*, inquit, *quantum dare fides mea potuit, domine*! Vetulini caſus et Naſonis.

LXXXIX. At Lueius quidam duobus libertis, quos putabat fidiſſimos, auro tradito, quod deferrent ad mare; poſtquam ſe deluſum intellexit, ipſe quæſivit percuſſores, jugulumque præbuit. Labienum, qui in Sullana proſcriptione interfeeerat multos, liberti eelabant; tormentis etiam pro incolumitate patroni generoſe ſpretis. Sed ille videns evadere ſe non poſſe, & fruſtra torqueri ſuos; pro foribus ſuæ domus exſpectavit pereuſſores ſella poſita. Ceſtius ruri latens, minus ex fide ſuorum animi, quàm ex diſcurſatione eenturionum timoris concipiens, ut aliquando ſe moleſtia liberaret, *buſtum parari* juſſit *à ſervis, ut dicere poſſent, fuiſſe Ceſtium*; atque in aceenſum ignem ſe conjecit. Pleraq; Lucil, Labieni et Ceſtii. Macrob. Saturn. lib. 2. Appian. lib. iii. Civil

XC. Aponium ad eamdem deſperationem adegit victus tenuioris impatientia, quum tuto lateret; igitur ultro ſe obtulit interficiendum. Jamque faſtidium erat ſponte expetentium mortem: ajuntque *fuiſſe qui neglectus à percuſſoribus, quum ſe ſatis diu ſedens in propatulo fruſtra præbuiſſet, ſuſpendio expulerit vitam.* At ſocer Aſinii per mare fugiens, tempeſtatum offenſus violentia, deſiliit in medios fluctus. Planci fratrem C. Plotium Planeum unguentorum prodidit fragrantia, ne in Salernitana quidem latebra his deliciis carere ſuſtinentem. adeo rationi ferociter amat repugnare prava conſuetudo. Tamen adhue occultabatur: & ſervi, quum ad indicandum torquerentur à militibus, ſumma fide & ſilentio eruciatum perferebant. donec ipſe Plotius tam bonos fidoſque ſervos diutius torqueri non ferens prodiit in medium, & jugulatus eſt. Aponii et aliorum deſperatio. Val Max. 6. 8. 5. Plin. 13. 3. Solin. c. 57.

XCI. Siſimius quum *proſcriptum ſe* negaret, *nomen ſuum legere* juſſus, juxta tabulam eſt interfectus. Æmilius ſuæ ſortis neſcius, quum alium quemdam peti Siſinii et aliorũ cędes proſcriptos ſe neſcientium.

Appian. Dio. 46.8.25. Appian.

cerneret, *quiſnam iſte proſcriptus eſſet*, interrogabat, cui centurio, *proſcriptus eſt & iſte & tu*: ſimulque occupavit ambos. Chilo & Decius, quum egreſſi Curia, ſe quoque in mortifera illa tabula legi didiciſſent, ad portam fugiebant: ſed ipſa trepidatione proditis, centuriones manus intulerunt. Siliclus, cujus unius calculo abſolutus nuper Brutus fuerat, facti ejus, quo alias multum erat gloriatus, immemor, ſandapilæ, qua forte mortuus efferebatur, ſubjecit humeros.

Silvius Veſpillonem ſimulans deprehenditur.

XCII. Ea res admonuit cuſtodes portæ, quum plures ſolito veſpillones conſpicerentur, ut exeuntes ſandapilam, ne forte pro mortuo vivus efferretur. Tum reliqui numerum audientes argui, negarunt *hunc eſſe ſui ordinis:* itaque agnitus vita & capite caruit. Sed Varus à liberto proditus, per montana & aſpera loca uſque in paludes Minturnenſium ſe ſubduxerat; quum ab his qui latrones perquirebant, erutus, & pro latrone damnatus tacuit. Sed ubi ad indicandos ſocios tormenta adhiberi vidit; *denuncio vobis*, inquit, Minturnenſes, *ne paulo ante proconſulem populi Romani, nunc quod rerum in præſentia potentibus pluris eſt, proſcriptum torqueatis.*

Evadentium perfugia. Dio 47.2.14. Appian. Corn. Nepos. Attic. 11 2.

XCIII. Non habebatur fides: ſed altercantibus ſupervenit centurio quidam, & capite Vari dempto compoſuit litem. At qui evadere ex Italia potuerunt, ad Brutum atque Caſſium ſe conferebant, aut ad Cornificium in Africam: etiam Atticus, qui maximas in Epiro poſſeſſiones habebat, eò adpulſos *recipi haberique* juſſerat *liberaliter*. ſed pleriſque Sex. Pompejus ſaluti fuit, vicinam Siciliam obtinens. Atque is ſane quam bonam operam his temporibus præſtitit Romanæ nobilitati.

Pompeii humanitas. Dio. Appian.

XCIV. Quippe Italiæ aſſidens, Romæ & per exteras civitates proponenda curabat ſcripta, *Pompejum duplum ejus mercedis, quæ in proſcriptos eſſet conſtituta, daturum ſervatoribus. eos porro qui ad ſe confugiſſent, auxilio, pecuniaque & honoribus adjuturum.* Lembi etiam ejus ac onerariæ naves, itemque triremes oberrabant circum Italiæ littora; quæ ſignum darent latentibus, exciperent, defenderentque venientes. ipſe tranſvectos excipiebat obvius, veſtem, ſupellectilem, & cætera liberaliter ſuppeditabat: idoneum quemque præficiebat legionibus, cohortibus, navibus. ſed neque prodidit eos poſtea, nullo cum Tribusviris inito fœdere, quo proſcriptorum ſalus non contineretur. Neque piget inſigniora quædam exempla ponere, quo inter hæc tam triſtia lætorum quoque caſuum permixta commemoratione lectoris animus redintegretur. Hirtius cum fideli ſervorum manu circumibat per agros ergaſtula ſolvens, & colligens fugientes; cum his primo villas atque vicos expugnabat, mox majora oppida, poſtremo Brutiorum gente redacta in poteſtatem, bello petendus fuit. Tum demum ad Pompejum transjecit cum ſuis.

Sentii Saturnini ſtratagema Apulcii & Aruntii. Val Max. 7 3. 9

XCV. At Sentius Saturninus Vetulio, cum virtute animi calliditatem conjunxit: adreptiſque Prætoriis inſignibus, cum ſervis in lictorum, apparitorum, ſervorumque publicorum habitum compoſitis exiit porta; conſcenſoque vehiculo publico, *Prætorem ſe* ferens, *& ad Pompejum de pace mitti*, deducente Italia, quum Puteolos veniſſet, quaſi publico munere fungeretur, ſumma ſecuritate correptis publicis triremibus, in Siciliam profectus eſt. Apulcjus & Aruntius centuriones mentiti, cum ſervis militariter adornatis, curru ſe extulerunt porta, tanquam alios proſequerentur; deinde coactis, ſicut de Hirtio di-

Interdictæ etiam lacrymæ.

ximus, quos potuerant, armis signisque ad speciem exercitus instructi, partitis copiis ad fretum contenderunt. Sed accidit forte, ut eodem in colle quodam pernoctantes, dum missos adversus se Roma milites credunt, mutuo cum metu se contuerentur: mox prima luce infestis armis concurrerent, donec agniti, laboresque suos & pervicaciam Fortunæ miserati, diversis navibus alter ad Pompejum, alter ad Brutum evaserunt.

Ventidius ingenio liberti servatur.

XCVI. Pari vaframento sequutus est Ventidius, sed liberti sui ingenio & fide, qui patronum simul atque proscriptum cognovit, continuo vinxerat, quasi tradendum percussoribus: sed noctu persuasis servis, cum armata familia tanquam centurionem miles sequutus est. perveneruntque feliciter in Siciliam, quum sæpe in eodem diversorio cum veris centurionibus Ventidium quærentibus pernoctassent.

M. Volusius, Rebilus, Appius diversis modis. Val. Max. 7 c. 8. Appian. Thucydid. 8 c. 23. 24.

XCVII. M. Volusius Ædilis plebis, recepta nuper superstitione Isidis ad salutem abusus est. linea enim stola cum persona canicipiti ab amico Isiaco sumpta, per itinera viasque publicas stipem petens, evasit. Rebilum audacia servavit, & Themistoclis imitatio. Nauclerum enim, qui *pecuniam* ab eo petebat, *ni prodi mallet*, eodem commento terruit, *se* denuncians *indicaturum*, *quod accepta pecunia proscriptum veheret*. Sic à territo pervectus ad Pompejum est incolumis. Appius opes suas famulis dividens, cum his in Siciliam navigabat. Ibi tempestate exorta pecuniæ inhiantes, jusserunt eum *in scapham tutiorem descendere*: & favit ei fortuna, simulatumque auxilium veram ei incolumitatem præstitit in scapha transportato, quum interea navem fluctus absorbuissent.

In ipsa Urbe latitantes quidam.

XCVIII. Et hos quidem servavit fuga. Nonnulli per inculta camporum, aut etiam in sepulchris, vel ipsa Urbe latitantes, pacatiora exspectare tempora potuerunt. Quorum Marcus quidam, suis in ædibus fide servorum occultatus, inde, pace restituta, velut ab exsilio in publicum prodiit. Sittius etiam municipum suorum benevolentia Cales pro exsilio habuit: primus & forte solus ad ea tempora hominum, relegatus in patriam. Nam illi prædivitem virum & pro copia sua munificum custodiverunt armati; servis minando, prohibendo ingressu oppidi milites, donec legatis ad Tresviros missis, quod diximus, impetrarent.

Alius felix audacia ex metu. Dempsterus in Rosinum to. 29. pag. 1707. Dio. 47 c. 16. Appian.

XCIX. Alium metus coëgit ad felicem audaciam: quippe à liberto in sepulchrum abstrusus, quia ferre loci speciem nequibat, in conductam quamdam sordidam habitationem immigravit. deinde, quia miles quidam juxta divertebat, periculum timens, capite raso, quod libertinis erat solitum, ludum aperuit publice, nullique suspectus totum illud minacissimum tempus citra periculum exegit. Has inter calamitates nihil erat calamitosius, quàm quod ne flere quidem occisos erat licitum: quin ultro *læti esse omnes* jubebantur edicto, *propter Consulum designatorum Triumphos, & imminentes novi anni ferias*.

Planci & Lepidi triumphus. Vetus Inscriptio apud Sigh. Appian. Vell. 2.

C. Nam A. D. IV. Kalendas Januar. L. Plancus triumphavit ex Gallia, Rhætis devictis: & mox A. D. Prid. Kal. ex Hispania M. Lepidus. Plancus ædem Saturni fecit ex manubiis. Et quamvis imperata lætitia hos in Capitolium cives militesque prosequerentur, nec tamen aut illorum tacita exsecratio, aut horum apertissima convicia defuerunt. Certe servatus ad memoriam nostram versus est, inter Triumphos istos ulurpatus: *de Germanis, non de Gallis duo triumphant*

Consules: quod, ut supra memoravimus, ille Plotium fratrem, hic Paulum in proscriptorum numerum retulissent.

Ventidius Consul fit. Fragm. Collectionum apud Pigh. Vell. 2. 65. 5. Val. Maxim. 6. 9. 3. Liv. 2. 42. 7. Agell. 15. 4. 262.

CI. Hoc tempore Consulatum P. Ventidius Bassus, ex pacto Triumvirorum, cum C. Carinate per aliquot dies gessit, abdicante Cæsare, & collega ejus mortuo Q. Pedio. Neque moram adferebat, quod tum maxime Prætor erat Ventidius, nihili enim fiebant leges, quarum Genucia cautum erat, ne quis duos magistratus uno anno gereret. Ventidio etiam majorem invidiam excitabat fortunæ prioris humilitas, ajuntque *per Urbis vias vulgo proscriptos fuisse versiculos, quibus omnes augures aruspicesque excirentur ad recens portentum, quod is, qui mulos fricare solebat, Consul factus esset.*

Ex humili Fortuna. Plin. 7. 49. Agell. Plancus in Fam. Cic. 10. 24. Dio lib. 43. Marianus. Scotus.

CII. Quippe Ventidium bello sociali ductum in triumpho Cn. Pompeii memoravimus. Inde juventa inope in caliga militari tolerata, mulos atque vehicula, præbenda eunctibus in provincias magistratibus conduxit; indeque convitio inimicorum appellatus est *mulio*. Sed quia Cæsari tum in illo ministerio, tum subinde majoribus admotus satisfecerat, receptus in amicitiam, Senatorque, & mox Tribunus plebis creatus, ac deinde Prætor designatus est. Eodem anno, quia frequentibus legatis exhauriebantur hæreditates, C. Salonius Tribunus plebis *legem tulisse* dicitur, *ne cui plus besse legare testamento liceret; quadrante utique hæredibus servato.*

Triumviris honores decreti. Dio. 47. 2. 18. Plin. 16. 4. 2. et 22. 6. Dio.

CIII. Sed major cura omnium de honoribus fuit, quibus Tresviri placarentur. His igitur & alia decreta, quæ olim ob servatas civitates dabantur; & coronæ civicæ, postquam atrocitate temporum videri meritum cepit, non occidere. Neque vero culpandi videbantur sibi Tresviri, quod multos tollerent; sed pro magno habenduin, quod nonnullos relinquerent: & publice solebant profiteri, *se neque Sullæ aut Marii sequuturos asperitatem, ne odium sibi pararent; neque Cæsaris clementiam, ne contemptui, & ex contemptu insidiis obnoxii fierent.* Tales igitur in sanguine civium quum fuissent, non erat magna postulanda in patrimoniis abstinentia.

Eorum rapinæ. Plut Ant. cap. 27. Dio. Corn. Nepos. Attico 12. 3.

CIV. Certe *dotem interfectorum uxoribus, decimam bonorum liberis, si mares essent, si fœminæ vicesimam* erant polliciti: sed præstabantur hæc oppido paucis, plerisque concessa per legem, extorquebantur calumnia. Neque vero bona reliquorum tuta dominis ulla ex parte erant. Civium proborum quietorumque, quorumdam etiam, qui studiorum causa aberant, bona vendebantur, nihil suspicantibus dominis. Romæ & per universam Italiam mercedem habitationum annuam exegerunt: qui proprias ædes incolerent, ab his semissis ejus, quanti locari possent, postulabatur. Sic & prædiorum dividebantur reditus.

Totæ urbes adfliguntur. Plutarch. Dio. Frontin. de Coloniis.

CV. Præterea constituebantur cujusque modi generis vectigalia: depositæque pecuniæ, etiam apud Vestales, auferebantur. Totæ quin etiam urbes adfligebantur militum hibernis, & præstandis sine pretio cibariis: sed multo magis deripiendis earum agris, qui videlicet publicati erant; hostibusque judicatis, qui præstitutum ante diem iis non excessissent. Jam enim in anteceſſum, quo promptiores ad reliqua bellorum exercitus forent, repræsentare præmia incipiebant, polliciti *per se deducturos, quas decrevissent colonias.* In his præter eas quæ supra recensitæ sunt, Aquinum, Alisæ, Arretium, Interamna, Ligures Bæbiani & Corneliani, lege Triumvirali deductæ coloniæ repe-

Motus in exercitu Bruti.

riuntur : quibus acceſſiſſe poſtea videntur Cremona & Mantua.

CVI. Ita conciliatis manipularibus, duces ac tribunos poſſeſſionibus proſcriptorum allicicbant; gratis aut vili pretio addicentes: aut honores interfectorum atque ſacerdotia transferentes in ipſos. Atque hoc ipſis adſequi erat perfacile, ne enim à quibus nollent ſubhaſtata emerentur, vetuerunt *ad haſtam accedere nihil comparaturos*, mortem interminati. Venerunt igitur tanto pauciores, & poſtquam hi peſſime accepti ſunt, & immenſo coacti quædam emere, nemo deinceps, præter Triumvirorum ſatellites quidquam licitatus eſt. At Ventidius ante Conſulatum etiam Pontifex creatus eſt; & in ejus locum Prætura cuidam Ædilium conceſſa. cæteris etiam Prætoribus, quintum ante diem, quam abituri magiſtratu erant, dati ſucceſſores ſunt; illis in provincias dimiſſis.

Satellites Triumvirorũ præmiis addiciuntur. Servius in Virgil. Eclog. 5. Dio. Agell. 15. 4.

CVII. Ita quum appareret, nihil non ex lubidine Triumvirorum agi, quamquam invidioſis damnatiſque *Regum* atque *dictatorum* nominibus abſtinerent; anta conſequuta eſt animorum commutatio, ut qui nuper intolerabilis viſus fuerat planeque ferreus ſuperioris Cæſaris dominatus, nunc inſtituta cum præſentibus comparatione, merum aurum videretur. Sed religioſiſſimi principes, quum Urbem vacuarent hominibus indidem natis, locupletare peregre accitis diis voluerunt: templumque Serapidi ac Iſidi, poſt ſæpius repudiata eorum ſacra, decretum eſt. Hæc eo anno domi, & in Italia geſta.

Cæſaris dominatus præ hoc tolerabilis. App

CVIII. Nec pauciora interim Brutus in Græcia, Caſſius in Syria, Cornificius in Africa, & in Sicilia Pompejus geſſerunt: quamquam illa ſane conciſius apud auctores referuntur. Brutus accepto Senatuſconſulto, quo ſibi decretum imperium erat, pacataque Græciæ & Illyrici parte, Cæſarem (à quo tum adhuc oppugnari Antonium putabat) per epiſtolas monuit, *perſeveraret in incœpto, & quoniam communem hoſtem haberent, ſecum rediret in gratiam*. Interea, quod deſiderari ſe ſciebat in Senatu, ad transjiciendum ſe comparabat. Sed ubi muratum Cæſarem, omniaque ad bellum ſpectare cognovit; hoc agere contento ſtudio cœpit, ut vi repellere vim facturos poſſet. Igitur Macedoniæ rebus optime conſtitutis, recurrit ad componendam ſeditionem, quam interim in exercitu C. Antonius commoverat; clam appellando duces militeſque & ad defectionem ſolicitando.

Bruti geſta. Dio 47. 3. 29. Plut. Brut. c. 38

CIX. Sed mature cohibitus eſt à Bruto, ademptiſque inſignibus Prætoris, in libera cuſtodia habitus Apolloniæ. Sed ille, non repreſſa per hoc, verum aucta audacia, magis etiam ad ſe pertrahere exercitum adniſus eſt: tantumque profecit, ut in legione quarta ſeditio naſceretur, reſque veniret ad manus; & nonnulli ad liberandum cuſtodia Antonium pergerent. Id conſilium Bruto literæ quædam interceptæ prodiderunt, correptuſque Antonius, & pro ægroto in eurum opertum conjectus eſt, ut exportaretur oppido, atque in navi adſervaretur. Igitur milites Antonio non reperto Brutum timentes in colle quodam haud procul Apollonia conſederunt; miſſis qui *Brutum ad ſe venire* juberent.

C. Antonius ſeditionem in Brutum hic excitat Cic. ad Brut. 2. 2. Dio. Plutarch.

CX. At ille, *milites ad Imperatorem accedere verius eſſe* reſpondit: ignovitque deprecantibus, paucis intertectis aut ab exercitu remotis ſeditionis auctoribus. Statimque ita ſunt converſæ militum mentes, ut interficerent relegatos, his culpam omnem imputantes; Quæſtoremque atque legatos Antonii ad necem depoſcerent. Certum erat Bruto, nihil ſtatuere in quemvis civem durius

Bruti dictum de morte Ciceronis. Brutus ad Cicer. 2. 2. 4. 2. 4. 5. 7. Plutarch. Cic. ad Brut. 2. 16. 17.

quam neceſſum eſſet. Igitur hos quidem in naves impoſitos tamquam ſubmerſurus, in tutiora loca tranſtulit. Interim audita morte Ciceronis & cæterorum, *dolere ſe quidem morte amiciſſimi viri dicebat, ſed magis cauſſa mortis erubeſcere.* Semper enim eum, nequid Cæſari crederet, diligentiſſime monuerat. Accuſabat & ſuperſtites, qui pati ac videre ſuſtinerent, quæ vel auditu intoleranda forent libertatis & patriæ amantibus. Ipſe autem ne his rumoribus iterum ad defectionem milites ſolicitarentur, Apolloniæ atque Antonii cuſtodia C. Clodio relicta; in ſuperiorem Macedoniam tranſduxit exercitum, inde in Aſiam tranſmiſſurus: ubi longius abductis ab Italia, neque tranſfugiendi occaſionem, neque etiam eorum, quæ domi fierent, notitiam adipiſcerentur.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

C. CASSIUS, cui mandatum à Senatu erat, ut Dolabellam hoſtem judicatum bello perſequeretur; auctoritate Reipublicæ adjutus, Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem Provincia erant, in poteſtatem ſuam redegit: Dolabellam in urbe Laodicea obſeſſum mori coëgit, M. quoque Bruti juſſu C. Antonius captus, occiſus eſt.

Baſſum Syriam obtinet. Cic. Phil. pp. 11. 13. Dio lib. 48.

INTER hæc Syriam Q. Cæcilius Baſſus privatus ille quidem, ſed animi conſiliique non egens, Sex. Cæſari cum vita & duabus legionibus ereptam obtinebat. Nec prohibere Dictator Cæſar potuerat, Africano tum bello, deinde aliis intervenientibus, & duces contra ſe miſſos facile Baſſus repellebat, Apamea conſtituta arce belli: circa quam opimus ager alendo exercitui ſufficiebat omnia, & vicini Reguli multi, levitate inſita, & odio Cæſaris, in commilitium pertrahebantur. Inter quos & Jamblichus fuit, Emeſenæ gentis Regulus, Lyſiadiſque & Chalcidis tyranni.

Se defendit ab Antonio. Joſeph. Antiq. Judaic. lib. 14. & de Bello lud. 1. 8. Strabo lib. 16. Dio 47. & 49.

II. His opibus aliquot Romanorum ducum, legionibus & equitatu magno inſtructorum, vim intulit. C. primum Antiſtius obſederat eum Apamea, deinde quum æquo Marte aliquandiu certatum ſuiſſet, velut tacitis inducis diremptis, utrimque ad comparanda auxilia, bello interim omiſſo, ſe contulerunt. Antiſtio & finitimi, quoquot Cæſari ſtudebant, mittebant auxilia, & ex Judæa procurator gentis Antipater: cujus filium Herodem, è judicio capitali ad ſe confugientem in honore habuerat Sextus, Samariæque & cavæ

Syriæ præfecerat. His deinde ab Roma missæ copiæ accesserunt.

III. Sed Alchandonius Arabs Rhambæorum Rex, infidi semper animi, quum ab utrisque vocatus esset, medio inter Apameam & Antistii castra loco consedit, & mercede se militaturum professus, plura danti Basso accessit: bonamque ei operam, quod arcu perite utebantur Arabes, præstitit. Nec ideo minus ad Apameæ obsidionem Antistius redierat, magna cum spe boni eventus: donec accessiti à Basso Parthi, maximis copiis duce Pacoro adfuerunt. Hi Antistium repulisse contenti, multis ejus occisis militibus, propter hyemem (nam in exitu December erat) nulla alia re gesta domum redierunt. Parthos concitat. Dio. Strabo. Cic. ad Attic. l. 9. ep. 10.

IV. Ab hoc tempore res Cæcilii Bassi satis firmæ fuere: robustusque exercitus, & ex victoria plenus animi, ut etiam Patribus Italicarum rerum perturbatione anxiis, solatio esset. Cæterum quia Cæsaris confirmata acta fuerant, quamquam eo jam perempto, L. Statius Murcus ex Prætura Syriam provinciam habiturus, cum tribus legionibus bellum intulit Basso; supervenitque Q. Marcius Crispus Prætorius & ipse cum legionibus totidem ex Bithynia. Ita duobus magnis Romanis exercitibus & equitatu firmo circumsessa Apamea defendebatur, tamen intrepide, donec in Syriam C. Cassius venit, Trebonianis militibus instructus, quos à Dolabella P. Lentulus transduxerat, & pecunia ab eodem Lentulo, nam is Trebonii Quæstor fuerat. Obsidetur Apameæ. Philipp. 12. 13. & Famil. 12. 8. Vell. 2. 69. 2. Appian. lib. 4. C. vil. Joseph antiq. Judaic. 14. 17.

V. Ad hunc omnia propere concesserunt, sive propter Senatusconsultum quo *parcere ei omnes ea provinciæ exercitusque* jubebantur; sive propter ipsius virtutem famamque & amicitias. Quippe commemorare adversus singulos *multa sua merita* atque officia poterat: & ubi hæc deerant, *Reipublicæ salus* erat obtentui. *Scire ipsos, quam ex præclara & potenti, subito in miserrimam conditionem res Romana incidisset, ambitione paucorum, qui sublata libertate, communibus commodis debitas curas, suam ad dominationem universas transtulissent.* Sed C. Cassius ad se trahit omnia. Cic. Famil. 12. 14. Liv. Epitom. Appianus.

VI. *Esse vero tantam in hominum animis regnandi dulcedinem, ut ne Cæsaris quidem exitu perterriti paria concupiscant. Sic Antonium degustato sub Cæsare imperio, sic Octavianum hæreditate avunculi & ipso nomine incitatum, patriam, amicos, famam, salutem denique ipsam cupiditatibus suis posthabere. Nam Dolabellam quidem immani audacia atque crudelitate latronem, fractis ipsis omnia ab Senatu populoque Romano recens concordiæ causa constituta violasse. C. Trebonium Asiæ proconsulem occidisse: nihil ad se pertinentem occupasse provinciam: nunc etiam in procinctu esse, ut decretam C. Cassio Syriã eripiat.* Cæsar avet dominari. C. Philipp. 11. 2. Suam virtutẽ causamque prædicando.

VII. *Se vero non ita cognitum aut domi populo Romano, aut foris sociorum cuiquam esse, ut conjunctam cum publico periculo injuriam ferat. sibi certe, ipso illo Dolabella consentiente, ipso illo Antonio decretam Syriam esse. hanc se provinciam & debere obtinere, & posse. Neque hanc modo concessam sibi; sed in vicinas omnes datum ab Senatu imperiũ esse. neq; tam adhuc evilnisse sanctissimum hoc nomen, ut non ubiq; venerationi sit gentibus. Igitur & has copias, quibus utatur, parare isto Senatusconsulto instructum celeriter potuisse: & habere certũ, multos circum sponte vocantium populos Regesq; sibi futuros auxilio.*

VIII. *Sed malle se Romani Imperii salutem Romanis maxime copiis ducibusque defendere: atque adeo abominari illam fortunam, ut externis potissimum præsidiis inniti necessum sit publicæ libertatis adsertores. Igitur se à Murco Cris-* Petit ab utrisque partibus ut secum sentiant:

Caſſius ad Cic. Fam. 12. 11.

poque Imperatoribus, itemque à Cæcilio Baſſo petere, ut poſitis inimicitiis, ad concordiam redeant; & ad communem omnium ſalutem ſecum adminiſtrare Rempublicam occipiant. Fruſtra inter ſe pugnare, quibus eſſe nulla ſalus, præterquam in publica poſſit. Jam & Octavianum ſentire cum Senatu, neque lenius hujus, quàm Conſulum armis Antonium premi. Ne ſibi jam aut pro Cæſare bellandum, aut contra ipſum putent, quando partes eas ſuo ad Rempublicam reditu filius ipſe Cæſaris ſuſtulerit.

Omnes eadem in caſtra contrahit. Velleius. 2. Caſſius ad Cic. Famil 12. 12. Dio. Appian.

IX. His atque ſimilibus cauſſis inducti Murcus atque Marcius Caſſio tradiderunt copias; & Baſſum miſere cupientem retinere ſuos milites, reliquerunt ipſi, ſeque ad C. Caſſium tranſtulerunt. Ille omnes eadem in caſtra contraxit. quo tempore magnus repente imber extitiſſe traditur, & irrumpentes in caſtra portis omnibus apros confudiſſe ac conturbaſſe pleraque: neque defuiſſe, qui *celerem Caſſio & potentiam & interitum prædici* opinarentur.

Ioſeph. antiq. Iud. 14. 17. & de Bello Iud. 1. 9. Dio 47. 4. 29. App. Cic. Philipp. 11. 13.

X. At Caſſius his copiis auctus omnia circum terrebat imperiis; graveſque exigendo pecuniarum ſummas, civitatibus terribilis imminebat. Tum & quatuor oppida Judææ, propter non ſoluta ſtipendia venierunt Gophna & Lydda, & cum Emaunthe Thamna. Sed & Malichum ex Judæorum principibus interfecturus erat Caſſius, niſi pro eo Regulus gentis Hyrcanus centum talenta miſiſſet. Profectus enim erat in Palæſtinam Caſſius, uti venientem ex Ægypto legatum Dolabellæ A. Allienum occuparet. Is Alexandria legionum quatuor inſtar reducebat, reliquias Pompejanæ Craſſanæque cladis: aut ex iis cohortibus, quas apud Cleopatram reliquerat Cæſar. neque auſus adverſus octo legiones contendere, cum exercitu in Caſſii partes tranſiit.

Contra Dolabellam ducit. Caſſius ad Cic. Famil. 12. 12. Dio. App. Cic. Famil. 12. 13.

XI. Hæc ante nonas Martias acta præſcripſit in Urbem Caſſius ex caſtris, quæ in oppido Galilææ Tarichæa poſuerat. Poſt menſem deinde, Dolabellam in Ciliciam venire audiens, dimiſſis ſine injuria Baſſo Criſpoque, & ſi qui præterea manere gravabantur, claſſiſque præfectura Murco tradita, eodem inſtituit ducere, auctus etiam equitum ſagittariorum aliquo numero, qui ex Parthis, quam apud gentem fama erat clariſſimus, ad eum venerant. Tum cognito claſſem Dolabellæ eſſe in Cilicia, ipſum iſſe Laodiceam, eodem cum omnibus copiis eſt profectus.

Dolabellæ vires. Appian. Cic. Fam. 12. 14.

XII. Quippe Dolabella poſt interfectum Trebonium, tributis Aſiæ civitatum, claſſem à Rhodiis Lyciiſque atque è Pamphylia & Cilicibus, opera L. Lucilii Figuli, mercede conduxerat: Syriamque, Figulus navibus, Dolabella pedeſtri itinere cum legionibus duabus petebant. Animos Tarſus & Laodicea dabant, hæc inter inſignes Syriæ civitates, illa Ciliciæ caput. Sed claſſis ad Corcyram clauſo portu ſe tenuit, quum eam Q. Caſſius ſequutus eſſet; deinde hoc ad caſtra Caſſii profecto, Turulius Quæſtor cum navibus, quas anno ſuperiore Tullius Cimber in Bithynia compararat, curſum præcluderet.

Caſtra ejus ad Laodiceam. Dio 47. 30. Tacit. 13. 8. Cic. Famil. 12. 13. & 15. Strabo lib. 16. Appianus.

XIII. At Dolabella Tarſenſium, deinde Laodicenorum juventute centuriata, exercitus inſtar fecit: dejectaque parte muri, caſtra oppido conjunxit: poſtquam præſidio Caſſii apud Ægeas Ciliciæ civitatem dejecto, ab Antiochiæ oppugnatione cum detrimento rejectus aliquoties: deinde deſertus in itinere à pleriſque militibus Aſiaticis fuerat. Laodicea in peninſula ſita, præclaras à terra munitiones, à mari portum optimum habebat. & quum ager frugum vinique

fera-

Prælium navale inter Cassium & Dolabellam.

feraciſſimus eſſet, commodâ ſane ſtationẽ atq; ſecurâm Dolabellę præſtãre videbatur. Sed Caſſius cum decẽ legionibus, & cohortibus auxiliaribus viginti, & quatuor milliũ equitatu ſuggreſſus, os Laodiceni portus obſtruero ſatagebat, non ſæris, non religioſis pareens, quo minus ex ſuburbanis ędificiis ſaxa materiamq; comportaret.

Prælium navale cum Caſſio. Cic. Famil. Dio. Appianus.

XIV. Per hęc res anguſtæ fiebant Dolabellæ, jamque triticum penes eum ternis tetrachmis erat; ſed erant tamen adhuc ſolatio Laodicenę naves, quas Caſſiana moles non ſatis exitu prohibebat. Mox & claſſis Dolabellæ ſupervenit. qua confiſus tranſmittit Aradum, pecunias & naves inde quoque coacturus. ſed deprehenſus cum paucis, periculum ægre vitavit fuga. Igitur Caſſius miſſis in Phæniciam Lyciamque & Rhodios, qui claſſem adducerent, nec adjutus, præterquam à Sidoniis, commiſit tamen prœlium, quo plures utrimque demerſæ naves ſunt, quinque una cum remigibus & claſſiariis Dolabella captas abduxit.

Cleopatra Dolabellę favet. Dio. App.

XV. Ergo Caſſius tum ad eoſdẽ iterum, à quibus erat contẽptus, tum ad Reginam Cleopatrã miſit. & Tyrii quidẽ Aradiique cum eo numero navium, quem conficere potuerant, adfuerunt: parque ſtudium Serapionis fuit, qui Cleopatrę Prętor in Cypro, Regina inconſulta Caſſiũ juvit. Nam illa propter familiaritatem Cæſaris Dictatoris Dolabellę favebat; & hujus in gratiam paſſa erat abduci legiones ab Allieno: claſſemque paratam habebat, quam ei ſubmitteret; ſed ea ventis retinebatur. pecuniam tamen grandem ſubminiſtraverat. Caſſio autem ne auxilium mitteret, *famem peſtilentiamque* excuſabat, *quo ſimul utroque malo Ægyptus premeretur*.

Rhodiorum Lydiorumque reſponſum ad poſtulata Caſſii. P. Lẽtulus ad Cic. Famil. 12. 15.

XVI. Rhodiorum Lydiorumque perplexius reſponſum fuit: *ſemper Romanam magnitudinem colere ſolitis, nihil accidere triſtius potuiſſe, quàm quod Romanæ civitatis principes inter ſe collidi mutuis diſcordiis ſentiant: nec ſciri poſſit, utra partium juſtius Senatus populique Romani auctoritatem præferat. Iiſdem enim vocabulis utroſque niti, nec alia nunc adferri à Caſſio, quàm quæ Dolabella prius adſeveraſſet. Scire ſe nuper admodum M. Marcello, Ser. Sulpicio Conſulibus, renovatum eſſe fœdus, quo eoſdem cum Senatu populoque Romano hoſtes ſibi futuros juraſſent. Sed ejuſdem nimirum populi juſſu Dolabellæ Syriam datam cognoſſe, cujus Senatus eamdem Syriam Caſſio dederit.*

Volunt neutris partibus auxilia mittere. Appian. P. Lentulus.

XVII. *Sane Dolabellam hoſtem ab Senatu judicatum dici, ſed ab eodem Senatu prioribus decretis abolitis, Caſſium & qui cum eo ſentiant, hoſtium numero eſſe. Non debere Romanos iraſci externis civitatibus, ſi non ſatis dijudicent utrorum ſit cauſſa juſtior: quum inter ipſos ea de re conſtet nihil, armiſque decidi neceſſum ſit omnia. Nihil ſe potuiſſe aut rebus ipſis æquius, aut in nomen Romanum reverentius ſtatuere; quàm ut neutris partibus auxilium præſtent ad civilia bella, ſeque ita gerant, ut nemo habeat adverſum ipſos odii cauſſam. idque ſibi neceſſarium eſſe propter agros, quos in continenti habeant Rhodii; qui facilius à quolibet hoſte vaſtari queant, quàm defendi vel à potentiſſimis ſociis.*

Quia ſic faciunt & alii. Cic. Philipp. 11. 13. Dio. 47. 45. Appian.

XVIII. *Audire ſe hoc ipſum conſilium ipſis probari, qui ſemper exiſtimati ſint multum valere prudentia. Sane Dejotarum Regem, quum ſemper fuerit Pompejanis partibus addictiſſimus, & ab adverſis gravia damna acceperit, auxilium Caſſio non mittere. idemque ab aliis Regibus atque civitatibus fieri, quos nulla alia cauſſa attineri arbitrentur, quàm quia quid ſibi faciendum ſit inter hæc incerta rei Romanæ fata neſciant.*

XIX. *Neque vero recte ſibi objici, quod naves Dolabellæ dediſſent. Simili*

Excusant Dolabellæ missas naves. Appian. Cic.

enim conditione & Cassio fuisse daturos, & cuilibet, dum ne hostium in numero esset. Non enim ad bellum ei concessas, sed deducendi tantum gratia; neque se scire si bis ad bellum abutatur: neque si sciant, esse probaturos. Legationes ad Dolabellam missas crimini sibi dari esse mirabant; nisi forte ad proconsulem populi Romani, denique modo Consulem legatos mitti fuerit nefas. Neque arbitrii sui, neque modestiæ esse, quos à populo Romano mitti oporteat in provincias, anquirere. sibi putare colendos, quicumque mittantur. Aut igitur operam det Cassius, quidnam voluntatis in re qualibet Senatus populusque Romanus habeat, intelligi possit; aut rem tantam dijudicare nescientibus ne iratscatur.

Aliud prælium Cassii & Dolabellæ. P. Lentulus ad Cic. Fam. 5. 14. 15. App. lib. 4. Civil. Dio.

XX. Hæc ideo minus habebant ponderis, quod ab inimico animo profecta putabantur, quia tunc maximos magistratus iidem gerebant Rhodii, qui ante aliquot annos Pompejum cæterosque fugientes oppido & portu non receperant. Sed Cassius jam classem luculentam præfecto Sextilio Rufo habebat: & à tribus aliis, quas Q. Cassius, Turulius, Patiscus ducebant, adjuvabatur. Ergo non dubitavit denuo eum Dolabella confligere; quamquam huic Ægyptiæ naves accesserant. Sed tum quidem dubio Marte pugnatum. paulo post à Cassianis hac arte parata est victoria.

Dolabellæ res inclinant. P. Lentulus. Dio. Appian.

XXI. In Lycia Sex. Marius & C. Titius legati Dolabellæ classem habuerant rostratarum, cum onerariis magnis navibus centum: hoc Dolabellæ consilio, ut pulsus Syria, copiis in naves impositis, Italiam peteret, Sed à Lentulo Quæstore Asiæ disjecta classis, onerariæque ad unam omnes captæ sunt. Quum igitur hoc genere navium abundare Cassius cœpisset, Statio Mureo quasdam earum, haud magni ad alia usus attribuit; quas incensas opportuno vento in classem hostium mitteret. Ille feliciter exsequutus consilium, & in prœlio victor fuit; & in portum invectus navibus, exitum Dolabellæ penitus intercluſit.

Ejus exitus: App. lib. 4. & 5. Civil. Dio. Vel. 2, 69. 20.

XXII. Jam & à terra perfectis operibus aries admovebatur: & nequidquam eruptione tentata, repulsus intra mœnia hostis erat. Sed resistebatur adhuc, & ne corrumpi nocturnæ excubiæ possent, M. Octavius Marsus pervigili cura impediebat. Igitur qui interdiu in stationibus erant, quieti se tradente Mureo, fecerunt proditionem, Quinto quodam auctore, & per diversa parva ostia, quæ in muris ad subitas eruptiones veterum industria reliquerat, intromissus hostis est. Urbe capta, quum Dolabella suum exemplũ metueret, ne quod in Trebonio fecerat, ipse pateretur, servo suo præbuit cervicẽ, *caput adferre* jubens *Cassio suæ salutis præmiũ.*

Laodicenorum calamitates. Appian. Dio. Senec. Suas. 1; Strabo lib. 16.

XXIII. Ille superesse tam bono hero gravatus, quum illum jugulasset, se quoque eodem ferro interemit. Sed & M. Octavius sua manu invenit necem. *Corpora sepeliri* jussit Cassius, quamquam Trebonium inhumatum abjecerant. Q. Dellium, qui pactus erat *salutem, si occidisset Dolabellam*, tamquam impleta conditione inter suos habuit. At Laodicenos publica sacraque pecunia ablata, gravibusque impositis tributis, ad extremam miseriam redegit. quum & bellum multas ejus oppidi partes adflixisset, & nobilissimum quemque supplicio peremisset victoria. cæteris tamen abstinuit injuriam, militesque Dolabellæ, quamquam erant ab Senatu hostes judicati, in sacramentum accepit pœna remissa: neque postea etiam, quum multorum insidiis peteretur, quemquam eo nomine interfici passus est.

Equus Sejanus. Agell. 3.

XXIV. Sed *inter cætera Dolabellæ spolia nobilem equum fuisse* ferunt, *singularis cujusdam & pulchritudinis & fati. Hunc se vidisse* C. Bassus tradidit, *Argis, ubi natus erat, ex genere illo decantato, uti constanter est creditum, Diomedis equo-*

rum. quos occiſo domino Herculem deduxiſſe Argos fama ferebat; haud credibili pulchritudine & vigore omnibus aliis equorum laudibus longe præſtante. Hunc Dolabellam nuper, quum fama ejus adductus Argos veniſſet, grandi ſumma emerat. Sed obſervatum eſt, omnes illius equi dominos cum familia fortuniſque omnibus miſere diſperiſſe. Nam primus omnium Cn. Sejus; unde & *Sejanus equus* appellatus eſt, à M. Antonio capitali ſupplicio adfectus fuerat. Et modo P. Dolabella gravi exitio erat conſumptus. Sed poſtea quoque & Caſſius interiit, & ipſe M. Antonius, inter Caſſianam cladem hoc equo potitus: ſed ad inſtitutum revertor.

Caſſii potentia. Joſeph. de bello Judaic. l. 1. et Antiq. Iud. l. 14. 21. App. lib. 4. et 5 Civil.

XXV. Occiſo Dolabella multi Reguli tyrannique Laodiceam cum muneribus & coronis ad Caſſium accurrerunt, quos inter ab Hieroſolymis Hyrcanus venerat, Herodem adducens & Malichum, qui patrem Herodis intercepiſſe veneno putabatur. Idcirco cum venia Caſſii Herodes eum in conſpectu Regis ſui per aliquos centuriones Romanos contrucidandum curavit. At Caſſius conſtitutis Syriæ rebus, præfectoque cum una legione fratris filio, quos ſibi fidos putabat homines, civitatibus tyrannos imponens, quo in numero Marion Tyrius fuit, in Ciliciam proficiſci ſtatuit, inde Cleopatram, ob miſſa Dolabellæ auxilia, petiturus: poſtquam obiter Tarſenſes propter favorem adverſarum partium mulctaſſet.

Tarſenſium acta et clades. App. Dio.

XXVI. Nam illi diviſi in factiones, & unaquaque nomen civitatis obtendente ſuis conſultis auſiſque, primo Caſſium, mox Dolabellam coronaverant: Deinde Cimbrum Tullium, ad opem Caſſio ferendam properantem, arcere tranſitu Tauri ſtatuerant: mox pacti cum eo, ſimul pauciores habere opinione copias viderunt, excluſerant oppido, neque commeatu juverant. Ille prævertendum ad majora ratus, omiſſa oppugnatione Tarſi, contendit in Syriam. Interea Tarſenſes, occupato, quod Cimber oppoſuerat caſtello, vicinos eoque ſemper inviſos infeſtoſque Adanenſes bello petierunt; *Caſſianos eſſe* improperantes. Ergo vivente adhuc Dolabella, L. Sextilium Rufum Caſſius miſit, à quo victi venerunt in deditionem. Caſſius mille quingenta talenta victis imperavit. Ea pecunia quum acerbe exigeretur, Tarſenſes venditis omnibus publicis templorumque ornamentis, mox etiam ingenua corpora coacti ſunt addicere. multique horum ſervitutis tædio ſibi conſciverunt mortem. Huic fortunæ Caſſius ſuperveniens, miſertus eſt hominum, & reliqua civitati condonavit.

Triumvirorum conſilium. Sueton. Caſ. cap. 52. Dio. App. Plut. Bruto cap. 40.

XXVII. Hæc ubi Romæ ſunt audita, Treſviri, ne ſuarum partium homines concidere animis paterentur, Tarſenſibus publice collaudatis, *operam daturos* oſtenderunt, *uti cladem eorum ſua liberalitate oppidum ſublevarent.* Iidem & Cleopatram laudaverunt, ob ſubmiſſa Dolabellæ auxilia, permiſeruntque, *uti filio Ptolemæo, quem tanquam ex Cæſare ſuſceptum, ne ipſo quidem Cæſare prohibente, Cæſarionem vocare ſolebat, Regis Ægypti appellationem tribueret.* Sub eadem tempora Caſſium quoque irrumpere parantem in Ægyptum, M. Bruti literæ revocarunt: *Triumvirorum apparatum contra ſe & conſilia* nunciantes. *Neque vero ſe parandæ ſeorſim potentiæ cauſa, ſed ut contra tyrannos exercitum contraherent, Italia relicta longinquas regiones petiviſſe. Memores igitur propoſiti, non debere longius evagari ab Italia, ſed eò convertere cogitationes, quemadmodum patriæ civibuſque ſuis poſſint eſſe præſidio.*

Ariobarzanes et C. Antonius occiduntur. Dio. Plutarch. Liv. Epitom.

XXVIII. Igitur & Parthos equites, quorum opera erat uſus, cum legatis & muneribus remiſit ad Regem, majora ſimul auxilia petens, quæ perditis demum

rebus adfuerunt. Interim equites à Cassio præmissi in Cappadociam, Ariobarzánem, tanquam insidiatorem Imperatoris sui occiderunt, magna que cum pecunia & cætero Regis instrumento ad Cassium reversi sunt. Dum ea gerantur M. Brutus mortibus tot clarissimorum virorum, sed præcipue D. Bruti & M. Ciceronis irritatus, ad vindicandam tum propinqui sui, tum amicissimi viri necem, scripsit Q. Hortensio, ut C. Antonium, quem hactenus summa cura defenderat, interficeret. Sunt qui *necatum à C. Clodio Antonium* tradant, *timente ne per submissos à Marco fratre custodia eriperetur*. Sed jussum Bruti fuisse latis constat, itemque ministerium Hortensii: quando & hoc mortuo jam Bruto M. Antonius exprobravit, & Hortensium velut inferias fratri dedit.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

M. *BRUTUS adversus Thracas parum prospere rem gessit; omnibusque trasmarinis provinciis exercitibusq; in potestatem ejus & C. Cassii redactis, coierunt Smyrnæ uterque ad ordinanda belli futuri consilia. M. Messala Poplicolam fratrem victum, communi consilio condonaverunt.*

CIVILES discordiæ bellis externis eo quoque nomine pestilentiores esse deprehenduntur, quod hic hostes & alienigenas timeas, tuorum fide ac benevolentia te consoleris; ibi nihil ne quidem ab intimis, nedum quibuslibet amicis tutum est. L. Gellius Poplicola L. F. M. Messalæ frater, qui antiqua familiaritate Bruto erat conjunctissimus; & eodem apud Cassium loco fratrem esse sciebat; M. Bruto insidiatus, & pro cætera viri clementia, ob eadem illa, quæ exasperare pœnam debuerant, dimissus est. Ea quoque lenitas profuisse viro creditur, ut plures ad ejus amicitiam se applicarent.

Poplicola Bruto insidiatur. Liv. Epitom. Dio. 47. 47.

II. Idcirco & classem haud pœnitendam colligere in Bithynia & apud Cyzicum potuit; & pedestri itinere provincias obiens constituit res civitatum, litibusque Regulorum operam dedit, ea tum moderatione ac mansuetudine, tum etiam æquitate, ut & inter se omnes, & sibi amicos fidosque efficeret. Tum & Dejotarus accessit partibus, licet longa senectute morosior; qui nuper etiam Cassium auxilia petentem præverat. Atque erat in hoc haud quaquam leve præsidium; opibus & auctoritate prævalido. Nam & adempta nuper à C. Cæsare, ea de ejus cognita, suo Marte recuperaverat: & Dolabellam fines suos ingredi volentem, junctis cum Tullio Cimbro copiis profligarat: & filium habebat, ipsum

Bruti apparatus. Plutarch. Dio. Cic. Philipp. 11. 37. & 12. 13. & epist. ad Brut. 1. 7.

quoque Regem appellatum ab Senatu, egregiæ ſpei atque indolis adoleſcentem.

III. Enimvero Brutum rebus in Aſia ex voto ſuccedentibus, M. Antonii conatus in Europam revocarunt. cujus licet ſpes in exercitu ſeditionem ferendi, interempto fratre Cajo in irritum reciderant; tamen verendum Bruto erat, ne qui per abſentiam ſuam ſimiles alii motus orirentur. Igitur in reditu per Thraciam, regionem quam ſine liberis decedens Sadales populo Romano reliquerat, recepit: inde in Beſſos fecit expeditionem, ut ſimul maleficia horum ulciſceretur, & ſibi nomen imperatoris pararet; ornamento atque utilitati futurum ad bellum, quod ſibi adverſus Cæſarem & Antonium poſt gerendum eſſe videbat. Reditus in Europam. Dio.

IV. Et initia quidem belli adverſus feram & pugnacem gentem paulo duriora fuerunt: ſed egregia Rhaſcupolidis opera victorem Brutum, votique compotem fecit. Atque is ut cauſam ſuam latius commendaret, pecuniam ſignari hinc imagine ſua juſſerat, inde pileo, libertatis indice, & duobus pugionibus, quibus ſe atque Caſſium adſeruiſſe Romanum populum ſublato domino ſignificaret, tempore quoque rei geſtæ ſic adſcripto E I D. M A R T. Omnes jam trans mare provincias in poteſtate Brutus atque Caſſius habebant: neque tantummodo ſuppetebat otium communicandis conſiliis, ſed etiam neceſſitatem imponebat paratus prope, & mox in Græciam tranſmiſſurus hoſtis. Brutus Beſſos vincit. Liv. Epit. Dio. Pigh. annal. 711. Anton. Aug. Antiq. Dial. 1.

V. Igitur Caſſius è Cilicia, Brutus è Macedonia profecti, Smyrnæ ad ordinanda futuri belli conſilia coierunt, iis pedeſtribus navalibuſque copiis, & apparatu pecuniæ, ut minime impares ad decernendum de Romano imperio viderentur. Pari honore & erat, & haberi volebat Caſſius; ſed detulit ei Brutus, ut crebrius ad eum ventitaret, tamquam ætate majorem, & corpore haud æque validum. Neque diſceſſum à prioribus animis erat, quin & tueri cauſſam ſuam conarentur, & non niſi concordibus tantam ſubeundam molem ſcirent. apparebatque nihil eſſe melius, quàm ut in Macedoniam cum omnibus copiis proficiſcerentur, propulſaturi hoſtem, aut ceſſantem in Italia quæſiturit: penes quem jam eſſe legiones circiter quadraginta cognoverant. Cum Caſſio conſultat. Liv. Epit. Plutarch. Appian. lib. 4. Civil.

VI. Sed Caſſio placebat *Rhodios prius Lycioſque in ordinem cogi, validos claſſibus, adverſos animis, & ſi contra Cæſarem & Antonium res parum proſpere caderet, terga invaſuros. At nunc priuſquam majoribus rebus diſtineantur, facile hos auctorirate aut vi cogi in ordinem poſſe.* At Brutus *opus ſibi pecunia eſſe* dictitabat: *nam ad parandam claſſem inſumptum, quod habuiſſet.* nec deerant inter amicos Caſſii qui *dandam* negarent, *cum aliena invidia paratis ambitioſe abuſuro:* ſed vicit æquior ſententia, ac jubente Caſſio ex omni præſente copia trientem Brutus accepit. Et ab eo pecuniam accipit. Dio. Appianus: Plutarch.

VII. Tum & M. Meſſalæ egregio juveni, Poplicolam fratrem communi conſilio condonarunt: qui venia nihilo factus melior, inſidias Caſſio paraverat. Sed indicium ejus rei Polla detulit, Poplicolæ mater, utrique conſulere cupiens, & Caſſio ſalutem paratura, filio veniam. Sic ille iterum abſolutus, ne tum quidem retulit beneſactoribus gratiam, quin ab his ad Cæſarem & Antonium perfugeret. His ita ordinatis partiti ſunt inter ſe, ut Brutus Lycios, Caſſius Rhodum oppugnaret. igitur gnarus cum populo rei nauticæ peritiſſimo rem fore, Myndum deducit claſſem, ornatam inſtructamque, ac ibi remiges exercuit. Poplicola Caſſio inſidias tendit. Liv. Epit. Dio. Appian.

VIII. Eò venerunt ab Rhodiis legati, *neque contemni civitatem* petentes, Rhodiorum legatio ad Caſſium.

Appian. Dio. 46.8.15. Appian.

cerneret, *quiſnam iſte proſcriptus eſſet*, interrogabat, cui centurio, *proſcriptus eſt & iſte & tu*: ſimulque occupavit ambos. Chilo & Decius, quum egreſſi Curia, ſe quoque in mortifera illa tabula legi didiciſſent, ad portam fugiebant: ſed ipſa trepidatione proditis, centuriones manus intulerunt. Silicius, cujus unius calculo abſolutus nuper Brutus fuerat, facti ejus, quo alias multum erat gloriatus, immemor, ſandapilæ, qua forte mortuus efferebatur, ſubjecit humeros.

Silvius Veſpillonem ſimulans deprehenditur.

XCII. Eates admonuit cuſtodes portæ, quum plures ſolito veſpillones conſpicerentur, ut exeuterent ſandapilam, ne forte pro mortuo vivus efferretur. Tum reliqui numerum audientes argui, negarunt *hunc eſſe ſui ordinis:* itaque agnitus vita & capite caruit. Sed Varus à liberto proditus, per montana & aſpera loca uſque in paludes Minturnenſium ſe ſubduxerat; quum ab his qui latrones perquirebant, erutus, & pro latrone damnatus caeuit. Sed ubi ad indicandos ſocios tormenta adhiberi vidit; *denuncio vobis*, inquit, Minturnenſes, *ne paulo ante proconſulem populi Romani, nunc quod rerum in præſentia potentibus pluris eſt, proſcriptum torqueatis.*

Evadentium perfugia. Dio 47. 2. 14. Appian. Corn. Nepos. Attic. 11 2.

XCIII. Non habebatur fides: ſed altercantibus ſupervenit centurio quidam, & capite Vari dempto compoſuit litem. At qui evadere ex Italia potuerunt, ad Brutum atque Caſſium ſe conferebant, aut ad Cornificium in Africam: etiam Atticus, qui maximas in Epiro poſſeſſiones habebat, eò adpulſos *recipi haberique* juſſerat *liberaliter*. ſed pleriſque Sex. Pompejus ſaluti fuit, vicinam Siciliam obtinens. Atque is ſane quam bonam operam his temporibus præſtitit Romanæ nobilitati.

Pompeii humanitas. Dio. Appian.

XCIV. Quippe Italiæ aſſidens, Romæ & per cæteras civitates proponenda curabat ſcripta, *Pompejum duplum ejus mercedis, quæ in proſcriptos eſſet conſtituta, daturum ſervatoribus. eos porro qui ad ſe confugiſſent, auxilio, pecuniaque & honoribus adjuturum.* Lembi etiam ejus ac onerariæ naves, itemque triremes oberrabant circum Italiæ litora; quæ ſignum darent latentibus, excipierent, defenderentque venientes. ipſe tranſvectos excipiebat obvius, veſtem, ſupellectilem, & cætera liberaliter ſuppeditabat: idoneum quemque præficiebat legionibus, cohortibus, navibus. ſed neque prodidit eos poſtea, nullo cum Tribusviris inito fœdere, quo proſcriptorum ſalus non contineretur. Neque piget inſigniora quædam exempla ponere, quo inter hæc tam triſtia lætorum quoque caſuum permixta commemoratione lectoris animus redintegretur. Hirtius eum fideli ſervorum manu circumibat per agros ergaſtula ſolvens, & colligens fugientes; cum his primo villas atque vicos expugnabat, mox majora oppida, poſtremo Brutiorum gente redacta in poteſtatem, bello petendus fuit. Tum demum ad Pompejum tranſjecit eum ſuis.

Sentii Saturnini ſtrategema Apulcii & Aruntii. Val Max. 7 3. 9

XCV. At Sentius Saturninus Vetulio, cum virtute animi calliditatem conjunxit: adreptiſque Prætoriis inſignibus, cum ſervis in lictorum, apparitorum, ſervorumque publicorum habitum compoſitis exiit porta; conſcenſoque vehiculo publico, *Prætorem ſe* ferens, *& ad Pompejum de pace mitti*, deducente Italia, quum Puteolos veniſſet, quaſi publico munere fungeretur, ſumma ſecuritate correptis publicis triremibus, in Siciliam profectus eſt. Apulejus & Aruntius centuriones mentiti, cum ſervis militariter adornatis, curſu ſe extulerunt porta, tanquam alios proſequerentur; deinde coactis, ſicut de Hirtio di-

Interdictæ etiam lacrymæ.

ximus, quos potuerant, armis signisque ad speciem exercitus instructi, partitis copiis ad fretum contenderunt. Sed accidit forte, ut eodem in colle quodam pernoctantes, dum missos adversus se Roma milites credunt, mutuo eum metu se contuerentur: mox prima luce infestis armis concurrerent, donec agniti, laboresque suos & pervicaciam Fortunæ miserati, diversis navibus alter ad Pompejum, alter ad Brutum evaserunt.

Ventidius ingenio liberti servatur.

XCVI. Parī vaframento sequutus est Ventidius, sed liberti sui ingenio & fide, qui patronum simul atque proscriptum cognovit, continuo vinxerat, quasi tradendum percussoribus: sed noctu persuasis servis, cum armata familia tanquam centurionem miles sequutus est. perveneruntque feliciter in Siciliam, quum sæpe in eodem diversorio cum veris centurionibus Ventidium quærentibus pernoctassent.

M. Volusius, Rebilus, Appius diversis modis. Val. Max. 7 7. 8. Appian. Thucydid 8. 1. 23. 12.

XCVII. M. Volusius Ædilis plebis, recepta nuper superstitione Isidis ad salutem abusus est. linea enim stola cum persona canicipiti ab amico Isiaco sumpta, per itinera viasque publicas stipem petens, evasit. Rebilum audacia servavit, & Themistoclis imitatio. Nauclerum enim, qui *pecuniam* ab eo petebat, *ni prodi mallet*, eodem commento terruit, *se* denuncians *indicaturum*, *quod accepta pecunia proscriptum veheret*. Sic à territo pervectus ad Pompejum est incolumis. Appius opes suas famulis dividens, cum his in Siciliam navigabat. Ibi tempestate exorta pecuniæ inhiantes, jusserunt eum *in scapham tutiorem descendere*: & favit ei fortuna, simulatumque auxilium veram ei incolumitatem præstitit in scapha transportato, quum interea navem fluctus absorbuissent.

In ipsa Urbe latitantes quidam.

XCVIII. Et hos quidem servavit fuga. Nonnulli per inculta eamporum, aut etiam in sepulchris, vel ipsa Urbe latitantes, pacatiora exspectare tempora potuerunt. Quorum Marcus quidam, suis in ædibus fide servorum occultatus, inde, pace restituta, velut ab exsilio in publicum prodiit. Sittius etiam municipum suorum benevolentia Cales pro exsilio habuit: primus & forte solus ad ea tempora hominum, relegatus in patriam. Nam illi prædivitem virum & pro copia sua munificum custodiverunt armati; servis minando, prohibendo ingressu oppidi milites, donec legatis ad Tresviros missis, quod diximus, impetrarent.

Alius felix audacia ex metu. Dempsterus in Rosinum to 29. pag. 1707. Dio. 47 2. 16. Appian.

XCIX. Alium metus coëgit ad felicem audaciam: quippe à liberto in sepulchrum abstrusus, quia ferre loci speciem nequibat, in conductam quamdam sordidam habitationem immigravit. deinde, quia miles quidam juxta divertebat, periculum timens, capite raso, quod libertinis erat solitum, ludum aperuit publice, nullique suspectus totum illud minacissimum tempus citra periculum exegit. Has inter calamitates nihil erat calamitosius, quàm quod ne flere quidem occisos erat licitum: quin ultro *læti esse omnes* jubebantur edicto, *propter Consulum designatorum Triumphos, & imminentes novi anni ferias*.

Planci & Lepidi triumphus. Vetus Inscriptio apud Ugh. Appian. Vell. 2.

C. Nam A. D. IV. Kalendas Januar. L. Planeus triumphavit ex Gallia, Rhætis devictis: & mox A. D. Prid. Kal. ex Hispania M. Lepidus. Planeus ædem Saturni fecit ex manubiis. Et quamvis imperata lætitia hos in Capitolium eives militesque prolequerentur, nec tamen aut illorum tacita exsecratio, aut horum apertissima convitia defuerunt. Certe servatus ad memoriam nostram versus est, inter Triumphos istos ulurpatus: *de Germanis, non de Gallis duo triumphant*

Trſumviratus mala in publicum.

C. Octavio Cæſare et Q. Pedio Coſs.

Conſules: quod, ut ſuprà memoravimus, ille Plotium fratrem, hic Paulum in proſcriptorum numerum retuliſſent.

Ventidius Conſul fit. Fragm. Collectionum apud Pigh. Vell. 2. 65. 5. Val. Maxim. 6. 9. 3. Liv. 2. 92. 7. Agell. 15. 4. 262.

CI. Hoc tempore Conſulatum P. Ventidius Baſſus, ex pacto Triumvirorum, cum C. Carinate per aliquot dies geſſit, abdicante Cæſare, & collega ejus mortuo Q. Pedio. Neque moram adferebat, quod tum maxime Prætor erat Ventidius, nihili enim fiebant leges, quarum Genucia cautum erat, ne quis duos magiſtratus uno anno gereret. Ventidio etiam majorem invidiam excitabat fortunæ prioris humilitas, ajuntque *per Urbis vias vulgo proſcriptos fuiſſe verſiculos, quibus omnes augures aruſpiceſque excirentur ad recens portentum, quod is, qui mulos fricare ſolebat, Conſul factus eſſet.*

Ex humili Fortuna. Plin. 7. 49. Agell. Plancius in Fam. Cic. 10. 18. Dio lib. 43. Marianus. Scotus.

CII. Quippe Ventidium bello ſociali ductum in triumpho Cn. Pompeii memoravimus. Inde juventa inope in caliga militari tolerata, mulos atque vehicula, præbenda eunctibus in provinciis magiſtratibus conduxit; indeque convitio inimicorum appellatus eſt *mulio*. Sed quia Cæſari tum in illo miniſterio, tum ſubinde majoribus admotus ſatisfeceraſ, receptus in amicitiam, Senatorque, & mox Tribunus plebis creatus, ac deinde Prætor deſignatus eſt. Eodem anno, quia frequentibus legatis exhauriebantur hæreditates, C. Salonius Tribunus plebis *legem tuliſſe* dicitur, *ne cui plus beſſe legare teſtamento liceret; quadrante utique hæredibus ſervato.*

Triumviris honores decreti. Dio. 47. 2. 18. Plin. 16. 4. 2. et 22. 6. Dio.

CIII. Sed major cura omnium de honoribus fuit, quibus Treſviri placarentur. His igitur & alia decreta, quæ olim ob ſervatas civitates dabantur, & coronæ civicæ, poſtquam atrocitate temporum videri meritum cepit, non occidere. Neque vero culpandi videbantur ſibi Treſviri, quod multos tollerent; ſed pro magno habendum, quod nonnullos relinquerent: & publice ſolebant profiteri, *ſe neque Sullæ aut Marii ſequuturos aſperitatem, ne odium ſibi pararent; neque Cæſaris clementiam, ne contemptui, & ex contemptu inſidiis obnoxii fierent.* Tales igitur in ſanguine civium quum fuiſſent, non erat magna poſtulanda in patrimoniis abſtinentia.

Eorum ſapientiæ. Plut. Ant. cap. 27. Dio. Corn. Nepos. Attico 12. 3.

CIV. Certe *dotem interfectorum uxoribus, decimam bonorum liberis, ſi mares eſſent, ſi fœminæ viceſimam* erant polliciti: ſed præſtabantur hæc oppido paucis, plerique conceſſa per legem, extorquebantur calumnia. Neque vero bona reliquorum tuta dominis ulla ex parte erant. Civium proborum quietorumque, quorumdam etiam, qui ſtudiorum cauſſa aberant, bona vendebantur, nihil ſuſpicantibus dominis. Romæ & per univerſam Italiam mercedem habitationum annuam exegerunt: qui proprias ædes incolerent, ab his ſemiſſis ejus, quanti locari poſſent, poſtulabatur. Sic & prædiorum dividebantur reditus.

Totæ urbes adfiguntur. Plutarch. Dio. Frontin. de Coloniis.

CV. Præterea conſtituebantur cujuſque modi generis veſtigalia: depoſitæque pecuniæ, etiam apud Veſtales, auferebantur. Totæ quin etiam urbes adfigebantur militum hibernis, & præſtandis ſine pretio cibariis: ſed multo magis deripiendis earum agris, qui videlicet publicati erant; hoſtibuſque judicatis, qui præſtiturum ante diem iis non exeſſiſſent. Jam enim in anteceſſum, quo promptiores ad reliqua bellorum exercitus forent, repræſentare præmia incipiebant, polliciti *per ſe deducturos, quas decreſſent colonias.* In his præter eas quæ ſupra recenſitæ ſunt, Aquinum, Alife, Arretium, Interamna, Ligures Bæbiani & Corneliani, lege Triumvirali deductæ coloniæ repe-

Motus in exercitu Bruti.

riuntur : quibus acceſſiſſe poſtea videntur Cremona & Mantua.

CVI. Ita conciliatis manipularibus, duces ac tribunos poſſeſſionibus proſcriptorum alliciebant ; gratis aut vili pretio addicentes: aut honores interfectorum atque ſacerdotia transferentes in ipſos. Atque hoc ipſis adſequi erat perfacile, ne enim à quibus nollent ſubhaſtata emerentur, vetuerunt *ad haſtam accedere nihil comparaturos*, mortem interminati. Venerunt igitur tanto pauciores, & poſtquam hi peſſime accepti ſunt, & immenſo coacti quædam emere, nemo deinceps, præter Triumvirorum ſatellites quidquam licitatus eſt. At Ventidius ante Conſulatum etiam Pontifex creatus eſt ; & in ejus locum Prætura cuidam Ædilium conceſſa. cæteris etiam Prætoribus, quintum ante diem, quam abituri magiſtratu erant, dati ſucceſſores ſunt ; illis in provincias dimiſſis.

Satellites Triumvirorũ præmiis adliciuntur. Servius in Virgil. Eclog. 1. Dio. Ageil. 15. 4.

CVII. Ita quum appareret, nihil non ex lubidine Triumvirorum agi, quamquam invidioſis damnatiſque *Regum* atque *dictatorum* nominibus abſtinerent; anta conſequuta eſt animorum commutatio, ut qui nuper intolerabilis viſus fuerat planeque ferreus ſuperioris Cæſaris dominatus, nunc inſtituta cum præſentibus comparatione, merum aurum videretur. Sed religioſiſſimi principes, quum Urbem vacuarent hominibus indidem natis, locupletare peregre accitis diis voluerunt : templumque Serapidi ac Iſidi, poſt ſæpius repudiata eorum ſacra, decretum eſt. Hæc eo anno domi, & in Italia geſta.

Cæſaris dominatus præ hoc tolerabilis. App

CVIII. Nec pauciora interim Brutus in Græcia, Caſſius in Syria, Cornificius in Africa, & in Sicilia Pompejus geſſerunt : quamquam illa ſane conciſius apud auctores referuntur. Brutus accepto Senatuſconſulto, quo ſibi decretum imperium erat, pacataque Græciæ & Illyrici parte, Cæſarem (à quo tum adhuc oppugnari Antonium putabat) per epiſtolas monuit, *perſeveraret in incœpto, & quoniam communem hoſtem haberent, ſecum rediret in gratiam*. Interea, quod deſiderari ſe ſciebat in Senatu, ad transjiciendum ſe comparabat. Sed ubi muratum Cæſarem, omniaque ad bellum ſpectare cognovit ; hoc agere contento ſtudio cœpit, ut vi repellere vim facturos poſſet. Igitur Macedoniæ rebus optime conſtitutis, recurrit ad componendam ſeditionem, quam interim in exercitu C. Antonius commoverat ; clam appellando duces militeſque & ad defectionem ſolicitando.

Bruti geſta. Dio 47. 3. 29. Plut. Brut. c. 38

CIX. Sed mature cohibitus eſt à Bruto, ademptiſque inſignibus Prætoris, in libera cuſtodia habitus Apolloniæ. Sed ille, non repreſſa per hoc, verum aucta audacia, magis etiam ad ſe pertrahere exercitum adniſus eſt : tantumque profecit, ut in legione quarta ſeditio naſceretur, reſque veniret ad manus ; & nonnulli ad liberandum cuſtodia Antonium pergerent. Id conſilium Bruto literæ quædam interceptæ prodiderunt, correpturſque Antonius, & pro ægroto in currum opertum conjectus eſt, ut exportaretur oppido, atque in navi adſervaretur. Igitur milites Antonio non reperto Brutum timentes in colle quodam haud procul Apollonia conſederunt ; miſſis qui *Brutum ad ſe venire* juberent.

C. Antonius ſeditionem in Brutum bli exci tat Cic. ad Brut. 1. 2: Dio. Plutarch.

CX. At ille, *milites ad Imperatorem accedere verius eſſe* reſpondit : ignovitque deprecantibus, paucis interfectis aut ab exercitu remotis ſeditionis auctoribus. Statimque ita ſunt converſæ militum mentes, ut interficerent relegatos, his culpam omnem imputantes ; Quæſtoremque atque legatos Antonii ad necem depoſcerent. Certum erat Bruto, nihil ſtatuere in quemvis civem durius

Bruti dictum de morte Ciceronis. Brutus ad Cicer. 1. 2. 3 4. 2. 4. 5. 7. Plutarch. Cic. ad Brut. 1. 16. 17.

quam necessum esset. Igitur hos quidem in naves impositos tamquam submersurus, in tutiora loca transtulit. Interim audita morte Ciceronis & cæterorum, *dolere se quidem morte amicissimi viri dicebat, sed magis caussa mortis erubescere.* Semper enim eum, nequid Cæsari crederet, diligentissime monuerat. Accusabat & superstites, qui pati ac videre sustinerent, quæ vel auditu intoleranda forent libertatis & patriæ amantibus. Ipse autem ne his rumoribus iterum ad defectionem milites solicitarentur, Apolloniæ atque Antonii custodia C. Clodio relicta; in superiorem Macedoniam transduxit exercitum, inde in Asiam transmissurus, ubi longius abducti ab Italia, neque transfugiendi occasionem, neque etiam eorum, quæ domi fierent, noticiam adipiscerentur.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXXI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

CASSIUS, cui mandatum à Senatu erat, ut Dolabellam hostem judicatum bello persequeretur; auctoritate Reipublicæ adjutus, Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem Provincia erant, in potestatem suam redegit: Dolabellam in urbe Laodicea obsessum mori coëgit, M. quoque Bruti jussu C. Antonius captus, occisus est.

Bassus Syriam obtinet. Cic. Philipp. 11. 12. Dio lib. 16.

INTER hæc Syriam Q. Cæcilius Bassus privatus ille quidem, sed animi consiliique non egens, Sex. Cæsari cum vita & duabus legionibus ereptam obtinebat. Nec prohibere Dictator Cæsar potuerat, Africano cum bello, deinde aliis intervenientibus, & duces contra se missos facile Bassus repellebat, Apamea constituta arce belli: circa quam opimus ager alendo exercitui sufficiebat omnia, & vicini Reguli multi, levitate insita, & odio Cæsaris, in commilitium pertrahebantur. Inter quos & Jamblichus fuit, Emesenæ gentis Regulus, Lysiadisque & Chalcidis tyranni.

Se defendit ab Antistio. Joseph antiq. Judaic. 14. 17. & de B. Jud. 1. 8. Strabo. Dio 47. 25.

II. His opibus aliquot Romanorum ducum, legionibus & equitatu magno instructorum, vim sustinuit. C. primum Antistius obsederat eum Apameæ, deinde quum æquo Marte aliquandiu certatum fuisset, velut tacitis induciis dirempti, utrimque ad comparanda auxilia, bello interim omisso, se contulerunt. Antistio & finitimi, quotquot Cæsari studebant, mittebant auxilia, & ex Judæa procurator gentis Antipater: cujus filium Herodem, è judicio capitali ad se confugientem in honore habuerat Sextus, Samariæque & cavæ

Syriæ præfecerat. His deinde ab Roma missæ copiæ accesserunt.

III. Sed Alchandonius Arabs Rhambæorum Rex, infidi semper animi, quum ab utrisque vocatus esset, medio inter Apameam & Antistii castra loco consedit, & mercede se militaturum professus, plura danti Basso accessit: bonamque ei operam, quod arcu perite utebantur Arabes, præstitit. Nec ideo minus ad Apameæ obsidionem Antistius redierat, magna cum spe boni eventus: donec arcessiti à Basso Parthi, maximis copiis duce Pacoro adfuerunt. Hi Antistium repulisse contenti, multis ejus occisis militibus, propter hyemem (nam in exitu December erat) nulla alia re gesta domum redierunt. Parthi concitat. Dio. Strabo. Cic. ad Attic. 14 9.10.

IV. Ab hoc tempore res Cæcilii Bassi satis firmæ fuere: robustusque exercitus, & ex victoria plenus animi, ut etiam Patribus Italicarum rerum perturbatione anxiis, solatio esset. Cæterum quia Cæsaris confirmata acta fuerant, quamquam eo jam perempto, L. Statius Murcus ex Prætura Syriam provinciam habiturus, cum tribus legionibus bellum intulit Basso; supervenitque Q. Marcius Crispus Prætorius & ipse cum legionibus totidem ex Bithynia. Ita duobus magnis Romanis exercitibus & equitatu firmo circumsessa Apamea defendebatur, tamen intrepide, donec in Syriam C. Cassius venit, Trebonianis militibus instructus, quos à Dolabella P. Lentulus transduxerat, & pecunia ab eodem Lentulo, nam is Trebonii Quæstor fuerat. Obsidetur Apameæ. Philipp. 11.19 & Famil. 12.1. Vell. 2.69.2. Appian. lib. 4. C. vil. Joseph antiq. Judaic. 14.17.

V. Ad hunc omnia propere concesserunt, sive propter Senatusconsultum, quo *parere ei omnes ea provinciæ exercitusque* jubebantur; sive propter ipsius virtutem famamque & amicitias. Quippe commemorare adversus singulos *multa sua merita* atque officia poterat: & ubi hæc deerant, *Reipublicæ salus* erat obtentui. *Scire ipsos, quàm ex præclara & potenti, subito in miserrimam conditionem res Romana incidisset, ambitione paucorum, qui sublata libertate, communibus commodis debitas curas, suam ad dominationem universas transtulissent.* Sed C. Cassius ad se trahit omnia. Cic. Famil. 12. 14. Liv. Epitom. Appianus.

VI. *Esse vero tantam in hominum animis regnandi dulcedinem, ut ne Cæsaris quidem exitu perterriti paria conentur. Sic Antonium degustato sub Cæsare imperio, sic Octavianum hæreditate avunculi & ipso nomine incitatum, patriam, amicos, famam, salutem denique ipsam cupiditatibus suis posthabere. Nam Dolabellam quidem immani audacia atque crudelitate latronem, factis ipsis omnia ab Senatu populoque Romano recens concordiæ causa constituta violasse. C. Trebonium Asiæ proconsulem occidisse: nihil ad se pertinentem occupasse provinciam: nunc etiam in procinctu esse, ut decretam C. Cassio Syriã eripiat.* Cæsar avet dominari. C. Philipp. 11.2.

VII. *Se vero non ita cognitum aut domi populo Romano, aut foris sociorum cuiquam esse, ut conjunctam cum publico periculo injuriam ferat. sibi certe, ipso illo Dolabella consentiente, ipso illo Antonio decretam Syriam esse. hanc se provinciam & debere obtinere, & posse. Neque hanc modo concessam sibi; sed in vicinas omnes datum ab Senatu imperiũ esse. neq; tam adhuc evilnisse sanctissimum hoc nomen, ut non ubiq; venerationi sit gentibus. Igitur & has copias, quibus utatur, parare isto Senatusconsulto instructum celeriter potuisse: & habere certũ, multos circum sponte vocantium populos Regesq; sibi futuros auxilio.* Suam virtutẽ causamque prædicando.

VIII. *Sed malle se Romani Imperii salutem Romanis maximè copiis dueibusque defendere: atque adeo abominari illam fortunam, ut externis potissimum præsidiis inniti necesse sit publicæ libertatis adsertores. Igitur se à Murco Criſ-* Petit ab utrisque partibus ut secum sentiant.

Caſſius ad Cic. Fam. 12. 11.

paque Imperatoribus, itemque à Cæcilio Baſſo petere, ut poſitis inimicitiis, ad concordiam redeant; & ad communem omnium ſalutem ſecum adminiſtrare Rempublicam occipiant. Fruſtra inter ſe pugnare, quibus eſſe nulla ſalus, præterquam in publica poſſit. Jam & Octavianum ſentire cum Senatu, neque lenius hujus, quàm Conſulum armis Antonium premi. Ne ſibi jam aut pro Cæſare bellandum, aut contra ipſum putent, quando partes eas ſuo ad Rempublicam reditu ſilius ipſe Cæſaris ſuſtulerit.

Omnes eadem in caſtra contrahit. Velleius. 2. Caſſius ad Cic. Famil 12. 12. Dio. Appian.

IX. His atque ſimilibus cauſſis inducti Mureus atque Mareius Caſſio tradiderunt copias; & Baſſum miſere cupientem retinere ſuos milites, reliquerunt ipſi, ſequeque ad C. Caſſium tranſtulerunt. Ille omnes eadem in caſtra contraxit. quo tempore magnus repente imber extitiſſe traditur, & irrumpentes in caſtra portis omnibus apros confudiſſe ac conturbaſſe pleraque: neque defuiſſe, qui *celerem Caſſio & potentiam & interitum prædici* opinarentur.

Ioſeph. antiq. Iud. 14. 17. & de Bello Iud. 1. 9. Dio 47. 4. 24. App. Cic. Philipp. 11. 13.

X. At Caſſius his copiis auctus omnia circum terrebat imperiis; graveſque exigendo pecuniarum ſummas, civitatibus terribilis imminebat. Tum & quatuor oppida Judææ, propter non ſoluta ſtipendia venierunt Gophna & Lydda, & cum Emaunthe Thamna. Sed & Malichum ex Judæorum princeipibus interfecturus erat Caſſius, niſi pro eo Regulus gentis Hyrcanus centum talenta miſiſſet. Profectus enim erat in Palæſtinam Caſſius, uti venientem ex Ægypto legatum Dolabellæ A. Allienum occuparet. Is Alexandria legionum quatuor inſtar reducebat, reliquias Pompejana: Craſſanæque cladis: aut ex iis cohortibus, quas apud Cleopatram reliquerat Cæſar. neque auſus adverſus octo legiones contendere, cum exercitu in Caſſii partes tranſiit.

Contra Dolabellam ducit. Caſſius ad Cic. Famil. 12. 12. Dio. App. Cic. Famil. 12. 13.

XI. Hæc ante nonas Martias acta præſcripſit in Urbem Caſſius ex caſtris, quæ in oppido Galilææ Tarichæa poſuerat. Poſt menſem deinde, Dolabellam in Ciliciam venire audiens, dimiſſis ſine injuria Baſſo Criſpoque, & ſi qui præterea manere gravabantur, claſſiſque præfectura Murco tradita, eodem inſtituit ducere, auctus etiam equitum ſagittariorum aliquo numero, qui ex Parthis, quam apud gentem fama erat clariſſimus, ad cum venerant. Tum cognito claſſem Dolabellæ eſſe in Cilicia, ipſum iſſe Laodiceam, eodem cum omnibus copiis eſt profectus.

Dolabellæ vires. Appian. Cic. Fam. 12. 14.

XII. Quippe Dolabella poſt interfectum Trebonium, tributis Aſiæ civitatum, claſſem à Rhodiis Lyciiſque atque è Pamphylia & Cilicibus, opera L. Lucilii Figuli, mercede conduxerat: Syriamque, Figulus navibus, Dolabella pedeſtri itinere cum legionibus duabus petebant. Animos Tarſus & Laodicea dabant, hæc inter inſignes Syriæ civitates, illa Ciliciæ caput. Sed claſſis ad Corcyram clauſo portu ſe tenuit, quum eam Q. Caſſius ſequutus eſſet; deinde hoc ad caſtra Caſſii profecto, Turulius Quæſtor eum navibus, quas anno ſuperiore Tullius Cimber in Bithynia compararat, curſum præcluderet.

Caſtra ejus ad Laodiceam. Dio 47. 4. 30. Tacit. 13. 8. Cic. Famil. 12. 13. & 15. Strabo lib. 16. Appianus.

XIII. At Dolabella Tarſenſium, deinde Laodicenorum juventute centuriata, exercitus inſtar fecit: dejectaque parte muri, caſtra oppido conjunxit: poſtquam præſidio Caſſii apud Ægeas Ciliciæ civitatem dejecto, ab Antiochiæ oppugnatione cum detrimento rejectus aliquotics: deinde deſertus in itinere à pleriſque militibus Aſiaticis fuerat. Laodicea in peninſula ſita, præclaras à terra munitiones, à mari portum optimum habebat. & quum ager frugum vinique fera-

Prœlium navale inter Cassium & Dolabellam.

feraciſſimus eſſet, commodâ ſane ſtationẽ atq; ſecurâm Dolabellę præſtãre videbatur. Sed Caſſius cum decẽ legionibus, & cohortibus auxiliaribus viginti, & quatuor milliũ equitatu ſuggreſſus, os Laodiceni portus obſtruere ſatagebat, non ſacris, non religioſis parcens, quo minus ex ſuburbanis ędificiis ſaxa materiamq; comportaret.

Prœlium navale cum Caſſio. Cic. Famil. Dio. Appianus.

XIV. Per hęc res anguſtæ fiebant Dolabellæ, jamque triticum penes cum ternis tetrachmis erat; ſed erant tamen adhuc ſolatio Laodicenę naves, quas Caſſiana moles non ſatis exitu prohibebat. Mox & claſſis Dolabellæ ſupervenit. qua confiſus tranſmittit Aradum, pecunias & naves inde quoque coacturus. ſed deprehenſus cum paucis, periculum ægre vitavit fuga. Igitur Caſſius miſſis in Phæniciam Lyciamque & Rhodios, qui claſſem adducerent, nec adjutus, præterquam à Sidoniis, commiſit tamen prœlium, quo plures utrimque demerſæ naves ſunt, quinque una cum remigibus & claſſiariis Dolabella captas abduxit.

Cleopatra Dolabellę favet. Dio. App.

XV. Ergo Caſſius tum ad eoſdẽ iterum, à quibus erat coeptus, tum ad Reginam Cleopatrã miſit. & Tyrii quidẽ Aradiique cum eo numero naviũm, quem conficere potuerant, adfuerunt: parque ſtudium Scipionis fuit, qui Cleopatrę Prętor in Cypro, Regina inconſulta Caſſiũ juvit. Nam illa propter familiaritatem Cæſaris Dictatoris Dolabellę favebat; & hujus in gratiam paſſa erat abduci legiones ab Allieno: claſſemque paratam habebat, quam ei ſubmitteret, ſed ea ventis retinebatur. pecuniam tamen grandem ſubminiſtraverat. Caſſio autem ne auxilium mitteret, *famem peſtilentiamque* excuſabat, *quo ſimul utroque malo Ægyptus premeretur.*

Rhodiorum Lydiorumque reſponſum ad poſtulata Caſſii. P. Lẽtulus ad Cic. Famil. 12. 15.

XVI. Rhodiorum Lydiorumque perplexius reſponſum fuit: *ſemper Romanam magnitudinem colere ſolitis, nihil accidere triſtius potuiſſe, quàm quod Romanæ civitatis principes inter ſe collidi mutuis diſcordiis ſentiant: nec ſciri poſſit, utra partium juſtius Senatus populique Romani auctoritatem præferat. Iiſdem enim vocabulis utroſque niti, nec alia nunc adferri à Caſſio, quàm quæ Dolabella prius adſeveraſſet. Scire ſe nuper admodum M. Marcello, Ser. Sulpicio Conſulibus, renovatum eſſe fœdus, quo eoſdem cum Senatu populoque Romano hoſtes ſibi futuros juraſſent. Sed ejuſdem nimirum populi juſſu Dolabellæ Syriam datam cognoſſe, cujus Senatus eamdem Syriam Caſſio dederit.*

Volunt neutris partibus auxilia mittere. Appian. P. Lentulus.

XVII. *Sane Dolabellam hoſtem ab Senatu judicatum dici, ſed ab eodem Senatu prioribus decretis abolitis, Caſſium & qui cum eo ſentiant, hoſtium numero eſſe. Non debere Romanos iraſci externis civitatibus, ſi non ſatis dijudicent utrorum ſit cauſſa juſtior: quum inter ipſos ea de re conſtet nihil, armiſque decidi neceſſum ſit omnia. Nihil ſe potuiſſe aut rebus ipſis æquius, aut in nomen Romanum reverentius ſtatuere; quàm ut neutris partibus auxilium præſtent ad civilia bella, ſeque ita gerant, ut nemo habeat adverſum ipſos odii cauſſam. idque ſibi neceſſarium eſſe propter agros, quos in continenti habeant Rhodii: qui facilius à quolibet hoſte vaſtari queant, quàm defendi vel à potentiſſimis ſociis.*

Quia ſic faciunt & alii. Cic. Philipp. 11. 13. Dio. 47. 4. 5. Appian.

XVIII. *Audire ſe hoc ipſum conſilium ipſis probari, qui ſemper exiſtimati ſint multum valere prudentia. Sane Dejotarum Regem, quum ſemper fuerit Pompejanis partibus addictiſſimus, & ab adverſis gravia damna acceperit, auxilium Caſſio non mittere. idemque ab aliis Regibus atque civitatibus fieri, quos nulla alia cauſſa attineri arbitrentur, quàm quia quid ſibi faciendum ſit inter hæc incerta rei Romanæ fata neſciant.*

XIX. *Neque vero recte ſibi objici, quod naves Dolabellæ deciſſent. Simili*

Excuſant Dolabellæ miſſas naves. Appian. Cic.

enim conditione & Caſſio fuiſſe daturos, & cuilibet, dum ne hoſtium in numero eſſet. Non enim ad bellum ei conceſsas, ſed deducendi tantum gratia; neque ſe ſcire ſi his ad bellum abutatur: neque ſi ſciant, eſse probaturos. Legationes ad Dolabellam miſsas crimini ſibi dari eſse mirabant; niſi forte ad proconſulem populi Romani, denique modo Conſulem legatos mitti fuerit nefas. Neque arbitrii ſui, neque modeſtiæ eſse, quos à populo Romano mitti oporteat in provincias, anquirere. ſibi putare colendos, quicumque mittantur. Aut igitur operam det Caſſius, quidnam voluntatis in re qualibet Senatus populuſque Romanus habeat, intelligi poſſit; aut rem tantam dijudicare neſcientibus ne iraſcatur.

Aliud præſidium Caſſii & Dolabellæ. P. Lentulus ad Cic. Fam. 5. 14. 15. App. lib. 4. Civil. Dio.

XX. Hæc ideo minus habebant ponderis, quod ab inimico animo profecta putabantur, quia tunc maximos magiſtratus iidem gerebant Rhodii, qui ante aliquot annos Pompejum cæteroſque fugientes oppido & portu non receperant. Sed Caſſius jam claſſem lueulentam præfecto Sextilio Ruſo habebat: & à tribus aliis, quas Q. Caſſius, Turulius, Patiſeus ducebant, adjuvabatur. Ergo non dubitavit denuo cum Dolabella confligere; quamquam huic Ægyptiæ naves aceeſſerant. Sed tum quidem dubio Marte pugnatum. paulo poſt à Caſſianis hac arte parata eſt victoria.

Dolabellæ res inclinant. P. Lentulus. Dio. Appian.

XXI. In Lycia Sex. Marius & C. Titius legati Dolabellæ claſſem habuerant roſtratarum, cum onerariis magnis navibus centum: hoc Dolabellæ conſilio, ut pulſus Syria, copiis in naves impoſitis, Italiam peteret, Sed à Lentulo Quæſtore Aſiæ diſjecta claſſis, onerariæque ad unam omnes captæ ſunt. Quum igitur hoc genere navium abundare Caſſius cœpiſſet, Statio Murco quaſdam earum, haud magni ad alia uſus attribuit; quas incenſas opportuno vento in claſſem hoſtium mitteret. Ille feliciter exſequutus conſilium, & in prælio victor fuit; & in portum invectus navibus, exitum Dolabellæ penitus intercluſit.

Ejus exitus: App. lib. 4. & 5. Civil. Dio. Vel. 2, 69. 20.

XXII. Jam & à terra perfectis operibus aries admovebatur: & nequidquam eruptione tentata, repulſus intra mœnia hoſtis erat. Sed reſiſtebatur adhuc, & ne corrumpi nocturnæ excubiæ poſſent, M. Octavius Marſus pervigili cura impediebat. Igitur qui interdiu in ſtationibus erant, quieti ſe tradente Murco, fecerunt proditionem, Quinto quodam auctore, & per diverſa parva oſtia, quæ in muris ad ſubitas eruptiones veterum induſtria reliquerat, intromiſſus hoſtis eſt. Urbe capta, quum Dolabella ſuum exemplũ metueret, ne quod in Trebonio fecerat, ipſe pateretur, ſervo ſuo prębuit cervicẽ, *caput adferre* jubens *Caſſio ſuæ ſalutis prœmiũ.*

Laodiceno-rum calamitates. Appian. Dio. Senec. Suaſ. 1. Strabo lib. 16.

XXIII. Ille ſupereſſe tam bono hero gravatus, quum illum jugulaſſet, ſe quoque eodem ferro interemit. Sed & M. Octavius ſua manu invenit necem. *Corpora ſepeliri* juſſit Caſſius, quamquam Trebonium inhumatum abjecerant. Q. Dellium, qui pactus erat *ſalutem, ſi occidiſſet Dolabellam*, tamquam impleta conditione inter ſuos habuit. At Laodicenos publica ſacraque pecunia ablata, gravibuſque impoſitis tributis, ad extremam miſeriam redegit. quum & bellum multas ejus oppidi partes adfixiſſet, & nobiliſſimum quemque ſupplicio peremiſſet victoria. cæteris tamen abſtinuit injuriam, militeſque Dolabellæ, quamquam erant ab Senatu hoſtes judicati, in ſacramentum accepit pœna remiſſa: neque poſtea etiam, quum multorum inſidiis peteretur, quemquam eo nomine interfici paſſus eſt.

Equus Sejanus. Agell. 3. 9.

XXIV. Sed *inter cætera Dolabellæ ſpolia nobilem equum fuiſſe* ferunt, *ſingularis cujuſdam & pulchritudinis & fati. Hunc ſe vidiſse* C. Baſſus tradidit, *Argis, ubi natus erat, ex genere illo decantato, uti conſtanter eſt creditum, Diomedis equo-*

rum. quos occiſo domino Herculem deduxiſſe Argos fama ferebat; haud credibili pulchritudine & vigore omnibus aliis equorum laudibus longe præſtante. Hunc Dolabellam nuper, quum fama ejus adductus Argos veniſſet, grandi ſumma emerat. Sed obſervatum eſt, omnes illius equi dominos cum familia fortuniſque omnibus miſere diſperiſſe. Nam primus omnium Cn. Sejus; unde & *Sejanus equus* appellatus eſt, à M. Antonio capitali ſupplicio adfectus fuerat. Et modo P. Dolabella gravi exitio erat conſumptus. Sed poſtea quoque & Caſſius interiit, & ipſe M. Antonius, inter Caſſianam cladem hoc equo potitus: ſed ad inſtitutum revertor.

Caſſii potentia. Joſeph. de bello Judaic. l. 1. et Antiq. Jud. 14. 21. App. lib. 4. et 5 Civil.

XXV. Occiſo Dolabella multi Reguli tyrannique Laodiceam cum muneribus & coronis ad Caſſium accurrerunt, quos inter ab Hieroſolymis Hyrcanus venerat, Herodem adducens & Malichum, qui patrem Herodis intercepiſſe veneno putabatur. Idcirco cum venia Caſſii Herodes eum in conſpectu Regis ſui per aliquot centuriones Romanos contrucidandum curavit. At Caſſius conſtitutis Syriæ rebus, præfectoque cum una legione fratris filio, quos ſibi fidos putabat homines, civitatibus tyrannos imponens, quo in numero Marion Tyrius fuit, in Ciliciam proficiſci ſtatuit, inde Cleopatram, ob miſſa Dolabellæ auxilia, petiturus: poſtquam obiter Tarſenſes propter favorem adverſarum partium mulctaſſet.

Tarſenſium acta et clades. App. Dio.

XXVI. Nam illi diviſi in factiones, & unaquaque nomen civitatis obtendente ſuis conſultis auſiſque, primo Caſſium, mox Dolabellam coronaverant: Deinde Cimbrum Tullium, ad opem Caſſio ferendam properantem, arcere tranſitu Tauri ſtatuerant: mox pacti cum eo, ſimul pauciores habere opinione copias viderunt, excluſerant oppido, neque commeatu juverant. Ille prævertendum ad majora ratus, omiſſa oppugnatione Tarſi, contendit in Syriam. Interea Tarſenſes, occupato, quod Cimber oppoſuerat caſtello, vicinos eoque ſemper inviſos infeſtoſque Adanenſes bello petierunt; *Caſſianos eſſe* improperantes. Ergo vivente adhuc Dolabella, L. Sextilium Rufum Caſſius miſit, à quo victi venerunt in deditionem. Caſſius mille quingenta talenta victis imperavit. Ea pecunia quum acerbe exigeretur, Tarſenſes venditis omnibus publicis templorumque ornamentis, mox etiam ingenua corpora coacti ſunt addicere. multique horum ſervitutis tædio ſibi conſciverunt mortem. Huic fortunæ Caſſius ſuperveniens, miſertus eſt hominum, & reliqua civitati condonavit.

Triumvirorum conſilium. Sueton. Caſ. cap. 52. Dio. App. Plut. Bruto cap. 40.

XXVII. Hæc ubi Romæ ſunt audita, Treſviri, ne ſuarum partium homines conſcidere animis paterentur, Tarſenſibus publice collaudatis, *operam daturos* oſtenderunt, *uti cladem eorum ſua liberalitate oc[illegible]ſſime ſublevarent.* Iidem & Cleopatram laudaverunt, ob ſubmiſſa Dolabellæ auxilia, permiſeruntque, *uti filio Ptolemæo, quem tanquam ex Cæſare ſuſceptum, ne ipſo quidem Cæſare prohibente, Cæſarionem vocare ſolebat, Regis Ægypti appellationem tribueret.* Sub eadem tempora Caſſium quoque irrumpere parantem in Ægyptum, M. Bruti literæ revocarunt: *Triumvirorum apparatum contra ſe & conſilia* nunciantes. *Neque vero ſe parandæ ſeorſim potentiæ cauſſa, ſed ut contra tyrannos exercitum contraherent, Italia relicta longinquas regiones petiviſſe. Memores igitur propoſiti, non debere longius evagari ab Italia, ſed eò convertere cogitationes, quemadmodum patriæ civibuſque ſuis poſſint eſſe præſidio.*

Ariobarzanes et C. Antonius occiduntur. Dio. Plutarch. Liv. Epitom.

XXVIII. Igitur & Parthos equites, quorum opera erat uſus, cum legatis & muneribus remiſit ad Regem, majora ſimul auxilia petens, quæ perditis demum

rebus adfuerunt. Interim equites à Caſſio præmiſſi in Cappadociam, Ariobarzanem, tanquam inſidiatorem Imperatoris ſui occiderunt, magna que cum pecunia & cætero Regis inſtrumento ad Caſſium reverſi ſunt. Dum ea geruntur M. Brutus mortibus tot clariſſimorum virorum, ſed præcipue D. Bruti & M. Ciceronis irritatus, ad vindicandam tum propinqui ſui, tum amiciſſimi viri necem, ſcripſit Q. Hortenſio, ut C. Antonium, quem hactenus ſumma cura defenderat, interficeret. Sunt qui *necatum à C. Clodio Antonium* tradant, *timente ne per ſubmiſſos à Marco fratre cuſtodia eriperetur*. Sed juſſum Bruti fuiſſe latis conſtat, itemque miniſterium Hortenſii: quando & hoc mortuo jam Bruto M. Antonius exprobravit, & Hortenſium velut inferias fratri dedit.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

M. BRUTUS adverſus Thracas parum proſpere rem geſſit; omnibuſque traſmarinis provinciis exercitibuſq; in poteſtatem ejus & C. Caſſii redactis, coierunt Smyrnæ uterque ad ordinanda belli futuri conſilia. M. Meſſala Poplicolam fratrem victum, communi conſilio condonaverunt.

CIVILES diſcordiæ bellis externis eo quoque nomine peſtilentiores eſſe deprehenduntur, quod hic hoſtes & alienigenas timeas, tuorum fide ac benevolentia te conſoleris; ibi nihil ne quidem ab intimis, nedum quibuslibet amicis tutum eſt. L. Gellius Poplicola L. F. M. Meſſalæ frater, qui antiqua familiaritate Bruto erat conjunctiſſimus; & eodem apud Caſſium loco fratrem eſſe ſciebat; M. Bruto inſidiatus, & pro cætera viri clementia, ob eadem illa, quæ exaſperare pœnam debuerant, dimiſſus eſt. Ea quoque lenitas profuiſſe viro creditur, ut plures ad ejus amicitiam ſe applicarent.

Poplicola Bruto inſidiatur. Liv. Epitom. Dio. 47. 47.

II. Idcirco & claſſem haud pœnitendam colligere in Bithynia & apud Cyzicum potuit; & pedeſtri itinere provincias obiens conſtituit res civitatum, litibuſque Regulorum operam dedit, ea tum moderatione ac manſuetudine, tum etiam æquitate, ut & inter ſe omnes, & ſibi amicos fidoſque efficeret. Tum & Dejotarus acceſſit partibus, licet longa ſenecture moroſior; qui nuper etiam Caſſium auxilia petentem ſpreverat. Atque erat in hoc haud quaquam leve præſidium; opibus & auctoritate prævalido. Nam & adempta nuper à C. Cæſare, ea de ejus cognita, ſuo Marte recuperaverat: & Dolabellam fines ſuos ingredi volentem, junctis cum Tullio Cimbro copiis profligarat: & filium habebat, ipſum

Bruti apparatus. Plutarch. Dio. Cic. Philipp. 11. 37. & 11. 13. & epiſt. ad Brut. 1. 7.

Digitized by Google

quoque Regem appellatum ab Senatu, egregiæ ſpei atque indolis adoleſcentem.

III. Enimvero Brutum rebus in Aſia ex voto ſuccedentibus, M. Antonii conatus in Europam revocarunt. cujus licet ſpes in exercitu ſeditionem ſerendi, interempto fratre Cajo in irritum recideranr; tamen verendum Bruto erat, ne qui per abſentiam ſuam ſimiles alii motus orirentur. Igitur in reditu per Thraciam, regionem quam ſine liberis decedens Sadales populo Romano reliquerat, recepit: inde in Beſſos fecit expeditionem, ut ſimul maleficia horum ulciſceretur, & ſibi nomen imperatoris pararet; ornamento atque utilitati futurum ad bellum, quod ſibi adverſus Cæſarem & Antonium poſt gerendum eſſe videbat. Reditus in Europam. Dio.

IV. Et initia quidem belli adverſus feram & pugnacem gentem paulo duriora fuerunt: ſed egregia Rhaſcupolidis opera victorem Brutum, votique compotem fecit. Atque is ut cauſam ſuam latius commendaret, pecuniam ſignari hinc imagine ſua juſſerat, inde pileo, libertatis indice, & duobus pugionibus, quibus ſe arque Caſſium adſeruiſſe Romanum populum ſublato domino ſignificaret, tempore quoque rei geſtæ ſic adſcripto E I D. M A R T. Omnes jam trans mare provincias in poteſtate Brutus atque Caſſius habebant: neque tantummodo ſuppetebat otium communicandis conſiliis, ſed etiam neceſſitatem imponebat patatus prope, & mox in Græciam tranſmiſſurus hoſtis. Brutus Beſſos vincit. Liv. Epit. Dio Pigh. annal. 711. Anton. Aug. Antiq. Dial. 1.

V. Igitur Caſſius è Cilicia, Brutus è Macedonia profecti, Smyrnæ ad ordinanda futuri belli conſilia coierunt, iis pedeſtribus navalibuſque copiis, & apparatu pecuniæ, ut minime impares ad decernendum de Romano imperio viderentur. Pari honore & erat, & haberi volebat Caſſius; ſed detulit ei Brutus, ut crebrius ad eum ventitaret, tamquam ætate majorem, & corpore haud æque validum. Neque diſceſſum à prioribus animis erat, quin & tueri cauſſam ſuam conarentur, & non niſi concordibus tantam ſubeundam molem ſcirent. apparebatque nihil eſſe melius, quàm ut in Macedoniam cum omnibus copiis proficiſcerentur, propulſaturi hoſtem, aut ceſſantem in Italia quæſituri: penes quem jam eſſe legiones circiter quadraginta cognoverant. Cum Caſſio conſultat. Liv. Epit. Plutarch. Appian. lib. 4. Civil.

VI. Sed Caſſio placebat *Rhodios prius Lycioſque in ordinem cogi, validos claſſibus, adverſos animis, & ſi contra Cæſarem & Antonium res parum proſederet, terga invaſuros. At nunc priuſquam majoribus rebus diſtineantur, facile hos auctoritate aut vi cogi in ordinem poſſe.* At Brutus *opus ſibi pecunia eſſe* dictitabat: *nam ad parandam claſſem inſumptum, quod habuiſſet.* nec deerant inter amicos Caſſii qui *dandam* negarent, *cum aliena invidia paratis ambitioſe abuſuro:* ſed vicit æquior ſententia, ac jubente Caſſio ex omni præſente copia trientem Brutus accepit. Et ab eo pecuniam accipit. Dio Appianus: Plutarch.

VII. Tum & M. Meſſalæ egregio juveni, Poplicolam fratrem communi conſilio condonarunt: qui venia nihilo factus melior, inſidias Caſſio paraverat. Sed indicium ejus rei Polla detulit, Poplicolæ mater, utrique conſulere cupiens, & Caſſio ſalutem paratura, filio veniam. Sic ille iterum abſolutus, ne tum quidem retulit benefactoribus gratiam, quin ab his ad Cæſarem & Antonium perfugeret. His ita ordinatis partiti ſunt inter ſeſe, ut Brutus Lycios, Caſſius Rhodum oppugnaret. igitur gnarus cum populo rei nauticæ peritiſſimo rem fore, Myndum deducit claſſem, ornatam inſtructamque, ac ibi remiges exercuit. Poplicola Caſſio inſidias tendit. Liv. Epit. Dio. Appian.

VIII. Eò venerunt ab Rhodiis legati, *neque contemni civitatem* petentes, Rhodiorum legati ad Caſſium.

quæ ſemper ulta ſit injurias ſuas: neque fieri aliquid contra fœdera, quibus diſerte cautum ſit, ne alteruter populus ab altero bello & armis petatur. Quod ſi forte ob auxilia non miſſa ſuccenſeat, ituros Romam oratores Senatus conſulendæ gratia: illo auctore graviter & benigne miſſuros. Reſponſum eſt, *verborum præteriſſe tempora: nunc finiendas armis controverſias eſſe. Fœdus, quod prædicarent Rhodii, prius violatum ab ipſis eſſe, Dolabellæ partes ſequutis. ſed & eodem fœdere de mittendis auxiliis perſcriptum eſſe. ipſos à Caſſio rogatos illudere Senatus obtentu, quem ſciant oppreſſum per tyrannos patriæ, diſſipatum atque diſperſum per provincias. ſed brevi pœnas daturos & illos, & illorum ſocios Rhodios, ni confeſtim imperata faciant.*

Eorumdem diverſa ſtudia. Iosg. Lacrt.

IX. Hæc relata diverſimode adfecerunt civitatem inter ſe contrariis ſtudiis opinionibuſque diviſam. Prudentiores & quibus res erat, bellum Romanum haud ſecus atque certum exitium expaveſcere: vulgus per ſe ſtolidum, & periculorum ante experientiam appetens, Alexandri Mnaſeæque concionibus inflari; Veteres civitatis laudes reſonantium, *& quanto majori numero navium petita à Mithridate, à Demetrio Regibus, invicta ſtetiſſet.* Ad hæc conſpectu ſuę claſſis erigebantur. nam ex omni copia navium tres & triginta delectas deduxerant. Igitur quum forte creandis magiſtratibus comitia haberentur, Alexander factus Prytanis, quæ præcipua tum erat dignitas, Mnaſeas claſſi præfectus eſt. Iterum tamen ad Caſſium mitti Archelaũ placuit, quo magiſtro Caſſius olim Græcis literis operam Rhodi dederat.

Archelai oratio ad Caſſium. Appian. Syriabo lib. 24.

X. Atque is pro veteri familiaritate apprehenſa Caſſii dextra *dii vero*, inquit, *meliorem tibi mentem, C. Caſſi, quàm ut Græcam urbem exſcindas, Græcæ nationis amator, aut liberam, adſertor libertatis. Sed neque Dorici nominis dignitatem contempſeris, oblitus pulcherrimarum artium, quas partim Rhodi, partim etiam Romæ didiciſti. Rhodi quidem, contra Reges pro legibus, quarum quoque te vindicem præfers, egregia geſta: Romæ, magnæ erga Romanum nomen civitatis noſtræ merita, eximiamque fidem, quam & Antiochi bello vobis, & multis aliis locis temporibuſque Rhodii præſtitimus. Et hæc quidem ſummatim, ut in rebus notis, & adverſus hominem eruditum, de dignitate generis & originis noſtræ, de integerrata huc uſque in diem libertate, de meritis, atque perpetuo erga populum Romanum ſtudio ac prolixiſſima voluntate, dicta ſunto.*

Exaggerat amicitiam priſtinam. Liv. 10. 47. 3. 12. App.

XI. *Privatim vero tecum plura eſſe debuerunt amicitiæ benevolentiæque vincula, C. Caſſi: quæ nequaquam ſine probro abruperis. Rhodi educatus es, Rhodi inſtitutus, in illa urbe ægrotus remedia valetudini, peregrinus hoſpitium, rudis magiſtros & ſcholam meam reperiſti. Non potes harum rerum omnium, quæ mentio totam in vitam ſolet eſſe jucundiſſima bonis, ulla ex parte recordari, quin Rhodi memoria ſubeat, atque tantorum commodorum hanc tibi largitricem fuiſſe recogites. Atqui noſtram quidem amicitiam nunc quoque tanti eſſe puto, ut ſpem mihi magnam præbeat, meæ quoque cauſſa benigniorem te Rhodiis fore; neque commiſſurum ut hac ætate duarum rerum triſtiſſimarum exſpectatione conficiar, ne ſorte aut Rhodii omnes deleamur; aut vincatur Caſſius meus. Illud vero omen dii deæque omnes prohibeſſint! & quando me deorum admonuit hæc mentio, precibus meis me conſilium etiam addere, non ægre feres.*

Deorum maximorum.

XII. *Deorum maxime gratiam parandam eſſe magna & præclara molientibus*

ſemper admonui; nunc vero etiam ſingulariter, pro libertate Romani nominis tanta cœptantem hortor atque oro, ut ante omnia ſummam tibi horum habendam eſſe rationem putes. his auctoribus, nihil non proſpere cedet: his adverſantibus, parum erit in quantislibet præſidiis ſpei. Cæterum ante paucos hos annos, quum ex auctoritate Cæſaris fœdus nobiſcum renovatum eſt, jurati dextras accepiſtis dediſtiſque. Ea fides, ea fœderum religio ſummæ hominibus curæ eſſe debet; & qui apud immortales deos adipiſci gratiam poſtulant, & qui retinere bonam inter homines famam. ut de utilitate jam taceam, quæ ſervantes pactorum atque fœderum ultro ſequitur. Nam & cum his cupidiſſime jungunt amicitiam prudentes: & hanc deſerere, quantumlibet neceſſitate preſſi verecundantur. At quorum ſuſpecta aut credita levitas eſt, eos & ab aliis falli nec admiratur quiſquam, nec iraſcitur. Hæc autem quum etiam inter infenſiſſimos hoſtes obtinere debeant; quanto magis præſtanda ſunt amicis, hoſpitibus, alumnis. Non poſſum plura præ lachrymis loqui: ſed neque verborum magis hoc quàm pietatis opus eſt: & ſi hæc contemnere poteris, ſupervacua omnis eſt oratio: neque enim moveare, tametſi plurima & graviſſima proferantur.

XIII. Hæc largo eum fletu proloquutus ſenior, adeo commovit Caſſium, ut præ verecundia colorem mutaret. Educta tamen ex Archelai manibus dextra: *Si perſuadere Rhodiis noluiſti, ut abſtinerent injuriam à nobis; mihi ſuadere non debes ut acceptam ulciſci ſuperſedeam. ſin vero hæc agentem audire neglexerunt, pœnas ab his expetam, à quibus contemptus es.* Caſſii reſponſio.

XIV. *Ubi vero erant illi Rhodii, gens ſtudioſa libertatis, amicitiæ tenax, hoſpites, magiſtri & educatores mei, quum nuper auxilia petentem rejecerunt? At Dolabellæ miſerunt naves, qui nec educatus ab his, nec eruditus eſt: & libertatem conabatur opprimere, quam ego & Brutus cum aliis principibus defendimus. Neque vero prodeſt Rhodiis hic color, quaſi miſceri nolint civilibus Romanorum armis. eſſent civilia, ſi nos quoque fatercmus partes, & noſtram ad potentiam res trahere conaremur. Nunc ubi aperto bello hinc Rempubl. ſtare, inde tyrannos intelligitis; fruſtra poſcitis à nobis oratiſque libertatem, pro qua nobiſcum propugnare contamini. Adeone vos tot clari viri, amici plerique hoſpiteſque, à quibus defenſi ſemper, à quibus ornati eſtis, nihil commoveant; indicta cauſſa condemnati, proſcripti, exuti bonis, ejecti patria, vita ac luce depulſi? ut ſuccurrere nolitis populo Romano, cujus ſocietatem atque amicitiam jactare non deſinitis.* Auxilia non miſſa exprobrat.

XV. *Sed enim Senatus prius vobis exploranda voluntas eſt! ſcilicet ejus, quem præclare ſcitis vi obſeſſum oppreſſumque ſententiam ſuam non audere profiteri! Quod ſi vero diſcere vobis curæ ſit, quid liber & ſuæ poteſtatis Senatus cenſeat, Senatuſconſultum intro ſpicite, quo mihi Bruto que opem ferre ſocii amicique omnes jubentur. Tu vero ſi quid umquam à Rhodiis profectum eſt in Romanos officii, diligenter meminiſti: præmia, quæ vobis abundantiſſime ſunt reddita, præteris. Quid autem vobis prodeſſe poſſunt benefacta majorum, ſi diſſimiles his eſſe pergitis? Juverunt illi rem Romanam! at vos deſeritis, quum maxime opus bonis fidelibuſque ſociis habeat Reſpublica.* Senatus ſententiam eo tempore exſpectandam negat.

An non, ſiquidem Dorienſes cenſeri magnum eſt, ſubvenire pulcherrimo Imperio, nunc ſub iniquorum civium maleficiis laboranti, vos oportuit: & vel hinc ordiri amicitiam, etiamſi nulla vobis antiquitus cum nomine Romano fuiſſet?

Jubet ipſos meminiſſe fœderis.

XVI. *Vos autem ita vos geritis, tanquam adhuc à Telchinibus incoleretur inſula; ne forte oblitum Rhodiæ hiſtoriæ putes. Sed iſta quidem mitto. at quia provocatis ad fœdus, quod auctore Caſare, qui & dominationis fuit auctor, factum eſt; an non eo ipſo continetur, Romanum Rhodiumque populos uti cuivis opus eſſet, invicem auxiliari debere? Quin igitur adeſtis hoc tempore ſummo in periculo conſtitutis? En adſum C. Caſſius, Romanus certe, nec civis modo, ſed ſi qua Senatuſconſultis fides eſt, Imperator, & ex lege fœderis auxilia poſtulo. eaſdem vobis fœderis leges M. Brutus, eaſdem Sex. Pompeius ingerunt, præfectus à Senatu maritimæ rei.*

Ad arma pervenitur.

XVII. *Accedunt Senatorum preces, qui ad me, & Brutum, & hunc quem dixi Pompeium ex Urbe confugerunt. Tot & talibus viris ſuppetias ire negabitis, qui ex formula fœderis ad auxilium vel unicuivis Romano ferendum tenemini? ſin vero hos tantummodo, qui nunc Romam Urbem obtinent, Romanorum loco; nos pro exſulibus & peregrinis habetis: at vos Romana fœdera objicere nobis deſinite. Serventur ea inter quos ſcilicet convenerunt. interim Rhodii niſi ſponte imperata facietis, ab his exſulibus atque peregrinis juſto pioque bello petemini.* His ab Archelao Rhodi expoſitis, Alexander & Mnaſeas, cum illa quam prædiximus claſſe, Myndum adnavigarunt, tamquam hac audaciæ oſtentatione Romanos territuri: compedeſque magno numero monſtrarunt eminus, tamquam captivos plurimos in poteſtate mox habituri: hinc, quia portu ſe Romana tenebat claſſis, Gnidum petierunt.

Navalis pugna. Dio. 47. 5. 10. App. lib. 4. Civil.

XVIII. Poſtridie quum pari contemptu Rhodii adeſſent, L. Statius Murcus contrà eduxit naves, certatumque eſt acriter, patrias utriſque artes gnaviter adhibentibus. quippe Rhodios nemo tum æquabat nauticæ rei peritia: Romani contra lacertis & robore nitebantur. hos numerus & magnitudo navium adjuvabat; quæ neque roſtrorum ictibus cedebant temere, & ferreis injectis manibus, cito redegerant hoſtes à diſcurſando ad ſtatariam pugnam. Igitur duabus Rhodiorum navibus depreſſis, tribus cum ipſo remigio captis, cæteræ male mulctatæ Rhodum refugerunt.

Rhodus capitur. Oroſ. 6. 18. App. an.

XIX. Hanc pugnam ex promontorio ſpectavit Caſſius, neque moratus diutius, quam ad reficiendas naves opus erat, Loryma petiit, Rhodiorum caſtellum oppoſitum inſulæ. Inde pedeſtres copias onerariis navibus transjecit, ducibus Fannio & Lentulo. Ipſe Caſſius in naves ſe contulit, ut terra marique Rhodus oppugnaretur. Neque defuit his audacia iterum tentandæ pugnæ, quamquam ſemel jam ſuperati, cum multo paucioribus navigiis adverſus octoginta roſtratas dimicarent. ſed tum quoque victi ſunt, duabuſque navibus amiſſis ad urbem compulſi, cujus mœnia mox armatis compleverunt, undique propugnantes. nam & à mari turres plicatiles navibus advectæ erigebantur.

Caſſii ſeveritas in Rhodios. Flor. Brut. cap. 44. Eutrop. Val. Max. 5. 8.

XX. Hoc terrore quod in civitate ſanum erat, colloquia cum Fannio Lentuloque de pace habebant; quum ſubito conſpectus eſt in oppido Caſſius, neque ſcalis ſuperato muro, neque ulla externa vi adhibita. Reclulas ab amicis ejus & edu-

educatoribus portulas, quæ multæ in mœnibus erant, ereditur; timentibus, ne vi capta Rhodus omnino dirueretur. Sed ipse tamquam sine exceptione victor, licet *Regem & dominum* appellantibus, *neque Regem se neque dominum esse, sed interfectorem Regis atque Domini* respondisset; hasta sub tribunali proposita consedit: interdicto severe militibus, *ne quis corporibus aut rebus Rhodiorum injiceret manum*. At ipse, *quinquaginta* nominatim citatos, *ex auctoribus belli Rhodiis, duci ad supplicium* jussit: quinque & viginti, quos negabant comparere, damnavit exsilio: *pecuniam publicam omnem ad se comportari* præcepit, ne sacra quidem, & donariis deûm abstinens: orantibusque Rhodiis, *ne cunctis numinum simulacris spoliarentur, Solem à se relinqui* respondit: intactum enim nihil præter currum ejus dei fuerat.

XXI. Sed ea vox ominosa paulo post est habita, tamquam celeriter luce cariturum præsagientis. sed & edictum proposuit, *uti quod quisque privatim auri argentive possideret, intra dictam diem proferret*, morte celantibus denunciata, indicibus promisso præmio: servis libertatem, liberis decimas constituerat. Multi tamen occultandis rebus suis perstiterunt, plura minari Cassium, quam facturus esset, existimantes. Cæterum ubi ex edicto pœnas mercedemque decerni viderunt, prorogari diem postulantes ex puteis & foveis, ubi rerum pretiosissima condiderant, tantam opum vim attulerunt; ut octo millia talentorum inde confecta referantur. Edictum de proferendo auro argentoque. Dio. Val. Maxim. Plut. Brut. c. 48 Appian.

XXII. Neque his contentus, quingenta insuper talenta imperavit civitati; præsidioque impositio L. Varum ibi reliquit. His rebus alacer Cassius, aulum enim immanis operis celerrime confecerat; Asiæ quoque tributum indigens imperavit, decuplum ejus, quod pendere quotannis consuevisset: idque statim exegit. Dum in his occupatus est, valida classis ab Ægypto navigare ad hostes nunciatur, mittente Cleopatra: quam & amicitia illarum partium, & recens à Cassio metus, ut potius ei negotium alibi faceſſeret, acribus stimulis impulerat. Cassius Asiæ tributum indicit. Appian. Vell. 2. 69. 6.

XXIII. Itaque Murcum cum sexaginta navibus, & fortissima legione, atque aliquo numero sagittariorum *occurrere ad Tænarum Peloponnesi promontorium* jussit, ut illius maris transitum opportuna statione custodiret: ei quoque peninsulæ non satis æquus, quam incursionibus, & abducta quanta poterat præda vexaverat. Multo ubique lenior Brutus, sub eadem tempora Lycios *conferre pecuniam & dare milites* jusserat. Sed illi Naucrate quodam impellente populum, objecerunt arma, tumulosque nonnullos arcendi transitus causa injecerunt. In hos dum cibum capiunt impetu facto, Brutus per equites suos interfecit ad sexcentos; simulque cum fugientibus irrupit castra. Brutus cum Lyc. pugnat. Plut. Brut. c. 49 Dio. 47. 5. 12.

XXIV. Tum ad castella & oppida circumlato bello, plerisque deditione potitus, præsidiarios sine pretio dimisit incolumes. At illi non tam deliniti beneficio, quam infensi ob illata damna Xanthum se contulerunt hostilibus animis, quod oppidum tota Lycia maximum, summa ope ad resistendum se parabat. Suburbiis enim dirutis, ne receptaculum hosti, neve materiem ad opera præberet, fossam circum urbem duxerant pedum in altitudinem quinquaginta, & proportione latam; cujus è margine in adventantes jacula & sagittas torquebant, tamquam profundo flumine & vadari nescio dirempti. At Brutus quamvis è longinquo petenda erat materia, tam fuit in oppugnatione diligens, ut qui multorum Xanthum oppugnat. Plutarch. Strab. lib. 14. Appianus.

mensum futurus credebatur labor, paucis diebus conficeretur.

Xanthii fugã circumspiciunt. Strabo. Plutarch.

XXV. Particis enim copias in diurnam nocturnamque operam, ut parte dimidia pugnante, reliqui interquiescerent, penetravit ad mœnia portasque, & quia recentes subinde fessis succedebant, oppidanos, quibus haudquaquam eadem erat copia, ad extremum discrimen adduxit. Repugnabant illi tamen, donec pinnæ turresque steterunt: sed ubi sunt ab his destituti, una reliqua spes atque contentio fuit, si quam fugiendi reperire viam possent. Amnis præterfluebat urbem, eodem atque illa nomine: sub hoc quidam urinando conabantur evadere. sed excepti sunt retibus, sub aqua in transversum tensis, quibus appensa in summo tintinnabula, ut quis inciderat, capturam significabant.

Eruptionem faciunt. App. Dio.

XXVI. Postremo omnium eruptio placuit. quod ubi Bruto nunciis aut rebus ipsis proditum est; reduxit à portis milites, ut spatium concederet. Id Xanthii negligentiam interpretati, noctu eruperunt cum ignibus; quos injicerent machinis. vehemens inde certamen ortum. Sed Bruti milites facto per incendium impetu nudum Xanthiorum agmen, neque enim præter faces & tela quidquam extulerant, disjecere: multis interemptis, quia metu ne simul irrumperet hostis, clausum oppidum fuerat. Et hos quidem hunc ad modum oceluſá porta, reliquos aperta prodidit. Namque sub meridiem eruperunt iterum, incensisque machinis oppidum repetierunt, libero relicto propter priorem eam aditu.

Romanos qui in urbem irruperant, urgent.

XXVII. Igitur confertim irrumpentibus Romanis oppidum capiebatur, nisi repente funibus ruptis cataracta decidisset. Duo millia ferme intraverant. ii quũ premerentur à Xanthiis, neq; subducere sine funibus gravem portam, neque concidere tectam ferro possent, multis amissis in ædem Sarpedonis penetrarunt: ejusq; munimento se tuebantur. Sed anxius de his Brutus omnia tentando diversis aditibus invenit viam. Alii scalis incendio amissis subito fabricabãt novas: alii antennas admoventes mœnibus per eas subrepebant: nonnulli uncos restibus ejaculantes in murum, ubi forte quis adhæserat, attollebantur.

Aurelii in subvenientibus,

XXVIII. Oenoandenses vicini Xanthiis & plerumque discordes, notitia locorum, per abruptas rupes enitebantur; Romanis etiam quibusdam sequentibus. sed laboriosus adscensus fuit, multique fallente vestigio in præceps lapsi perierunt. Eodem tempore quidã eorum qui muros transcenderant, portulam quamdam aperuerunt; antequam vallum erat exstructum præacutis sudibus. super eas audacissimus quisque transcendentium, sublevatus à commilitonibus evadebat: donec numero jam multi portam, quæ intus ferro non erat munita, diffringere, cęperunt. Accendebantur enim periculo suorũ, invadi hos à Lyciis arguẽte clamore.

Urbs capitur. Plutarch. Brut. c. 45.

XXIX. Igitur quum intus foris que idem plurimi summo conatu agerent, effracta porta dissiluit: ad quod spectaculum ingens sublatus clamor, gestæ rei pugnantibus indicium fecit, diremitque certamen. Interim ignis à machinis ad propinqua mœnia devolutus, pinnas & his conjuncta ædificia comprehendit. Idcirco Brutus perniciem oppidi timens, *extingui à militibus flammam* jussit. sed hæc ab oppidanis ultro augebatur, picem, sarmenta, quidquid alendo igni reperiebatur, cupide injicientibus. Bruti potius hanc patriam esse putares, quum deleretur à suis, ab hoc defenderetur.

Xanthiorum fit ofa desperatio.

XXX. Ille & in urbe, & quia propter tumultum incendiumque nihil profici poterat, egressus porta, murosque circumvehens, tendebat ad Xanthios manus,

ſibi parcerent, ſeque & oppidum ſervarent. At illi fatali rabie tela incendium exſtinguentibus ingerebant. poſtremo clauſis domibus ſe parentesque & liberos occiderunt: alii, nec firmior tantum ætas, ſed parvi pueri atque puellæ inſiliebant in ignem, aut in præceps demittebant corpora: pars jugulum præbentes paternis enſibus, *in libertatem aſſeri* poſtulabant. Relatum etiam ad Brutum eſt, *mulierem conſpici pendentem ex laqueo, quæ parvulum infantem è collo ſuo ſuſpendiſſet, altera manu adhuc teneret facem ardentem inflammandarum ædium gratia raptam.* Appian. Dio. Plutarch.

XXXI. Id videre non ſuſtinuit Brutus; ſed illacrymans, *præmium pronunciari juſſit in milites, ſi quis Xanthium conſervaſſet.* Sed illi jugulatis ſuis omnibus, & in rogos conjectis, ſuper incenſam lignorum ſtruem, ſe transfodere malebant. Igitur ſumma Bruti cura vix ad templa quædam ſervanda profuit, *homines quidem ingenui centum quinquaginta ſuperfuiſſe* traduntur, *meliores cæteris, & amantiores vitæ.* Sic Xanthii perierunt pro libertate, majores æmulati, quorum par pervicacia antea quoque patriam civium manibus perdiderat. Ab Harpago certe oppugnati, Regis Cyri præfecto, ne Perſicam ſervitutem paterentur incendio & ruinis oppidi ſe tumularunt. Majorum exemplo ſimilis. Plutarch. Appian.

XXXII. *Idemque iterum accidiſſe* Appianus tradit, *Alexandri bello Perſico.* Sed Arrianus & Diodorus, quibus credere malis, ille *Xanthios veniſſe deditione in fidem* ſcribit: Diodorus *Lyciis quidem, ſed Marmarenſibus neſcio quibus, eamdem ferociam exitumque fuiſſe.* Xantho capta Brutus ad Patara deſcendit, quod oppidum videri navale Xanthiorum poterat. Sed vim admovere contabatur, eamdem in his vecordiam metuens, quam expertus in Xanthiis eſſet. Brutus Patara deſcendit.

XXXIII. Idcirco prius captivos in conſpectum eorum adduxit, hortaturos, *ut ſua clade admoniti ſaniora conſilia capeſſerent.* quin & nonnullos neceſſariis ſuis dono dedit. Quum nihil reſponderetur, conceſſa ad deliberandum reliqua parte diei, abduxit copias: poſtridie rurſus adfuit, & quam proxime muros conſtituta cataſta, captivos in conſpectu oppidanorum cœpit vendere. & ne ſic quidem motis Patarenſibus, cæteros omnes ſine pretio dimiſit. Erant in eo numero fœminæ quædam Patarenſium, quæ ubi viris atque propinquis ſuis lenitatem atque moderationem Bruti diligenter expoſuerunt; eo res adducta eſt, ut qui modo extrema malueranr, aperirent portas, ſeque & ſua omnia in fidem poteſtatemque Bruti contraderent. Patarenſes ſe dedunt. Dio. App. Plutarch.

XXXIV. Atque ille neminis aut ſupplicium aut fugam juſſit: ſed recepta quæ in publico erat pecunia, edictum ſimile Caſſiano propoſuit, *de conferendo à privatis auro argentoque.* Forte quidam à ſervo proditus aurum abdidiſſe ad Brutum ducebatur. Eum ut eriperet mater, cum clamore ſequebatur, *innocenti negotium exhiberi, ſe crimine ejus ream eſſe.* Tum converſus ad eam ſervus, quamquam interrogatus non eſſet, coarguere mendacium cœpit: & *aurum à domino celatum* adieverare. Hæc ubi renunciata Bruto ſunt, *juvenis patientia, matronæ pietate collaudata, abire eum auro ſuo incolumes: ſervum improbum in crucem tolli* juſſit. Bruti lenitas & juſtitia. Appian.

XXXV. Inter hæc miſſus cum parte claſſis Lentulus Andriaca, quod navale Myrenſium eſt, rupia quæ portum claudebat, catena cœpit: Myrenſium prætore ſimul deprehenſo. Et hunc dimittí Brutus juſſit: eoque pacto Myra quoque Brutus omnē Lyciam recepit. Dio. Appian. Plutarch.

recepit in deditionem: ubi similiter exacta pecunia Lentulus ad Imperatorem rediit. At ille recepta omni Lycia, communique Lyciorum non amplius centum quinquaginta talentis imperatis, *classem eorum Abydi præstolari* jussit, quo & ipse pedestres copias erat adducturus, ut inde Sestum transmitteret. Prius tamen deflectit in Joniam, instituti sui tenax, & ubique justitiæ atque moderationis edens præclara specimina.

Cum Cassio colloquitur. Plutarch. Pomp. c. 333. et Rufo. Dio.

XXXVI. Sed nihil fuit hominibus supplicio Theodoti gratius, quem propter Pompejum magnum hoc auctore interfectum, communiter omnes erant perosi. Hunc igitur, dum cæteri puniuntur à Cæsare, fuga ereptum ex Ægypto, & per Asiam vagabundum *corripi* Brutus, *excruciatumque necari* jussit. Inter hæc & Cassius Rhodo subacta in continentem redierat. Hunc arcessivit Brutus Sardes, venientique cum amicis occurrit. Magna ejus diei species fuit, quum tanti exercitus starent in armis, & propter res bene gestas, utrumque pariter Imperatorem, concordibus vocibus salutarent.

Non sine altercatione Arist. Polit. 3. 11. D.o. Plutarch.

XXXVII. Sed ipsi statim à via colloquendi causa diverterunt in conclave quoddam, semotis arbitris. Nam ut inter viros tanta potentia subnixos, multisque ducibus & amicis stipatos, suspiciones ortæ erant. His ultro citroque proferendis in contestationes & objurgationes labatur; fletumque audire erat, & vehementiores interim voces: ut magno in metu pro foribus amici utriusque essent, quibus, *ne injussu ingrederentur*, acriter interdictum erat. Sed ad extremum M. Favonius, M. Catonis ineptus imitator, quamquam prohibentibus ministris irrumpens, recitatis Homeri versibus, quibus Nestor *parere sibi natu minores* jubet, Cassio risum, Bruto iram movit; isque *exesse* jussit *insciturn canem, & adulterinum canem*, Græcis verbis hunc in sensum conviciatus.

Sed inanem.

XXXVIII. Tamen ille finis altercationis Imperatoribus fuit: & ad cænam Cassii Brutus amicique ejus comparuerunt. Tum & Favonius adfuit, & quum supremum in lectum rejiceretur à Bruto, *neutiquam invitatum* testante, magna contentione corporis contra repellentes usus, in medio se reposuit. Postridie virum Prætorium L. Pellam, postulantibus repetundarum Sardianis, damnavit Brutus publice: momorditq; ea res Cassium, quia non ita pridem ipse duos ex amicorũ cohorte paris criminis cõpertos, privatim admonuisse contentus, palã absolverat.

Bruti et Cassii d. versi mores.

XXXIX. Objecit igitur hoc Bruto, atque *amicis utendum* monuit *indulgentius, ni deseri velint*: contra Brutus *Idus Martias* testabatur, *neque ideo interemptum Cæsarem, quod ipse per se læderet singulos, sed quia hoc agentium robur præsidiumque esset. Quod si ita sit agendum, tolerari Cæsarem præstitisse. Tunc enim, inquit, una nobis hærere poterat ignaviæ nota; nunc si eadem committamus, cum tot laboribus ac periculis injustitiæ crimen sustinebimus.* Hic apparet animus Bruti, & quid in nece Cæsaris spectaverit. Alia Cassio mens erat, qui acer & belli peritus, sed asper ira, potentiam magis & metum, quam æquam omnibus libertatem quærebat. Idem inter familiares solutus erat risu, & dicax.

Bruti magna laus. Tac. Hist. 4. 8. Plutarch.

XL. Contra *Brutum vulgo charum, amicis dilectum, optimo cuique admirationi, ne hostibus quidem invisum fuisse* tradunt: *quia mire lenis, magnanimus, iræ, voluptati, avaritiæ inexpugnabilis, verum atq; honestum indeclinabili constantia sectabatur. Igitur etiam ex Antonio multos audivisse* ferunt, *cum dicere consuevisse solum Bruti virtutis & honesti specie motum ad inferendam Cæsari necem; cæteris*

De trajiciendo Adriatico Antonio cogitat.

omnibus alia propoſita fuiſſe. Sed neque vulgo dubitabatur, *unum hunc bono animo deſcendiſſe ad civilia arma. Nam neque Pompejo victore manſuram fuiſſe modeſtiam, quin ille Conſulis aut Dictatoris aut cujus alius magiſtratus nomine, perpetuam dominationem retineret: & hunc ipſum Caſſium, nihilo Carbonibus & Mariis & Cinnis meliorem, ſæpe ab honeſto ad utilitatem flecti, neque communem ſalutem magis, quàm privatas potentiæ rationes reſpicere.*

XLI. At Brutum animo quam opibus niſum fuiſſe, vel ipſius epiſtolæ doceant, vicino jam diſcrimine compoſitæ. Nam ad Atticum ſcribit, *nunc equidem eſſe res ſuas in pulcherrimo ſtatu; nam aut victoria libertatem populo Romano comparaturum, aut morte ſua confirmaturum ſibi. & cætera quidem in incerto; unum haud dubiæ veritatis eſſe, aut victurum ſe liberum, aut moriturum. M. Antonium autem meritas vecordiæ pœnas pendere, qui quum cenſeri cum Catonibus Brutiſque & Caſſiis potuiſſet, Octaviani vilis acceſſio eſſe maluiſſet: quem & ab ſe præſens maneret periculum, & ſi hoc vitaſſet, aliud expectaret ab ipſo Octaviano gravius.* Et in his quidem Brutus atque Caſſius erant.

Ejus epiſtola paulo ante mortem ſcripta.

XLII. At Statius Murcus circa Peloponneſum excubans, quum *Ægyptiam claſſem ad Africæ litora periſſe naufragio* audiſſet, ejuſque cladis notas ad Laconiam uſque fluctus pertuliſſent; ne cum tanta claſſe nihil ageret, trajecit Jonium pelagus, & inſulam portui Brundiſino oppoſitam, Lælii nuper & Libonis exemplo cœpit. Hæc enim ſtatio valde erat opportuna ad prohibendum, ne qui ex Italia milites, aut commeatus in Græciam trajicerentur. Sed jam exercitus Triumvirorum, octo legiones: cum legatis C. Norbano ac Decidio Saxa, tranſmiſſo Adriatico in Macedoniam præverterat: Tribuſviris hos præmittentibus, dum Caſſium & Brutum Lycio Rhodienſique bello in longum tempus ſe putant implicuiſſe.

Statii Murci geſta. Appian. Dio. 47. 5. 18.

XLIII. Sed comperto rerum iſtarum exitu, Rhodiis Lyciiſque collaudatis publico decreto, *promiſſiſque ad eorum reparandam fortunam pecuniis*, & relicto ad præſidium urbis Lepido, Cæſar & Antonius pecunias legioneſque diviſerunt (quia jam nihil Antonio ſatis videbatur, nec in pari jure portionem æquam obtinere Cæſarem patiebatur) ſtatimque profecti ſunt paludati. Cæterum Antonius, qui Brundiſium ierat, quum inde tranſmittere conaretur, à Murco impeditus & excluſus, cum roſtratis, quas habebat oppido paucas, nihil ad ſummam profecit; quamquam catapultis & machinis, atque etiam turribus naves oneraret. Id unum egit ut ſecundo vento partem copiarum ſubinde imponeret onerariis navibus, quæ plerumque perveniebant, priuſquam à Murco opprimerentur. Poſtea quia parum iſta proderant ad ſummam, C. Cæſarem, qui circa Siciliam, cum Sex. Pompejo navalibus viribus dimicabat, ad ferendam in commune opem excitavit. Sed hujus quoque belli origo, Sextique fortuna, quæ à cæteris rebus ſeparari utilius fuit, deinceps exponenda eſt.

Antonii et Cæſaris expeditio. Flor. 4. 7. 5. Plut. in Ant. cap. 27. Plin. 45. 9. Dio. Appian.

FINIS LIBRI CXXII.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXXIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

EX. POMPEJUS, Magni filius, lectis ex Epiro proſcriptis ac fugitivis, cum exercitu diu, ſine ulla loci cujuſquam poſſeſſione, prædatus in mari, Meſſanam oppidum in Sicilia primum, deinde totam Provinciam occupavit: occiſoque A. Pompejo Bithynico prætore, Q. Salvidienum legatum Cæſaris navali prælio vicit. Cæſar & Antonius cum exercitibus in Græciam trajecerunt; bellum contra Brutum & Caſſium geſturi. Q. Cornificius in Africa T. Seſtium Caſſianarum partium ducem, prælio vicit.

Sex. Pompeii acta. Dio. lib. 48. Oroſ. 6. 18. Liv. Epit. Vell. 2. 73. 3. Flor. 4. 8. 1. Dio. Strabo lib. 5. Lucan. 6. 422. Appian.

SEX. POMPEJUS, quum ei morte Cæſaris, & ſequutis eam motibus, ſpes in patriam redeundi vix oſtenſa priuſquam erepta eſſet; imperium maris amplexus, cujus ei conceſſus ab Senatu titulus fuerat, verſus Italiam navigavit. Sed audito ſe quoque inter percuſſores ſuperioris Cæſaris damnatum eſſe, abſtinuit continenti, & ſine maleficio circum inſulas oberrans, ut in patriam revocaretur exſpectabat; quod ſe facinoris ejus, cujus cæteri convicti dicebantur, innocentem ſciebat ab omnibus haberi. Ut vero cum cæteris ſuum quoque nomen feralibus tabulis inſertum didicit, ad bellum ſe totis viribus comparans, inſtruxit naves: neque proſcriptos modo qui in Epirum evaſerant, ſed etiam fugitivos recipiendo, & armando ergaſtula; quin & cum piratis inita ſocietate, qui circa Cumas & Gallinariam ſylvam prædabantur, coëgit exercitum. diuque ſine certa cujuſquam loci poſſeſſione vagatus in mari, ubi felici rapina per Italiæ portus haud ſpernendam vim militum & pecuniæ confeciſſet, in Siciliam curſum direxit, Mylaſque & Tyndaride citra pulverem captis, Meſſanam, prævalidam urbem, tentare auſus eſt.

Sextus Siciliam occupat. Liv. Epit. Dio. Appian. Solin. cap. 11. Plin. 7. 45. 9.

II. Erat tunc A. Pompejus Bithynicus Meſſanæ, Siciliæ Prætor. Ab hoc repulſus injicio Sextus, non ideo deſtitit, quin vaſtatione agrorum, intercipiendiſque commeatibus Mamertinos vexaret. Sed & vicinos opem ferre conantes exceptos per inſidias, aut ſimili clade mulctatos deterrebat. Poſtremo quum jam etiam Quæſtorem Bithynici, cum pecunia, quam deportabat, in poteſtatem redegiſſet; per communes amicos, Hirtium & Fannium, qui recens proſcripti in Siciliam profugerant, inita eſt inter duces pactio, ut æquato imperio Siciliam obtinerent. Sic receptus Meſſanæ imperatoque *ut pecunias & arma proſcriberent*, Syracuſas petiit: acceptoque ex Africa ſubſidio, quod Q. Cornificius miſerat, & illam urbem, & poſtea plures tebegit. Unde res frumentaria peranguſta Romæ, multique mortales abſumpti frugum penuria, coëgerunt Cæſarem, qui hactenus majorum rerum cura Sextum augeri tulerat, ut & claſſi

instruendæ adjiceret animum, & Q. Salvidienum Rufum cum ingentibus copiis Rhegium præmitteret.

III. Namque Pompejus in dies augendo famam atque copias, quum præter cæteros perplurimi ad eum ex civitatibus, quæ militum præmiis destinabantur, confluerent, jam etiam Italiæ tentare oram audebat. Sed adventu Juliani exercitus in Siciliam se recepit: & Salvidienus, quum navibus destitueretur, navigia ex corio fabricare instituit, qualibus in Oceano utebantur, levibus lignis conserta, quæ foris pelle bubula cruda, in clypei formam inducebantur. Sed irrisus & huic invento diffidens, Rhegii se tenuit, donec eodem Cæsar venisset. Ab hoc acceptis navibus trajicienti Pompejus juxta Scyllam occurrit, confertoque navali prœlio, in portum freto proximum (Balaro nomen fuit) retrusit, audacia militum; exercitatos enim Afros secum Hispanosque, & multos egregios ex Italia viros habebat, & peritia remigum superior; quamquam numero & magnitudine navium vincebatur. Cæsarem navali prœlio superat. App. Dio. 47. 3. 29. & 48. Liv. Epit.

IV. Neque tamen pauciores ipse naves amiserat. sed Cæsar, qui spectatorem egerat prœlii, tam duro principio minime lætus, damnavit consilium vi transportandi copias, & aliquoties trajicere furtim conatus est: robore legionum sperans superiorem fore; modo penetrare in insulam licuisset. Quum ista quoq; frustra tentata spes esset, dispositis à Pompejo firmis ubique præsidiis, & ad bellum transmarinum trepidis Antonii literis vocaretur; aliis Italicarum Siculorumque rerum demandata cura Brundisium navigavit; prius Rheginis data fide, certo curaturum uti è numero urbium eximerentur, quæ in victoriæ præmium promissæ militibus fuerant. quod enim erant peropportuno in Siciliam situ, & propugnaculum Italiæ propter potentiam habebantur, ne hoc terrore ad Pompeii amicitiam cogerentur, haud injuria metuebat. eadem igitur liberalitate, similibus de caussis erga Vibonenses usus est. Furtim trajicere conanti repellit. App. Dio. Strabo lib. 6.

V. At Pompejus rotius Siciliæ potitus, A. Bithynicum, structo crimine proditionis interimit, elatusque felicitate sua pugnam navalem prope Rhegium exhibuit, ut in conspectu hostium esset; captivos enim inter se concurrere coëgerat, alios ligneis, alios pelliceis navigiis, ad deridendum Salvidieni commentum. Aucto deinde navium numero, quum mare vicinum haud dubie haberet in potestate, majores etiam spiritus sumpsit, *Neptuni se filium* ferens, quod & ipse valeret classibus, & progenitus esset eo, qui olim totius maris imperium tenuisset. Interim Cæsar classe Brundisium advectus, cum Antonio agitabat, quemadmodum transportarent copias, ne à Murco exciperentur, in vicina insula, cum navibus centum, ad hoc ipsum excubante. Sextus Bithynicum interimit. Dio. Liv. Epit. App. Polyæn. Stratagem. 8. 24. 7.

VI. Tandem Cæsar ornatis, instructisque tanquam ad prœlium navibus, petere insulam cœpit. At Murcus, ne dimicare locis angustis cogeretur, ubi hinc Cæsare, inde Antonio circumeuntibus, includi posset; dimissa priori statione, in apertum mare evectus est. interea Cæsar occupavit insulam; & quia nullus in propinquo portus erat, quem tenere Murcus posset, in Thesprotidem coëgit transmittere. At ille sic quoq; observabat onerarias, quibus milites in Macedoniam trajiciebantur: quamquam deducerentur à Cæsaris triremibus. Sed adeo favens illis, ventus fuit, ut præsidio nihil egere viderentur. Cæterum neq; postea quum & vacæ reverterentur Brundisium, & iterum repletæ alias copias transveherent, Cæsar & Antonius in Græcia transigere dicuntur. Appian. Polyæn. Vell. 2. 79. 1. Liv. Epit.

Malus genius Bruto apparet.

deprehendere eas in curſu, licet expertus omnia, potuit: donec univerſus exercitus cum Cæſare & Antonio in Græciam tranſgrederetur. Murcus tamen, licet iratam ſibi Fortunam putaret, in ea ſtatione perſtitit, ſperans fore, ut ſaltem commeatus, & ſupplementa hoſtium interciperet.

Juliani trans Philippos ponunt caſtra. Dio. Appian. Plutarch. Brut c. 54. Dio.

VII. Hæc agenti miſſu Caſſii Cn. Domitius Ahenobarbus, cum quinquaginta navibus unaque legione & ſagittariis ſupervenit: magnopere enim referre Italiæ commeatus intercludi, quod hoſtibus aliunde arctam frumentationem fore exiſtimabant. Dum hoc modo circa prohibendum expediendumque trajectum ab his deſudatur; Norbanus & Saxa cum ſuis legionibus omni Macedonia verſus Thraciam, ſpatio mille quingentorum ſtadiorum, ad Pangæum uſque montem emenſo, trans Philippos poſuerunt caſtra, in Turpilorum & Sapæorum angustiis, quod unum tritum eſt iter in Europam ex Aſia tranſeuntibus. Symbolum is locus vocabatur, quod ibi montes duo magni, arcto utrimque relicto tranſitu, committuntur. Interius in campo montibus circumdato Philippi jacent: ad mare Neapolis obverſa Thaſo inſulæ, nunc quoque nomen antiquum retinenti, quæ perperam apud Ptolemæum *Thalaſſia* ſcribitur.

Horribile viſum objectũ Bruto. Ortelii Thaſaurus Geogr. Plut. Brut. cap. 52. Appian. Ælian. Hiſt. anim. l. 46. 2. Flor. 4. 7 8.

VIII. Hic primus oppoſitus eſt obex Caſſio & Bruto, Seſtum Abydeno freto (*Dardanellos* hodie vocant) transjectis. Quo tempore memorant horribile viſum objectum Bruto fuiſſe. Forte vir ſomni parciſſimus, & præſentia volvens animo multam in noctem lucubrabat; quum fores crepuere. Reſpexit ille, nam ſub tertiam vigiliam à centurionibus & tribunis adiri conſueverat, quum adſiſtere ſibi ſpectrum ingenti & horribili ſpecie vidit. ſuſtinuitque rogare, *quis eſſet, aut qua cauſa veniſſet?* Reſponſum eſt, *malum ejus genium eſſe, videndum iterum Philippis*, cui ille imperterritus, *videbo*, inquit.

Rhaſci & Rhaſcupolidis prudentia.

IX. At Caſſius Epicureæ ſententiæ lectator, cui prima luce profectus ad eum Brutus rem expoſuerat, *curis atque cogitationibus* id totum imputavit, *quibus agitatus animus ejuſmodi ſibi miracula ipſe vehementi imaginatione figurarat.* Igitur hac abjecta & ſepoſita ſolicitudine, de ratione itineris, quod præ manu erat, agitari cœptum. Duo his temporibus Thracum Sapæorum erant Reguli, Rhaſcus & Rhaſcupolis fratres, qui callido conſilio, ut alter ex eventu ſalutem alteri à victore impetraret, conjunctis animis, vires diviſerant, cum ternis equitum millibus, hic ad Brutum, ille ad Antonium applicatus. Quum igitur his notiſſima regio eſſet, in qua caſtra metati Juliani fuerant, interrogatus à Caſſio Rhaſcupolis, *breviſſimam* ait *publicamque viam per Ænum & Maroneam ad Sapæorum fauces ducere: ſed has ab hoſtibus ante captas tranſiri nulla vi nulloq; ingenio poſſe. Quod ſi quis circumducere tentet, triplo longius iter, multiſque difficultatibus impeditum fore.*

Copiæ Caſſii & Bruti.

X. At Imperatores commeatuum potius cauſſa veniſſe Julianos in Thraciam rati, quàm prohibendi acceſſus conſilio, propiorem viam delegerunt: & præter Lyſimachiam, ad Melanem ſinum progreſſi ſunt. Ibi delectu acto repererunt legiones ſemiplenas undeviginti, quarum octo Bruti erant, reliquæ Caſſii, cum duabus legionibus, quæ ſupplementi vice recens acceſſerant, gravioris armaturæ millia circiter octoginta. Equitum Gallorum Luſitanorumque millia quatuor Brutus habebat, cum duobus millibus è Thracia & Illyrico atque è Theſſalia collectis. Apud Caſſium Gallorum Hiſpanorumque duo millia erant; præterea

qua-

Oratio Caſſii ad milites.

quatuor Arabum, Medorumque & Parthorum ex equis mittentium ſagittas.

XI. Ab hęc ſocii Reges & Galatici Tetrarchę, magnam vim peditum, & millia equitum quinque conjunxerant. quibus poſtremo acceſſit Rhaſcupolis equitatus, tria millia. His viribus ſupremo decertarunt prœlio, quum cœteras copias ad alios uſus reliquiſſent. Luſtrato hoc exercitu, donativa, quibus ex promiſſo debebantur, ſtudioſe repręſentata ſunt. curatum enim fuerat, ne deeſſet pecunia: quia robur copiarum ex veteranis erat, qui ſub Cęſare fecerant ſtipendia, & ne conſpecto, qui idem nomen ferret, juvene, iterum amare partes iſtas mallent, timebatur. Ergo neque intempeſtivum credebatur, alloquio firmare animos; effectoque tribunali, ubi duo Imperatores cum ſolis Senatoribus adſiſterent, vocata eſt concio: progreſſuſque è medio cęterorum C. Caſſius, cujus ętati Brutus concedebat, in hanc fere ſententiam verba fecit.

His donativa ſtudioſe repræſentata.

XII. *Nihil amplius à diis immortalibus petere poteramus, quàm quod abunde nobis præſtiterunt, Commilitones, fidem inter nos, & optimæ ſpei communionem. Nam ut confidere invicem debeamus, ſocietas periculorum cogit; ut velimus, exſoluta diligenter promiſſa efficient: quando vos operam, quam eratis polliciti, nos præmia præſtitimus, quæ fides & in poſterum omni nos cura invicem liberabit. Spes autem utrorumque felicem belli eventum ſibi tam ex virtute militum, quàm ducum vindicat: quos tales & tantos viros, Senatorii omnes ordinis, mecum in hoc ſuggeſtu ſtantes, eademque vobis omnia meis verbis adſerentes videtis. De apparatu vero loqui ſupervacaneum puto, quis enim veſtrum eſt neſcius, frumenti, armorum, pecuniæ quanta parata ſit copia, quanta vero navium, quanta auxiliorum ex tot nationibus atque Regnis. Ecquibus enim verbis excitari poterunt animi, quos neque apparatum, neque ſpei communis magnitudo inflammaverit ad alacritatem & concordiæ ſtudium?*

Caſſii oratio ad milites.

XIII. *Quibus rebus ſi deorum acceſſerit favor, quos equidem bonæ cauſæ merito adeſſe credimus, quid eſt quod timeri à quoquam debeat? Nam ab hoſtibus objecta quomodo ſe habeant, noviſtis ipſi; eoque promptiorem nobis obtulſtis operam, navaſtiſque. ſed tamen referre videtur, nunc etiam vobis explicari, quàm adverſus injuſta arma, & iniqua inimicorum odia dimicemus. Cæſarem à nobis occiſum ajunt, neque negabimus factum, quo jure merito & poſſumus, & debemus gloriari. Nec enim ſimultates cum eo geſſimus, neque nobis ejus vita noceebat: qui militiæ domique honoratum apud eum locum tenuimus: ſed ille gravis libertati, gravis Reipublicæ ineubabat; per quem factum erat, ut jam leges omnes conculcarentur, neque Senatui quidquam, neque populo juris in civitate relinqueretur.*

Juſtitiam cauſæ ſuæ prædicat.

XIV. *Patriæ igitur ultioni commodavimus manus, non ignari, ſic à majoribus nobis traditam eſſe libertatem, ut retinentibus hoc proprium & perpetuum bonum eſſet, prodentes & noſtra ſtultitia, & conceptæ jurejurando diræ punirent. hæc igitur mala, has imprecationes, noſtro periculo, publico commodo à cervicibus Urbis depulimus; regnare Romæ ne amicum quidem, & in nos liberalem virum paſſi: poſtquam ille patriæ, à qua tanta acceperat, charitatem exuere non eſt veritus. Fortaſſis autem veſtra quoque mens aliquando bis in rebus caligavit, fulgore præſtricta bellicorum operum, quæ vir ille quum ſibi præſtaret, patriæ imputabat. at nunc certe fieri non poteſt, quin veritas ſe vobis patefaciat ex ſi miſſi-*

Qui patriæ liberandæ animo quamvis amicum occiderint.

mis argumentis, quæ vel ab his rebus, in quibus vobis & certa notitia, & plurimum juris eſſe oportet, ſuppeditantur.

Veterem Reip. ſtatum juſque populi commemorat.

XV. *Vos in bello non aliis paretis ducibus, quam quos aliquando dignos eo loco judicaſtis. nec enim ſalva Republica iter ad imperia niſi per honores fuit, qui veſtris ſuffragiis conferebantur. Vos Conſules creabatis, vos Prætores: cæterorum quoque comitia magiſtratuum in veſtra manu erant. Iidem & judicia legum agebatis, ut noſtri ordinis viri magis colere populum cogerentur, in cujus poteſtate præmia pœnaſque recte aut ſecus factorum eſſe ſciebant. Et donec ea ratio Senatui populoque conſtitit, ut nobiles virtute ad honores niterentur, vos optimo cuique debita præmia lubenter tribueretis; non modo floruit gloria & opibus, ſed etiam crevit Reſpublica.*

Quem Cæſar ſuſtulerit.

XVI. *Interceſſit deinde viri unius temeritas, in ſe tradentis omnia, veſtrumque jus uſurpantis, ut nemini jam magiſtratus, niſi ex voluntate atque etiam lubidine Cæſaris darentur. Igitur neque virtuti cujuſquam reddere mercedem, ſicut antea potuiſtis; neque ſi quis honorem ullum abſtulit; vobis eo nomine, ſed Cæſari debuit gratiam. Ne Tribunos quidem, proprium plebis magiſtratum, aut creare potuiſtis ipſi, aut defendere: quos ideo, quia Romanis intolerabile nomen Regis uſurpari vetabant, per ſummam contumeliam ſpoliari ſacroſanctæ poteſtatis inſignibus vidiſtis. Nec ferre hæc Senatus, veſtram pariter ſuamque vicem gemens, nec emendare, niſi ſublato tyranno poterat. Non enim erat legibus locus, contra armatum, totque habentem in manu, quas abduxerat à Republica, legiones. Occiſus igitur eſt paucorum gladiis, omnium voluntate, conſenſu, applauſu: res enim ea erat, quæ nemini bono non probaretur. Inde ſtatim & de præmiis tyrannicidarum agi cœptum: adeo de impunitate non ambigebatur.*

Eoque percuſſores ejus pro bonis viris ab Senatu eſſe habitos. Tacit. 4. 3415. Appian. lib. 2. Civil.

XVII. *Sed præmiorum quoque omitti mentionem placuit, concordiæ cauſſa, mortuoque remitti ignominiam, præteritorum oblivione ſancita; diſerteque adjuncto, ne de nece Cæſaris quæratur. Sed & poſtea, quum Antonii ſeditioſis concionibus exaſperata contra nos pars plebis videretur; ampliſſimas nobis provincias Senatus cum imperio, tamquam bonis viris, & amantibus patriæ, non certe tamquam parricidis & latronibus, quæ nunc vocabula imponuntur, dedit. Eademque deinceps Senatui ſententia, donec libertas atque incolumitas manſit. Nam quæ ſit ejus hodie fortuna, quis ſine lachrumis commemoret? Ut cuique plurimum virtutis atq; integritatis ineſt, ita cupidiſſime proſcribuntur, ſpoliantur honoribus, patrimonio, vita. occidumtur in domibus, in viis, in templis, in Foro, in Curia: & quo nihil poteſt eſſe triſtius, è latebris eruuntur, à libertis, à liberis, ab uxoribus proditi.*

Scelera Triumvirorum produci.

XVIII. *Tanta nimirum vis ſcelerum edictis horum Triumvirorum ineſt, ut his non modo ſtatus civitatis, ſed etiam mores publici, & fas gentium, & naturæ jura convellantur. Urbem Romam à Gallis eſſe captam, vetus memoria prodidit, fera gente & aſpera, quis neget? ſed tam crudele perpetratum ab his nihil eſt, quod cum præſentibus collatum, non poſſit mera miſericordia & manſuetudo videri. Tarquinium ita odimus, ut inde Regem appellari maledictum habeatur longe quidem acerbiſſimum. Sed quid tale deſignavit*

Diverſus utriuſque partis ſtatus demonſtratur.

Tarquinius, quem ne ob ſuum quidem, ſed filii delictum expulerunt majores noſtri, ſimul in perpetuum ſublata Regum poteſtate & nomine. Hi igitur tres, non Tarquinii, ſed omnia triſtia nomina ſceleribus & crudelitate tranſgreſſi, nos impios vocant, etiam in eo facinore, quod unum nobis objiciunt, improbe mendaces.

Non modo percuſſoribus Cæſaris infeſtorum, ſed omnibus bonis.

XIX. *Propter Cæſaris cædem proſcriptos ferunt: hoc ſi verum eſt, cur igitur facti ejus exſortes, conſilii ignaros, etiam quum hæc omnia gererentur, abſentes aliquos proſcripſerunt? Neque vero hoc obſcurum eſt, & coram adeſſe quoſdam cernitis, quibus Cæſarianæ necis crimen impingi nullo pacto potuit; ſed illos manifeſto virtus ſua, aut nobilitas, aut etiam divitiæ proſcripſerunt. Quid vero Sex. Pompejus meruit, quod proſcriptus eſt? an & ille interfecit Cæſarem, qui toto illo tempore, quo non patratum modo, ſed etiam ſuſceptum & cogitatum eſt nobiliſſimum facinus, in Hiſpania fuit. Scilicet tollendi erant, non qui occiderant Cæſarem modo, ſed qui eo animo, his majoribus eſſent, ut timendi Cæſaris dominationem cupientibus viderentur.*

Illos tamen egere pecunia, ſe abundare.

XX. *Quid vero mulieres, quarum proſcripta bona ſunt, an & illæ occiderunt Cæſarem? Quid autem populus? qui ad profitendum patrimonii vires, & pendendum quidquid inde Tribus viris collubitum eſt, adigitur? Hæc enim nunc populi libertas eſt Romæ: nec illo tamen etiam, tam atroci & impio vaframento, cogi pecunia poteſt, quæ militum donativo ſufficiat. In quo ipſo magna & conſpicua vis divini numinis ineſt: ut qui omnia improbiſſime crudeliſſimeque fecerunt pecuniæ cauſſa, egeant; nos, quibus omnibus in rebus juſtitia & liberalitas propoſitæ fuerunt, abundemus. Nam & promiſſa vobis exſolvimus, Commilitones, & unde promittamus amplius, in manu noſtra eſt: ſed & eo expenſo, jam ſequentia in tempora proviſum. Cæterum ut ex hoc favore deorum æqua vobis numina poteſtatis interpretari, ita ex optimi cujuſque judicio perſpicitis cauſſæ noſtræ æquitatem.*

Clariſſimis viris ſuam cauſſam probari ſuſcipique. Ariſtot. Polit. 5. 4.

XXI. *Qua enim alia re hi ad nos, tamquam ſacram anchoram, confugerunt viri clariſſimi, perfuncti ampliſſimis honoribus, quos in magiſtratibus, in imperiis, toties vidiſtis? quam quia adverſus paucorum vim & improbitatem nullum in oppreſſa Republica præſidium, at ſpem reſurgendi & illi & ſibi noſtris in armis animadverterunt. quos ut eriperemus, non ſumus contati ampliora promittere ſervaturis præmia, quam homines ſceleſtiſſimi percuſſoribus pronunciaverant. Illi igitur optimi atque præſtantiſſimi viri clariſſime perſpexerunt, nos Cæſaris quidem propter adfectatam dominationem interfectores, cæterum aliis, qui in ſe trahere cupiebant ejus poteſtatem, parcere paratos, neque nobis ipſis, ſed populo ſecundum morem majorum, & jura civitatis imperium adſerentes proſcriptione belloque peti; atque hinc quidem bonos viros civeſque, tyranni interfectores, libertatis vindices: ex adverſa vero parte ſatellites baredeſque Regios, legum morumque everſores, patriæ parricidas conſiſtere.*

Unde ſpem ſibi magnam eſſe.

XXII. *Unde nobis merito magnæ atque certæ ſpes eſſe debent, deorum hominumque conſenſu pro juſtiore cauſſa pugnantibus. Neq; vero moveamur, ſi forte ſub*

C. Cæsare stipendia aliquando fecimus. quatenus enim justum id sacramentum fuit, patriæ militavimus: reliqui temporis memoria dolorem potius atque iram accendere nostris in animis debet, quod cuiquam servivimus: eoque nobis nunc agendum est fortius, ut tristissimorum temporum non modo infelicitatem, quæ ab his reducitur, sed etiam metum avertamus, tollamus exemplum, recordationem quoque si fieri possit, aboleamus. Et respicite quanto sit fors vestra optabilior. sub Bruto quidem & Cassio Imperatoribus, sed Romani populi exercitus estis: nec pro dominatione nostra, sed pro majestate Imperii, pro salute Urbis & Italiæ, pro legibus, pro libertate vestra depugnatis.

Vires suas jactat. XXIII. *Nobis equidem si per inimicos liceret, omnis mora longa esset, donec, non dicam, poneremus arma, sed abjiceremus. sed quando neque volunt isti, neque jam præsumere, sceleribus, impietate, suo arbitrio, & velut mente emori possunt; quod unum relinquitur, ad recuperandam patriam, tristissimaque servitute liberandam eamus. Eamus,* universa concio resonuit, paratis omnibus statim sequi quo ducerentur. qua alacritate lætus Imperator, iterum indici jusso silentio; *Dii,* inquit *justorum piorumque bellorum præsides, pro hac fide studiisque vestris gratiam vobis referant, commilitones: quod autem humana cura præparari potuit, ut rebus omnibus instructiores essemus hostibus, hinc cognoscite.*

Et omnis generis apparatum. XXIV. *Quum multis locis legiones habeamus dispositas, parem tamen ac hostes habeant, numerum adducimus: equitatu & classe longe vincimus, atque Regum ac nationum ad Medos usque & Parthos auxiliis. Præterea tantum è fronte habemus hostem: illis terga quoque intuta sunt, Sexto obtinente Siciliam, Murco ac Domitio Adriaticum claudentibus mare. Quid jam de pecuniis, quas bellorum appellari nervos audistis, loquar? Quas illi quidem semper quærunt sceleribus, semper effundunt flagitiis: & in media rapina egeni, neque proscriptione locupletissimi cujusque, neque subhastationibus, neque tributis, aut ullo denique crudelis avaritiæ ingenio replentur. At nos diu ante honestis probisque rationibus providimus, ut & nunc suppetant omnia largiter, & in posterum minime sint defutura. Commeatus insuper nullo negotio ex provinciis & insulis, quotquot Thraciam & Euphratem interjacent, navibus subvehetur. illis ex Macedonia non fertilissima frugum petendi erunt, & è Thessaliæ feracibus quidem, sed exiguis arvis: præterea terrestri itinere erunt supportandi, quam scitis esse rem longe maximi laboris & moræ.*

Cassii & Bruti milites donativum accipiunt. XXV. *Nam si quid ex Italia, aut Africa volent exspectare, Pompejus & cum Ænobarbo Murcus vetabunt. Inde fiet, ut illi necessariarum rerum inopia, facere interdum, quod nolint, cogantur; nobis ex commodo nostro aut maturare, aut trahere bellum in promptu sit. Ite igitur alacres; ite spe bona pleni, nam præterea quæ jam accepistis, & olim victoria caussa promissa cum fide exsolvemus, & quo minus vos pœniteat optimæ voluntatis, præsentes in militem donarios centum quinquaginta, in centuriones quintuplum, & in tribunos proportione dividemus.* Quum ad hæc multis Imperatorum laudibus & testificatione studiorum perstreperent ordines, statim positæ mensæ sunt, donativumque distributum, & fortissimo cuique prætextu quæsito super addita

Iter Caſſianorum anceps per Thraciam.

munera: hoc ſervato ordine, ut ſimul atque acceperiſſent aliqui, Doriſcum præmitterentur, quem ad locum poſtremo Imperatores ipſi cum modico comitatu ſe contulerunt.

XXVI. In hoc itinere rem accidiſſe memorabilem ferunt, magnaque omnium alacritate celebratam: Quum primarum legionum ſigna efferrentur caſtris, duæ aquilæ ex alto demiſſæ, totidem argenteas aquilas inſederunt, protegentes alis, & volatu ſequentes agmen. permanſeruntque multos dies, juſſu Imperatorum publice altæ. Bidui deinde itinere ſinu Melane circumito, Ænum, atque inde Doriſcum pervenerunt, locum à Xerxe, qui copias ibi ſuas agminatim recenſuit, nobilem: inde ſecundum litus ad Serrheum uſque promontorium progreſſi, deflexerunt in mediterranea, obiter domitis, qui forte priore Bruti expeditione intacti evaſerant.

Aquilæ proſequuntur agmen Bruti & Caſſii. Plutarch. Brut c. 54. App lib. 4. Civil. Velleius. 2. 69. 6.

XXVII. Neque vero quiſquam abnuebat parere potentibus & leniſſimis viris, quum etiam Caſſius naturam ſuam ita coërceret, ut vel Bruti clementiam vincere videretur. Inter hæc oram legere Tullius Cimber cum claſſe, quæ legionem unam atque ſagittarios vehebat, juſſus appellebat frequenter, & caſtris idonea loca deſignabat, tanquam cum Caſſio & Bruto moles belli tota ſequeretur. Nec prohiberi à Julianis poterat. quippe magna pars litoris, quamquam fertili humo prædita, propter præternavigantium injurias, jam ab antiquiſſimis temporibus deſerta fuerat. deinde Chalcidenſium frequentata coloniis, quum agricultura & commerciis plurimum efflorueriſſet, exciſa per Philippum Olyncho, ita redierat ad priſtinam vaſtitatem, ut vix ſanorum adhuc veſtigia conſpicerentur. Igitur Norbanus, qui Sapæorum fauces inſederat, jam ad mare Thracium pervemiſſe hoſtem videns, Saxam à Turpilis excitavit propere, ut junctis viribus hoſtium conatui reſiſterent.

Tullius Cimber Julianos ſuſpenſos habet Appian. Plutarch.

XXVIII. Ita Brutus felici ſtratagemate uſus, relictas diſceſſu Saxæ anguſtias intravit. Sed nihilominus oceluſum erat iter, Julianis ducibus Sapæorum montes tanto aerius cuſtodientibus, quanto ſpes extremæ majori cura retinentur. Jamque ſubibat Caſſianos pœnitentia, quod non à principio longiorem viam delegiſſent; neque multum aberat, quin relegerent veſtigia ſua, quamquam ſua & anni tempora tantam moram non paterentur. Sed iterum peritus locorum Rhaſcupolis remedium rebus deſperatis attulit, *montana Sapæorum triduo circumiri poſſe* docens, *inviis quidem ob aſperitatem & aquarum inopiam locis, ſed ſuperabilibus; dummodo portare aquam & viam munire non pigeat. laboris enim alicujus tantummodo, periculi quidem nullius negotium fore. ſuperventuroſque nec opinantibus, quando propter denſitatem arborum evadere poſſint vix avibus conſpiciendi. quarta die perventuros ad fluvium, Arpeſſum nomine, qui in Hebrum incidit, inde unius diei iter reſtare Philippos.*

Rhaſcupolidis conſilium. Dio. 47. 5. 19. App.

XXIX. Placuit hæc ſententia, non modo longioris moræ tædio, ſed etiam ſpe grandis utilitatis, ſi tantas hoſtium copias occupare improviſi potuiſſent. Rhaſcupolidi L. Bibulus adjungitur, Bruti privignus, qui rerum harum commentarium edidit: datiſque munitoribus, & præſidio armatorum, præmittuntur. Et tribus quidem continuis diebus, quamquam maximum inter laborem, ſtrenue pergebatur, accenſa militum alacritate, quod præmiſſi quidam, *ſe fluvium ex prælta ſpecula vidiſſe* renunciabant. Sed quarto die, quum & aqua

Iter laboriоſum. Plut. Brut. cap. 38. App.

deficeret, & fluvius necdum appareret, proditionem rati, Rhaſcupolidem obequitantem hortantemque convitiis & ſaxis petere cœperunt, ſortem ſuam mœſtis vocibus miſerantes.

Rhaſci ſolertia. Plut. Brut. c 54 Dio. 47. 6. Straboni Excerpta lib. 7. Suidas. Diodor. 16. 8.

XXX. At Bibulo rogante, *durarent potius, & bonis cum ominibus quod ſupereſſet laboris peragerent*, receperunt animos, & circa veſperam diei primum agmen ad amnen pervenit, ſtatimque præ gaudio ſuſtulit clamorem, qui exceptus à proximis tranſditusque, univerſas quæ aderant copias momento percucurrit. Brutus etiam atque Caſſius, re cognita, per munitam ante viam cito agmine inceſſerunt. nec tamen opprimere Julianos datum: quos eodem periculo, quo Thracis unius aſtu irretiti erant, alterius ſolertia explicavit. Rhaſcus frater Rhaſcupolidis ex inſolito clamore, id quod erat ſuſpicatus, exploratum iit. miratuſque ſalrum vix feris pervium ſigna militaria perrupiſſe, rem omnem Norbano indicavit. ille, quum nihil factum eſſet propius, quàm ut opprimeretur, per ſilentium noctis ſe recipere Amphipolim inſtituit. Brutus Caſſiuſque Philippos profecti ſunt: eodemque & Cimber Tullius, & omnes aliæ copiæ, quas ab exercitu variæ occupationes abſtraxerant, convenerunt. Et quo melius noſcatur locus, ubi Romana libertas ad extremum eliſa eſt, Philippos vetus ætas *Datum* appellavit, felix agro, felix auri metallis oppidum, & eapropter proverbio celebratum. idem à multitudine fontium *Crenides* vocabatur: quum à Philippo Amyntæ filio frequentatum habitatoribus, ab hoc tanquam novo conditore recens nomen accepit.

Philipporum in Thracia ſitus. Stephan. App. Lipſius ad Vell. 7. 70. Dio. 47. 5. 20.

XXXI. Siti ſunt in colle Philippi, totumque id ſpacium, quod in ſummo panditur, occupant, præruptis circa atque inacceſſis omnibus. A Septentrione ſaltus adjacent, per quos Caſſianos Rhaſcupolis duxit: à meridie palus, deinde mare præcingit. Verſus Orientem Sapæorum Turpilorumque anguſtiæ claudunt: at Occidentale latus patentes campos proſpicit, qui ad Murcinum Drabiſcumque, & fluvium Strymona, per quatuor & quadraginta millia paſſuum declivi planicie funduntur, amœnitate & fertilitate tam inſignes, ut fecerint fabulis locum. Nam & huic regioni raptus adſcribitur Proſerpinæ, trahiturque in argumentum Zygactes amnis, inde ſcilicet adeptus nomen, quod in trajectu ejus jugo diſrupto fractus raptoris currus fuerit. Hi ſunt Philippi ubi M. Brutus atque C. Caſſius victi ſunt. longiſſimo diremti intervallo à Philippis Theſſaliæ, quos cum his Thracicis Scriptores quidam mira ſecuritate confuderunt. Prope eoſdem Philippos alius quoque tumulus eſt, à Libero patre appellatus, in quo ſunt aurariæ fodinæ, *Aſyla* vocantur. Sed ad paſſuum ferme duo millia ducentos à Philippis procedenti, duo alii colles occurrunt, invicem mille paſſibus diſcreti, ubi caſtra diverſi poſuerunt, Caſſius in meridiem, Brutus in Septentriones ſpectantem tumulum vallo occupantes.

Caſſianis perquam opportunus. Dio. Plut. Brut. c 54 App. Joſeph. antiq. 14. 22. Dio.

XXXII. Nec ultra cedentem cum Julianis Norbanum inſequuti, Antonium locis opportuniſſimis operiri conſtituerunt. Namque Cæſare valetudinis cauſſa Dyrrachii relicto, mira celeritate advolare Antonius dicebatur: nec optari ſitus commodior Caſſianis poterat. ſive enim prœlio cuperent congredi, patentes campi ſuberant: ſive caſtris ſe tenere, locis munitionibuſque defendebantur. Colles ipſi difficiles adſcenſu erant: & ab altero latere paludibus, ab altero imperviis inacceſſilque ſaucibus cingebantur. Medium inter utroſque ſpatium neceſſario

tranſeundum erat Aſiam ex Europa petentibus: quod propter exiguitatem claudi velut porta quadam poterat. Nec omiſerunt Caſſiani, ſed tranſverſum murum foſſamque ducentes à vallo ad vallum, relictis in medio portis, ita conjunxerant caſtra, ut communibus munimentis defenſa pro iiſdem eſſent; & tamen ad continendos facilius in officio milites, modico ſpatio disjungerentur. Suberat amnis Ganga ſive Gangites, qui in Strymonem influit; & à tergo mare, magnam ad omnia utilitatem conferens. Nam & Thaſus eis erat pro horreo, ad undecim millia paſſuum diſtans inſula, & octavum intra milliare Neapolis ſecuram ſtationem navibus exhibebat.

XXXIII. Antonius interea feſtinanter ducto exercitu, ne Amphipolis ſibi præriperetur, ut hanc à Norbano retentam atque etiam communitam vidit, magnopere gaviſus impedimenta ibi depoſuit, Pinario cum una legione relicto ad cuſtodiam. Ipſe magna audacia progreſſus, prius ferme quàm adeſſe crederetur, caſtra planis locis poſuit, uno tantum milliari diſeretus. Tum vero apparuit, quanto potiora omnia & commodiora Caſſianis eſſent. caſtra habebant ſuperioribus locis, Antonius in plano: ex montibus ſuppetebant illis ligna, huic petenda ex paluſtribus locis erant: illis fluvius præbebat aquationem, hic puteos curabat effodiendos. illis à propinqua Thaſo ſubvehebatur commeatus, huic arceſſendus erat Amphipoli. Cæterum nihil erat in præſentia melius, quam opportuna loca hoſtes præcepiſſent, colles alii nulli ſupereſſent, reliqua planicies depreſſior exundante nonnumquam fluvio ſtagnaret. Audaciam tamen interpretati Brutus atque Caſſius, quod potius neceſſitas fuerat, caſtella plurima exciterunt, valloque & foſſa & muris circumdederunt. Caſſius etiam eo ſpatio, quod à caſtris ad lacum pertinebat, propter anguſtias neglectum prius, murum oppoſuit; ut jam latera tantum quæ à Meridie lacu, & lacum excipiente mari, ad oceaſum aſperis rupibus tegebantur, muro carerent: media loca quaquaverſum diligentiſſime permunira conſpicerentur. Antonio vehementer incommodus. Plutarch. Appian.

XXXIV. Interea parvis certaminibus, equitum præcipue, vires invicem experiebantur. Sed ubi Antonius frumentatoribus hoſtium inſidiatus, offendit: Caſſiani ferociores evaſerunt. Sed ſuis partibus continuo animum reddidit, decimo poſt Antonium die advectus Cæſar. quippe veritus utrumque caſum, ne aut vinceretur ſe abſente Antonius, aut vinceret; quamquam adhuc parum firma valetudine, feſtinaverat. Deductus igitur in aciem exercitus eſt, animatus præſentia circumvehentis lectica ordines, hortantiſque. Contra Brutus & ipſe inſtruxit ſuos, ſed degredi in æquum noluit, prœlium vitare cupiens, quod ſperabat inopia debellari hoſtes poſſe. Nam neque frumentum ex Ægypto coëmi poterat, quæ tum ipſa laborabat fame: neque ex Hiſpania aut Africa ſubvehi Pompejus; nec ex Italia Mureus cum Ænobarbo ſinebant; ſolæ reſtabant Macedonia & Theſſalia, non in longum ſuffecturæ tantis exercitibus. Itaque Juliani quoque reduxerunt copias; & quia diverſis caſtris divelli intutum tam vicino hoſte judicabant, tres exercitus in unis ſimul habuerunt. Sub idem tempus in Africa quoque civili bello Romana arma concurrerunt. Civile bellum in Africa. Dio 47. 5. 25. Plutarch. Dio. Appian. Liv. Epitom. Cic. Famil. 12. ep. 4.

XXXV. T. Seſtius Numidiam obtinens, *decedere Q. Cornificium vetere provincia* juſſerat, *ex diviſione Triumvirorum omnem Africam Cæſari deberi* dictitans. contra *Senatus auctoritatē* Cornificius obtendere, & erat exercitu inſtructior. T. Seſtii contra Q. Cornificium. Appian. Dio.

Comparant ſe partes ad prœlium.

Injuria tamen à Seſtio cœpit: qui contatione adverſariorum excitatus, Adrumetum & alias nonnullas urbes ſubita irruptione occupavit. Idem inſomnio prodigioque factus erat animoſior. nam per quietem erat imaginatus audire taurum humana voce indicantem, corpus ſuum in oppido Tuca defoſſum eſſe: inde caput avulſum, ſi pertica circumferat Seſtius, victoriæ compotem fore. eſtque repertum loco ſignificato cadaver. Sed & bovem loquutam tradunt, inſiſtere jubentem propoſito. Cæterum his præſagiis, & ſucceſſu rerum fidentem, Ventidius Cornificii Quæſtor inopinato adortus fudit, magnaque parte exercitus amiſſa, recipere ſe in Numidiam coëgit.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXXIV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

C. CÆSAR & Antonius apud Philippos vario eventu contra Brutum pugnaverunt; Ita ut dextra utriuſque cornua vincerent, & caſtra quoque utrimque ab iis, qui vicerant, expugnarentur. Sed inæqualem fortunam partium mors Caſſii fecit: qui quum in eo cornu fuiſſet, quod pulſum erat, totum exercitum fuſum ratus, mortem ſibi conſcivit. Altero deinde prœlio victus M. Brutus, & ipſe vitam finivit: exorato Stratone fugæ comite, ut ſibi gladium adigeret, Romanorum principum circiter quadraginta idem fecerunt, inter quos Q. Hortenſius occiſus eſt.

Partium ad Philippos conſilia. Plutarchi Dio.

DUM hæc in Africa minores inter duces ultro citroque fiunt, ad Philippos, ubi de ſumma rerum certabatur, paulatim ad univerſi prœlii aleam acceſſum eſt. Neque enim deſinebat Cæſar ac Antonius provocare hoſtem, fidentes viribus, & non de commeatu tantum ſoliciti; ſed etiam ne per abſentiam ſuam Pompejus Italia receepta in Macedoniam tranſiret. Contra Caſſius ac Brutus, utriſque in partibus cives ſtare cogitando, parcere his pro inſtituti ſui humanitate cupiebant, & ſine ſanguine victoriam conſequi. nec enim exercitui ſuo diffidebant, qui minor quidem erat hoſtili, ſed egregie perarmatus, auroque & argento plurimo nitens. Quippe Brutus & ipſe amator, & ducibus ſuis auctor frugalitatis in cæteris rebus, hac elegantia & pretio militum acui animos rebatur, ut non tanquam arma, ſed etiam opes ſuas, diligentius tuerentur. Et ſane non deerat his copiis alacritas; ſed & ideo quia plerique ex provinciis lecti milites erant, pugnare cupiebant, quo citius domos remitterentur: & hoſtes

adeo

Omina, & prodigia ante Philipp. pugnam.

adeo contemnere cœperant, ut ſufflaminari impetus eorum ultra nequiret. Quippe tum timiditatem, tum etiam inopiam Julianorum clariſſimis indiciis deprehendiſſe videbantur; quod illi copias intra vallum luſtraverant, & militibus ad ſacrificium paululum frumenti, cum denariis quinis diviſerant.

II. At Caſſius & Brutus ut ſordes hoſtium traducerent, luſtratione exercitus in patentibus campis, inſtituta, victimarum uberem copiam per manipulos, & denarios viritim quinquaginta diſtribuerant. *Eo tempore ſævum omen oblatum Caſſio* ferunt, nam inter luſtrandum lictor perverſis faſcibus lauream impoſuit. Alia quoque circum illa tempora ſunt adnotata multa prodigia. Puer in pompa Victoriæ cultu adornatus, fereulo decidit. Ferales aves & cadaveribus veſci ſolitæ, ſupra caſtra gregatim, ut alii volunt *cum horrendo ſtridore*, ut App. *triſti ſilentio* conſederunt: quum inter Julianos nullæ conſpicerentur. examina vero apum continue ſunt deprehenſa in Caſſii caſtris: idque adeo dirum oſtentum habitum, ut haruſpicis monitu, vallo interius ducto locus intercluderetur. & pridie quàm pugnatum eſt, duę quę hactenus exercitum comitatę fuerant aquilę, avolaverunt: ſequentique nocte ſpectrum idem ſe obtulit Bruto, quod trajiciens ex Aſia viderat. Sed & Romæ ſub idem tempus apparuerunt multa, ut creditum eſt, præſagia futurorum. Sol aliquando minima magnitudine, nonnumquam maxima ſe oſtendit. quin & noctu ſic effulſit, ut tanquam die orto ad opus ſurgeretur.

Omina & prodigia ante Philipp. pugnam. Iul. Obſeq. Plutarch. Florus 4. 7. 7. App. Plin. l. 11. c.

III. Monſtrum biforme, cujus anteriores partes equum, poſteriores mulum referrent, mula peperit. de cœlo pleraque tacta ſunt, & inter hæc ara Jovis Victoris. faces in cœlo viſæ: auditus clangor tubarum, & ſtrepitus armorum, & clamor exercituum, ex Cæſaris & Antonii hortis. canem æditui mortuam canis ad Cereris templum traxit, effoſſaque pedibus humo, tanquam in ſepulchro condidit. infans cum denis in utraque manu digitis natus eſt. In Mutinenſi agro Victorię Marianę ſignum meridiem ſpectans, ſua ſponte converſum in Septentrionem hora quarta. Currus Minervæ quum poſt decurſionem equitum in Capitolium reduceretur, confractus eſt. Quum hæc victimis expiarentur, ſoles tres circiter hora tertia diei viſi, mox in unum orbem contracti Latinis quum & tempore alieno, & à Præfecto Urbis, cujus ad curam ea res minime pertinebat, in Albano monte ſacrificaretur, ex humero ac pollice Jovis dextro cruor manavit. Fluvii quidam in agro Romano defecerunt, alii fluxerunt in contrarium. Ædiles plebis ludis Cereris, quos equeſtribus celebrari curſibus oportebat, gladiatores exhibuerunt.

Mula parit. Iul. Obſeq. Dio.

IV. Hæc ab hominibus habita ſunt evertendi ſtatus popularis indicia: quæ referri, quàm prætermitti tradita, ſatius puto. ne enim ad vanam ſuperſtitionem animos illiciant, non ſilentio, ſed commemoratione potius obtineas, modo quid eis de rebus teneri rectius ſit, oſtenderis. Nec enim tacendo, ut alii quoque obmuteſcant effeceris: & præſtat hæc ab his narrari, qui talibus non plus juſto tribuere didicerunt. Nam & ſic narrata cum remedio, innoxia intrant animos, & ſæpius lecta, ſi forte iterum inciderint, ipſa conſuetudine levius timentur. Sed in Cæſaris caſtris auſpicia extaque læta erant, *ipſique per quietem Cæſar pater prædixiſſe proſperam pugnam* ferebat, *admonito, ut aliquam rem adſumeret ex iis, quas Dictator ipſe geſtaviſſet.* Igitur annulum ejus induit ſtatim, eoque poſtea quoque frequenter eſt uſus. Sed & Medicus ejus Artorius imaginatus eſt, à Minerva ſibi

Cur hęc tam multa prodigia referantur. Florus 4. 7. 9. Marcellin. ad a. 28. Dio. Plin. 7. 45. 2. Oroſ. 6. 18. Plut. Brut. cap. 60. & Ant. cap. 87. Suetan. Aug. cap. 91. Caſaubon. in Suet. Cæſ. 82.

Pugnatur in campis Philippicis.

præcipi, *ut Cæſarem, licet invalidum adhuc, educeret caſtris & in acie collocaret*, eaque res non ſpreta ab adoleſcente, ſalubriter ei ceſſit, ut poſtea memorabimus. Interea Caſſius terrore prodigiorum nonnihil dejectos militum animos cernens, magis magiſque ducendi belli auctor exiſtebat.

Brutus pugnandum cenſet, & obtinet contra ſententiam Caſſii. Plut. Brut. Dio.

V. Contra qui apud Brutum erant, levibus equitum prœliis, quæ proſpere ceſſerant, elati, *niſi cito de ſumma rerum dimicaretur, alium alio abituros* minitabantur. Pars enim horum multo minima Itali erant: cæteri domos quiſque ſuas, quas in pacatis adhuc provinciis reliquerant, reſpiciebant. Erat & ipſe Brutus ad periclitandam fortunam propenſior, quo maturrime vel reſtitueret Rempublicam, vel orbem terrarum moleſtiis atque bellis levaret. Acceſſerunt transfugia nonnullorum ad hoſtes, & hinc etiam de aliis ſuſpiciones & crimina: quibus in conſilio multi amicorum, Caſſii damnata contatione, Bruti conſilium prætulerunt. At unus ex cohorte Bruti Attilius *hyemem exſpectare* cenſebat: cauſſamque rogatus, *ſi nihil*, inquit, *aliud, tanto vivam diutius*. Ea vox mirifice diſplicuit Caſſio cæteriſque: decurſumque eo eſt, ut poſterum in diem pugna ediceretur. Eam alacri Brutus animo, multa ſuper cœna pro ſapiente diſſerens exſpectabat: Caſſius ſolito triſtior, comprehenſa Meſſallæ dextra; *Te*, inquit, *Meſſalla teſtor, Magni Pompeii fato me urgeri, ut de ſalute patriæ uno prœlio decernam. Eſt tamen in Fortuna nonnihil ſpei, quæ interdum male conſulta corrigit*. ſimul invitavit Meſſallam *ad cœnam ſequentis diei*, quem celebraturus erat natalem.

Antonii opus ad prohibendos hoſtium commeatus. App. lib 4 Civil.

VI. Dum his in caſtris hæc geruntur, Antonius omnia volvens animo, ut ad prœlium eliceret hoſtes, inſanum opus moliri cœpit, munita per paludes via, ſubvectionem à Thalo commeatuum impediendi. Igitur ſtructa uti ſæpe conſueverat acie, clam inde ſubductis cohortibus, dies noctesque ſummo ſilentio urgebat inceptum. arundine detecta jaciebatur agger, & ne dilaberetur in lubrica voragine humus, utrimque includebatur macerie: ubi profundior erat palus, vallum injiciebatur, & pontes ſternebantur. neque conſpici ab hoſte munientes poterant, quippe relictis ab omni parte circa viam arundinetis protegebantur. decem diebus hoc perfectum opus eſt: inde per noctem expeditas cohortes tranſcurrere, & occupatis ulterioribus locis excitari crebra caſtella juſſit.

Caſſius & Brutus ſignum pugnandi. Plutarch. Flor 4.7.54. Appian.

VII. Sequutus eſt dies, in quem pugnare Caſſius atque Brutus conſtituerant. Idcirco prima luce puniceo ſagulo propoſito admoniti ſunt milites, & medio inter utraque ſpatio congreſſi Imperatores ſupremum ſalutarunt invicem, communiterque decreto *vincendum eſſe, aut ſi prœlium his peperciſſet, ſponte exuendam vitam*, ad ſua munia diverſi perrexerunt. At Caſſius viſo Antonii conatu, audaciam hoſtium & vafriciem ſtupens, abſcindere cohortes hoſtium à majoribus caſtris inſtituit, tranſverſim per paludes aggerem ducendo, ut interciſa via Antoniana, nec ſe recipere cohortes, nec accipere auxilia à ſuis poſſent. His animadverſis ſub meridiem Antonius eduxit aciem, & ad interrumpendum Caſſii opus, præter caſtra Bruti, ſubire ſuos obliquo curſu juſſit.

Prœlium committitur; Plutarch. Appian. Veil. 3.70 2. Plin. 7.45.2. Sueton. Aug. 13.1.

VIII. At Bruti milites, *id vero indignum eſse* conclamant, *ſi præter ora ſua tam contemptim tranſcurreret hoſtis*: non exſpectato imperio, tantum ad unius tribuni vocem prorumpitur, cæduntur Antonianorum multi: victores impetus ad alteram aciem quam Cæſar oppoſuerat, perfert. Sinistrum id hoſtium cornu erat: id quoque circumiit cum legione ſua Meſſalla, ſequentibus quæ juxta erant

Digitized by Google

collocatæ: pauciſque ejus & extremis ordinibus diſjectis, in caſtra Cæſaris penetratur. magna ibi cædes facta eorum, qui deprehenſi in caſtris erant. inter cæteros duo millia occiſa Spartanorum, qui recens domo advenerant. Ipſe Cæſar Artorii rogatu paulo ante caſtris elatus, evitavit certam perniciem, licet ſummo diſcrimine ac moleſtiæ: nam & vacua lectica ejus pilis atque jaculis tranſfoſſa eſt; & ipſe triduo in palude ægrotus, & ut Agrippa Mæcenaſque fatentur, aqua ſubter eutem fuſa turgidus latuit, donec ad Antonii cornu fuga perveniret. Interim & Brutus cum cæteris copiis perruperat Cæſaris aciem ſtratiſque tribus legionibus, & totidem aquilis captis, cum fugientibus in caſtra hoſtium inciderat.

IX. Mira eo die facies rerum fuit, quum fortuna magis omnia, quàm aut virtute aut conſilio regerentur. Itaque nec Scriptoribus ſatis inter ſe convenit: neque explicari propemodum res tota poteſt; niſi quod hinc Cæſaris exercitus, inde Caſſii cæſus fugatuſque eſt: interfectis Caſſianorum octo millibus, connumeratis & ſervis armatis, quos Brigas vocabat Brutus; & Cæſarianorum millibus ſedecim. caſtra quoque utrimque capta ſunt. quum neque Cæſar, quod certum eſt, neque, ut à multis eſt creditum, Antonius pugnæ adfuiſſent. Sed Antonianî disjecto Caſſii opere, cæſoque quod aderat præſidio, ſubmiſſas etiam auxilio copias ſtatim pepulerunt, equitibus contento curſu ad mare fugientibus. nec pedites retinori potuerunt, quamquam omnia faciente Caſſio, qui & ereptum fugienti ſignifero ſignum ante pedes humi defixerat. Interim ad caſtra ipſa contenderunt hoſtes, quotquot objectum à Caſſianis opus perruperant: eaque res animadverſa cæterorum adhuc extra caſtra pugnantium pavorem fugamque auxit. Ita Caſſius vix Prætoria cohorte retenta ſe recepit in collem Philipporum, unde proſpectus in circumjecta patebat. Ambigua victoria. Florus 4.7.10. App. Plut. Aug. c. 28 Florus. Dio lib. 47.

X. Sed magnitudo pulveris, & nox jam vicina nihil niſi capta ab hoſtibus caſtra ſinebat cerni, & advolantem equitum globum. Igitur quum nihil animo præter ſui caſus imaginem concipere poſſet, Bruto quoque victo adeſſe hoſtes putans, Titinnium evocatum miſit cognoſcendæ certius rei cauſſa. hunc læto clamore exceperunt equites; nam à Bruto veniebant, circumvectique & complexi hominem, perniciabilis erroris occaſionem Caſſio præbuerunt. Atque ille, *ergo*, inquit, *producenda hactenus vita fuit, ut amicum etiam captum videremus!* ſeceſſitque in tentorium quoddam vacuum cum liberto Pindaro, quem jam Parthicis temporibus extremæ neceſſitati miniſtrum deſtinaverat, obvolutumque lacerna caput præcidendum præbuit. Caſſi exitialis error. Florus. Appian. Plutarch. Velleius. Dio.

XI. Pindarus poſtea comparuit nuſquam: unde multis ſuſpicio ſuborta eſt, vana ut puto & futilis, injuſſu Caſſii patratam cædem eſſe. Vix deciderat Caſſio caput, quum Titinnius adfuit coronatus & nuncius victoriæ, ſed conſpecto cadavere Imperatoris, *ſequar*, inquit, *eum, quem mea occidit tarditas*, atque ita ſtricto gladio incubuit. Caſſio ad hunc modum emortualem adepto diem, quam natalem habuerat, Brutus ſupervenit; multoque cum fletu, *Romanorum ultimum* appellans, tradidit amicis, cum militibus Thaſi ſepeliendum, ne luctu molleſceret animi. Mox reliquias exercitus Caſſiani collegit, pronũciato in capita octo millium nummorum donativo. ea res laudem ipſi magnam attulit, celebreſq; militum acclamationes, *ſolum de quatuor Imperatoribus invictum victoremque* prædicandum. At hoſtium erexit animos Demetrii cujuſdam adventus, qui cum gladio pa- Brutus reliquias exercitus Caſſiani colligit. Appian. Plutarch. Tacit. 4 Hiſt. Dio.

paludamentoque Cassii, recens cæso detractis transfugerat. Igitur & hi postridie mane eduxerunt aciem; & Brutus contra instruxit suos. neutris ferium pugnandi propositum aderat, sed primi hostes recesserunt. igitur & Brutus abstinuit pugna, cõtentus adversarios obtrivisse dicto, *ergone qui nos tanquam fessos ad pugnam provocant, conferere manus timent?* Nihil inde prætermissum à Bruto curę, quo detrimentum hosti daretur. nam & nocturnam oppugnationem castrorum ausus est, & magnam eorum partem, immisso qui juxta labebatur fluvio, inundatione delevit.

Iuliianorum variæ difficultates. Plutarch. Dio. App.

XII. Sita enim humili loco erant, & continui post prœlium imbres, cæno & aqua continuo propter frigus conglaciante tentoria repleverant. Ad hęc commeatuum & pecuniæ premebantur inopia: neque militi pro rebus amissis dare quidquam præter verba poterant; & instans hyems majorem inferebat molestiæ metum; contra spem propemodum omnem auferebant deletæ à Statio copiæ, quas transire Brundisio Triumviri jusserant. Eodem enim die, quo in campis Philippicis est depugnatum, classes etiam partium in Adriatico mari concurrerunt. Duas legiones, quarum altera Martia fuit, & Prætoriam cohortem, ad duo armatorum millia, cum quatuor equitum alis, & alia insuper delecta multitudine, Domitius Calvinus onerariis navibus in Græciam transportabat. triremibus prosequentibus paucis; quum se Statius Murcus, & Domitius Ahenobarbus cum centum triginta longis navibus objecerunt. Magna ibi cædes Triumviralium copiarum facta. nam præter onerarias haud ita multas, quas longius cæteris provectas impleta vento vela eripuerant, cæteræ omnes repente cessante fluctu, impune circumvenichantur. neque defendi à triremibus poterant, longe imparibus hosti propter paucitatem.

Et prœlium inversum. Appian. Plutarch.

XIII. Unum succurrebat periclitantibus remedium, contis atque funibus jungendi naves, ne circumiri ab hostibus possent: sed emissa ab his ignita jacula dissolvere vincula cogebant, & propter metum incendii, sparsim fugere; eaque ratione rursus se præbere rostratis feriendas. *In ea desperatione veteranos* ajunt *præ nimio dolore, quod virtute potiores inulti peribant, sibi partim ante quam excitatum incendium esset, conscivisse necem; partimque insilientes in hostilia navigia, multa fecisse, qualia necessitas extrema cogit, multa passos esse.* Erat immane spectaculum, videre inter marinos fluctus emicantem è navibus flammam, & semiustulatis inhærentes carinis alios incendio corripi; alios hac peste vix evitata jactari sine armamentis, sine commeatu, donec fame sitique conficerentur. Servati tamen sic etiam sunt aliqui, tabulis aut antennis adhærentes, & ad scopulos & importuosa littora fluctibus elati. erant qui & quintam in diem tolerata fame, atque interim velis & funibus adesis, & lingenda pice sitim utcumque fallentes evaderent. Longe tamen plures, quum resistere nequirent tot malis deditionem fecerunt; in quibus triremes fuere septemdecim, quarum omnium milites ad sacramentum Statii se transtulerunt.

Caed Cassium & Antonium valde terret. Dio. App.

XIV. Calvinus, quum olim periisse ederetur, cum nave sua die quinta Brundisium reversus est. Hujus prœlii nuncii ad Cæsarem & Antonium perlatis, in magno timore versabantur. Alieno loco habebant castra, neque petere alium tuto, neque regredi in Italiam poterant: nihil præterquam in armis superarat spei: festinabantque eo decurrere, priusquam mari acceptum incommodum sui pariter hostesque cognossent. Sed ubi frustra producta acie prœlium sæpe quæsiverant,

Digitized by Google

Malus genius Bruto oblatus.

Brutuſque ſuis ſe locis tenens, arctiora eis quotidie omnia efficiebat; collem ita conjunctum Caſſii caſtris, ut tela inde adjici poſſent, noctu quatuor legionibus occuparunt, muniveruntque. inde ad paſſus ſexcentos aliis caſtris collocarunt legiones decem, & ulterius quingentorum paſſuum intervallo iterum duas: ut ita paulatim ad mare penetrarent, & ſive in litore, ſive per paludem, quomodocumque effecta via commeatus intereluderent Bruti. Brutus adverſus hæc tum alia moliebatur, tum caſtella idoneis locis frequentia opponebat. ſed non erat ultra tolerabilis apud hoſtem fames: cujus impatiens auxiliarium Germanorum manus ad Brutum perfugit.

Brutus pugnare ſtatuit. Appianus. Dio. Plutarch.

XV. Idcirco legio una in Achaiam miſſa eſt, feſtinanter ad exercitum delatura, quidquid corripi poſſet; cæteras continuo paratas ad prœlium habuerunt, quocumque tandem modo Brutum ad conſerendum manus adtracturi. Sed nihil melius ceſſit libellis, quos clam in caſtra Bruti jaculabantur, *tranſire ad* ſe jubentes *exercitum, ampliſſimis propoſitis præmis; aut ſi quid haberent virium, ſignis collatis decernere*. Nam his artibus ſolicitati Dejotari dux Amyntas, & Thraciæ Regulus Rhaſcupolis ad hoſtes tranſierunt, alii *Rhaſcupolin abiiſſe domum* tradiderunt. At Brutus hoc caſu æger, pluriumque ſuſpectans perfidiam, ad hæc militum Tribunorumque frequentibus querelis ad pugnandum incitatus, prœlium committere ſtatuit, haud dubie ducturus bellum, ſi de maritimo prœlio citius innotuiſſet. Erat enim rebus omnibus ad hanc rationem paratiſſimus: caſtra tuta, locupletia, ſalubria habebat: maria habebat in poteſtate, habebat provincias uberrimas, unde commeatuum, unde pecuniarum inexhauſta copia ſuppeditaret. Sed fato quodam in vigeſimum uſque diem de navali prœlio audierat nihil, & Clodii cujuſdam indicium contemnebat, qui capto jam pugnandi conſilio, pridie quam concurrerent acies, ad eum cum hoc nuncio tranſfugerat.

Militi quædam concedere cogitur. App. Plutarch. Dio.

XVI. Cætera quoque ita conſpirabant ad perniciem viri, ut nec evitare poſſet, nec ſaltem innocens mori. maxime ferocia militum angebatur, quorum pars multo maxima ſub Cæſare Dictatore meruerat, reditura ad partes, niſi multa his quæ nollet Brutus concederentur. Nam Antonius & Cæſar totam propemodum Italiam prædæ ſuis legionibus dabant. Igitur & ipſe duas urbes claras promiſit *diripiendas daturum Theſſalonicam & Lacedæmonem*, ob miſſa hoſtibus auxilia infeſtior. Aliud etiam crudele factum addit, captivos interficiendo, ſervos duntaxat, qui priore prœlio capti erant, ne turbas darent in caſtris, (cuſtodiri enim nequibant propter multitudinem.) Liberorum aliquammultos dimiſit ultro, *civibus apud cives conſtare jus æquum* dictitans, *hoſque potius quam in caſtris hoſtium eſſent, captivitatis, atque ſervitutis turpitudinem ſuſtinuiſſe*. Ne plures palam ablegaret, ducum atque militum efficiebat triſtitia, qui *hac impunitate animos hoſtium, & ſuum periculum augeri* querebantur.

Spectrum apparet Bruto. Dio. Appian. Plutarch. Jul. Obſequ.

XVII. Occiſi quin etiam ſunt aliqui P. Caſcæ impulſu, qui *parentari Caſſio ſuppliciis hoſtium* poſtulans, editam forte inter alias cogitationes à Bruto vocem, *quid igitur ſe rogarent, neque facerent ipſi quod videretur?* pro juſſu Imperatoris acceperat. tanto pronius, quod *in diverſis caſtris ſuorum etiam pleroſque interfici* audiverat. Ferunt *ea quoque nocte quæ prœlium antecеſſit, ſpectrum quod transjiciens ex Aſia viderat obverſatum ei eſſe, ſed nulla voce edita*. Sub prœlii tempus Imperator ipſe ſubtriſtis, parum ſibi placere quæ fierent voce teſtatus, *Nos*, inquit, *ſimiliter atque Pompejus Magnus gerimus bellum, paren-*

tes magis quam imperantes. quod & Caſſium paulo ante dixiſſe retulimus.

Omina futuræ cladis. Florus. 4. 5. App. Plutarch.

XVIII. Inter hæc militibus, dum ad pugnam educuntur, Æthiops in portæ occurrit; eſtque illico propter triſtitiam ominis ab iratis occiſus. Ad hæc examen apum in prima aquila ſedit, & è brachio centurionis, quamquam ſæpe extergeretur, pertinaciter ſudavit liquor, unguentum quale fit è roſis ſpirans. Jam nona ferme diei hora erat, quum inter adverſas acies aquilæ duæ comparuerunt, pugnantes invicem, ſummoque omnium ſilentio ſpectatæ, donec victa quæ à Bruti caſtris proceſſerat, fugit. Tum vero hoſtes ingenti ſublato clamore irruperunt. Bruto conſilium pugnæ magis magiſque diſplicebat, quod neque videret in exercitu quam optabat alacritatem, & vir quidam fortis Camulatus nomine, præter ipſum Brutum tranſvectus, ad hoſtes ſe applicaſſet. Sed non erat amplius deliberationi locus. ideirco paucis cohortatus ſuos, monitoque *ne longius à munimentis diſcederetur, quo & receptus facilior è propinquo loco, & validior in hoſtes impetus ex ſuperiore foret*, prælium conſeruit. Multa utrimque cæde pugnatum conſtat: obſtinatis utrimque animis, quum alteros fames & neceſſitas accenderet, alteros pudor, ne & ſumpſiſſe temere prælium, & ignaviter ſuſtinuiſſe viderentur.

Brutus vincitur. Plutarch. Dio. App.

XIX. Brutus cum his quos ſecum habebat, ſiniſtrum hoſtium cornu impulit, & gnaviter adjuvantibus equitibus feciſſet operæ pretium, ni reliquorum fuga deſertus foret. Nam qui in lævo ejus latere adſiterant, poſt acrem pugnam, relinquere ordines, deſerere ſigna, poſtremo confeſſa jam fuga ſpargi cœperunt. Et victoria prior Bruti cladis hujus fere cauſſa atque initium exſtitit. Quippe quos tum ille vicerat hoſtes, plerique occubuerant: at Caſſiani victi iidem ſervatique, etiam quoque retinebant priſtinum pavorem, eoque reliquam etiam aciem ſui timoris conſternationiſque complebant. Ibi multi inſignes viri ſtrenue pugnando mortem mereri, quam ſupereſſe deploratæ Reipublicæ maluerunt. inter quos & Uticenſis filius Cato, poſt egregiam pugnam, crebroque repetitos conflictus, dempta galea patris nomen ciens, voce ſimul manuque provocavit fatum.

Clarorum virorum interitus. Appian. Plutarch. Vell. 2. 71. 2. Val. Max. 4. 7. 4. Dio.

XX. Neque diſſimilis fuit exitus L. Caſſii, qui fratre Imperatoris erat genitus. eademque fortuna præfectum fabrûm Flavium adprime gratum Bruto abſtulit. Marcus etiam Lucullus, eminentiſſimi civis filius, Antonii juſſu interemptus; T. Volumnio ſupplicii cauſſam præbuit. Nam is in magna fugiendi licentia complexus amici cadaver: nimia & pertinaci lamentatione milites excivit, ut ab his ad Antonium protraheretur. ubi ſe profeſſus *auctorem Lucullo ſumendæ militiæ, & juxta amicum occumbere* optans, eo deductus, dextram Luculli oſculatus eſt; & capite quod abſciſum jacebat, ad pectus appreſſo, cervicem percuſſori præbuit. Alii rebus perditis ſuæ aut familiarium manu quæſiverunt necem. quorum Labeo, vir egregius, legatus Bruti, pater ejus Labeonis, qui mox inſigni peritia juris ſupra modum inclaruit, foſſa in centorio ad modum ſui corporis effecta, datiſque ad uxorem & liberos mandatis, fidiſſimum ſervorum circumegit libertatis cauſſa, gladioque dato jugulum præbuit.

Antonius dees hoſtium perſequitur. Velleius. Sueton. Tib. c. 5. Dio. App.

XXI. Eodem modo & Quinctilius Varus periit, occiſus à liberto, quum ſe inſignibus honorum velaſſet. nam Drufus Julia ſibi manu conſcivit necem, Liviam relinquens filiam, & neporem ex ea Tiberium, privignum futurum Cæſaris & ſucceſſorem. ita res humanas fatum agit rotatque. At victores Imperatorum mortua nec occidere ſulos, nec capere curantes, hoc tantum egerunt, ut diver-

Deſectant pugnæ milites Bruti.

ſa in loca ſe recipientes clauderent, ne iterum conjungerentur. Caſtris prohibendi præcipua cura fuit, occupatamque eum periculo portam occluſerunt incidentibus. Idcirco fuga inde ad mare verſa monteſque. Ibi Cæſar ad caſtra hoſtium conſtitit, ut erupturos exciperet; Antonio ad reliqua belli profligandæ properante. Sed huic potiſſima cura fuit, ne duces elaberentur, denuo pugnaturi. Igitur his excipiendis quaquaverſum dimiſit equites: inter quos Rhaſci præcipua fuit opera, qui eum Thracibus ſuis regionum gnaris montium ſinus latebraſque omnes perſcrutabatur; hac & cætera diligentia fideque ſua Rhaſcupolidis fratris ſalutem promeritus.

Lucilius ſe pro Bruto fingit capi. Plutarch. Appian.

XXII. Sed alia manus ita perſequebatur Brutum, ut nulla alia præda objecta diverti pateretur. Id ubi animadverſum Lucilio Lucino eſt, Bruti ſervandi cauſſa ſponte inceſſit tardius, ut à Barbaris exciperetur: tum *adduci ad Antonium* magnopere contendens, eo quoque fefellit, ut Brutus eſſe putaretur, & implacabilem inimicum vitare Cæſarem velle. Hoc nuncium ancipitem animi Antonium habuit, quemadmodum tantæ dignationis famæque virum in hac fortuna reciperet. ſed propius facto Lucilius, *dii vero prohibeſſint*, inquit, *ut capi Brutus queat! neque etiam Fortunæ in Virtutem licebit quidlibet. cæterum ego his deceptis, en adſum, paſſurus quod tibi videbitur.* Quum ad hæc obſtupuiſſent equites, converſus ad hos Antonius, *Non eſt*, inquit, *ut ægre feratis hanc fraudem, nihilo minoris hanc prædam æſtimo, pluris imo, quanto præſtat amici, quam hoſtis factum eſſe compotem.* Et Lucilium quidem ſuorum cuidam curandum tradidit: eoque viciſſim fido deinde atque benevolo ad omnia uſus eſt.

Brutus in tumulum quendam ſe recipit. Velleius. 2. 70. Joſeph. antiq. Judaic. 14. 22. App. Plutarch.

XXIII. Interea Brutus cum manu haud ſpernenda in tumulum ſe receperat; beneficio noctis in caſtra vel ad mare evaſurus. Eo tempore ſuſpicientem in cœlum ſudum ac ſtellis fulgens, exclamaſſe tradunt Euripidis verſu, *uti ne Jupiter effugere pateretur inultum horum malorum auctorem.* deſignaſſe Antonium creditur, qui tum in armis pernox ex cadaveribus & ſpoliis vallo effecto, locum circumdederat: & Cæſar caſtris ad mediam uſque noctem ſervatis, morbi cauſſa diſcedens Norbanum eidem cuſtodiæ præfecerat. Penetravit tamen eo per medias ſtationes, cujus & in Catonis morte fecimus mentionem Statilius, ſublataque ut convenerat face, ſalva hæc eſſe Bruto ſignificavit. ſed ubi nec ille rediit, dum hoc conatur, interfectus; de morte ſumenda Brutus agitans, ejus rei miniſterium à ſervo ſuo, deinde ab armigero, poſt hoc & à P. Volumnio, qui rerum harum edidit hiſtoriam, petiit. Sed his aliiſque ſubmonentibus, *prius tentandos præſentium animos eſſe*; ipſe quidem agere cum his noluit, tribunis legatiſque jam errorem ſuum cum pudore agnoſcentibus negotium dedit.

Milites ejus amplius pugnare nolunt.

XXIV. At milites paulo ante tam & in ſumenda pugna, & in pugnanda feroces, tum ad extremam vilitatem relapſi, hæc reſponderunt: *Quanta fide quantaque virtute ſequuti partes Imperatorum fuerimus, ut nihil aliud, hæc ſane vulnera noſtra, hæc inopia, atque ipſe hic infelix & feralis locus, in quem coacti concluſique ſumus, oſtendant. Nos tamen ad extremum perſiſtere in propoſito certos, neque maxima ſpes ab hoſte præmiorum, neque incommoda atque diſcrimina duriſſima belli, avertere hactenus atque dimovere incepto potuerunt. Nunc vero tentatis omnibus, quænam ſupereſſe ratio belli, quod conſilium poteſt? Armiſne & acie cum duobus Imperatoribus, totidemque felicibus & firmis exercitibus, pauci, feſſi,*

victi congrediemur? An vero fuga dilabemur, cincti undique ab hoſtibus atque circumvallati? nec fallere intentos, nec arcere validiores poſſumus: & ſi quis forte Deus nos ex his locis educeret; quo poſtmodum intenderemus iter?

Nullam ſupereſſe ſpem demonſtrantes.

XXV. *Caſtra, ſi nondum capta ſunt, obſidentur certe. Viam ad mare, locis & anni tempore non facilem, hoſtis occupavit. Inter has anguſtias ſperare ex armis ſalutem inſania eſt, experiri furor. nec enim ferreos animos, aut ex ære membra gerimus, ut tanta tamque gravia ſuperare tolerando poſſint. Quod exigi à viris, ſed hominibus potuit cumulate præſtitimus & alacriter. Semel non optime accepti, & poſtulavimus iterum pugnam, & eam exhibuimus operam, quam modo laudabatis. legionum quatuor ſigna magis quam milites ſumus: vix dimidia pars armatorum ſupereſt; & qui hactenus effugere fatum, vulneribus & labore domiti, & commilitonum interitu, neque corpora eadem ad novum laborem adferre, neque animos potuerunt. Num parum adhuc Romani ſanguinis per hos annos fuſum eſt? cur hæ adhuc reliquiæ poſcuntur? cur nullo operæ pretio publicæ cladis temeraria acceſſio ſimus?*

Bruti extrema oratio. Plutarch. Brut. c. 75.

XXVI. *Etiam magnus ille Pompejus Fortunæ ceſſit, neque ſervari vetuit, quos poſt fidelem ſed infelicem operam majore flagitio ſuo quam uſu videbat perituros. Avunculus quidem Imperatoris Cato, poſtquam fruſtra dimicari contra fatalem potentiam ſenſit, adeo non objecit periculo ſuos, ut potius ipſe moreretur, quam propter ſe mori quemquam, licet rogantium offerentiumque ſineret. Sæpe noſtri exercitus calamitate ſubacti hoſtibus externis ſe dediderunt. Hic nullo Romani nominis pudore civibus nos tradimus, ſervandi cupidis, & æquam vivendi ſortem ſecum daturis. Hanc conditionem tam & optabilem, & neceſſariā ſanus aliquis aſpernetur? Certe Imperator pro ſua virtute atq; ſapientia ſibi conſiliū capiet: nos meminiſſe patriæ, meminiſſe liberorum atq; conjugū patietur.*

Se beatiorem jactat victoribus. Appianus. lib. 4. Civil. Flor. 4. 2. 11. Dio. lib. 47. Plutarch.

XXVII. Quum hæc ad Brutum eſſent relata, quidam adſtantium, *fugiendum igitur eſſe* exclamavit; quum ille renidens, *ſane*, inquit, *fugiendum eſt: non pedibus tamen, ſed manu.* porrectaque ſingulis dextra; *quantum ad me attinet, nihil eſt, quod Fortunam accuſare debeam: quæ ſuper alia multa, hoc etiam, quod ingenti mihi voluptati eſt, præſtitit, ut amicorum me fefellerit nemo, fidi omnes bonique perſtiterint ad extremum. Patriæ tamen videtur eſſe iniquior, cui præfracte adverſa, neque tenere vetuſtam libertatem, neque frui recuperata conceſſit. His equidem non invideo, miſereor magis, qui tantum pertulerunt perpetraruntque malorum, ut patriam ſervitio premerent, nec vero is qui cauſſa eorum præcipua fuit, latebit ultores deos. At ego Virtutem, licet à Fortuna deſtituta nomen potius quam res eſſe dicatur, haud ullo præmio colui: beatior omnino his, à quibus victus exiſtimor: non præteritorum modo recordatione, ſed etiam præſentium ſenſu. ſic enim ex vita diſcedo, ut mecum conſcientiam feram, famam relinquam boni viri civiſque; res neque armis obtineri natas, nec ullo ære parabiles victoribus. qui ſane quacumque in poſterum Fortuna egerint, ſuo ipſorum judicio, omniumque hominum ſententiis, oppreſſores libertatis, interfectores meliorum, hoſtes juris & æqui, legum everſores, & tyranni, & publici parricidæ habebuntur.*

Sibi conſulturum ait.

XXVIII. *Et ego quidē hactenus expertus quę debui, poſtremo etiā tentata reliqui*

Digitized by Google

Brutus manus sibi infert.

qui militis voluntate, postquam inutilem me patriæ esse video, mihi consulam. Nec enim in horum incidere manus memoria veteris Bruti, & avunculus Cato, & interfectus Cæsar sirint. ne Cassio quidem data fides fallenda est. Unum deprecor, amici, ne quis vestrûm, scio enim quosdam id agere, vitam sibi mecum ponendam putet. Erit ubi hoc, si necessum fuerit, minore cum reprehensione faciatis. Vestra adhuc opera fortassis utilis esse patriæ poterit; neque vobis bene moriendi, si bene vixeritis, occasionem invidebit Deus. Cato filium suum & me sibi coëgit superesse: jam & illi fatum insigne obvenit, & mihi paratum est. Catonum & Bruti exitum appetere nemo debet, nisi quem similes adegerint ad vitam exuendam caussæ. Mihi non est integrum in horum me hominum potestatem dedere, qui neque servatum velint, neque parcere, si cupiant, possint. libertatem & leges præferentem omnibus, interfectorem Regis, professum dominationis hostem, nemo tolerare tyrannus debet. At vos vita, liberi, conjuges, & qualiscumque tandem erit patria manent: & sine metu sine verecundia, sequi potestis fata Reipublicæ, quæ tolerabiliore tamen conditione interim aget, si vobis erit aliquis apud victores amicitiæ gradus; & si mitiora forte decrevcrunt dii, habebit, per quos resurgat. Appian. Florus. Plutarch.

XXIX. His dictis cum duobus aut tribus longius aliquanto progressus, Stratonem Ægeatem, quem ex studiis eloquentiæ familiarem habebat, rogavit, *ut sibi gladium adigeret*, atque illo contante, idem à servo petiit. Tum Strato, *si quidem decretum est*, inquit, *committam, ut servi potius, quam amici ministerio utaris.* & cum dicto latus præbentis, atque ultro ictui occurrenti hausit. Sic præstantissimæ indolis juvenis, uniusque tantum facinoris, de quo tamen & tum & postea mirifice sententiis variatum est, infamia adspersus, ætatis annum septimum atque tricesimum agens interiit. Morteuo Bruto, reliquiæ exercitus quatuordecim ferme millia, se dediderunt victoribus, acceptaque venia inter hos divisa sunt. Bruti exitus. Plutarch. Appian. Liv. Epitom. Florus. Vellei. 72. 5. Dio.

XXX. Mox & castella quæ passim Brutus extruxerat, à præsidiariis tradita, simul cum majoribus castris, diripienda militi suo imperatores dederunt. Inter hæc Antonius, Bruti viso cadavere, hunc quidem increpavit leniter, *quod fratrem Antonii Cajum occidi jussisset*, exterũ Q. Hortensio potius factum imputans *illum supra monumentum fratris* interfici præcepit: Bruto paludamentum suum purpureum injecit, quod ingentis erat pretii, ut in eo sepeliretur. auditoque mox surreptum esse, *requiri furem, supplicioque adfici* jussit: crematique corporis reliquias ad Serviliam (mater hæc erat Bruti) remisit. Sed non eadem Cæsaris moderatio fuit. Is avulsum Bruti caput Romam misit, ut statuæ avunculi subjiceretur. sed inter transmittendum a Dyrrhachio propter exortam tempestatem in mare abjectum est. Ejusdem adolescentis sævitia multi, nec sine contumelia verborum interierunt; quum cuidam supplici ter petenti sepulturam, *jam illam in volucrum atque ferarum fore potestatem* responderet: & patrem ac filium *sortiri vel dimicare* juberet, *utri vita concederetur*: neque spectaculo subtraxit oculos, quum patre qui se obtulerat occiso, filius etiam voluntaria morte periret. Cæsari crudelitas. Plut. Ant cap. 2. & Brut. Liv. Epitome. Suet. Aug. 13. Dio lib. 51.

XXXI. Ab hac caussa cæteri captivorum, quum catenati producerentur, Antonio *Imperatore* salutato, Cæsarem conviciis prosciderunt præcipue M. Favonio libertatem loquendi, quam tota vita exercuerat, in extremis retinente. At tamen Q. Horatio poëtæ, Brutianarum partium tribuno veniam impetravit Horatii servat Mæcenas. Plut. Brut. c. 53. Suet. in vita Horatii Sid. præfat. Lanc.

Majorinus Propert. 2. 8. Dio. Appian. Velleius. Eutropius. 4. 6. 4.

Mæcenas, fidus ab adoleſcentia Cæſari, & Mutinenſi quoque bello utilis comes; magnarumque dehinc rerum miniſteriis adhiberi ſolitus. Cæteri proſcriptorum cum aliis nobilibus, qui Thaſum evaſerant, partim ad Sex. Pompejum navigarunt, ſolum jam reliquum partibus ducem: nec deerant qui Meſſallæ fulgentiſſimo juveni, proximaque Bruto & Caſſio auctoritate imperium traderent; *copias ſupereſſe non ſpernendas, ad hæc claſſem & pecuniam, & amplam in ſociis ſpem* dictitantes.

Porcia Bruti conjunx ſibi necem conſciſcit. Plutarch. Brut. cap 51. Ælian. Hiſt. Var. 14. 48. Val. Max. 4. 8. 4.

XXXII. Sed ille *Fortunæ cedendum eſſe* docuit; mittendæ ad victores legationis auctor. nec Bibulo diſſentiente, cui & ipſi tradita par cum Meſſalla poteſtas erat, Antonius accitus (huic enim plus tum credebatur) pecunias, arma, commeatum, atque milites, quarum rerum omnium ibi permagna erat copia, in poteſtatem accepit. Hoc eventu rerum cognito, Porcia Bruti conjunx, cujus de fortitudine ſupra expoſuimus, ſibi necem conſcivit, prunis devoratis ardentibus, quum intenta familiarium cuſtodia, ferrum & alia voluntariæ mortis ſolita inſtrumenta ſubduxiſſet.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

C. CÆSAR, relicto Antonio, tranſmarinæ Provinciæ ex parte Imperium ei ceſſit, reverſus in Italiam, veteranis agros diviſit. Seditiones exercitus ſui, quas corrupti à Fulvia M. Antonii uxore milites contra Imperatorem ſuum concitaverunt, cum gravi periculo inhibuit. L. Antonius Conſul, M. Antonii frater eadem Fulvia conſiliante; bellum Cæſari intulit; receptis in partes ſuas populis, quorum agri veteranis aſſignati erant, & M. Lepido, qui cuſtodiæ urbis cum exercitu præerat, fuſo, boſtiliter in urbem irrupit.

Nova diviſio provinciarum inter victores. Dio lib. 48. App an. lo 5. Civil. Eutrop.

SUBLATIS Bruti Caſſiique partibus ſtatim apparuit, quam imbecillum ſit inter homines, quod firmiſſimum eſſe debuerat, vinculum, fides & pectorum religio, quotiens adſpirans Fortuna ſpe majoris potentiæ cupidos & præferoces animos inflavit. Cæſar enim & Antonius victoria læti, ſacrificio facto, militimus collaudatis, continuo Lepidum excludere ſocietate Imperii ſtuduerunt, nova provinciarum inſtituta diviſione, *uti de Lepidi parte, qui Pompejo faviſſe dicebatur, Hiſpania & Numidia Cæſari, Antonio Gallia atque Africa adjicerentur, ſiquidem pati Lepidus poſſet: ſin vero generoſius indignari etur, aut innocens*

esset criminis, *Africam ei concessuri* erant. De cæteris nihil dum decretum, Sardiniam & Siciliam obtinente Sexto, cæteris provinciis nondum pacatis, & Italia utrimque excepta, quam *communem habere patriam*, *& quæ facerent, pro illius salute facere* dictitabant.

II. His ita ordinatis, placuit *Antonium Orienti componendo transmarinisque provinciis impendere curas*, *operamque dare*, *uti promissa militibus pecunia* (vicena millia nummûm viritim) *cogeretur*: *Cæsarem*, *propter valetudinem ineptum ad ulteriora*, *cum his qui stipendia impleta haberent*, *quibus data statim erat missio*, *in Italiam proficisci*, *Lepidi coërcendi causa*, *Sextique*, *& dividere veteranis agros sedesque promissas ob victoriam*. Erant veteranorum octo ferme millia, qui militiam missioni præferebant. Igitur & hos inter se diviserunt; & cum supersent cum dediticiis legiones undecim, & equitum quatuordecim millia, sex legiones, decem equitum millia Antonio data: Cæsari concessum, uti duas reciperet Antonianas legiones, quæ cum Fufio Caleno in Italia substiterant. Hæc relata in tabulas, & consignata alter accepit ab altero, ut qui forte pacto non stetisset, tamquam ex syngrapha convinceretur. Tum Cæsar versus Jonium mare profectus est, Antonius in Asiam. Antonius Orientem componendum sumit, Cæsar in Italiam redit copias. Suet. Aug. c. 3. Velleius, 74. 2. Liv. Epitom. Dio. App.

III. Sed Cæsarem terrestri maritimoque itinere, tanta vis morbi adorta est, præcipue circa Brundisium, ut extinctus Romæ diceretur. multos tamen incerta rerum, & calamitatum metus, quas experti umquam fuerant, timere omnia coëgerunt: *simulationem* suspectabant, *consultoque rumorem spargi*, *ut affectus hominum elicerentur*, adeoque hic invaluit metus, ut extrema nonnulli exspectarent: Cesarque ex itinere dare literas ad Senatum cogeretur, ne forte qui motus in Urbe, præsertim Lepido præsente exsisterent; *supplicia de parricidis sumpto verum esse diis immortalibus honorem haberi*, *pacisque seri & exspectari bona*: *suam in hæc operam* enixe pollicitus. Cæsari anceps morbus. Dio. App.

IV. Eodem anno L. Plancus L. F. Consul, Imperator iterum, de manubiis Saturno templum ædificavit. Censores etiam L. Antonium, P. Sulpicium, fecisse lustrum reperio. forte tantum ad bona civium in tabulas referenda creati, quorum decimas Triumviri sic exigebant, ut vix decimam cuique facultatum partem relinquerent. Tum & P. Vatinius P. F. Proconsul de Illyrico triumphavit. in L. Antonio, quum & ille Triumphum postularet ex Alpibus, dubitatum est, quamdiu Fulviam adversam habuit, quæ socrus Cæsaris, uxor Antonii, per horum absentiam, Lepidi contempta ignavia, plurimum in Republica pollebat. Fulviæ potentia. Marmor. ap. Pigh. in annal. & Herc. Prodigio. pag. 442. Sue. Aug. c. 29 Zonar. Capit. Fragm.

V. Neque sane aut auspicia habuerat Lucius, aut quidquam triumpho dignum gesserat: cæterum Fulvia placata, neque huic repugnare quoquam ausa Kal. Januariis se & P. Servilio Vatia Isaurico iterum Consulibus, triumphavit. ausus se conferre Mario, quin & anteponere, *quod Marius invitus*, *ipse sponte depositio Triumphali habitu Senatum convocassent*: *Mario si forte una data corona esset*, *sibi & alia multæ*, *& à populo tributim*, *quod ante se factum esset nemini*. Sed hæc apud prudentes ignominiæ potius loco, quam honesta ducebantur; quod hæc non Lucio dari, sed Fulviæ nesciret nemo, aut certe comparata nummis esse, quos ille certis hominibus clanculum diviserat. Sed Lucium adjungebat sibi Fulvia, Cæsarem oppugnare moliens, *quem jam tum apud Brundisium*, *contumeliis & insidiis petisse* dicebatur. L. Antonii Triumphus. Urb. cond. ao. 713. Et vanitas.

Cæsar Lucio & Fulviæ dissuadet. Oros. lib. 18. App. lib. 5. Civil. Dio.

VI. Idcirco ille remittente pauliſper morbo Romam regreſſus, ſimul quæ decreta victoriæ cauſſa fuerant, curata ſunt; ad Rempublicam capeſſendam toto animo ſe contulit. Et Lepidus quidem inſita tarditate præſentiaque Cæſaris cohibitus quieſcebat: Antonius & Fulvia dederunt acceperuntque cauſſas diſcordiæ, quod Marci literis exhibitis, quum à Caleno dare legiones deberent, promiſſum differebant: & viciſſim à Cæſare poteſtate, quam in dividendis agris Antoniano militi uſurpatum ibant, prohibebantur.

Hujus filiæ nuncium remittit. Suet. Aug. cap. 72. Dio. App.

VII. Erupitque eo diſcordia, ut ſocrus inſolentiam pertæſus Cæſar, nuncium filiæ ejus remitteret, *intactam adhuc eſſe* jurejurando confirmans: quamquam plerique *falſum hoc, neque ſubito cogitatum de divortio, ſed inter primam ſponſaliorum mentionem hæc decreſſe ſecum adoleſcentem* dubitarent: Cæterum hoc repudio irritati utrimque ſunt animi, ut nihil poſtea niſi lædere invicem & odiſſe poſſent. Sed & alioquin plena tumultu per Italiam & in Urbe erant omnia. veterani *deduci tecta in oppida pinguesque agros* poſtulabant, eratque facta his promiſſio, pulcherimis ad hanc diviſionem deſtinatis civitatibus. At illæ *aut per univerſum Italiam diſtribui* petebant colonos, *aut ſaltem ſortibus rem committi, ne ipſæ ad injuriam eſſent eximiæ, ſed æquo cum cæteris Italis jure uterentur. pretium etiam ex ærario repræſentari poſcebant poſſeſſoribus.*

Italorum miſera conditio. Suet. Auguſt. 33. 5.

VIII. Hæc quum viri juvenesque, ſed & matronæ cum parvis liberis, in Urbem advectæ flebili voce paſſim teſtarentur, *quid igitur peccaſſent* rogitantes, *cur homines Itali laribus ac focis, tamquam bello victi pellerentur?* accenſa dolore plebes valde movebatur, præſertim quum appareret, hoc agi, ut his velut compedibus conſtricta Reſpublica, numquam deinceps poſſet ad libertatem recuperandam conſurgere. Cæſar ad hæc nullam reddere rationem, præterquam *neceſſitatis* poterat: *adeo ſe parcos in promittendo fuiſſe, ut ne ſic quidem ſatisfieri veteranis poſſet.* neque falſo hæc commemorabat, in eas coactus anguſtias, ut neque militum, neque Italorum gratiam teneret.

Veteranorum inſolentia. Dio. Virgil. Eclog. 1. & ibi. Servius. Appian.

IX. Inſolens enim & præferox multitudo, quum ſe minime pro ſpe meritorũ tractari putaret, non contenta acceptis agris, tranſcendebat limites. vicinorumque fundos invadebat: noto Virgilii vatum maximi periculo, quod tamen majori ejus fortunæ viam fecit, ut in amicitia Cæſaris per Mæcenatem collocaretur. Nec vi contra tendere Cæſari licebat. fruſtra enim diſciplinam ab his requiras, quas licentiæ injuriæque adſueſcecris: neque pecunia ſatis placabantur, quam ex templis Cæſar ſumebat mutuam; quin quanto plura accipiebant, tanto plura deſiderarent. In hoc eum ſtatu rerum L. Antonius cum Fulvia, & Manio, qui res abſentis Marci procurabat, adoriri ſtatuerat; *in communi munere parem utriſque Imperatoris gratiam eſſe debere* dictitantes. Expectandum igitur, donec & Antonius adveniſſet.

Fulviæ Lucioque dant occaſionem ſuadendi Cæſaris. Dio. Appian. Velleius. 2. 74. 2. Plutarch. Anton.

X. Sed id quidem fieri propter feſtinationem militum nullo pacto poterat. tum eo deſcenderunt, *ut igitur Cæſar ſuos milites, ipſi Antonianos deducerent*: & pacta cum Antonio obtendente Cæſare, Fulviam cum parvis liberis ſupplicare veteranis juſſerunt, invidioſe querendo, *fraudari patrem horum, Imperatorem ſuum, debita gloria, ſimul occaſione referendæ ſuis militibus gratiæ.* Lucius etiam ut fidem faceret, omnia ſe fratris cauſſa moliri, *Pietatis* cognomentum adſumpſit; quod hodieque in nummis ejus viſitur. Erat tum permagna Marci auctoritas, & propter valetudinem Cæſaris, victoria Philippenſis uni adſcribebatur,

Senatus & miles Cæſari offenſi.

quo ſtudioſius docere Cæſar, *convenire ſibi cum Marco; Fulviam & Lucium contra ſententiam mariti & fratris, propriæ potentiæ cupiditate res novas quærere.* poſtremo tamen, quamquam contra pacta ſibi hanc injuriam fieri ſciebat, ceſſit, Antonianoſque ab his deduci in colonias ſivit.

Unde illi magna cuarum moles. Tacit. 5. Appian. Dio. Flor. 4. 5. 2.

XI. At hi, ne beneficiis in ſuos vincere Cæſar videretur, plus etiam indulſerunt militibus. Sed omnium querelæ in Cæſarem incumbebant, Antonium fama clementiæ tuebatur, & quod inter præſentia mala ſemper tolerabilius exiſtimatur, quidquid abeſt. Neque vero parum intelligebat Cæſar, quid fieret, aut diviſiones agrorum, quamquam faceret ipſe, probabat. nec differre præmia milites patiebantur, nullo magis tempore neceſſarii, propter Sextum & Caſſianos duces, qui mari præcluſo, famem Urbi & Italiæ minabantur. His ad animum revocatis, mutare ſententiam Fulvia & L. Antonius cœperunt: & omiſſis coloniis adverſæ parti ſe tradere. nam & eorum qui pellebantur agris, majorem eſſe numerum ſciebant, & ex juſto dolore judicabant acriorem impetum fore.

Et tam apud Italos quam veteranos invidia. Liv. Epitom. Dio.

XII. Hoc præſidio animati Itali, quum eadem ſentire M. Antonium exiſtimarent, ſpernere Cæſaris imperium cœperunt: & adverſus veteranos ſua bona vi tueri. Callidum erat Fulviæ conſilium, nec effugere Cæſar poterat, quin invidia ex æquo omnium oneraretur. Nam & illius veteranis perſuadebat Antonius, *nihil opus eſſe dividundis agris: ex hoſtium judicatorum facultatibus præmia perſolvi militibus poſſe:* ſimul quantum æris inde redactum eſſet, quantum adhuc redigi poſſet, augentes omnia, veriſque miſcentes falſa, computabant. *Quod ſi ne hæc quidem ſufficerent, ingentem* oſtendebant *cumulum ex Aſiatica præda.* His artibus Cæſar à poſſeſſoribus & veteranis, tamquam utriſque *periculorum & laborum auctor* vituperabatur; Antoniani in oculis ac pretio erant, qui neque ſpoliabant alteros, & alteris cumulatim præmia præſtituri videbantur.

Aliæ difficultates Cæſaris. Velle. 2. 72. 3. Suet. Neron. cap. 3 App. lib. 5. Civil.

XIII. Dubia fiebant adoleſcenti tempora, tot in unum concurrentibus difficultatibus, ut cujuslibet veterani Imperatoris adultam jam & auctoritatem & prudentiam oppreſſuræ viderentur. Mare Siculum Pompejus obtinebat: Cn. Domitius Ahenobarbus ſemetipſo contentus auctore, quum ad Pompejum ſe Marcus applicaret, ut paulo poſt referemus, claſſem olim cōmiſſam augebat, Joniam obtinens: Italiam infrequentia cultorum propter continua bella, & recens hæc agrorum diviſio ad ſterilitatem redegerat. Inde fames invaſit Urbem, & una cum cæteris incommodis adflixit ſane graviter. Nam furtis rapiniſque expoſitæ erant tenuiorum domus, & ſub invidia militum, à quibuſvis perditis hominibus impune maleficia patrabantur. Accedebat, quod perpetua intercedebat veteranis cum poſſeſſoribus pugna: neque humiliores tantum offendebantur; ad Senatores etiam injuriæ pervenerunt.

Et offenſi ei Senatores.

XIV. His enim ſua ſalva retinere cupientibus, durius reſpondebat Cæſar, *unde igitur ſatisfiet veteranis?* at hoc periniquum illis videbatur, de ſuis poſſeſſionibus præmia militibus dari, quum neque delectuum, neque promiſſorum auctores Patres fuiſſent. Idcirco, ut in re ancipiti, quum in univerſum ſtatui nihil poſſet, ſubinde huc illuc inclinandum Cæſari fuit: eoque facto plus odii utrimque illi, quam gratiæ partum: quoties enim Senatori favebat, quod præter æquum huic tribueret nihil, jus potius debitum reddere, quam tribuere beneficium videbatur: at miles *ſua ſibi tolli* interpretabatur, ſi promiſſa

tardius aut anguſtius exſpectatione ſua præſtarentur. quod ſi militis adjuvabat aviditatem, neque hic debere putabat gratiam, promiſſum auferens; & Senator *ſe ſpoliari* ne tacitus quidem dolebat. Plane videbat Cæſar hanc eſſe conditionem imperandi, ut armis opprimi quidem exſcindique quidvis poſſet; benevolentiam non niſi beneficiis comparari.

Et mox periculoſius milites. Liv Epit. Appian. Suet. Auguſt. 14. 2. Dio.

XV. Ergo licet invitus eo deflexit, ut Senatorum agris omnino abſtineret, prætereaque dotalibus mulierum: & ad levandam pauperum inopiam relinqueret etiam, quotquot minores erant eo modo, qui promiſſus viritim militi fuerat. Hoc conſilium eos certe induxit quibus proderat, ut honeſtius de Cæſare ſentirent: ſed veteranos exacerbavit immenſum, ea cupiditate homines, ut ſibi ademptum crederent, quidquid cuiquam relinqueretur. Inde graves ſæpe motus, & in ipſum intentatæ periculorum minæ. Certe quum in theatro militem ſorte ſedentem in quatuordecim excitari juſſiſſet; exeuntem circumſtetit turba, commilitonem abeo reperens, quem *exercitatum periſſe* malevoli ſparſerant. Et ægre leniti quum ille incolumis comparuiſſet, *è carcere productum* contendebant: & iraſcebantur neganti, *proditorem* appellitantes, *& in gratiam Cæſaris falſa referentem.* eo jam ira proceſſerat, ut verum id factum eſſe, quam ſibi deeſſe cauſſam occidendi Imperatoris mallent.

At ille tumultuantes adit. Appian. Dio.

XVI. Neque modeſtior in Campo, quam in theatro miles, quum ad diviſionem agrorum opperiri juſſum tardius Cæſar accederet, tumultuari cœpit: monentemque Nonium quemdam centurionem, *valetudinis potius Imperatoris hanc eſſe moram adſcribendam, quam contemptui militum*, pro *adulatore*, *& mancipio Cæſaris* proſcindere convitiis, mox aucta inter jurgium ira, petere ſaxis cœperunt. neque aut innocentia ſua homini, aut fuga præſidio fuit, quum ſe in amnem conjeciſſet, quin extractus ab aquis necatuſque, loco ubi tranſeundum erat venienti Cæſari, abjiceretur. Igitur illum amici monere, teſtari, *ne ſe offerat ſævientibus.* at eo res erat perducta, ut conſtantia retinendum jus eſſet, aut plura deinceps atque atrociora timenda, ubi licentia militaris Imperatoris dubitatione alta plus virium acquiſiſſet. Prudens fuiſſe conſilium eventus etiam docuit. quippe conſpectu ejus ad reverentiam moti, facinoris invidiam tranſtulerunt in paucos.

Placatque. Dio. Appian.

XVII. Ille leniter increpans *hominum ferociam, qui ne ſibi quidem ipſi poſſent parcere*, diviſit agros, & præmia non meritis modo, ſed etiam quibuſdam aliis dedit. Indulſit etiam, *ut in bella interfectorum patribus aut liberis, qui debiti illis fuerant, agri tribuerentur.* Ergo vulgus militum, ut eſt ad omnes affectus natura ſua mobile, juvenis animum liberalitatemque admirans, *conquiri* juſſit *ad ſupplicium, qui Nonium occidiſſent.* At Cæſar tempore bene uſus, *ſe quidem non ignorare dixit auctores facinoris, ſed pœnitentia contentum pœnam remittere.* Tum vero conclamatum eſt ab omnibus, laudeſque & grates certatim inſonuerunt. Sed neque hic malorum finis, turbato ſimul concordiæ vinculo. nec enim pax & quies conſiſtere cum injuſtitia poteſt. Igitur quibus cauſſis favere miles Cæſari, iiſdem plebs iraſci cœpit: paſſimque in Urbe & per Italiam pugnæ cædeſque factæ: milite ſuperiore armorum præſidio & peritia; plebem defendente numero, & ædificiis, unde ſpargebat miſſilia. Sed his faces ſubdente veterano, plura paſſim incendia exſtiterant.

Tentatur frustra inter Antonium & Cæsarem concordia.

XVIII. His malis compulsus adolescens, & quod missi in Hispaniam milites, Placentiæ pecuniis per vim extortis, transitu Alpium à Caleno & Ventidio prohibebantur; conditiones offerebat Antonio & Fulviæ, & rem per se frustra sæpe tentatam, veteranis commiserat. Sed quanto intentius pax à Cæsare quærebatur, tanto magis bellum placebat Antonianis. L. Manius Cæsarem perosus, Fulviam in bellum muliebri æmulatione stimulabat, *Antonium* dictitans, *nisi turbatis rebus in Italiam retrahatur, totum Cleopatræ fore:* jam enim de his amoribus inaudiri cœperat. Ideo Fulvia, cuncta potius ruere cupiens, quam hunc dolorem perferre, L. Antonii vanum alias & malignum ingenium, parque vitiis fratris, virtutum ejus expers; potenter impulit, ut eorum, quibus adempti erant agri, caussa palam susceipienda, sic allicerent voluntates, ut magnus mox ex eo numero exercitus cogeretur.

Cæsar facit conditiones offert Fulviæ & L. Antonio. Plutarch. Anton. c. 40. Flor. 4. 5. 2. Vell. 2. 74. 2. Liv. Epit. Appian.

XIX. Sed interim reliquas colonias deducentem Cæsarem, Antonius cum fratris liberis sequi statuit, ne solus apud armatos conspectus ille, vim omnem in se traheret: sed mox eum iisdem dubium vero an simulato metu profugus, Antonianorum obiit colonias, præsidium quærens. *Sibi enim & pueris necem paratam à Cæsare fuisse* criminabatur *per equitatum ejus: quem Cæsar adversus Pompejanorum incursiones in Brutios missum* exculabat. probavitque causam ducibus Antonianorum, & his conditionibus sublata est contentio Teani: *Ut liceat per Triumviros, more patrio Consulibus administrare Rempublicam: agri ne cui, præterquam his, qui bello Philippensi navassent operam, dividerentur: pecunia redacta redigendaque ex bonis hostium, ex æquo; veterani quoque Antoniani per Italiam æquis portionibus distribuerentur in colonias: neutris delectuum in Italia agendorum jus esset: duæ legiones Antonianæ Cæsari contra Sextum Pompejum militarent: Cæsaris militibus transitus Alpium pateret; nec iidem ab Asinio Pollione Hispaniis excluderentur: Lucius horum pactorum fiducia dimitteret custodiam, Remque publicam sine metu & suspicione tapesceret.*

Leges concordiæ dicuntur. Vell. Appian.

XX. Ex tot legibus duæ tantum postremæ ratæ fuerunt; Salvidienus cum exercitu Cæsaris Alpes invitis custodibus perrupit. Cætera quum differrentur, Lucius & Fulvia Prænestе secessерunt: ille *Cæsarem timere* dicens, *Triumvirali satellitio armatum, quum inermis ipse esset;* hæc *Lepidum liberis suis insidiantem:* hujus enim nomen tum prætexere, quam Cæsaris maluerat. Angebatur his rebus Cæsar haud mediocriter, negotium habens cum hominibus, quos nec opprimere armis, nec placare per inimicos posset. Idcirco gratanter accepit, utriusque exercitus primores conjurasse, *daturos operam, uti lis Imperatorum ex æquo & bono dirimeretur; coacturosque eum qui stare judicio detrectasset:* & ex iis ipsis legatos ad Lucium de pace misit, futurum sperans, quod accidit, ut insolentiam eorum odisset, sperneret vilitatem. Per hæc ad veteranos redintegrata gratia, Senatum etiam populumque Romanum adversum Lucio reddidit, *per eum stare* putans, *quo minus pax & securitas cunctis redderetur.* Igitur concursus Senatorum aliorumque factus ex Urbe est, Lucium Fulviamque orantium, *desinerent aliquando irarum & contentiones, patriamque tot malis afflictam, refoveri concordia paterentur.*

Sed non servantur. Dio. Vell. Appian. Plin. 7. 45. 3.

XXI. Et videbatur Lucius, tum iis quæ dicerentur, tum auctoritate dicentium commoveri; Manii asperius responsum fuit: *Longe disparem duorum*

Manius accusat Cæsarem.

Imperatorum, ut animum, ita conditionem esse. Antonium nihil aliud nisi ab externis gentibus Regibusque pecuniam ad communes usus cogere: Cæsarem exercitus & opportuna Italiæ sibi mancipare beneficiis. Sed & Galliam, quæ data prius Antonio fuerit, in fraudem ejus liberari; & pro civitatibus octodecim universam fere Italiam in colonias veteranorum concedere. neque tantum duodetriginta legionibus, quæ bello interfuissent; sed aliis præterea sex dividi agros, pecuniam auferri è fanis, Pompejani belli prætextu, quod tamen in tanta Urbis fame nondum appareat. revera militibus dari, ut adversus Antonium emantur. ab eodem animo bona proscriptorum ita vendi, ut donari potius appareat. Denique talia multa fieri, quæ si ferio cupiat pacem Cæsar, defendenda sint ei prius, nihilque deinceps agendum, nisi de M. Antonii sententia.

Milites causs. cognitionē sibi vindicant. Dio. Appian.

XXII. Cogebatur in ordinem Cæsar, ut nihil deinceps agere pro potestate posset. Igitur ille *pacta cum Marco* testatus, *quæ utriq; summum imperium, neq; rationibus reddendis obnoxium, in parte sibi assignata dabant, alterumq; rata habere alterius acta jubebant*, iterum ad veteranos se applicuit: *bellumq; adversum se instrui* testatus, ipse quoque se parare cœpit. Ea res audita, duas legiones Antonianas, quæ apud Anconam stativa habebant, ad Siculum bellum ducendæ, commovit, ut pro pari in utrumque Imperatorem affectu, legatos mitterent Romam, rogatum utrasque partes, *pacem mutuo colerent*. Responsum est à Cæsare antiquum illud; *sibi pacem esse cum Marco: sed à Lucio se impugnari.* Igitur hi re cum cæteris veteranis in Capitolio communicata (magna enim eorum multitudo Romam, quasi cum Senatu ac populo de præsentibus consilium initura venerat) *pacta Cæsaris & Antonii adferri recitarique* jusserunt. probatisque his, *uter eorum pactis non stetisse diceretur, ea de re suscepturos arbitrium* professi, decreta sua retulerunt in tabulas, *asservarique* jusserunt *à Vestalibus.*

Cæsaris causam probant. App. Dio.

XXIII. Inde ex omnibus delectos ad Lucium miserunt postulatum, *uti judicio militum controversias disceptandas traderet; aut si nollet, quid ipsi possent experiretur.* Lucio non recusante, illi Fulviæque dixerunt *diem ad quem adessent, uti & Cæsarem comparere* jusserant, Gabiis medio ferme inter Romam & Prænestæ spatio. Prior præsto fuit Cæsar, equitibusque emissis, ne quæ forte collocatæ insidiæ forent, exploravit. Hi quum incidissent in Antonianos, manu conserta quosdam occiderunt. Retrocessit ergo Lucius, *periculum*, ut ajebat, *metuens:* neque postea voluit accedere, quum tribuni præfectique exercituum *deducturos se illum* profiterentur. Vehementer ea contumacia Cæsari profuit, & quum *irridere judicium Lucius & Fulvia* dicerentur, *Senatum caligatum* appellantes, adeo accensi sunt ira veterani, ut Cæsaris causam amplexi, ab illis ortam injuriam, ibique consistere arbitrarentur.

L. Antonii apparatus. App.

XXIV. Pluribus deinde consultationibus cum Cæsare initis, bellum instruere cœperunt serio, pecunia undique etiam ex ornamentis templorum conflata, non per Italiam modo, sed etiam per Galliam, quam *Togatæ* nomine & Alpibus divisam, Italiæ nuper contribuerant, ne seorsim habita, daret ansam potentibus, per speciem ejus obtinendæ provinciæ, legiones intra Italiam habendi. Neque segnius ab altera parte arma simul atq; convicia insonuerunt, amarulentis utrimque dictis se invicem petentium ducum. L. Antonius quum adipiscerentur Consulatum, sex legiones habuerat: hæ tum quoq; secutæ sunt eum, cum aliis

Marci

Marci fratris undecim, quārum curam Calenus agebat. Cæſari quatuor legiones erant Capuæ, cum Prætoriis cohortibus: ſex adducebat ex Hiſpania Salvidienus. Lucio pecuniæ ſuppetebant ex pacatis Marci provinciis: Cæſar, uti diximus, è fanis ſumebat mutuam, è Capitolio præcipue, deinde ex celebrioribus delubris, Antiano, Lanuvino, Nemorenſi, Tiburtino.

XXV. Inter hos Italiæ motus, ne vicina quidem ſatis quieta erant: Pompejus aucta quotidie potentia, quum & proſcripti, & veteres agris ejecti coloni frequenter ad eum proficiſcerentur, haud injuria timebatur. præſertim poſtquam Statius Murcus, cum omni ſua claſſe ad illum ſe conferens duas legiones cum ſagittariis quingentis, pecuniaſque multas, & naves octoginta adduxerat; aliaſque inſuper revocabat è Cephalenia. Neque deſunt, qui *tum opportunum tempus invadendæ Italiæ prætermiſſum ei* putent, *oppreſſæ fame, & ab ipſo expectantis remedium, dum Peruſina contentione diverſarum partium duces diſtrahuntur.* Sed & Ænobarbus ſitos ad Jonium mare Triumviris obedientium agros vaſtare ſolitus, Brundiſinis intra muros compulſis, triremes Cæſaris cremarat, aut abduxerat. Sex. Pompeii potentia. Vell. 2 73. 4. Appian.

XXVI. Igitur adverſus hunc una legio mittenda Cæſari fuit, alieno ſane tempore: quum interim initium belli factum eſſet, pluribuſq; locis varia Fortuna concurſum. Sic autem comparatæ partes erant, ut quibus placebant novæ coloniæ, Cæſarem ſequerentur; populi quorum agri in diſcrimen venerant, ſe conjungerent Antonio. Quum in eo res eſſent, vocato Senatu Cæſar, atque etiam Equitibus Romanis adhibitis; *Quantum*, inquit, *temerariæ fiduciæ Lucio cæteriſque acceſſerit ex lenitate mea, non ſum neſcius; quod amor patriæ ac quietis erat, imbecillitatem & metum interpretantibus. Ego vero & exercitum validum habeo, ſuccinctus tum veteranis quorum præmia intempeſtive intervertuntur; tum meis legionibus: cætera quoque firma ſunt omnia, neque dudum abfuit quidquam, quod ad bellum gerendum pertineret, præter voluntatem. Nec enim me delectat, ſi qua ſuperſedere liceat, civilia bella gerere, & reliquo Romano ſanguine ad mutuam perniciem abuti: præſertim ejuſmodi bella, quæ non ex Macedonia aut Thracia audiantur, ſed quorum ſedes futura ſit Italia, multis afficienda miſeriis, etiam ſi numerus cadentium in rationem non veniat.* Oratio Cæſaris in Senatu. Liv. Epitom. App.

XXVII. *Hæc, hæc ſunt, quæ me pridem inſolentiam peſſimorum hominum opprimere geſtientem continent ac retardant. Quod enim ad Marcum attinet, nunc etiam vos teſtor, nec de illo me queri, nec commiſiſſe cur ille de me queratur. Et hæc quidem à vobis Lucium, quique cum eo ſunt, edoceri, publicæ veſtræque rei vehementer intereſt. Quod ſi fruſtra ſuſceptus hic labor erit, & inſanire Lucius perget, tum vero oſtendam homini, aliquando mihi propoſitum, nunquam vires ad defendendam dignitatem meam, propulſandaſque injurias defuiſſe. Atque horum omnium vos mihi teſtes, & apud voſmetipſos & apud Marcum eritis.* At illi rurſus Prænеſte proficiſcuntur, pacem quærentes irritam. Quippe Lucius, *ferum id eſſe* reſpondit, *poſtquam ventum ad manus ſit: fraudemque hanc eſſe Cæſaris, alia præferentis verbo, quum rebus ipſis Marcum impugnet, legione etiam Brundiſium miſſa, ad arcendum eum aditu Italiæ.* Senatus irrita legatio ad L. Antonium de pace.

XXVIII. Manius etiam literas oſtendebat Marci, incertum ao fictas, quibus *dignitatem ſuam defendi* jubebat *vel armis.* Senatuque legatis, *quis ergo* Cæſar bellum inchoat.

Urbs ab Antonianis occupata.

P. Serv. Vatia Iſaur. & L. Anton. Coſs.

Liv. Epit. Appian. Dio. lib. 48. Plin. 3. 12.

dignitatem ejus læderet, quærentibus, offerentibuſque judices, alia quædam Manius objecit: donec infecta re reditum, ne renunciata quidem Cæſari, pudore ut creditur irriti incepti, legatio eſt. Idcirco Cæſar Lepido cum duabus legionibus ad tutelam urbis relicto, contendit Albam, ubi duæ legiones Lucii, tribunis expulſis tumultuabantur. Sed ubi *ſe præventum à Lucio, militeſque donis atque promiſſis placatos accepit*, in Sabinos profectus, præſidium, quod apud Nurſiam Antoniani collocaverant, dejecit loco, ne oppido potiretur, Tiſieni Galli virtute depulſus, & fama venientis cum exercitu C. Furnii. Ad hunc excipiendum profectus in Umbriam, poſtremumque adgreſſus agmen, Furnium in tumulum quemdam, atque inde noctu Sentiam profugere coegit: nec ſtatim inſequutus, inſidiarum metu, poſtquam illuxit, adductis copiis & oppidum, & caſtra Furnii oppido conjuncta obſedit. Inter hæc Lucius, re cum nobilibus compoſita, quorum magna multitudo ad partes ejus ſe tranſtulerat, tribus agminibus milites noctu Romam præmittit: ipſe cum robore copiarum, gladiatoribuſque & equitatu ſubſequitur.

L. Antonius Romam occupat. Liv. Epit. Dio. Appian.

XXIX. Excivit is terror Lepidum, ut cum exercitu obviam iret. Sed ubi fuſus eſt equitatus, qui præcurrerat, Lepidus cum legionibus intra mœnia ſe recepit. Antonio Nonius ad cuſtodiam portæ relictus aditum dedit; ſeque, & quos ſecum habebat milites, ei tradidit. Lepidus fuga evaſit ad Cæſarem. neque præterea quiſquam reſiſtebat, etiam P. Servilio, qui Conſulis gerebat nomen, legniore ad pericula. Idcirco Lucius ad concionem vocato populo, ſic diſſeruit, ut *Cæſarem atque Lepidum mox pœnas* diceret *daturos ſcelerum; fratrem vero ſuum Triumviratu abjurato, ſe pro Conſule gerentem, tyrannicam poteſtatem civili, & extraordinariam tranſlatitia commutaturum.* Ad hæc lætis adſtrepebat ominibus plebes, *Imperatorem*que appellatum *ad reliqua componenda ire* juſſerunt. Erat tum Antonius militari habitu, quomodo ante illum populi concionem habuerat nemo.

Salvidienum intercipere nititur.

XXX. Sed & *Senatuſconſulto mandari ſibi bellum* juſſerat, egreſſuſque Roma, quacumque incederet, novas colligebat vires ex populis, qui favebant Antonio, & opportuna oppida paſſim communiebat. Sed hæc agenti non modicus obex objectus eſt à M. Barbatio, quem Quæſtorem ſuum M. Antonius propter neſcio quam offenſam dimiſerat. Id quum vulgus ignoraret, pleriq; hunc percontabantur, *ecquo animo Antonius turbas Italicas acciperet?* Ille reſpondebat *mirifice hunc iraſci, contra potentiæ ſociũ, & communes utriuſq; rationes arma moventibus.* Inde permulti deſerto Lucio, cujus acta diſplicere fratri exiſtimabant, ad Cæſarem ſe contulerunt. Lucius in Galliam erat iturus, ut properantem ad Cæſaris caſtra Q. Salvidienum Rufum interciperet. Eumdem Aſinius Pollio & P. Ventidius, Antoniani duces, cum ſuo quiſque exercitu ſequebantur.

Cæſar Romã recipit. Vell. 2. 70. 4. Dio.

XXXI. Idcirco M. Agrippa Salvidieno timens, ipſe quoque promovit copias, ut ab Salvidieno in ſe retraheret Lucium; & viciſſim ſi ab hoc ipſe urgeretur, à tergo Lucii Salvidienum haberet adjutorem. Res bene ceſſit: omiſſoque priore conſilio Lucius, quum utrimque ſe peti animadverteret, alio declinavit, cum Aſinio & Ventidio conjuncturus copias: deinde ſic quoque metuens ab hoſtibus, inter anguſtias hærentem invaſuris, Peruſiæ ſubſtitit, in urbe munita Ventidium atque Pollionem exſpectaturus. Hic cum legati Cæſaris Agrippa

Digitized by Google

& Salvidienus obſederunt. At Cæſar ſimul Antonium Romæ eſſe cognoverat, ad Urbem feſtinavit, & illo dudum egreſſo citra certamen receptus, protinus ad inſequendum exiit: nec adeptus hominem, qui jam Peruſiæ mœnibus ſe clauſerat, rediit Romam, ut eam accuratiore in poſterum cuſtodia firmaret.

XXXII. Diſceſſus Cæſaris præter opinionem Sentiatibus exitio fuit; quum eo ſublatum eſſe periculum credidiſſent. Sed Furnius abeuntem ab obſidione Cæſarem inſequutus, interim advenienti Salvidieno ſpatium oppidi capiendi diripiendique dedit. ne ædificiis quidem pepercit ira, injectoque igne Sentia concremata eſt. Nurſinos tempeſtiva deditio præſentibus exemit malis: ſed tumulus poſtea publice exſtructus his qui cum Cæſare pugnantes oppetierant, adjecto titulo, *pro libertate occubuiſſe*, *ſic* exacerbavit adoleſcentem, ut grandi pecunia mulctatos, quia pendere eam nequibant, urbe agroque omni exigeret. His ita actis, quum Antonium duo jam exercitus obſiderent, cum tertio Cæſar acceſſit: propereque dimiſſis quaqua verſum nunciis, ne forte fax belli Lucius elaberetur, plures accitæ copiæ, aliæ Ventidio & Pollioni oppoſitæ. hique facile cohibiti, quod neque magnopere bellum id probabant, nec à M. Antonio putabant probari. ſuper hæc orta ex æqualitate ducum æmulatio, quemadmodum ſolet, communi cauſſæ attulit moram.

L. Antonium obſidet. Suet. Auguſt. 21. 1. 10. Appian.

XXXIII. Sed nec Antonius ſeſe neque Fulvia deſerebant, virilis ſpiritus mulier, & adeo non timida verſari inter armatos, ut & ipſa gladio cincta, ſignum dare militibus, habere conciones conſueverit. Sed hæc Præneſte arcem belli fecerat, multis ad ſe pertractis ex Senatu & Equeſtri ordine; & cum his frequenter conſultabat de præſentibus. At Lucius priuſquam circumvallaretur, emiſſo Manio, qui feſtinare Ventidium & Pollionem cogeret; & equitatu ſuo (quatuor erant millia Tiſieno præfecto) qui Cæſaris amicos vexando, ab obſidione eum retraheret; crebris excurſionibus opera hoſtium oppugnabat. & quum Cæſar oppidum propter colles quibus erat impoſitum, vallo ſeptem millium amplecteretur, & ad prohibendum ne quid importari poſſet, ad Tiberim uſque longa brachia deduxiſſet: ipſe viciſſim in radice collis vallum foſſamque obmoliebatur.

Fulvia gladio cincta. Flor. 4. 5. 2. Vell. 2. 74. 2. Appian. Dio.

XXXIV. Inter hæc & Fulvia continuis ad Ventidium & Pollionem, ſed & Atejum, & Calenum literis, urgebat, *ferrent opem obſeſſis*; *neque fratri cauſſæque Imperatoris ſui deeſſent*. Sed & noviter paratum exercitum duce Munatio Planco miſit; à quo legio Cæſaris, quæ forte Romam petebat, intercepta atque conciſa eſt. Cæſar, ut hunc & reliquos qui moveri cœperunt, diſtringeret, relicta ad obſidionem Peruſiæ parte copiarum, cum Agrippa his obviam profectus, effecit, ut priuſquam conjungerentur, itinere abrupto, Plancus Spoletium ſe reciperet, Ventidius & Pollio Ravennam alter peteret, alter Ariminum. Idcirco Cæſar oppoſitis qui hos morarentur, Peruſiam reverſus munitiones abſolvit, foſſis altitudine atque latitudine triginta pedum, turribuſque ligneis mille quingentis, non minus diligenter adverſus ſoluturos obſidionem, quam adverſus obſeſſos inſtitutis.

Multa contra Cæſarem molitur.

XXXV. Dum iſta diverſis locis aguntur, crebræ Antonianorum eruptiones factæ, multo utrimque ſanguine, dum miles Cæſaris miſſilibus potior, gladiatorum audacia cominus trucidatur. Semel etiam propinquum diſcrimen Imperator adiit: dum circa muros ſacrificat, repentina gladiatorum eruptione pene oppreſ-

Cæſaris periculum. Suet. Auguſt. 4. 4. & 11. 2. Appian.

Marcus Sexto Pompejo adhærendum cenſet.

P. Serv. Varia Iſaur. & L. Antonio Coſs.

ſus. Sed ea res fiduciam magis quam metum peperit, ex haruſpicum reſponſo. *Quod enim infelicia exta rapta ab obſeſſis fuerant, cuncta quæ ſacrificanti triſtia denunciata eſſent, in eos recaſura* dicebantur, *qui exta haberent.* Jam etiam fames in oppido eſſe cœperat, adverſus inexſpectatam obſidionem minime proviſis copiis. eo acrius ipſa, quæ Kal. Januarias anteceſſit, nocte tentata eruptio eſt, & ad portas operum vis facta, ut his perruptis, auxilia, quæ multis locis ſe oſtendebant, intromitterentur. Sed accurrente legione, quam in proximo ſtatuerat Cæſar, ipſoque cum Prænestinis cohortibus, poſt vehemens certamen Antoniani retroceſſerunt.

Romæ fames & ex ea ſeditio. Appian.

XXXVI. Per eoſdem dies etiam Romam adfligente fame, quum in uſum belli frumentum comparceretur, plebs jejuna vi effractis domibus, quod erat inventum diripuit. Eodem anno magnum uti diximus incrementum Sexti potentia hoc maxime modo cœpit. Caſſius Parmenſis tribunus militum ad colligendas pecunias in Aſia cum exercitu & claſſe relictus, audita morte Caſſii de Bruto non deſperans, triginta Rhodiorum triremes delegerat, quas erat impleturus; exuſtis reliquis præter ſacram omnibus, ne res novare Rhodii poſſent. Cum his igitur, & quas antea habuerat, evectus, non tamen occurrere ante finem Bruti potuit. Interea & Clodius, qui miſſus à Bruto Rhodum cum navibus tredecim fuerat, quum rebellantem inſulam inveniſſet, educto inde Romano præſidio, quod erat trium millium armatorum ad Caſſium ſe contulit.

Pompejanæ reliquiæ invaleſcunt.

XXXVII. Eodem & P. Turulius venit cum multis navibus, & magna vi pecuniarum, quas à Rhodiis, dum adhuc erant dicto audientes, exegerat. Hoc exemplum ſequuti quotquot earumdem partium tota Aſia oberrabant, in unum convenerunt: & legionariorum quanto poterant numero impoſito in naves, ex mancipiis aut nexis remiges parabant, itemque ex Inſulis, quas prætervehebantur. Sed & à Thaſo, nobiles aliquot cum M. Cicerone M. F. profecti ſunt ad eos; brevique collecta eſt, non contemnenda claſſis, & neque ducum nominibus, neque militum aut genere, aut copia pœnitendus exercitus: præſertim quum etiam ex Creta Lepidus cum alia manu acceſſiſſet. Tum vero conſenſu ad Murcum & Ahenobarbum Jonium cum validis claſſibus obtinentes navigari placuit. Ibi conſilio habito, quemadmodum deinceps ſuſtinendæ partes eſſent, diverſæ ſententiæ fuerunt, niſi quod conſtabat Triumvirorum aſpernandam amicitiam eſſe.

His ſuadet Statius ut ad Sex. Pompejum ſe conferant.

XXXVIII. Statius Murcus defleto *Caſſii Brutique caſu, ſpem tamen adhuc ſupereſſe* dicebat *in reliquis viribus, modo caput natæ idoneum forent. Conſilium enim*, inquit, *atque imperium pluris quam arma ſunt, quam pecunia, & militum manus. Horum vis quantalibet, niſi ſapientia & auctoritate ducis continetur, diſſolvetur facile aut in ſe ruet. neque plurium æqua poteſtate res geri commode poteſt: in bello rapiendæ ſunt occaſiones. quæ ſæpe non inter diſſentiens modo, ſed etiam inter concordes, dum communicandis conſiliis tempus abit, amittuntur. Sed neque mihi ſummam rerum depoſco, neque cuiquam veſtrum aut poſcendi, aut dandi auctor ero: Sex. Pompejum intueor, quem miro conſilio rebus incertis unicum præſidium in propinquo Fortuna collocavit.*

Jure & potentia validum. Flor. a. a. 15.

XXXIX. *Nec enim alium ei præferre, etiamſi copia plurium eſſet, debemus, pro legibus dimicantes & libertate, quemadmodum ſemper tulimus præ nobis. Hic autem*

Domitius detrectat imperium Pompeji.

ſolus jam toto Imperio legitimam poteſtatem obtinet, maris præfectura olim accepta ab Senatu, priuſquam ille ſcelere ac crudelitate Triumviràli opprimeretur. Nec igitur dubitandum eſt, quin amotis Caſſio & Bruto populi Romani Imperatoribus, huic reliquæ res ſpeſque noſtræ committantur. Præſertim quum non alind jus ſuadeat, aliud cogat neceſſitas: ſed & illud & hæc ex æquo Pompejum nobis commendent, & Siciliam. Quis enim hominum, aut quæ provinciarum aptior eſſe præſenti neceſſitati, aut opportunior poteſt? Magni Pompeji filius, amans patriæ juvenis, in malis & tolerandis & ſuperandis exercitus, animo, felicitate, auctoritate patri, ſed nondum vertentem fortunam experto ſimillimus, proximam & quaſi ſuburbanam provinciam tenet; qua nihil eſſe poteſt, tam ad excipiendos qui vim boſtium fugiunt, quã ad infeſtandos qui alunt commodius.

Et plurimorũ incolumitatis auctorem. Appian.

XL. *Nec obſcura ſunt aut ambigua quæ dicimus: plurimorum incolumitate, & ex acerbiſſimis diſcriminibus repente velut divinitus oblata ſalute, ſatis ſuperque confirmantur. Quot ad eum proſcriptione recenti, quot poſtea confugerunt? hodie quoque ad eum confluere non deſinunt, quicumque aut meliorem optant Reipublicæ ſtatum, aut tantummodo militiæ lucrique cupidi, ſamen juſtiore ſub duce mereri malunt. Sed & prudentia rerumque uſu tantum valet, ut modicis ab initiis progreſſus ad hanc potentiam ſit, qua Triumvirorum apertum boſtem & profitetur & defendit: atque hunc Cæſarem ejuſque legatos nihil non conantes fortiter à Sicilia repuliſſe non contentus, in ipſa quoque Italia multis adfecit incommodis. Cum hoc ſi conjungamus has vires, ecquæ eſſe dubitatio poterit? quin tanta acceſſione auctus, non modo ſe noſque tueri, ſed etiam ab injuſta Triumvirorum dominatione vindicatam recuperare Rempublicã poſſit.*

At Domitius contra diſſentit.

XLI. Contra hęc Domitius Ahenobarbus nobilis & ſibi fidens juvenis hunc in modum diſſeruit: *diis immortalibus habeo agoque gratias, qui nondum ita nos deſeruerunt, ut vel animi vel conſilii egerimus. Tanta clade percuſſi, tamen non niſi de bello deliberamus. una modo conſultatio eſt, quo duce propoſitum teneamus. Atque utinam fata noſtris Imperatoribus pepercíſſent! utrivis eorum potui dicto eſſe audiens, & in ejus virtute atque providentia acquieſcere. Sed bis ſublatis novi utque inexperti ducis ſubire imperium, neque facile eſt generoſis mentibus; neque eo properandum eſt antequam neceſſitate cogamur, quæ non relinquit conſilio locum. Enimvero in eo adhuc res ſunt, ut habere ſocium amicumque Pompejum, quam Imperatorem malis. nec vero ad unius imperium omnino confugi opus eſt.*

Sexto ſe ſubjecturum negant.

XLII. *Duos paulo ante habuimus Imperatores, quibus multum confidebamus; & ſi victos forte regeras, etiam à duobus victi ſunt. Quid vetat te quoque Murce commiſſam tibi claſſem retinere, & qua paulo ante concordia, mecum & cum cæteris conſilia tractare graviorum conatuum? Cur enim Sexto tantum deferimus, cui pares haberi poſſumus, ejus poteſtati ultro nos ſubjiciamus? quum ſint inter nos multi, qui neque nobilitate concedant ei, neque annis aut experientia? Jam vero mores adoleſcentis ii ſunt, quos etiam qui vituperare nolit, omnes promiſcue minime laudet probeque. Calamitas paterna deprehendit ingenii haud mali hominem priuſquam formari ad cultum magnæ fortunæ ingenuis ſtudiis poſſet. Unde & ferocior*

Applicat ſe Pompejo Statius ſine Domitio.

juſto eſſe dicitur; & fidei negligentior. Certe Pompeji Bithynici fatum docere nos debuiſſet, ut eſſemus minus in credendo faciles. Interfectum eum Sexti juſſu conſtat: quam juſtis cauſſis adductus eum interfecerit, diſcere nondum potui. Verum eſt multos ad eum profugiſſe viros illuſtres: cujus igitur opera ita utitur, ut non amplius tribuat libertis ſerviſque ſuis?

Eoque potius amico, quam Imperatore uſurus. Sueton. Ner. cap. 3. App an. lib. 5. Civil.

XLIII. *Jam & ob res non ampliſſimas ſumere nimios ſpiritus, ſeque incredibiliter efferre dicitur. Igitur proſpera vobis dominum imponent, adverſa ferenda ex æquo erunt. Tu vero, L. Stati, voſque cæteri, quibus eadem mens eſt, quam in conditionem vos Rempublicam demittatis, videritis: ego donec mihi conſulere potero, nec Pompeji, nec cujuſquam alterius poteſtati dedere me conſtitui. Caſſio Brutoque propinqua cognatione junctis, quibus imperium decreverat senatus, haud invitus parui: Sexto amico potius, quam Imperatore utar. Nec ideo minus rem communem bene curabimus, quum noſtra concordia, duobus potentiſſimis vinculis amore libertatis, & metu dominorum adſtricta, neque lenteſcere per negligentiam alterius, neque patere ſuſpicionibus poſſit.* Finis conſultationis iſte fuit, ut in ſua ſententia perſtantibus utrique, Marcus & qui cum eo ſentiebant, Pompejum peterent; Domitius cum cæteris priſtinam ad Jonium mare ſtationem retineret. Atque hic & auxit poſtea claſſem ſuam, & longinquiores etiam provincias oblatis forte occaſionibus adiit.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXVI. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

M. Cæſar, quum eſſet annorum viginti trium, obſeſſum in oppido Perusiæ L. Antonium, conatumq; aliquoties erumpere & repulſum, fame coëgit in deditionem venire: ipſique, & omnibus militibus ejus ignovit. Perusiam diruit, redactis in poteſtatem ſuam omnibus diverſæ partis exercitibus, bellum citra ullum ſanguinem confecit.

M. Antonius in Græciam venit. Vell. 2. 74. 2. Plut. Aug. c. 59 Appian.

INTEREA M. Antonius, qui poſt victoriam in Thracia ſubſtiterat, ad cogendas undique pecunias, in Græciam cum valido exercitu venit. neque gravis aut odioſus principio civitatibus fuit, ab acerbitate omni temperans, ludiſque eorum & eruditorum colloquiis & cæremoniis deorum deditus. Idcirco vulgo *Græcorum ſtudioſus*, ſed in primis *amator Athenienſium* vocari gaudebat, multis in eam civitatem collatis beneficiis. Nam deinde & Æginam, & Ceam, & Sciathum, & Peparethum aliaſque inſulas reddidit: & Megarenſes Athenienſium deriſit æmulos. Rogatus enim ab his, *uti Curiam ſuam ſpectaret*, ubi ſpe-

&avit, quærentibus *qualisnam ea videretur?* *Angusta*, inquit, *& ruinosa*. Ergo & Athenienſes ſolita vanitate retulerunt ei gratiam, initiando myſteriis ſuis, honorando ſtatuis, cum injuria veterum Regum, à quibus majores eorum inſigniter adjuti cultique fuerant. nam & Attali Eumeniſque coloſſos Antonii nomine inſcripſerunt.

II. Dimenſus deinde Pythii fanum, de cujus inſtauratione ad Senatum perſcripſerat, Lucioque Cenſorino Græciæ præpoſito, in Aſiam tranſiit, jam ceſſante periculo remiſſior, & ad prioris vitæ mollitiem revolutus. Igitur Græci Aſiatici moribus his amicũ genus Epheſum venientem, curatiſſima pompa exceperunt. Quippe viri puerique Satyrorum ac Panum habitu, fœminæ Bacchas ſimulantes deduxerunt cum, urbe tota perſonante tibiis & fiſtulis, paſſimque Thyrſis atque hedera obtutui ſe ingerentibus. Sic incedens ille *Liber Pater* ſalutabatur, *benigni atque blandi* addito cognomento. Prima cura fuit reddendi Dianæ ſacrificii, quo magnifice peracto, ſupplices deæ, qui ad id aſylum è victis partibus confugerant, dimiſit incolumes, duobus exceptis, quorum alter cædis Cæſarianæ fuerat conſciius, alter Dolabellam Caſſio prodiderat; vetuſque ſpatium aſyli duplicavit, partemque urbis adjecit. Inde in Aſi. Appian.

III. Inde vocatis in conſilium legatis, qui ex Aſia Epheſum concurrerant, *decem annorum tributa, quot Caſſio ac Bruto intra biennium dederant, annua die pendenda* imperavit. mox deprecantibus, allegantibuſque *neceſſitatem qua coacti dediſſent potentioribus omnia*, hactenus, remiſit. *ut novem annorum tributa annua bina die penderent*. Regibus etiam & civitatibus liberis, ut quiſque abundare videbatur, imperata eſt pecunia. Huic exigendæ præfecit quos voluit, ut interdum non tam acerbum videretur pendere omnino tributa, quàm his hominibus pendere. Nam & citharœdum quemdam Alexandrum Magnetem quatuor urbium exigendo tributo præpoſuit, militibus ad hunc uſum datis. Plurimum enim huic generi hominum indulgebat: & quidquid deliciarum ullo machinamento corrumpendis moribus natum videri poterat, adfectu maximo complectebatur. Cui maximam pecuniam imperat. Strabo lib. 14. Appian. Ariſt. Polit. 2. 9. & 5. 12.

IV. Ergo & Xanthus Choraules, & hiſtrio Metrodorus ejus amicitia nobilitati ſunt; & coquus obſonam cœnam ſcite paratam bona civis cujuſdam Magnetis accepit. Laudabiliorem multo liberalitatem mox obeundis provinciis exercuit, L. Caſſium Imperatoris fratrem, & alios earumdem partium, exemplo clementiæ quod Epheſi ediderat, veniam petere aulos abſolvens, & civitatum, quæ adflictæ fuerant ab adverſariis, calamitatem ſublevans. Nam & *Lycios immunes eſſe*, *Xanthumque inſtaurare* juſſit: & Rhodiis Andrum dedit, Tenumque cum Naxo & Myndo, quas tamen paulo poſt iterum ademit quaſi *durius imperantibus*. L. Caſſio & aliis ignoſcit. Plutarch. Appian. lib. 4. Civil.

V. Tranſiens deinde per Phrygiam Myſiamque, & tributis ubique gravibus impoſitis, in Bithyniam venit, provinciaque ab Apulejo, quem Brutus præfecerat, accepta, ipſum exemit culpæ, reditumque conceſſit. Hyrcano Judæorum principi ſuo & gentis nomine coronam auream mittenti, orantique *ut à Caſſio capti ſervitute eximerentur*; clementer reſpondit, datis etiam ad Tyrios Sidonioſque & Antiochenos, & Aradios literis, *ut ablata Judæis corpora, bona, & reſtituerentur*. Inde Gallogræcos & Cappadocas adiit, Planco demandata Judæis tribuit beneficia. Joſeph. antiq. Judaic. 14. 22. Dio. lib. 49. Auguſt. apud Mart. 22. 20. Appian. lib. 5. Civil. Plutarch.

Aſiæ cura, pecunias ubique eogens. in Cappadocia & eauſſam cognovit Ariarathis & Archelai Siſennæ, de Regno contendentium, & plus apud eum Archelaus valuit Glaphyræ matris adjutus gratia, quam formoſam & parum pudicam Antonius adamabat. Hinc in Cilicíam tranſgreſſus, miſſo ad Cleopatram Dellio, *adeſſe Reginam* tanquam ad eauſſam dicendam juſſit: ſaviſſe enim Caſſio inſimulabatur.

Cleopatram arceſſit. App. Plutarch.

VI. At illa moribus Antonii ex fama, & Dellii expoſitione cognitis, qui *mulieri forma & ingenio excellenti nihil ab iſto timendum* aſſeverabat, non tam ad purgandum objecta, quàm ſubjiciendum ſibi Imperatorem ſe comparabat. Tandem nec niſi plurimis illius & amicorum literis aceita, Tarſum navigavit, ubi tum agens Antonius, *liberam immunemque civitatem* declarabat, edicto quoque propoſito. *uti Tarſenſes cives, ubicumque ſervirent, dimitterentur.* Tum quoque pro tribunali ſedebat, quum *adverſo Cydno ſubvehi Cleopatram* nunciatum eſt, tantuſque hominum ad ſpectandam eam concurſus fuit, ut dilapſa forenſi turba, ſolis cum ſuis Antonius relinqueretur.

Illa miro faſtu accedit. Athen. l. 12.

VII. Neque enim vulgaris erat ſpecies. Inaurato navigio, velis purpureis expanſis, vehebatur: argentei remi ad tibiarum cantum movebantur, fiſtulis etiam & citharis molle interſtrepentibus. Illa ſub tentorio, quod intextum auro erat, recubans, ornatu cultuque Venerem repræſentabat, adſtantibus utrimque pueris, ventulumque facientibus cupidinum habitu. Sed & ancillæ præſtanti forma, quemadmodum Gratiæ & Nereides pinguntur amictæ, propter gubernaculum aut rudentes ſtabant. Quacumque inveheretur, ripæ ſuffituum odorumque fragrantia complebantur. Igitur velut faſcinatis præ delectatione animis, *Venerem ad Bacchum pro ſalute totius Aſiæ commeſſatum venire* jactitabant. Invitata ad cœnam ab Antonio, *ipſum potius ad ſe* juſſit *accedere*: & paruit ille, ut comem ſe atque humanum oſtenderet. Erant apparata omnia Regio faſtu: vaſa auro gemmiſque radiantia, nobilium artificum opera, purpureis aulæis, auro intexto obducti parietes, triclinia duodecim cum lectis.

Antonium excipit convivio. Plutarch. Athen.

VIII. His excepit Antonium & amicos, quotquot ei placuerat adducere. Sed *Antonius nihil tam admiratus eſſe, quàm hominum frequentiam & diſpoſitionem luminum* dicitur; *varias figuras magno artificio repræſentantium.* Laudanti *Reginæ magnificentiam*, illa ſubridens, *hæc*, inquit, *omnia tibi dono, Imperator, ut cras iterum mecum cœnes.* Tum vero ſic inſtruxit convivium, ut heſterna præ his parva & vulgaria viderentur. iterumque illi cætera omnia dedit; amicis autem ejus atque ducibus, lectos in quibus accubuerant, cum poculis aureis, quibus miniſtratum cuique fuerat. diſcedentibus deinde pro dignitate cujuſquam partim lectieas cum lectiearüs dedit dono, pleriſque equos cum argenteis phaleris, pueros autem Æthiopas ad prælucendum omnibus. Tum viciſſim excepit eam Antonius ſuperare nitus ſplendorem & elegantiam Reginæ; ſed utroq; inferior, primus in cœna ſuæ ſordes & ruſticitatem dicteria jeeit.

Oſtendit ſe faviſſe Cæſaris partibus. Plutarch. Athen. App. an. lib. 5. Civil.

IX. Quarto die viciſſim apud eam cœnante Antonio ſolum conſternendum roſis ad altitudinem cubiti curavit, qui harum copiam ſuppeditaſſent, non jam nummis, ſed talentis remunerans. Igitur menu omni depoſito, quum *ob deſtitutas Cæſaris partes* aceuſaretur, non magis exculavit ſcie, quàm imputavit ultro *quatuor legiones cum Allieno miſſas initio belli, claſſemque paratam, ſed*

tem-

tempeſtatibus, & celeri Dolabellæ caſu prohibitam egredi. Neque tamen ſemel iterumque cum atrocibus minis flagitanti Caſſio miſiſſe auxilia: quin cum inſtruſtiſſima claſſe ipſam ad mare Jonium acceſſiſſe, non diligentia Murci deterritam, ſed tempeſtatibus claſſem diſſipatam, & ſe in morbum conjectam, & interea Philippenſi acie decretum eſſe. Nec falſo iſta jactabantur, ſed plus apud laſcivum hominis animum forma & Veneres Cleopatræ, quàm cauſſa valuerunt.

X. Igitur ex rea ſtatim amica, ſtatim domina facta, non modo Regnum Ægypti retinuit, ſed in Antonio ſubegit Orientem. Erat enim non modo pulchritudine, ſed magis etiam lepore quodam & elegantia ſingulari prædita: quam quidquid ageret, aut loqueretur, decerent omnia. Supererat mira ingenii vis & alacritas, etiam prioribus amoribus excitata & erudita; quia puellaribus adhuc annis, Cn. Pompejum adoleſcentem quando claſſis educendæ cauſſa profectus in Ægyptum fuit, & mox Cæſarem mancipaverat. Accedebat & ſuavitas ſermonum & eruditio, multarumque cognitio linguarum, raris enim populis reſponſa per Interpretes dabat: eum Æthiopibus, Troglodytis, Hebræis, Arabibus, Syris, Medis, Perſis, aliiſque multis gentibus ipſa loqui poterat, quum ante ipſam Reges Ægyptiam quoque linguam diſcere non ſuſtinuiſſent, nonnulli ne Macedonicam quidem callerent. His artibus brevi ſic in poteſtate Antonium habuit, ut non his modo illiciis, ſed etiam veneficiis captus domituſque crederetur. Cleopatræ forma et veneficia. Plutarch. Joſeph. antiq. 15.4.

XI. Nihil enim tam aut largitu detrimentoſum aut factu turpe erat, quod illa petens non impetraret. Paulo ante fratrem virumque ſuum, ætatis 15. annum agentem veneno ſuſtulerat. Soror Arſinoë religione vitam tutabatur, Dianæ facta ſupplex, ſive Epheſia illa, ſive Leucophryne Mileſiorum fuit. Hanc igitur juſſu Cleopatræ percuſſoribus immiſſis Antonius ſuſtulit. Nec alia loca, quæ tum ſanctiſſima habebantur, reveritus, Tyrios è Templo Herculis extractum Serapionem Cleopatræ coëgit tradere; contra cujus voluntatem ille Caſſio auxilium adduxerat: Aradios adoleſcentem quendam, *qui ſe Ptolemæum eſſe* ferebat, *majorem Cleopatræ fratrem, qui victus à Cæſare diſparuerat.* Sed & Megabyzum Epheſiæ Dianæ ad ſupplicium depoſcebat, *quod Arſinoën tanquam Reginam, ſuſpitio excepiſſet*: ſed Epheſii Cleopatræ ſupplicantes, ab ipſa ſalutem Sacerdoti ſuo impetrarunt. Quodlibet impetrat ab Antonio. Dio. Appian. Joſeph.

XII. Inter hæc continuato per Cavam Syriam, Paleſtinam, Ituræos, alioſque Syrorum populos itinere, tyrannos paſſim è civitatibus ſuſtulit: libertatem cum immunitate tribuit Laodicenis: variaſque civitatum & Regulorum lites compoſuit. Unde Judæis etiam Principibus, Phaſaelis & Herodis æmulis facta ſpes, ſubverti fratres illos poſſe: quamquam nuper fruſtra eos accuſaſſent, quo tempore veniens Europa Antonius Herodis obſequiis & pecunia ſic delinitus eſt, ut nec auditis delatoribus rem integram in ſuum adventum rejiceret. Venerunt igitur centum ex primoribus Antiochiam; nec aliud effecerunt, quàm ut ambo fratres Tetrarchæ conſtituerentur, eiſque ſub Hyrcani nomine, cujus jam factus affinis erat Herodes, ſumma rerum Judaicarum permitteretur. Id quum ægerrime ferrent accuſatores, ex eorum numero quindecim vinxit, ne occideret, Herodis precibus tribuens. Herodi favet. Joſeph. antiq. 14.22. et 23. Ejuſque accuſatores occidit. App. lib. 5. Civil.

XIII. Nec ideo Judæi quieverunt, quin alii mille Tyrum proficiſcerentur, quo veniſſe Antonium audierant. At ille præfecto præſidii negotium dederat, ut importunos & moleſtos homines ulciſceretur. grandem enim à fratribus ſummam Dio. lib. 48. Plut. Ant. c. 36. App.

acceperat, & erat in hos olim bene affectus, propter hospitium quod ei cum patre eorum fuerat. Igitur Herodes gnarus rei quum ante urbem diverſaretur, prodiit accuſatoribus ſuis obviam, monuitque *ſibi parcerent. ſi enim progrederentur, malum habituros*. At illi contempto Herode quum ad urbem procederent, obvios habuerunt armatos, à quibus interfecti ſunt nonnulli, ſauciati complures, reliqui conjecti in fugam mœſti abierunt domos. Mox Antonius eos etiam quos habebat in vinculis, occidit; propterea quod *à plebe Hieroſolymitana Herodem convitiis exceptum eſſe* cognoverat. Interea digreſſa in Ægyptum Cleopatra, M. Antonius reſumpta pauliſper imperatoris perſona, propter Parthos, qui nunquam ſatis quieti, tum validius ſe commovere dicebantur, equites Palmyram miſit, oppidi diripiendi gratia, quod *ſentire cum Parthis* inſimulabatur.

Palmyreni oppidum deſerunt. Plutarch. Dio.

XIV. Sed Palmyreni corporibus, rerumque ſuarum pretioſioribus trans Euphratem trajectis, equitibus vacua ædificia reliquerunt: diſpoſitis pro ripa ſagittariis, quo genere plurimum valent, intercluſo tranſitu. Hic conatus Antonii & tyrannorum, quos ubique civitatibus Romanus expulerat, ad Parthos fuga, ſimulque graviſſima populis impoſita tributa, magnum attuliſſe momentum putantur, ut citius quàm timeretur, Parthicum bellum erumperet. Sed Antonius neque Fulviæ labores in Italia, neque provinciarum neceſſitates & pericula moratus, copiis in hyberna diſtributis, & Saxa Syriæ impoſito, in Ægyptum profectus, totum ſe Cleopatræ & voluptatum turpitudini tradidit.

Antoniani Perusiam eximie conantur obsidiont. Urb. cond. ann 715. Flor. 4. 7. Appian.

XV. Conſulum deinde nomen (vis enim penes Triumviros erat) Cn. Domitius M. F. Calvinus iterum, C. Aſinius Pollio geſſerunt; hic adverſus Cæſari, belloque Perusino immixtus, ſed pacta cum M. Antonio nondum audebat Cæſar violare. neque referre putabat, penes quem appellatio Conſulis eſſet, quum ipſe tanto jam tempore Conſulem in obſidione habuiſſet. Jam aſperior quotidie fames, obleſſos Perusiæ experiri omnia remedia coëgerat. Idcirco ſociorum auxilia ultimis precibus obteſtationibuſque ſollicitantes, perfecerunt uti tres duces, qui repererant interea conjungendi copias viam, repulſis qui prohibebant Cæſarianis, Perusiam contenderent. Sed Cæſar *Agrippam & Salvidienum his occurrere cum validiore exercitu* juſſit, quibuſcum manus conſerere non auſi, ne ab his & prioribus hoſtibus circumvenirentur, Fulginium occuparunt, paſſuum ſeptem millia quingentos diſtans à Perusia caſtellum.

Perusina fames.

XVI. Ibi circumſeſſi ab Agrippa, de rebus ſuis coacto concilio deliberarunt. Pollio Conſul, aſſentiente Venidio *perrumpendum* cenſebat: poſtremo Plancus obtinuit *cautiora* ſuadens, *ne inter Agrippam & Cæſarem intercepti utrimque cæderentur*. Lucius quique cum eo Perusiæ obſidebantur, quum ignium indicio adeſſe ſocios intellexiſſent, ceſſantibus ignibus à maxima ſpe ad ultimam deſperationem revoluti, victos enim fuiſſe, ſuos exiſtimabant, prima vigilia eruperunt, tentatiſque locis omnibus, undique repulſi, diluculo ſe receperunt. Inde ſubducta ratione corporum & alimentorum, Lucius dimenſum præberi ſervis vetuit: neque transfugere paſſus eſt, acribus ubique cuſtodiis poſitis. Idcirco miſeri per urbem & ante muros herbam vellentes, aut frondem agminatim moriebantur. & altiſſimis ſpecubus injiciebantur cadavera, ne relicta & putrefacta morbos gignerent, cremata rogorum multitudine neceſſitatem obſeſſorum proderent hoſtibus.

L. Antonius Cæsaris veniam implorat.

XVII. Sed in hoc ſtatu ſiſti non poterat diu. rurſumque rogantibus militibus, ut pugnando potius caderent, annuit Lucius, monens, *aut abſtinendum certamine, aut niſi victoribus non revertendum*. Acclamarunt omnes cupide, & ne nox ignaviam aliquorum tegeret, *educi clara luce* poſtularunt. Igitur omnibus ut ad ultimum conatum ſumma cura præparatis, cum inſtrumentis & ſcalis variæ formæ inſtructi ante lucem egrediuntur. Aderant & machinæ complendis foſſis aptæ, turres plicatiles, unde pontes extrudi in muros ſolent, & telorum omnis generis magna copia, ſaxa itidem & crates, quæ palis, circum opera erectis injicerentur. Hæc quum magno militum niſu admoverentur, foſſa completa ſuperatoque vallo, ad murum tranſgreſſi, ſuffodere hunc, alii ſcalis atque turribus admotis tranſcendere nitebantur: & quum diverſis locis hæc fierent propugnanteſque clamoribus incertis diſtraherentur, pontes alicubi in murum injecti ſunt, pauciſque occiſis reliqua multitudo ſequebatur. Obſeſſi eruptionem tentant.

XVIII. Erat plane res obſidentibus in diſcrimine & metu: ſed quia raros admoliri pontes obſeſſi potuerant, facile occurſum eſt, ſtrenuiſſimo quoque ad defendenda loca oppoſito, quæ plurimum urgebantur. Igitur Antoniani defatigati à recentibus, quum etiam latera haberent ictibus expoſita, rejecti ſunt, ſcalæque & turres eorum confractæ. Ne tum quidem abſtinuerunt pugna, quamquam ex ſuperiore loco impune vulnerarentur, donec Lucius miſertus nimium & inutilem laborem, ſignum receptui dedit. Sed ne ſic quidem eos deſeruit animorum obſtinatio, quin plauſu hoſtium exſultantium irritati, reſumerent ſcalas, & quamquam irrito inceptо, in mortem potius quam prœlium ruerent. Et exorandi fuerunt Imperatori, ut *ſervare potius vitam, quam prodigere nequidquam vellent*. Sed cum detrimento rejiciuntur.

XIX. Ultimus hic obſeſſorum conatus fuit, & Cæſar, ne quid tale poſthac auderent, ſic exercuit ſuos, ut ſigno dato cum armis proſilirent in muros. id quoque ſpectaculum deſperationis implevit Antonianos, & quia mœrore lentescebat diſciplina, remiſſius mœnia cuſtodiebantur; pluresque transfugiebant ad Cæſarem non gregarii modo, ſed & tribuni præfectique. Atque hos poſtquam *clementer acceptos à Cæſare* vulgatum eſt, omneſque reliqui ſpem parem conceperunt. Lucius timens, ne ſi pervicacior eſſe vellet, hoſti dederetur, legatos de pace miſit. Cæſar ex duobus generibus conſtare Lucii copias ſciens, ut diſſociaret animos, *veteranis ſe veniam dare* dixit *in gratiam Antonii*: *reliquos ſuam in poteſtatem dedi velle*. Hæc in commune tribus legatis. mox uni ſeorſim C. Furnio, *cæteris quoque parcere velle* oſtendit, *ſolis exceptis qui proprias ſecum inimicitias exercerent*. L. Antonius pacem petit per legatos.

XX. At hi ſuſpectum habentes cum Furnio arcanum ſermonem, hunc quidem exceperunt conviciis; à Lucio poſtularunt, *ut aut paribus conditionibus pacis amplecteretur omnes, qui pari ſtudio bellaſſent pro patria; aut arma univerſi ad extremum uſque ſpiritum retinerent*. Lucius reveritus pari ſecum dignitate viros, laudavit eorum ſententiam. & *quando neminem haberet aptiorem, ſe* dixit *ad Cæſarem ire*. profectuſque eſt ſtatim ſine Feciali; curſu præcedentibus qui rem Cæſari ſignificarent. Atque ille ad hoc nuncium properabat occurrere venienti. jamque in conſpectu erant cum amicis & Imperatoriis ſagulis; quum dimiſſis omnibus Lucius duos tantum lictores ſecum habens proceſſit, hoc ipſo de- Mox ipſe ad Cæſarem proficiſcitur.

demonstrans animi sui propositum, intellexitque Cæsar, & Lucium imitatus, ostendere signum mox coalituræ benevolentiæ voluit: & festinante Lucio, ut intra vallum colloquerentur, egressus est Cæsar. ut sic quoque liberum esset Lucio, quid capere consilii vellet.

Ejus oratio.

XXI. Tum, ut est relatum in commentarios, Lucius prior ita cepit: *siquidem cum externo mihi certamen fuisset, & vinci turpe putarem Cæsar, & turpius victum confiteri; eamque ignominiam exirem eadem via, quæ multis egregiis viris, virtutem Fortuna oppressam asserentibus placuit. Nunc quia cum cive æqualis dignitatis contentio fuit, expertus quæ potui pro patria, tali viro lubens cedo. Nec tamen hæc dicta sic accipias, quasi victori, in spem humanioris clementiæ adblandiar. non issem huc sine Feciali, si pro me essem solicitus: aliis pacem postulo, quam utrique concessurus es, ubi nec iniquam petitionem meam, neque rationibus tuis alienam cognoveris. Nam ut certius omnia dispicias, separari causas oportet; ut in me omnem effundas iram, quem horum omnium auctorem intelliges; his ignoscas, qui decepti falsique, alia quam penitus sentiebam præferentem, in fratris Marci gratiam sequuti sunt.*

Reipublicæ causa se arma sumpsisse.

XXII. *Quod si forte quædam liberius dixero, licentiæ ferociæque imputare noli. non conveniunt ea temporibus meis. ea tantum dicam ex animi mei sententia, quæ dissimulari nequibunt. Ego bellum tibi feci Cæsar, non ut oppresso succederem in principatu, sed ut restituerem Rempublicam Senatui, cujus sub hac Triumvirali potestate, jus atque decus omne accisum atque sublatum est injuria. hoc enim ipsi quoque & sensistis olim & præstitistis, legitimum hunc magistratum non esse fassi, necessarium appellantes, donec Cassii Brutique irreconciliabilis factio tolleretur. Ideo neque perpetuum esse, sed quinquennalem voluistis. Ergo itaque oppressis partium ducibus, reliquiarum, si tamen ullæ sunt reliquiæ, non contra Rempublicam, sed pro sua incolumitate manentibus armis, sed cessuris simul atque timere sibi à vobis desierint; tempus esse judicavi, ut cessantibus aliquando extraordinariis imperiis, patrius mos civitati, legibusque & magistratibus potestas sua redderetur.*

Quam et fratri persuaserit. Cic. Philipp. 2. 28. Plut. Ant. c. 2. Appianus. lib. 3. Civil.

XXIII. *Neque vero majorem esse ducendam fratris quam Reipublicæ rationem existimavi; fore persuasus, ut ei quoque quum venisset, tam justa & gloriosa probarentur, & quia mihi magistratus nomen profuturum ad efficienda cepta credebam, dimittere hanc opportunitatem nolui. Quod si tibi res ea cordi fuisset, penes te esset tanti operis cepti perfectique gloria. quia vero tibi persuaderi nequitum est; ego Urbe per vim occupata hoc affectavi decus, instinctus ut opinor generosa cogitatione, nihil esse quod pro Republica moliri vel cum discrimine non oporteat & Antonium & Consulem, & progeniem ejus Herculis, qui unus omnium laboriosissime contra injustas dominationes dimicavit. Hæc & vera belli hujus causa, si quid mihi credis, & sola est. Nihil hic me frater, nihil aut Manius movit, aut Fulvia: ne divisio quidem agrorum, & pulsi possessionibus suis innocentes. nam & me auctore colonia fraterni militis deducta sunt.*

Non igitur se debere odio esse Cæsari.

XXIV. *Tu videri causam eam armorum voluisti, ut veteranos tibi conjungeres, quorum præmia per me vocari in discrimen arguebas. Hoc tibi vafrumen.*

tum utile ad victoriam fuit; dumè re tua erat, ut milites tui, me tanquam hoſtem infenſiſſimum odiſſent. At nunc parta victoria, non eſt ut in me hoſtili ſis animo, niſi & patriam oderis, nam pro hujus libertate facta fuiſſe à me omnia reperies. Atque hæc ille ego dico, qui non neſciam in tua nunc poteſtate eſſe; unde quid de te judicaverim apparet, quidque nunc judicem, ſolus ad te veniens. Sed de me ipſo hactenus. quod autem amicos atque adeo totum exercitum attinet, niſi conſilium à me profectum pro ſuſpecto reſpuis, magnopere tibi ſim auctor, ne hac cauſſa cuiquam nimium iraſcaris. etiam tuos offenderis, ſi adeo implacabilia doceas eſſe debere civium odia, ut ignoſci victis non oporteat: periculoſum eſt homini, quam ſit inſtabili Fortunæ obnoxius, ſola victoria tutum vivere. Sin vero me adhuc hoſtem eſſe, & talium conſiliis minime credendum putas, non me piget precibus abs te contendere, ne meam ſive culpam ſive fortunam amicis meis fraudi eſſe ſinas: ſed à me potius expetas pœnam, qui horum omnium omnibus auctor exſtiti. Atque hæc ut ſerio dici conſtet, illis abſentibus agere tecum volui: ne mihi potius ab illorum deprecationibus, quærere præſidium viderer.

XXV. Ad hæc Cæſar; *Ut ego te ſine Feciali vidi deſcendere L. Antoni, feſtinavi ut ante caſtra mea occurrerem, ne locus tibi neceſſitatem impoſuiſſe videretur dicendi faciendive quæ nolles. Poſtquam autem meam in poteſtatem te tradidiſti, quod eſt eorum qui ſe peccaſſe confitentur; nihil neceſſum eſt refellere, quæ mihi falſo quidem, ſed ſpecioſe objeciſti. Cæterum ſicut ab initio me conatus es lædere, ita lædis etiam nociſque in præſentia. quippe ſi conditiones voluiſſes, erat tibi cum irato & victore paciſcendum: nunc quando conditionibus omiſſis meæ fidei permittis omnia, quem armis non potuiſti, pudore conſtringis, ut nec irarum amplius poſſim eſſe memor, nec uti poteſtate, quam, ſi pactiones interveniſſent, neceſſario eras conceſſurus.* Cæſaris reſponſio.

XXVI. *Jam vero me cogis oblitum eorum quæ commeruiſti, unum tantummodo reſpicere, quid me deceat. hanc enim partem præfero tam deorum, quam mea cauſſa. ſed & propter te, L. Antoni, faciam: operamque dabo, ne ſic de me judicaſſe pœniteat.* His ultro citroque dictis, *Lucii magnanimitatem & prudentiam admiratus Cæſar eſſe* dicitur; *viciſſimque Cæſaris moderationem, & brevitatem ſermonis in adoleſcente trium & viginti annorum admirationi fuiſſe Lucio.* cæteri vero facientes ex vultu utriuſque conjecturam, rem commode tranſactam eſſe, jam tum fiduciam ſalutis ſuæ gaudiumque perceperunt. Oblivionem injuriarum pollicens. Liv. Epit. App.

XXVII. Hoc maxime modo bellum Peruſinum poſt acrem obſidionem, & multas incluſorum eruptiones, finitum eſt: fame coacto ad deditionem Lucio. Sed ſtatim à colloquio miſſi ab Lucio tribuni venerunt ad Cæſarem, teſſeram petentes, militumque ſuorum numerum referentes. qui poſtea quoque mos obtinuit, ut qui quotidie ſignum petebant à principe, deſcriptum ſimul exhiberent numerũ eorum, qui tum ſub ſignis eſſent. Cæſar data teſſera, juſſit eos *excubias adhuc agere ſolito more*, ne ſub noctem intromiſſis in oppidum victoribus, aliquid præter animi ſui ſententiam gereretur. Orta luce Cæſar quidem ſacrificavit. at Lucius eduxit exercitum cum armis, ſed obvolutis & intectis iter facientium more. ubi non longe abfuerunt à Cęſare, *Imperatorem* ſalutarunt eminus, inde quibus erant juſſi locis per legiones conſtitere. Belli Peruſini finis. Liv. Epit. Dio. lib. 48. App. Plutarch. Lucullo c. 58.

Cæsariani milites pro Antonianis deprecantur.

XXVIII. Cæsar finito sacrificio laureatus conscendit tribunal, jussitque *arma ponere* Antonianis, postquam id factum est, veteranos (nam à tyronibus secreverat) accivit, ut tanquam ingratos castigaret atque perterrefaceret. At Cæsariani milites, sive subornati ab Imperatore, ut sæpe, sive veterum commilitonum tempore permoti, ad complexum illorum festinabant, orantes pro his Cæsarem irrequietis vocibus, neque discedentes ab amplexu eorum, donec Cæsar ægre sedato clamore conversus ad suos, *Miruistis*, ait, *commilitones ut vobis negem nihil. At ego tyrones quidem coactos militasse Lucio censebam, hos autem qui sæpe vobiscum militaverant, & nunc à nobis servantur, cupiebam interrogare, quæ igitur nostra injuria, qua offensa, aut qua saltem spe uberioris apud alios militiæ, contra me vos & sua ipsi commoda pugnaverint? quidquid enim sudatum est hactenus, ecquo alio fine factum, nisi ut agri veteranis darentur, cujus fructus fiebant & ipsi participes? Igitur si conceditis, nunc quoque eos interrogabo.*

Cæsar illis ignoscit.

XXIX. Deprecantibus illis, *fiat igitur*, inquit, *quod petitis. abeant vestro patrocinio securi, & hanc etiam objurgationem lucrentur; sed hac conditione ut vobiscum in posterum consentiant.* Tum verò utrimque voces & clamores promiscui insonuerunt, laudantium Cæsarem, agentiumque gratias. atque ille quibusdam petentibus concessit, *ut quos quisque vellet excipere hospitio: reliquam multitudinem quo loco primum constiterant sub pellibus agere* jussit, *donec hyberna eis & qui deducerent assignarentur. Adesse mox Lucium cæterosque* jussit, pro tribunali sedens. descenderuntque Senatores & Equites multi, præsentem fortunam habitu vultuque præferentes. quibus egressis præsidium Cæsaris Perusiam introductum est. Lucium Cæsar secum habuit: cæteros centuriones partiti sunt, custodes futuri hospitii specie, ut erant edocti ab Imperatore.

In Perusinos immitior. Vel. 2. 74. 4. Dio. l. b. 48. App.

XXX. Perusinis è muro deprecantibus concessum ut egrederentur, præter decuriones, venientibusque data venia. decuriones in custodiam dati paulo post, ut militum odiis satisfieret, supplicium pertulerunt, uno excepto L. Æmilio, quod judex Romæ, quum percussores Cæsaris postularentur, atrum calculum palam tulerat, cæterosque fuerat ad condemnandum reos cohortatus. Oppidum diripiendum dare militi voluerat Cæsar; sed princeps civitatis Cestius, qui mentis haud omnino sanæ *Macedonicum* se appellabat, quod olim ea in provincia militasset; subjecit ignem ædibus suis, teque transfixum gladio in flammam intulit. tum ventorum vi dilatum incendium, omnem Perusiam hausit, excepta tantum æde Vulcani. Junonis signum, quam Etrusci præ cæteris numinibus consueverant colere, quum incolumem mansisset ignibus, Cæsar Romam transferendum curavit, somnio monitus: concessitque volentibus instaurare oppidum: agri tamen spatium intra passus mille restrictum est.

Cæsaris crudelitas. Appian. Propert. 2. 1. Justin. 20. 3. 11. Liv. Epitom. Sueton. Aug. 15. 1. Dio. Senec. de Clement. 1. 11. 2.

XXXI. Qui deinde has reliquias incoluerunt, pro Junone Vulcanum adoperunt tutelare numen. Hic tum exitus Perusiæ fuit, veteris urbis, sive Lydæ cum novi tum adhuc Italiæ inquilini; sive ut est relatum ab aliis, Achæi condiderunt. Proximâ deinde die Cæsar qui jam reconciliatus erat Antonio, cæteris etiam omnibus ignovit. Nec ideo minus trucidati sunt plurimi nobiles & egregii viri, quum exulare se conantibus una voce responderet Cæsar, *moriendum esse*. Sic & T. Canucius, qui Tribunus plebis causam Cæsaris plurimum adjuverat; & Flavius quidam, & Clodius Bithynicus perierunt; & alii tanto numero, ut tre-

Digitized by Google

centos, aut etiam quadringentos utriuſque ordinis, delectos è dedititiis, Idibus Martiis, ad aram D. Julio exſtructam more victimarum immolatos ferant. Cæſar *ad hæc cogi ab exercitu* querebatur. nec ideo perſuaſit: quin fuerunt qui traderent, *ab ipſo hoc conflatum bellum eſſe data opera, ut æmuli atque inimici latentes, copia ducis ſe offerente nudarent animos, vincique & facultatibus exui poſſent: unde promiſſa veteranis præmia conficerentur.*

XXXII. Sic Peruſina fames, quæ mox propter ſummum exempli horrorem velut proverbio jactari cœpit, totam Italiam formidoloſiſſimo bello liberavit. Maximæ enim vires Antonianorum fuerant; C. Aſinius, L. Plancus, P. Ventidius, P. Canidius, Craſſus, Ateius, aliique duces tredecim exercitus ducebant, & equitum ſex millia quingentos. Hi plerique omnes Lucii caſu exterriti ad mare deſcenderunt, Brundiſium, aut Ravennam, aut Tarentum petentes: atque inde pars ad Pompejum Murcumque & Ahenobarbum ſe contulit; alii tranſierunt ad M. Antonium. Inſequebantur Cæſariani pacem offerentes, & contumacibus infeſti. Sed nihil efficere memorabile potuerunt, niſi quod Agrippa duas legiones ad ſe tranſduxit, quas Plancus Cameriæ reliquerat. Atque idem Plancus reliquo etiam exercitu ignaviter deſerto, Fulviæ eum liberis fugienti ſe adjunxit comitem; atque illa cum tribus millibus equitum, quos ei duces præſidii cauſſa addiderant, Puteolos & inde Brundiſium contendit, cum navibus longis quinque, ad hoc è Macedonia accitis, ad virum trajectura. Reliquorum nonnulli adjunxerunt ſe P. Ventidio. Sed Aſinius Pollio qui cum ſeptem legionibus Venetiam diu retinuerat Antonio, magnâque res circa Altinum geſſerat, dum Antonium petit, Domitium Ahenobarbum fide data tranſduxit ad partes.

Antoniani fugiunt ex Italia. Lucan. 2. 47: App. Annal. Pigh. 713. Dio. Velleius. 2. 46. 2.

XXXIII. Scripſerunt quæ ambo ad Antonium, eique tanquam mox adfuturo, exſcenſiones & commeatus providebant. Sextus quoque Pompejus, per Iuliam Antonii matrem, quam in Sicilia comiter exceperat, de amicitia cum eo agere cœpit. Inter hæc Cæſar reliqua Italiæ quæ præſidiis adverſariorum occupata fuerant, armis aut voluntate defentorum recepit. Nec tacenda Liviæ mox Auguſtæ fortuna, magnum habens & utile mortalibus exemplum mutabilitatis. Ti. Claudius Nero vir Prætorius & Pontifex, cum deditione à cæteris Peruſiæ factâ, ſolus in partibus perſtitiſſet, Prænestæ primum, deinde Neapolim evaſerat. Ibi fruſtra profeſſus patrocinium eorum, qui agros amiſerant in Campania, ſervos etiam vocare conatus ad pileum, adventu Cæſaris in Siciliam fugit.

Liviæ fortuna. App. Dio. Suet. Tib. c. 4. Vell. 2. 75. 2.

XXXIV. In ea trepidatione Tiberius qui poſt imperavit, tum vix bimulus, pæne vagitu ſuo parentum fugam prodidit: quum ad vitandum occurſum militis, matris Liviæ ſinu, & quidem gravidæ, uno tantum per itinerum devia comitante profugos, ad navigium deportatur. Nec diu manere apud Pompeium juvenis ſuperbus potuit; non ſtatim in conſpectum ejus admiſſus, & mox prohibitus faſcibus, quos ultra legitimum tempus retinebat. Igitur ad Antonium profecturus, in Achaiam tranſmiſit, commendavitque ſuos Lacedæmoniis publice, quod in tutela Claudiorum ea civitas erat. Sed inde digredientem nocturno itinere, flamma repente exorta è ſylvis, cùm omni comitatu ita circumdedit, ut Liviæ veſtis & comæ amburerentur. inter fugam Neronis à Neapoli, C. Velleius, avus hiſtorici, qui ante Bruti, mox Neronis præfectus fabrûm fuerat, ſenile corpus, quod comitari abeuntes cupientem tardabat, gladio tranſadegit.

Et grave periculum. Velleius. Sueton. Dio.

Cum legionibus Galliam & Hiſp. ad ſe trahit Cæſar.

En: Domitio Calvino; C. Aſinio Pollione Coſs.

Cæſaris potentia creſcit. Appian. Dio. Liv. Epitom.

XXXV. Tota jam Italia Cæſaris erat: igitur proxima ei cura fuit occupandarum legionum, quæ ſub Alpibus multæ Caleno duce caſtra habebant. ut ſiquidem in amicitia maneret Antonius, illi ſervarentur; ſin vero, luculenta pars virium detraheretur inimico. Diſpicientem occaſiones Fortuna adjuvit, morientе ſub hoc tempus Caleno. neque diſtulit Cæſar adire exercitum, potituſque voto, Fufio adoleſcente per metum tradente protinus omnia, Galliam etiam & Hiſpaniam adjunxit, quæ attributæ Antonio fuerant: atque ita ſimul undecim legionibus & ampliſſimis provinciis in poteſtatem citra ſanguinem acceptis, ubique ſuæ factionis homines, amotis Antonianis præfecit, hiſque geſtis in Urbem triumphali habitu invectus eſt, ubi tum reſumpta veſte, quam ſine Senatuſconſulto, plebe cogente poſuerant Patres, feſti dies agebantur. Tum ei *corona laurea decreta*, nec in præſens tantummodo, *ſed uti toties uteretur quoties aliquis alius triumpharet.*

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXVII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

PARTHI Labieno, qui Pompejanarum partium fuerat, duce, in Syriam irruperunt: victoque Decidio Saxa, M. Antonii legato, univerſam eam Provinciam occupaverunt. M. Antonius quum ad bellum contra Cæſarem gerendum incitaretur, uxore Fulvia dimiſſa, ne concordiæ ducum obſtaret; pace facta cum Cæſare, ſororem ejus Octaviam in matrimonium duxit. Q. Salvidienum conſilia nefaria contra Cæſarem molitum, indicio ſuo protraxit, iſque damnatus mortem ſibi conſcivit. P. Ventidius, Antonii legatus, Parthos prælio victos Syria expulit; Labieno eorum duce occiſo. Quum vicinus Italiæ hoſtis Sex. Pompejus Siciliam teneret, & commercium annonæ impediret, cum eo poſtulatam pacem Cæſar & Antonius fecerunt, ita ut Siciliam Provinciam haberet. Præterea motus Africæ & bella geſta continet.

Antonius per Aſiam Athenas venit in Italiam tranſiturus. Plutarch. Ant. cap. 40. Dio. lib. 48. App. Parthicis & lib. 5. Civil. Liv. Epitom.

INTER hæc Antonius hyeme apud Cleopatram turpiter acta, tum rerum iſtarum, tum Parthicorum motuum nunciis ægre excitus, Tyrum navigavit, adverſus Parthos inde ducturus. Sed lamentabilibus Fulviæ literis, in quibus apparebant frequentes lachrumarum notæ, revocatus ad domeſticas curas, & jam omnia circum occupata ab hoſte cernens, per Cyprium Rhodiumque mare in Aſiam venit. Ibi cognito Peruſini belli exitu, *fratris* accuſavit *inſolentiam* & *Ful-*

Dimiſſa Clodia Cæſar Scriboniam ducit.

& Fulviæ, ſed ante omnes Manii: hos enim cauſsam armis præbuiſse qui veniebant ex Italia confirmabant. Igitur uxorem Athenis occurrentem objurgavit graviter, & iturus in Italiam, ne obſtaret concordiæ, dimiſit Sicyone ægram animo & corpore, nequidem inter diſcedendum inviſere curans. Cum Pompejanis autem legatis, qui matrem Juliam adduxerant, L. Libone ſocero Pompeji, Saturninoque & aliis amicitiam adverſus Cæſarem conjungere cupientibus, ita tranſegit, ut *gratias pro deducta matre* ageret, *relaturumque* polliceretur: *cæterum aut uſurum ſe auxilio Pompeji, ſi bellandum ſit adverſus Cæſarem; aut eum Cæſari reconciliaturum eſse.*

II. His nunciatis Cæſarem magna & aneeps cura diſtringebat, conſenſui duorum imparem, & utro potius amico, utro hoſte uteretur, ambigentem. Athenis fuiſſe eum Antonio Pompejanos noverat: quid eſſet conventum neſciebat. interim abutebatur eo colloquio ad invidiam Antonii, *hoc nimirum agi; ut pulſus novis colonis, Pompejus vetereſque poſſeſſores reducantur.* & credebant hoc veterani, quia plurimi profugorum ad Pompejum conceſſerant. Sed nec incitari ideo contra Antonium poterant, tantum ei ſtudiorum, tantumque exiſtimationis res Philippenſi bello geſtæ pepererant. Summa vero rationum Cæſaris in eo vertebatur, ut pedeſtri exercitu egregie inſtructus, maritimas vires nullas haberet. Numero legionum, erant enim amplius quadraginta, ſimul Antonium & Pompejum & Ænobarbum ſuperabat: ſed adverſum naves adverſariorum quingentas neque claſſem habebat, neque ſpatium comparandæ: quod illi inſtructi paratiq; ex vicino Italiam infeſtare, & ad extremam inopiam adigere poterant. Jonium quidem mare nuper avectus ad Antonium Domitius aperuerat; ut melius bello peti Pompejus poſſet. cæterum hic multas ob cauſſas videbatur potior, ut præ Antonio futurus ului, majoris etiam quam ille fidei haberetur.

Ea res Cæſari curam injicit multiplicem.

III. His ita expenſis, quum dimiſſa Clodia copia ei conditionum eſſet, ad Mæcenatem ſcripſit, *uti ſororem ſibi Libonis ambiret Scriboniam*; per quam fœderis cum Pompejo feriendi, ſimul rebus ſuis expedire cenſuiſſet, occaſionem captabat: quamquam ea mulier ætate provectior duos antea Conſulares maritos, & ex P. Scipione liberos habuiſſet. Nec contanter accipiente conditionem Libone, literaſque Romam ad amicos dante, matrimonium contractum eſt. Neque tamen pax inter hos eſt inita, dum Cæſar omnia concedere non poteſt; multa remittere Pompejus non vult, cum incremento potentiæ quotidie factus elatior. Nam & alii multi acceſſerant partibus, & Statius Mureus ei luculenta adducta claſſe duplicaverat vires.

Atque ille Scriboniam ducit. Suet. Aug. c. 62 Propert. fin. lib. 2. Appian. Dio. Vell. 2. 74. 3.

IV. Ad hæc quotidianis ex Italia transfugiis, etiam ſervorum, augebatur. tam enim tranſibatur frequenter, ut etiam Veſtales inter ſacra conciperent votum, *ſi finis aufugiendi factus eſſet*. Idcirco M. Vipſanium Agrippam, principem amicorum, *cum Pompejo bellum gerere* Cæſar juſſit. Sed dum Agrippa ludos Apollinares curat, erat enim tum Prætor; in Italiam Pompejus tranſiit, magnaque ejus parte vaſtata, ſub adventum Agrippæ ſe recepit, præſidiis per opportuna loca relictis. Neque vero citius occurrere potuerat Agrippa, ludis edendis populum, qui mire his voluptatibus afficiebatur, Cæſari conciliare ſtudens. Igitur & novi generis ſpectacula ſunt edita, & translatitia ſolito magnificentius. Circenſes quidem biduo continuo. Sed & Trojam pueri nobiles luſerunt; & confectores

Pompejus Italiam vaſtat. Suet. Aug. lib. 43. Dio. Appian. Liv. Epitom.

Lepidus in Africam mittitur à Cæſare.

Cn. Domitio Calvino. C. Aſinio Pollione Coſs.

ferarum in Circo ex Equeſtri ordine producti ſunt. Inter has turbas Lepidus auctoritatem ſuam ægre paſſus ſeneſcere, in Africam à Cæſare miſſus eſt, ſex additis legionibus, quæ nuper ab Antonianis partibus avulſæ,, parum certæ fidei eſſe videbantur. Et habebat majoris auctoritatis duce opus Africa, Romanæ diſcordiæ inter diverſos duces pœnas dans, & variante partium fortuna, ſemper præda victoris. T. Sextius nuper ex provincia veteri repulſus, quum non aliam cladis eſſe cauſſam opinaretur, quam quod Caput Tauri ſecum non habuiſſet, novam expeditionem adornabat; quum à Cornificianis præventus eſt, irrumpentibus in Numidiam & obſidente Cirtam Lælio, dum Quæſtor Cornificii Ventidium Sextium equeſtribus præliis ſuperatum continet. Sed Arabionis & Sittianorum auxiliis Sextius adjutus, deduxit in æquum copias, pugnaque commiſſa Ventidium occidit, fugienteſque duce amiſſo milites inſequutus, plurimos interfecit cepitve. Hunc ad nuncium Lælius obſidione Cirtæ relicta ad Cornificium rediit. Nec diſtulit inſequi Sextius, & ad ipſam ubi Cornificius agebat Utieam profectus, licet minores habebat copias, in propinquo caſtra poſuit.

Cornificius occiditur. Dio. Appian. Euſebius.

V. Tum miſſus proſpeculatum Lælius, cum Arabione equeſtri prælio concurrit: & quia Sextius cum expeditis peditibus à latere ſe oſtenderat, receptui timens ille, propinquum tumulum occupavit. Arabio cæſis quos conſequi potuerat, circumfuſo equite collem obſidere inſtituit. Sed Cornificius hoc agi videns, cum majore parte copiarum Lælio ſubventurus, à tergo inſtantem Sextium habuit, à quo coactus ſigna convertere, dedit Arabioni ſpatium, ut per homines inacceſſa aliis loca ſuperare ſolitos, aditum in caſtra Cornificii clam reperiret. Igitur hoſte conſpecto Roſcius, præſidio caſtrorum præfectus, militi cuidam ſe occidendum præbuit. At ignarus rei Cornificius, dum ad Lælium perrumpere nititur, delertus à ſuis, quos ſæpe objurgans *galeatos lepores* appellaverat; equitum Arabionis incurſu oppreſſus eſt. quod ubi ex loco ſuperiore conſpexit Lælius, ipſe quoque ſua manu mortem invenit. Ducibus amiſſis copiæ diffluxerunt: qui proſcriptorum apud Cornificium fuerant, in Siciliam, aut quo quiſque potuit, ſe receperunt. Sextius victor Arabionem & Sittianos donavit magnifice, oppidis in fidem Triumvirorum acceptis omnibus ignovit: utramque provinciam obtinuit: donec Cæſar ex pacto cum collegis imperium Africæ Numidiæque nactus, C. Fulvium Fangonem accipere ab Sextio provincias & exercitum juſſit.

Sextius Figoni bellum infert. Appian. Dio. Cic. ad Attic. 14. 19.

VI. Exinde quum alia pactione Cæſaris & Antonii, Numidiam Cæſar, Antonius Africam accepiſſent, ſcripſit ad Sextium Fulvia, *ut provinciam Antonii nomine recuperaret.* nam obtentu hyemis adhuc moratus in Africa Sextius, novarum rerum occaſionem exſpectaverat. Igitur nolenti cedere Fangoni, bellum intulit, veteranorum contracta manu, & Regulorum auxiliis. Mox & ex ipſa provincia multi mortales ad eum conceſſerunt, Fangonis odio, qui ex manipulari, Cæſaris Dictatoris victoria, factus inter alios de genere hoc Senator, præſentem potentiam parum prudenter exercebat. Sed & Numidia ſe rebus his auditis concuſſerat; Idcirco reverſus in eam Fango, Cirtenſes à quibus ſpernebatur, itemque Arabionem negantem auxilia, plurimis adfecit damnis. hunc etiam poſtremo ejecit finibus ſuis, & quum ad Sextium ſe recepiſſet, dedi poſtulavit. Hæc nova his bellandi exſtitit cauſſa. Sextio recuſante ſupplicem dedere, ir-

rupit in Africam Fango, levibusque prœliis inferior, in Numidiam recedendo Sextium attraxit; Arabionis præcipue equitibus confisum. Sed ubi Sextius insimulatum proditionis Arabionem dolo sustulit, equites ejus, pars alio, multi ad Fangonem se contulerunt.

VII. Unde viribus exæquatis, quum invicem metuerent, *cum Arabione sublatam irarum caussam*, prætexentes, amicitiam pepigerunt, sed minime fidam ac durabilem. Quippe Fango securiorem inde Sextium factum putans, denuo transcendit in Africam: & quum equitatu Numidico Fangonis superiores partes essent, Sextium Romanæ legiones præstarent invictum; accidit, ut commisso prœlio alterum cornu uttimque ipelleretur: victores non animadverso suorum casu, castra adversariorum caperent. Ubi quid actum foret constitit, paribus demum animis congressi prœlium instaurarunt, Sed pulsus in montes Fango, quum noctu bubalorum transcurrentium sonitum audisset, equitatum hostium esse, & se prodi ratus, gladio se ipse transfixit. Numidæ lubentes sub potestatem Sextii reverterunt, excepta Zama, quæ perdomanda fame fuit. His actis Lepidus in Africam adveniens utramque provinciam obtinuit, concedente Sextio, tamquam honoris Lepidi caussa, quod contra validiorem tueri se posse desperabat. Atque is quum Romam redisset, mox inter suffectos Consularem tenuit locum.

Fango sibi conscisicit necem. App. Dio. Porphyr. ad Horat. Carm. 1. 4.

VIII. Ablegato per speciem imperii Lepido, ut etiam L. Antonium removeret, accitum his ferme verbis alloquutus Cæsar est: *Ego te quidem, L. Antoni, pietatis nomine laudo, qui in fraterna culpa tuum esse crimen tuumque periculum voluisti, cæterum gratum erga beneficia mea animum desidero: quando ne manifesta quidem fratris cum Sexto conspiratione quidquam sustines confiteri. Ego vero tibi credens extincto Caleno, ne sine duce exercitus forent, per amicos meos servabam Marco: nunc vero deprehensis ejus consiliis, mea volo esse omnia; tibi permitto, ut ad fratrem sine fraude transeas.* Ad hæc Lucius, qualia prius prætulerat: *potentia fratris abuti ad tollendum Triumviratum voluisse. eumdem adhuc animum durare, & si regressus frater Rempublicam tuendam suscipiat, clam palamve ad eum abiturum, quamquam habere maximum Cæsaris beneficium non abnuat. sin vero fratrem etiam sentiat, non contra dominationem, sed dominationis socios tendere, tum se Cæsari adfuturum contra fratrem: quamdiu ei meliorem manere mentem putarit. Porro Rempublicam ante omnem & cognationem & gratiam positurum esse.*

Cæsar Lepidū & L. Antonium per speciem honoris amovet. Appian.

IX. Cæsar non indelectatus hoc sermone, *contra fratrem fratris opera* negavit *usurum, ne si vellet quidem sequi, sed universam Hispaniam, cum exercitibus ei creditum esse: ut pro legatis habeat, qui tum sint in Hispania, Sex. Peducejum, L. Carinatem.* Hoc nimirum nomine custodes L. Antonio addebantur. Dum ita diversis locis Romanæ vires colliduntur, Parthi cum maximis copiis in Syriam & è Syria in Asiam irruperunt. quod bellum hoc maxime modo conflatum atque commissum est. Crassiana expeditione primum irritati Parthi, mox elati victoria, semper deinceps eo animo fuerunt, ut & auderent bellare cum Romanis & cuperent. Sed, ut fit, subinde intervenientibus moris, in id tempus dilata res est, quo post Philippense bellum Antonius, cogendis ubique pecuniis, maximopere provincias alienasse videbatur: eo quidem provecta Aradiorum audacia, ut Curtium Salassam cum quatuor cohortibus exigendæ pecuniæ caussa missum, vivum comburerent.

Parthi in Syria & Asia. Florus. 3. 9 3. Dio.

Ducibus Labieno Pacoro Barzapharne. Flor. Dio. Vell. 2. 78. 1. Joſeph. Antiq. 14. 23. Liv. Epitom. Appian. Partich. & Syriacis. Dio.

X. Forte T. Labienus T. F. ad ſolicitanda Parthorum auxilia miſſus à Bruto, poſt ejus interitum *occaſionem* oſtentare non deſinebat, *Antonio apud Cleopatram deſide, Cæſare Pompejoq; & quidquid armis validum apud Romanos uſquam eſſet, mutuoſe atterentibus, ſe gnarum opum quantæ cuiq; civitati eſſent, gnarum animorum, ſi copiarum imperium ſibi credatur, omnino relaturum Regi pro beneficiis gratiam.* His permotus Orodes, exercitum Labieno maximum, cum filio Pacoro & purpurato Barzapharne attribuit. Cum his irruptione in Syriam facta pervenit Apameam, & ab oppugnatione oppidi repulſus, præſidia quæ paſſim per agrum erant diſpoſita, nullo negotio in deditionem accepit. Erant enim è Caſſianis militibus, familiariter noti Labieno, quos ſuo ſacramento adactos cuſtodiendæ Syriæ, quod adſueti his regionibus videbantur, Antonius reliquerat. tamque pronus in has partes omnium animus fuit, ut ſolus è tanto numero Saxa, legati frater & Quæſtor, ejus conſilii expers maneret. Igitur Decidius Saxa legatus, ad defendendam provinciam quantis poterat copiis properans, quum in ſe Labienum abſtraxiſſet, caſtra inter Antiochiam & Apameam poſuit. Sed Labienus frequentes intra ejus vallum libellos jaciebat, *coactam & probroſam militiam cum meliore permutare commilitonum exemplo* jubens.

Syria Parthorum facta, præter Tyrum. Flor. 3. 9. 4. Acron. in Horat. Carm. 3. 6. Liv. Epitom. Joſeph. de bello Jud. 2. 17. & Antiq. 24.

XI. Nec auſus militi confidere Decidius, ſervare potius exercitum longius abductum ſtatuit, quam hunc ſimul & provinciam amittere. Sed equitatu Parthico inhærente tergis abeuntium, prœlium committere coactus, magno ſuorum numero amiſſo Antiochiam perfugit. Labienus, auctoritatem addente victoria, jam ſine certamine recepit Apameam, cunctis occubuiſſe Saxam credentibus. Inde profectus Antiochiam, hanc quoque fuga Romanorum deſertam cepit. adſequutuſque Saxam in Ciliciam properantem, eo deſperationis adduxit, ut ſibi manum inferret, ne amiſſo exercitu vivus veniret in hoſtium poteſtatem. Hinc univerſa Syria Parthorum facta, præter Tyrum, quæ portas Pacoro clauſit: quia valido præſidio nuper eam Antonius firmaverat: eodemque magna manus ex Syria confluxerat Parthicum imperium recuſantium. Ab his contra pedeſtres hoſtium copias, claſſem enim non habebant, haud ægre defenſa eſt. Ex Syria Pacorus in Palæſtinam tranſiit, accitus à Lyſania, qui Ptolemæo Mennæo genitus paternam ditionem obtinebat.

Antigonus Judæus ope Parthorum Hyrcanum oppugnat. Hegeſippus 2. 19. Joſeph. Antiq. Judaic. et de bello Judaic.

XII. Hic *Antigonum Judæum mille talenta, cum quingentis mulieribus daturum Parthis* ſua fide ſpoponderat, *ſi dejecto Hyrcano in Regnum ille reſtitueretur.* Igitur *Barzapharne per mediterranea loca* juſſo *incedere*, ſecundum litus Pacorus ducebat, obiter Sidonios recipiens & Ptolemaidem, ſponte ſe dedentibus oppidis. Inde, quoniam ipſe nondum perpacatis Syriæ rebus attinebatur, quemdam ex Regiis pincernis ſibi cognominem, attributa manu equitum miſit, ſpeculatum res Judaicas, ſimul auxilio futurus Antigono quum occaſio adfuiſſet. His in monte Carmelo prædas agentibus acceſſit magna Judæorum multitudo; ita ut juxta Drymum occurrentes ſibi hoſtes vinceret Antigonus, & cum fugientibus Hieroſolymam penetraret. In ipſam quoq; urbem introituri, & aggregantibus ſeſe qui factionis Antigoni olim fuerant, Regia petita. Sed Herode & Phaſaelo magnas cõtra copias educentibus in ipſo foro pugnatum; repulſiſque in templum adverſariis, victor Herodes viros ſexaginta in proximis ædificiis, ad prohibenda ſubita eruptionum collocavit. At hi a populo fratribus infenſo cum ipſis domibus

Hyrcanus ab Antigono male habitus.

cremati ſunt: viciſſimque multi de populo quotidianis in urbe prœliis, in vindictam horum interempti.

XIII. Quum deinde Pentecoſte veniſſet, multi ex tota Judæa convenerunt armati ferme: Phaſaëlo & Herode, cum præſidio non ita magno Regiam cuſtodientibus. Erumpere tamen auſus Herodes, cum multis hominum ſed inconditorum millibus ita conflixit, ut adjuvante etiam Phaſaëlo, multis deſideratis, pars in urbem, alii in Templum, nonnulli etiam in vallum, quod extra urbem erat, compellerentur. Inter hæc rogatu Antigoni Pacorus dux cum quingentis equitibus Hieroſolymam ingreſſus, ſpecie componendorum motuum, inſidias Hyrcano ſtruebat: effecitque ut adſumpto Phaſaëlo ad Barzapharnem proficiſceretur: coſq; deduxit ipſe, relictis apud Herodem ducentis equitibus, & præterea decem ex ingenuorum numero, minuendæ ſuſpicionis cauſſa. Ut in Galilæam ventum, populares in defectione & armis eſſe viderunt. à Barzapharne initio accepti donatique liberaliter, mox ſenſerunt inſidias; & quamquam abiturus ad Pacorum Satrapa *falſo ſuſpectum ſe* juraverat, ſtatim digreſſo illo vincti ſunt. Herodes quum & ille captaretur, cum Regiis mulieribus effugit in caſtellum Maſſada, ubi poſtmodum Regiam condidit, oppidumque Herodiam: atque relictis ibi mulieribus & præſidio, Petram Arabiæ profectus eſt.

Quibus Herodes repugnat. Joſeph. de bello Judaic. & Antiq. Jud. Hegeſippus.

XIV. Interim Hieroſolymis Parthi pecunias profugorum deprædabantur, Hyrcani tamen theſauro parcentes: erant autem haud amplius trecenta talenta. Sed minor ſpe præda fuit, quia diffiſus Parthicæ fidei Herodes cæterique, pretioſiſſima rerum dudum in Idumæam præmiſerant. Igitur ne agro quidem abſtinentes Parthi, multa maleficia intulerunt, & Mariſſam, populoſum oppidum, devaſtarunt penitus. Antigono deinde Regi declarato Phaſaëlum & Hyrcanum vinctos tradiderunt: atque ille, tanta eſt ambitionis rabies! aures Hyrcani mordicus abſtulit; ne iterum Sacerdotio, quod integris tantummodo lex permittebat, fungi poſſet. Phaſaëlus ne arbitrio inimici moreretur, ſaxo illiſit caput. Hyrcanus in Parthos abductus eſt. At Herodes Arabum & Malchi ſuſpecta fide, in Ægyptum properavit: inde per Pamphyliam & Rhodum, in Italiam navigavit, ut rerum ſuarum ſtatum, Parthorumque progreſſus Antonio exponeret. Interea Labienus Ciliciam & Aſiæ continentem, quia Plancus ſe continebat inſulis, ſubjugabat impetu fortunæ, & terrore Parthici nominis.

Antigonus aures Hyrcani morſu avelit. Hegeſipp. Joſeph. Ant. Iud. & de bello Iud. Dio. lib. 48. Strabo lib. 14.

XV. Romanæ quoque cohortes ad eum frequenter tranſibant, quibus auctus Mylaſa & Alabanda, Carum urbes, quum præſidium acceptum neceſſent, expugnavit armis: & Alabandenſes adfecit ſupplicio. Mylaſa quorum incolæ Rhodum profugerant, diruit, infenſus admodum propter Hybream, qui clariſſimus facundia, quum cives ſuos contra Parthos concitaret, *Imperatorem* ſe *Caricum* deridendi Labieni cauſſa appellaverat. Ea contumelia maximopere accendit adoleſcentem irritabilem & ſtolidum, qui ſe *Parthicum Imperatorem* ferebat, moribus Romanis multum diſcrepante titulo; talia enim cognomenta Imperatoribus à devictarum gentium appellatione tribui conſueverant. At Stratonicean in propinquo ſitam, nec impetu capere Labienus, neque domare longa & laboriosa obſidione potuit. Etiam prædonum audacia Labienum involvit difficultatibus, quum à ducibus Romanis timeretur. Cleo certo Gordiocomenſis Callydio occupato Phrygiæ caſtello pecuniam colligentibus imminebat acriter,

Hybreas offendit Labienum. Val. Max. 9. 14 2. Appian. Part. & lib. 14 Civil. Strab. lib. 12.

apparatuſque Parthicos diſturbabat. Sed hæc parum ad ſummam proderant, abſente, penes quem plurimum erat potentiæ, Antonio: qui ſolvens à Corcyra cum claſſe ducentarum navium per Jonium mare vela faciebat; ubi obvium Ahenobarbum habuit, majores aliquanto copias ducentem. Inde metus nonnullis, *ne juvenis ferox, & proſcriptum ſe ſciens, ſtare pactis dubitaret.*

Antonii magnanimitas in claſſe Domitii recipienda: Cluv. Ital. Antiq. 3. 4. App.

XVI. Nec eo minus ſubſequi juſſis reliquis, cum inſtructiſſimis quinque navibus Antonius pergebat; quum univerſa Domitii claſſe conſpecta L. Plancus, qui comes aderat Antonio, *remittendum de curſu* cenſuit, *tentandamque prius per alios dubiam viri fidem.* Sed Antonius *malle ſe mori deceptum pactionibus, quam timore confeſſo ſervari* teſtatus eſt. Ubi convenerunt claſſes, primus lictor Antonii ſtans in prora, Domitianos *aplustria detrahere* juſſit, quam reverentiæ ſpeciem inferiores exhibere potentioribus ſolent. Quod ubi prompte factum eſt, junctiſque navigiis ſalutarunt invicem, & ab Domitianis Antonius *Imperator* acclamatus eſt, vix recipiente animum Planco, Domitium Antonius ſuam in navem accepit: unaque Paloënta (Valetium fuiſſe ſuſpicabamur) proceſſerunt, ubi caſtra Domitiana erant. ceſſitque tabernaculo Domitius Imperatoris; & hinc Brundiſium itum. Quinque cohortes Cæſaris nomine Brundiſium obtinebant: eæ portas clauſerunt utrique, Domitium ut veterem hoſtem, Antonium ut hoſtes ſuos adducentem avertati.

Antonius & Pompejus Cæſari bellum faciunt. Dio. App.

XVII. Hoc ille ratus Cæſaris voluntate factum, obſedit urbem; in linguæ per quam continenti adnectitur, foſſam murumque molitus, & ne mari auxilia immitterentur, crebra circum portum & propinquas inſulas caſtella excitavit. Sed & opportuna in litore loca præſidiis cepit, Sextumque adhortatus eſt, *ut expeditionem faceret in Italiam.* Ille gaviſus occaſione Menodorum cum legionibus quatuor & magna claſſe in Sardiniam miſit: duæque legiones Cæſaris, quæ inſulam cuſtodiebant, conſenſionem Antonii cum Pompejo veritæ, in partes tranſierunt. Interim Sipuntum ad Auſonium mare Antonius cepit. Sextus & ipſe tranſgreſſus in Italiam Conſentiam obſedit, & Thurios. Cæſar his auditis P. Servilium Rullum ire Brundiſium juſſit; M. Agrippam in Auſoniam, ut obſeſſis auxiliarentur. Sed novi coloni, qui velut adverſus Pompejum ſequebantur Agrippam; ubi duci contra Antonium ſenſerunt, clam reverterunt domos.

Antonii ſtratagema.

XVIII. Igitur Cæſar ipſe profectus, blanditiis & auctoritate pervicit, ut ſequerentur; ibantque illi, re ſic inter ſe clanculum compoſita, *ut in gratiam reducerent Imperatores: ſi per Antonium ſtetiſſet, quominus reconciliatio fieret, tum illi de gratia Cæſaris ſumma ope tuerentur.* Sed valetudo Cæſaris eum per aliquot dies Canuſii detinuit; ut jam propemodum ſero Brundiſium accederet, ſeptum undique munitionibus Antonianis, & ſibi inacceſſum. Erat tamen numero legionum ſuperior. Idcirco Antonius è Macedonia arceſſebat ſuas: & ut interea opinione majorum virium Cæſarem eluderet, paganam multitudinem noctu longis rotundiſque navibus amandans, quæ luce palam armata revertere-tur, ſpeciem venientium è Macedonia militum adverſariis objiciebat. Jam etiam paratæ machinæ erant, & in diem ſequentem adornabatur oppugnatio, magno dolore Cæſaris, qui opem ferre obſeſſis nullo pacto poterat: quum ſub noctem *& Sipuntum ab Agrippa receptum eſſe, & rejectum à Thuriis Pompejum ad Conſentiam hærere* nunciatum eſt.

Cæsar Brundusium petit contra Antonium.

XIX. Commotus his Antonius, postquam etiam exnanti *Servilium cum mille ducentis equitibus ad Cæsarem proficisci* allatum est: imperare non potuit animo, quin hos, statim amicis qui subito parati esse poterant adsumptis, & equitibus quadringentis, adoriretur. Quum noctu feciſſet iter, reperit cubantes adhuc circa oppidum Uriam, & præsentia sua territos, maximam enim, uti diximus, existimationem ei Philippense prœlium conciliaverat, occisis nonnullis, in deditionem recepit, eademque die deduxit in castra ad Brundisium. Hinc ex Prætoriis cohortibus Antonii milites gloria elati, ad castra Cæsaris accedebant simul pauci, commilitonibus quondam suis exprobrantes *ingrati animi vitium, qui Cassiano bello servati ab Antonio, hanc ei vicem beneficii rependerent.* Contra regerebatur *in Antonium culpa, fœdere facto cum parricidis & exsulibus, prodentem, pro quibus ipse pugnavisset.* His colloquiis hactenus tamen profectum, ut Cæsariani propositum suum *in reducendis ad concordiam Imperatoribus* fatererentur.

Servilium Cæsarianũ strenue opprimit. Dio. Appian.

XX. Inter hæc de morte Fulviæ nuncius ad Antonium venit, cui eadem mœstitia, quæ morbi causa fuerat, postremo vitam ademit Sicyone; quæ res aperuit reducendæ paci viam. Forte L. Coccejus Nerva, cujus postea pronepos imperavit Romæ, communis Imperatorum amicus, apud Antonium commorabatur, ad eum æstate superiore missus à Cæsare, cum Cæcina Volaterrano Cæsaris familiari. Hic igitur experiri cupiens, quid in eo temporis articulo ad sarciendam gratiam fieri posset, *revocatum se* fingens à Cæsare, quum dimitteretur, interrogavit Antonium, *ecquid dare literarum ad Cæsarem vellet?* nam ipse literas à Cæsare ad Antonium attulerat. Ille negare *literas scripturum ad hostem.* Tum Coccejus, *Hostem igitur*, inquit, *appellandum existimas, qui in fratrem cæterosque tuos amicos tam fuit benignus ac facilis?* At vero nec sine bile Antonius: *Egone hostem appellare verear, qui me non recepit Brundisii? qui provincias, qui legiones meas abstulit? nam meos servando sibi profuit; mihi adimendo amicos, sibi beneficio obligans.*

L. Cocceii Nervæ pulcherrimum factum. Plutarch. Anton. c. 40. Appian. Acron in Horat. Satyr. 1. 5. Cic. Attic. 16. 8.

XXI. Coccejus satis habens didicisse querelas Antonii, nec ulterius lacessere volens iracundum hominis ingenium, ad Cæsarem abiit. Ille viso Coccejo miratus non venisse citius: *Tuum igitur fratrem*, inquit, *in hoc servavi, ut tu ipse mihi inimicus ex amico fieres?* Ad hæc Coccejus: *Tu vero, ait, quos amicos vocas, eccur provincias bis & exercitus aufers, & ad te venientes excludis?* Tum Cæsar: *Itane legiones Caleni defuncto illo relinquendæ fuerunt sub imperiti adolescentis imperio, ut à Lucio fortassis, aut Pollione, aut Ænobarbo contra nos occuparentur? quod nisi legiones quæ secutæ Plancum fuerant, retinere maturassem, essent hodie Pompeii, quemadmodum sunt equites earum, qui in Siciliam transierunt. Falso autem incusor ob excluſum Antonium: cujus ego nec præscire adventum potui; ne dum ut recipi vetarem. Sed hoc injussu meo Brundisini & præsidiarii fecerunt, non sine ratione tamen, fœdus Antonii cum Pompejo formidantes, & infensum hostem Domitium, quem Antonius adducebat, damnatum parricidii proscriptumque, & ne Philippensi quidem victoria deterritum, ne Brundisium oppugnaret, Jonium mare infestum faceret, naves meas incenderet, Italiam deprædaretur.*

Ejus colloquium cum Cæsare.

XXII. Excepit contra Coccejus: *quod Antonius fœdera cum aliis fecisse dicitur,*

In quo Antonii causam defendit.

in eo reprehendi non debet; per factiones enim vestras licet: sed neque cum parricidis fecit, nihilo remissiore studio mortem amici, quam tu parentis exsequi solitus. enimvero in percussoribus Domitius non fuit. ne consilii quidem conscium irati judices damnaverunt. Si vero ut amico Bruti negamus veniam, vide ne propemodum omnibus succensere cogamur. Cum Pompejo autem non ita conventum est, ut eosdem amicos atque hostes habeant: sed ut te movente bellum, auxilio ejus utatur: te quiescente tibi conciliet hominem nullius & ipsum sceleris reum. In te vero & harum rerum crimen expetit: nisi enim bellasses in Italia, numquam hi ausi fuissent legationes ad Antonium mittere. Vociferante Cæsare, *non se causam ei bello, sed Manium, sed Fulviam, sed Lucium præbuisse: neque vero umquam antea Pompejum in Italiam cum legionibus descendere ausum, nunc Antonii fiducia fecisse; non*, ait *ille, fiducia Antonii, Cæsar, sed omnino jussu. neq; enim celare te volo, cæteram etiam Italiam nulla classe defensam, cum magno navium numero incursurum esse, nisi pacem feceritis.*

Postremo ex morte Fulviæ spem reconciliationis ostendit.

XXIII. Hic parumper reticens adolescens, altius enim in animum ejus postrema dicta descenderant, deinde dixit, *non impune laturum ausa Pompejum, nec abiturum aliter quam modo à Thuriis.* At Coccejus abunde ratus exploratum esse, quibus stimulis utrimque animi concitarentur, nec immedicabile malum esse, cœpit exponere *de Fulvia, & quibus illa causis morbum mortemque acceleravisset: postquam igitur*, inquit, *hæc discordiarum extincta fax est, quid vetat quominus redeatis in gratiam? modo fateri suspiciones vestras, quam alere dissimulando malitis.* Postridie rogavit Cæsarem, *ut literas ad Antonium scriberet, ad majorem ætate junior*, ille negavit *oportere ad inimicum: præsertim qui commercium hoc abrupisset prior. sed ipsius matri Juliæ exprobraturum, quod propinqua sua & præcipuis culta honoribus Italiam fugeret: quasi vero non à se exspectare omnia tamquam à filio posset.* Usus igitur hoc artificio ad Juliam scripsit, quæ scire Antonium cupiebat, auctoritate salva. Cum hac epistola proficiscenti Coccejo, multi centuriones consilium exercitus aperuerunt: nec ille negligenter expositi Antonio, ut certum haberet *grave sibi bellum imminere, ni transactum foret.*

Pax conficitur. Plut. Ant. c. 40 Appian. lib. 5. Civil. Dio lib. 48.

XXIV. Una res habebat ancipitem animi, quod Pompeji præsentia obstare paci videbatur; sin vero postea conventum non esset, revocare eum Antonius probrosum judicabat. Sed persuasus à Coccejo & matre, cum Sexto egit, ut *in Siciliam reverteretur, sibi promissa curæ fore*: sed & Ænobarbum *abire in Bithyniam* jussit, cui eum præficiebat. His rebus cognitis exercitus Cæsaris legatos ad utrumque Imperatorem misit. Atque illi neutrius audire querelas voluerunt, *pacis se parari*os venisse, *non disceptatores litium*, dictitando: eviceruntque ut Tarracinam mitterent amicos de conditionibus acturos. A Cæsare Mæcenas & Agrippa venerunt, ab Antonio cum Pollione Fontejus Capito. Ab his composita pax est, tam in speciem firma & fidelis, ut una intra castra ambo exercitus conducerentur, oblivione præteritorum sancita. Commodum mortuus erat C. Marcellus maritus Octaviæ, quam ex Ancharia priore conjuge pater Cæsaris susceperat. *Hanc à fratre collocari Antonio* pacis auctores postulabant. neo displicuit conditio. & quum esset gravida mulier, neque dum eluxisset virum, ne Romano more infamis haberetur, Senatusconsulto legibus soluta est. Hæc vulgata tantam omnium militum lætitiam excitaverunt, ut ipsæ acclamationes,

Digitized by Google

nes, eo die atque etiam noſte ſequutâ totis caſtris perſonârent.

XXV. Imperatores quoque ſartam bona fide gratiam mutuis conviviis teſtari voluerunt, notatuſque eſt adparatus Antonii, jam ad Aſiaticum Ægyptiumque luxum deſciſcentis; quum Romano & militari more cœnam Cæſar inſtruxiſſet. Sub hoc tempus iterum diviſo imperio Antonius Orientem accepit, Cæſar Occidentem, conſtituto ditionis utriuſque limite Codropoli, quæ in Adriatici maris intimo ſinu poſita, diſterminandis provinciis opportuna videbatur. Africa Lepido relicta eſt, & hæc diviſio Senatuſconſulto confirmata. Bellum cum Sex. Pompeio, niſi forte pax conveniſſet, Cæſari mandatum: Antonio Parthicum. Domitius in gratiam receptus à Cæſare, quibus ille conditionibus cum Antonio pepigerat. Adiectum; *utrique Imperatori licere delectus habere in Italia, pari numero.* Antonius in gratiam Octaviani, quod hactenus neglexerat, Flaminio Cæſaris patris inaugurari paſſus eſt. Hoc fuit Brundiſinum illud fœdus, quod tum quidem cruentiſſimi belli metu Italiam abſolvit. Inde M. Antonius P. Ventidium in Aſiam miſit, ut Parthorum & Labieni conatibus obſiſteret. alii quoque Imperatorum amici, quo vocabant negotia, dimiſſi. Sed Cæſaris milites, quotquot Philippenſi bello interfuerant, Antonium circumſteterunt, pecuniam poſtulantes, quam ille per Aſiam ad ſolvenda militibus præmia cogere debuerat. Nec procul periculo Antonius erat; niſi Cæſar expromiſſor ſponſorque pro eo exſtitiſſet. Eius conditiones. App. Dio. Chron. Alex. Vell. 2. 76. 3. Cic. Philipp. 2. 41. 13. 19. Plut. Ant. c. 45.

XXVI. Tum properatum, ut in colonias veterani dimitterentur, ne ſub ſignis habiti tumultum renovarent. At Pompeius audita Cæſaris & Antonii coniunctione quum adverſus ſe initam crederet, Menam archipyratam (quod vocabulum à Menodoro, quemadmodum alii vocant, diminutum eſt) eum parte claſſis damnum aliquod inferre adverſariis juſſit. Ille litore Hetruſco devaſtatis plerique, M. Titium naves propriæ potentiæ ſtabiliendæ cauſſa comparantem, in Narbonenſi Gallia cepit, ſervavitque: tum propter patrem Titium, unum ex proſcriptis, qui apud Sextum degebat; tum quia milites ejus Pompeii nomen ſcutis inſcriptum habebant. Deinde profectus in Sardiniam Menas, quam inſulam paulo ante Cæſaris libertus Helenus patrono recuperaverat; à M. Lurio pulſus, victorem incautius ſequentem, ſubito incurſu egit in fugam. Atque illo relinquente mox inſulam, cætera deditione, ſed Aradin, quo perplurimi ex pugna perfugerant, operibus cepit. Inter captivos & Helenus fuit, quem quum patrono ſciret oppido charum, ſine pretio dimiſit Menas, jam tum ſibi gratiam apud Cæſarem præſtruens, ſi forte ejus benevolentia opus aliquando habuiſſet. Menas Archipirata Pompeii claſſem ducit. Dio. Appian. Plutarch. Suet. Aug. 3. 2. a.

XXVII. Interim in Urbem ambo Imperatores magna lætitia deducentium, ovantes ingreſſi ſunt, hoc decreto ipſis ob pacem factam honore. Mox nuptiis Antonii & Octaviæ celebratis, in amicos effuderunt iram, quorum ſemper ſub reconciliationem principum periculoſa conditio eſt. Cæſar Manium Antonio criminabatur: hic contra deferebat Salvidienum. Igitur, Manium Antonius ſuſtulit, ut belli Peruſini facem. Cæſar Salvidienum evocavit Romam, quaſi mox remiſſurus. Ubi adfuit, proditionis in Senatu accuſatus, indice Antonio, ad quem legatos Brundiſium miſerat; ubi ſe damnari vidit, voluntaria morte periit. exercitum ejus Cæſar, ut ſuſpectum, & ſupplicio dueis offenſum, Antonio tradidit. Neque temere dimittenda eſt Salvidieni hujus mentio; in quo conſpici magnū utriuſq; fortunę documentum poteſt. Obſcuriſſimum homini genus contigerat; ſed emicans Salvidieni fortuna. Appian. Suet. Auguſ. 66. Liv. Epit. Dio.

ex pueri capite flamma dum gregibus pascendis occupatur, injecit spem desiderium que futuræ claritudinis. Inde militaribus facinoribus notus charusque Cæsari, eo dignitatis adscendit, ut quamquam Senator nondum fuisset, Consul designaretur; post Pompejum & ipsum Cæsarem tertius, qui ad summum honoris gradum ex equestri ordine transcendisset. quin & in honorem ejus, frater qui paulo ante vita concesserat, supra Tiberim extructo ponte elatus est.

Lex Falcidia. Liv. Epitom. App. Mithrid. & 5. Civil. Strab. lib. 12. Euseb. Sueton. Aug. 26. 1.

XXVIII. At hæc felicitas repente collapsa improvisum & turpem exitum habuit. Senatus *hostem publicum appellandum, supplicationesque propter oppressa ejus nefaria consilia* decrevit: *Triumviri sque custodiam Urbis* mandavit cum solenni carmine, *ne quid Respublica detrimenti pateretur*. Sub idem tempus defunctis Dejotaro Gallogræciæ, & Attalo Paphlagoniæ Regulis, utriusque Tetrarchiæ Castori sunt traditę. Romę P. Falcidius Tribunus plebis legem tulit, cujus vis ne nunc quidem expiravit, *uti ne minus quam quartam partem hæreditatis ex testamento hæredes capiant: gravatam legatis hæreditatem dimittere liceat hæredi, quarta retenta*. Legem per se non iniquam, tamen in Cæsaris gratiam à Falcidio latam crediderim, inter penuriam pecuniarię rei respicientis ad judicia amicorum mortuorum, egreque ferentis si nihil sibi legatum esset; at majorem timentis invidiam, si quando nihil aut parum remanere apud hęredes videretur. Nam populus multis afflictus miseriis in metu & desperatione agebat. Acri in fame frumentum nec ab Oriente subvehebatur, negotiatoribus Pompejum & Siciliam timentibus; nec ab Occidente, quod in ejusdem Pompeii potestate Corsica & Sardinia erant; etiam Africanos commeatus vagantes in medio mari naves ejus intercludebant.

Seditio Romę. App. Dio. Aristot. Polit. 2. 9. Suet. Aug. 16. 3. Julian. Cæsar.

XXIX. Conviciis igitur *pacem cum Pompeio* populus exposcebat: nec Cęsar flectebatur. Idcirco Antonius, *si bellandum utique foret, celeriter hoc agendum* judicabat, *priusquam inopia magis ingraveſceret*. Edictum igitur est propositum, quo *in capita mancipiorum dimidium ejus quod Philippensi bello fuerat exactum* imperabatur: tum autem denarios quinos & vicenos solverant. etiam *de hæreditatibus certa pars* detrahebatur. Idcirco plebs furibunda deripuit edictum: favoremque Pompejanarum partium ostentans, quum Circensibus Neptuni simulachrum inferretur; ingentem planum dedit, Sexto, qui se filium dei ferebat gratificans; & quum die proximo solenni pompæ *detrahi eam* Cæsar jussisset, lapidatio in magistratus facta, iique Foro expulsi sunt. Cæsaris quin imo & Antonii dejectæ statuæ. Postremo quum hæc omnia frustra essent, agmina seditiosorum cucurrerunt per Urbem, clamore vocantium cæteros minantiumque *incendium ædibus, quarum domini communem causſam prodorent*. Ita plebe propemodum universa concitata, Cæsar cum amicis paucisque stipatoribus in medium prodiit, rationem consiliorum suorum redditurus: nec reverentia ejus cohibiti, quosdam ex ejus comitatu vulnerarunt; in ipsum quoque jaculati, præbentem se ictibus, donec veste lacerata deprecatus est *tam præcipitem iram*.

Antonius periculo Cæsarę eripit. App. Dio.

XXX. His turbis excitatus Antonius, per viam sacram in forum properabat. & abstinebat quidem ab hoc violentiam plebes, quod ad pacem cum Sexto proclivem rebatur. at ubi admonitus dissociare se à Cæsaris causſa noluit, ipsum quoque missilibus petierunt. Ille accitis militibus, qui ante portam excubabant, vi patefecit aditum, Cæsaremque eripuit. Nec sine magna cæde patrari res po-

tuit: cadavera, ne triſte ſpectaculum in Urbe relinqueretur, projecta in profluentem, neutiquam minore dolore hominum, quum aut à militibus, aut à malefica alia turba pro ſuo vindicantium, quod paulo veſtitum mundius eſſet, ſpoliarentur. Ad extremum, ubi quotidie graviori fame nullus ſperari tumultuum finis poterat, Imperatoribus animum ad pacem adjicientibus, cum Libonis familiaribus Antonius egit, è Sicilia evocarent hominem, ut affinitate nova frueretur, ſimul ad ſpem majoris conficiendæ rei. nec illi diſtulerunt ſcribere Liboni, neque Pompejus, quo minus proficiſceretur interceſſit. Interea temporis Antonius & Cæſar, quamquam in exitu annus erat, *abdicare Conſules atque Prætores* juſſerunt, ut in eadem nomina verius quam poteſtatem alii ſufficerentur, magno pere beneficium hoc affectantes, licet pauculos ad dies manſura dignitas concederetur.

XXXI. Conſules ſuffecti ſunt C. Aſinio P. Canidius Craſſus, Cn. Domitio L. Cornelius Balbus Hiſpanæ originis, & Gadibus natus. ſed amicitia Cæſarum, & laborioſis miniſteriis eo perductus, ut Pontificatum etiam & Triumphum adipiſceretur: vir, qui non ſine magna controverſia civitatis jus obtinuerat. Idem ad tantas opes provectus traditur, ut moriens populo Romano quinos vicenos denarios legaret viritim. Et hi tamen in aliquot dies geſſerunt honorem: cæterum extrema anni die mortuo Ædili ſuffectus eſt quidam paucas in horas. Eodem anno Septemvirorum munia, quod eorum in Urbe erat nemo, Pontifices obierunt: ſicut alias quoque fuerat factum. iidem Pontifices, ne Kalendis Januariis nundinæ eſſent, quod antiquitus ominoſum habebatur, intercalarunt unam diem alieno tempore, quam iterum eximerent anni ſequentis intercalatione diſſimulata. ſic exiſtimantes reditura tempora ad præſcriptam à Cæſare normam. Sed error iſte poſt aliquammultos demum annos, animadverſus eſt. Tum vero Conſules ludos pro victoria Philippenſi votos exhibuerunt; & pædagogum libertumque ſuum Cæſar nomine *Sphærum* honorifice ſepelivit. Cornelii Balbi fortuna. Pighii Annal. Plin. 7. 43. 3. Vell. 2. 51. 3. Cic. pro Balbo.

XXXII. Atque ut adverſus Parthos plus in Oriente præſidiorum populus Romanus haberet, aſſenſus eſt Antonio, *Herodem Regem & amicum* appellanti, propter Antipatri memoriam, & ipſius virtutem. Sed Antonio magnam Herodes pecuniam promiſerat. Igitur Senatu ei dato, quum Meſſalla & Atratinus eloquentiſſimi viri merita Herodis commemoraſſent; Antonius adjecit *intereſſe Parthici belli, ut Herodes Rex declararetur*. Ita ille præter omnem exſpectationem, quæ ſumma cenſentur inter homines nactus, intra ſeptimum quam venerat diem ex Italia profectus eſt. Nec enim ut ſibi Regnum peteret, venerat: quod neque daturos arbitrabatur Romanos, minime concedere his ſolitos, qui de genere Regio non eſſent. Adjecti ſunt & alii honores. Exeunti Curia duo Imperatores texerunt latus, Conſulibus cæteriſque magiſtratibus deducentibus: à quibus & ſacrificia facta, & Senatuſconſultum in Capitolio fixum eſt. Novum Regem eodem die Antonius convivio excepit. Herodes Rex appellatus. Hegeſip. Joſeph Ant. 14. 26. & de bello Judaic. 1. 11. Euſebius.

XXXIII. Sed ille in Judæam properabat ad fratrem eripiendum Joſephum, cæteroſque ſuorum, qui in Maſſadenſi caſtello ab Antigono obſidebantur. Inter hæc L. Marcio L. F. Cenſorino, C. Calviſio Sabino dantibus anno nomina, quorum Cenſorinus Kal. Januariis ſimul Conſulatum, ſimul ex Macedonia triumphans Urbem iniit, Dardanis in Macedonia repreſſis; Senatus acta triumviro- Urb. cond. ann. 724. Acta triumvirorum rata haber Senatus. Duo. Marmor. Capitol.

bem iniit, Dardanis in Macedonia repressis; Senatus acta triumvirorum omnia ab initio ejus magistratus rata esse jussit. vectigalia nova instituta, non sufficientibus quæ decreta Dictatori Cæsari fuerant. Quippe tres jam alendi pro uno imperatores erant, & ingenii humani vitio numquam prioribus acquiescendi, sumptus auxerant, quum per civilia bella reditus minuerentur. Tum & barbam posuit Cæsar, eoque nomine populo epulum dedit; irritando magis quam placando, tantas perire per luxuriam impensas videnti inter publicam famem. Nec minore tædio tot novi & indigni Senatores, tot designati complures in annos magistratus adspiciebantur.

Consules in multos annos declarat. Eutrop. Dio. Suet. Aug. c. 61

XXXIV. Quod enim belli Parthici causa abfuturus Antonius erat, magistratus quousq; voluerunt, in his Consules in annos proximos octo declararunt: neque binos in annum, ut consueverat; sed statim ab initio plures. Hactenus enim suffecti quoque Consules erant magistratu citra ignominiam abeuntibus, sed ex ipsorum arbitrio. tum vero nemo creatus est annuus, sed ab initio suum cuique temporis spatium destinatum. ex his, qui Kalendis Januariis inibant, anno eo toto Consules vocabantur. cæteri dum obibant munia magistratus, etiam vocabulum obtinebant Romæ ac in Italia, remotioribus plerumque ignorati: unde & minores ab his Consules appellabantur. In Senatum porro homines adeo jam promiscui & ignoti allegabantur; ut quemdam Vibium Maximum Quæstorem designatum cognoverit dominus abduxeritque.

Cæsar Scriboniam repudiat Suet. Aug. 69. & Tiber. cap. 4. & Claud. cap. 1. Seneca. App. lib. 5. Civil. Velleius. 2. 75. 2. App.

XXXV. Sed & inter milites repertus est servus, isque manumissus primo, ut supplicio dignitas accederet, postea de rupe Tarpeja præcipitatus est. Sub idem tempus Cæsar filia auctus uxorem repudiavit, idque eadem qua peperarat die. morum ejus perversitatem arguebat. sed Antonio plus crediderim, *dimissam Scriboniam* objicienti, *fœminam gravem, quia liberius doluisset nimiam potest item pellicis.* Jam enim adamare Liviam Cæsar ceperat, nuper eum viro Antonium sequuto reversam; adeo quidem palam, ut Drusum, qui paulo post fuit editus, ex ipso procreatum per adulterii consuetudinem suspicio fuerit. Dum hæc Romæ fiunt, Antonii fide excitus Libo è Sicilia Æoliam transmiserat. quo comperto miserabili voce populus rogabat Cæsarem, *uti fidem & ipse mitteret legato pacis caussa venienti.* Nec hoc tantum extorsit invito, sed etiam ut Mucian Pompeii matrem dimitteret; quam *ad filium leniendum ire tanquam alteram Veturiam* populus jubebat; interminatus *incendium ni proficisceretur.*

Statii Murci cædes.

XXXVI. At Libo remittere contumaciam adversariorum sentiens, *ut ipsi duces ad colloquium convenirent*, instituit. extudit hoc quoq; violetis deprecationibus ab Antonio & Cæsare populus, ut propterea Bajas proficiscerentur. Sed apud Pompejum, amicis pacem suadentibus, Menodorus iniiciebat moram, è Sardinia scriptitans, *gerendum bellum; aut certe ostentandum esse, donec fame prematur Italia. Nam altero modo victoriam, altero conditiones saltem æquiores sperari posse.* simul calumniabatur *Statium Murcum (alii Staium scribunt) præcipuum pacis auctorem, non Pompeji utilitatem, sed suam respicere.* Nam virum aerem, & libertis parere fastidientem oderat. Et credidit barbaræ stolidiraci adolescens, ducemque clarissimum, & jam tum in Hispania optime de se meritum, penitus abalienavit, nullis ultra de rebus ad consilium vocans. Sed & secedentem Syracusas, per tribunum quemdam & centurionem ex iis quos Murcus adduxerat in Siciliam, nefarie sustulit: & ad tegendum facinus corripi jussit innocentes ser-

Digitized by Google

vos, & tanquam interfectores domini crucibus affigi.

XXXVII. Tanto diligentius pax suadebatur à reliquis, ut ea reddita erudelitatem & perfidiam effugerent Sexti, duorum tam illustrium virorum interitu patefactas. Hi ergo Menodorum incolabant, *ut studio propriæ potentiæ bellum præferentem.* Et persuasus tandem Pompejus Æmariam cum multis egregiis navibus venit, hexere ornatissima vectus. Et Puteolos quidem sub vesperam, inspectantibus hostibus prætervavigavit splendide: juxta quam postridie defixis in mare palis tabulæ sunt injectæ, binique pontes effecti modico distantes intervallo, ut inter se colloqui tuto possent. Sed frustra tum tentata pax est, Pompejo se in Lepidi locum socium potestatis duobus futurum rato: his tantummodo reditum concedentibus. Neque tamen intermissa per amicos res est, quin variæ utrimq; conditiones proponerentur. Utrobiq; minus inclinati ad pacem imperatores erant; sed illos fames & populus urgebat, Pompejus a amicis impellebatur. Cæsaris & Antonii colloquium cum Pompejo.

XXXVIII. Unde aliquando veste rupta, *prodi se ab his quos conservasset* testatus est, sæpe inclamato *Menodori* nomine, *quem haberet solum & gnarum belli & firmum benevolentia.* Sed ad extremum matre & uxore orantibus, ad Misenum processit: ubi Cæsar & Antonius è continenti, Pompejus aggeri cuidam veteri, fluctibus undiq; circumstetus, inde legionibus, hinc classe stipante, fecerunt pacem his conditionibus. *M. Lepidus, M. Antonius, & C. Cæsar divi F. terum Triumviri Reipublicæ constituendæ* fiebant *in quinquennium, nihil morati populi suffragia: Sicilia provincia Pompejo relinquebatur, cum Sardinia Corsicaque & cæteris quas tum habebat insulis, in totidem annos. Achaja etiam concessa: & ut Consulatum absens, per quem vellet amicorum gereret; augurque crearetur. & ex paternis bonis acciperet sestertium septingenties.* Pacis Inter eos conditiones. Liv. Epit. Appian. Dio lib. 48. Plutarch. Ant. c. 42. Fragm. Cap. Nummus apud Pighium. Suet. Aug. 28. 2. Vell. 2. 77. 2.

XXXIX. *Fugitivis qui sub Pompejo militarant, libertas dabatur: liberis, ubi stipendia completa habuissent, eadem præmia, quæ data essent Cæsaris & Antonii militibus. Exsulibus, præterquam publico judicio parricidii damnatis, reditus concedebatur: qui eorum sponte fugissent, his omnia bona sua mobilibus exceptis, iis vero qui proscripti fuissent quadrans bonorum restituebatur. Nonnullis nominatim magistratus & Sacerdotia destinabantur: Pompejus ex omnibus Italiæ locis deducere debebat præsidia: neq, fugitivos recipere amplius; neq, naves ad Italiæ litus applicare.* Adjectum erat, *uti nullas præterea pararet naves, securitatemque præstaret Italiæ à piratis, & frumentum ex insulis quantum populo Romano ex unaquaq; per annos præteritos deberetur, & in posterum annuum vectigal in urbem mitteret.* Hæc conscripta consignataque deferenda Romam curaverunt, ut loco sanctissimo à Vestalibus asservarentur. congressique & osculati invicem, sorti commiserunt apud quem eorum prius epulæ pararentur. Apud Vestales asservantur. Dio. Appian. Plutarch.

XL. Inter hæc ab innumera multitudine militum pariter ac paganorum tantus præ gaudio sublatus clamor est, ut montibus repercussu augentibus vocem *quidam exanimati sono* dicantur; multis etiam inter concursationem obtritis atque suffocatis. Nam ut ejusdem civitatis homines, plerosque amicitiis aut propinquitate junctos, tantus se invicem complectendi ardor incesserat, ut multi Pompejanorum non expectato donec ad litus naves appellerentur, in mare prosilirent; & contra pari studio à terra occurrentium, inter medios fluctus cohærerent. Neq; tantum qui suos incolumes receperant, personabant lætitia; sed augebatur strepitus suas etiam partes agente luctu. nàm quorum oculi propinquos frustra re- Hominum ea re lætitia. Plutarch. Dio.

quiſiverant, cum fletu gemituque ſcrutabantur omnia: ut etiam quibus propria doloris aut odii cauſſa non eſſet, aliorum affectibus abriperentur. ſic & dies ab his & noctis major exacta pars eſt.

Imperatorum mutua convivia. App. Dio. Vell. 2. 77 2. Auct. de virilluſtr. c. 83. Plutarch.

XLI. Interim & aliorum celebrata ſunt frequentia convivia, & Pompejus admota ad molem hexere, Cæſarem & Antonium excepit; haud infacete dictitans, *in carinis ſuis ſe cænam dare*. nam Carinæ loco nomen erat, in quo paternas ejus ædes Romæ ſitas Antonius poſſidebat. *Inter huius convivii lætitiam inſuſurraſſe Pompeio Menodorus fertur*, nullo negotio jam tolli adverſarios, patremque & fratrem vindicari poſſe: *atque ille paul. ſper ſecum conſiderato, reſpondiſſe*; Non erat hoc facinus indignum Menodoro, ſi perfici abſque me potuiſſet. Nunc autem contenti ſimus præſentibus. nec enim pejerare meum eſt. Sequentibus diebus Antonius & Cæſar Pompejum invitarunt poſitis in mole tabernaculis, ut etiam in litore præberi epulum militibus poſſet: niſi forte ideo factum eſt, ut contra ſuſpicionem ad manus haberent præſidia. nec enim hactenus erat inſtaurata amicitia, ut invicem ſimpliciter confiderent. ſed & naves erant præſto, & ſatellites, ipſique convivæ ſub veſte accincti diſcubuerant. Inter iſtas epulas Pompeii filia Libonis neptis M. Marcello deſponta eſt, qui ſorore genitus Cæſaris, & privignus Antonii erat.

Antonius & Cæſar noctu Urbē ineunt. App. Plutarch.

XLII. Poſtero deinde die Conſules ita ſunt deſignati; Antonius & Libo. ita ut Antonius quoque pro ſe ſubſtitueret quem voluiſſet. deinceps Cæſar & Pompejus, mox Ahenobarbus & Soſius, poſtremo Antonius & Cæſar, qui tum tertium futuri Conſules, Rempublicam redditurі populo Romano ſperabantur. Sed apparet tamen proximum in quadriennium manſiſſe collegia Conſulum, qualia paulo ante deſignata Romæ fuerant. Pompejo quoque Conſulatum, & Antonio tertium periſſe, hoſtibus his interim judicatis. His ita compoſitis Pompejus in Siciliam rediit; Cæſar & Antonius Romam: magna totius Italiæ lætitia, cui pax plurimorum malorum attuliſſe pauſam videbatur. Igitur Imperatoribus, quacumque tranſirent, tanquam ſervatoribus honores omnii habebantur: erantque Romæ præparata omnia, ut quam magnificentiſſime exciperentur.

Antonii & Cæſaris concordia. Vell. Plutarch. Appian. Parth.

XLIII. At illi dubium impenſam an invidiam vitantes, noctu introiverunt. Nec erat quiſquam expers lætitiæ, præter eos qui bona poſſidebant redeuntium: quos utique vicinos iniquos habituri, & ſi caſus daret acerbos inimicos videbantur. Cætero populo jucundiſſimum ſpectaculum fuit tot illuſtres viri patriæ redditi: Nam plerique omnes, qui cum Sexto fuerant, exceptis paucis, eo Puteolis ſalutato Romam navigarunt, magniſque & lætis hominum clamoribus accepti ſunt. In his L. Aruncius fuit, & M. Junius Silanus, & C. Sextius Saturninus, & M. Titius, omnes poſtea ſummis ſub Cæſare honoribus uſi. Conjunctiſſime ſub id tempus Antonius & Cæſar agebant, multaque conſtituebant & decernebant concorditer in rebus maximis. ſed familiaris conſuetudo, dum inter relaxationem animorum ludicris certaminibus tranſigunt tempus, ſemper priores ferenre Cæſare, fieri cępit Antonio injucundior. ſive enim aleam luderent, ſive committerent gallos aut coturnices, inferior ille diſcedebat.

Antonius ſe Bacchum appellat. Appian. Plutarch. Dio. Socrat. apud Athenę l. 4 ca. Suet. Aug c. 74.

XLIV. Igitur præbere aures cuidam Ægyptio vati cępit, qui ſive in Cleopatræ gratiam, ſive perſuaſus ita eſſe, monuit, *genium ejus per ſe grandem ac magnificum, à genio Cæſaris, quoties una agerent, quodammodo in ordinem cogi.*

Et profectus eſt in Græciam, abducta ſecum Octavia, quę nuper filiolam ex Marcello pepererat: iterumque dimiſit quaquaverſum duces, Furnium quidem in Africam, ut Sextii quatuor legiones abduceret, nondum enim occupatas à Lepido cognoverat: cæteraque ſuo arbitratu ordinavit omnia. quippe Senatuſconſulto cautum erat, *ut non acta tantum ejus, ſed etiam agenda rata eſſent*. Igitur ſimul cupiditati ſuæ ſatisfaciens, ſimul odio, ut debiliorem Pompeio provinciam relinqueret, urbes Achajæ affligebat; inter alia *Bacchum* ſe appellans, atque *ita ſe appellari à cæteris* jubens. Nam ædificato cœnaculo, quod coopertum virenti fronde Bacchi referret antrum, tympanis & nebridibus & reliquis adhibitis orgiorum inſtrumentis, cum amicis perpotavit: miniſtrantibus Italicis aeroamatis, & univerſa ad ſpectandum concurrente Græcia.

XLV. Idem aliquando in arcem adſcendit Athenis, inter lumina tota urbe relucentia de tectis: & ex eo tempore præcepit, *uti per omnes civitates voce præconum novus Bacchus acclamaretur. Sed & ſtatuis hoc ſubſcribi nomen* juſſit, habituque & comitatu Bacchum ſimulans, ab Athenienſibus, qui ei cum coniugibus & liberis occurrerant, ita ſalutatus eſt. adiecerunt *deſpondere ſe ei Minervam ſuam*, & accepit ille conditionem, ſed *mille talenta nomine dotis* imperans. tum aliquis Græculorum: *at matrem tuam Semelin*, inquit, *Jupiter duxit indotatam*. Nec ideo minus exacta pecunia eſt; irriſique & eluſi qui ſtultitiam Antonii non minore dementia deriſerant. Inde verſo favore civitatis, multi propoſiti ſunt libelli contumelioſi; quidam & ipſi traditi: ſed & ſtatuæ eius ſubſcripta nomine Minervę & Octavię divortii formula, *res eum ſuas ſibi habere* jubentium.

Athenienſes ei Minervam ſuam deſponſant. Socrates. Vell. 2 82. 4. Senec. Suaſor. 1. Plutarch. Cujacius obſ. 2. 20. Gronov. in Senec.

XLVI. Unde ne tempus quidem ad pecunias cogendas Athenienſibus dare volenti Q. Dellius feſtive dixit, *Et tamen ſcito illos tibi annua bima trima die debere*: tanquam ſecundum leges Romanas dos peteretur. Inter hęc exercitum ita diſtribuit, ut partem in Epiro collocaret, quoſdam in Parthinos Illyricam gentem, alios in Dardaniam mitteret, locupletandi ſimul militis, exercendique cauſſa. Hęc alia repente perſona ſumpta, palliatus & phœcaſiatus agebat, rento Imperatorio faſtu, cum binis forte amicis totidemque famulis, Rhetorum a philoſophorum ſcholas obiens: cœnitabatque cum Græculis eorum more, & cęrmoniis feſtiſque ſuaviter intererat; Octavia quoque frequenter adhibita, cuii amore homo mulierolus vehementer exarſerat. Interim & nuncium accepit d victoria P. Ventidii, quem contra Parthos provinciis Orientis prępoſuerat. Nan is ſtrenue profectus, Labienum ſecurius agentem occupavit: diffiſumque viribus, quippe dimiſſis Parthis tantummodo collectas ex Aſia copias retinebat, indc refugere in Syriam cogit. aſsequutuſque cum expeditis circa Taurum montem, longius procedere vetuit.

Antonii mōrum inconſtantia. Suet. ap. Agel. 15. 4.

XLVII. Eo loci complures per dies caſtris poſitis ambo quieverunt; Labienus ut Parthos acciret interea, Ventidius ut gravem armaturam. Forte ſub idem tempus utrique exſpectata auxilia venerunt. Sed Ventidius Parthicum equitatum timens, de ſuperioribus locis non degrediebatur: Parthi numero freti, & ſucceſſu victoriarum alacres luce prima, priuſquam cum Labieno coniungerentur, accedere ad tumulum, & nemine contra exeunte, ſubire cęperunt: quippe Ventidius per ſimulationem metus ſuum militem continebat. Sed ubi mox iniquis locis hæſerunt hoſtes, eruptione Ventidianorum ſubita turbati, ſęque impe-

Ventidius Parthos vincit. Frontinus. Stratagem. 2. 3. 36. Dio. Plutarch.

dientes, dum refugientibus primis, poſtremum agmen urget adſcenſum, magna parte copiarum amiſſa, conſciverunt fugam. Nec ad Labieni caſtra conſiſtere auſi, Ciliciam petierunt. Ventidius ad vallum Labieni ſuos conſtituit.

Mox etiam Labienum, et Barzapharnē. XLVIII. Et Labienus ordines tanquam dimicaturus inſtruxerat; ſed ſuorum animos clade barbarorum territos videns, hoc agebat, ut re in noctem extracta per tenebras ſe ſubduceret. Emanavit conſilium per transfugas, & diſpoſitis inſidiis Ventidius magnam fugientium multitudinem occidit: cæteros omnes in Antonii nomen ſacramento adegit, nullo jam uſquam Labieno. Is enim mutata veſte profugerat, & interim quidem in Cilicia latuit, poſtea requiſitus & deprehenſus eſt à Demetrio, quem ſuperioris Cæſaris libertum Antonius Cypro præfecerat. Interea Ventidius recipienda ordinandaque Cilicia occupatus, Upodium Silonem cum equitatu ad portas Amani præmiſit, quæ Syriam à Cilicia anguſto tranſitu dirimunt. Sed Barzaphernes Parthus prœlio commiſſo, Romanos in ſummum diſcrimen adduxerat; niſi Ventidius mirâ quadam felicitate pugnantibus ſupervenſſet. Parthus enim & improviſa re conſternatus, & viribus jam impar, cum multis aliis interfectus eſt.

Prope Hieroſolyma caſtra ponit. Front. Strat. 2. 5. 37. Appian. Parthicis. Plutarch. Dio. Joſeph. Antiq. Iudaic. 14. 26. XLIX. Sunt qui *Ventidium copias exiguas habentem, inſidias poſuiſſe Barzapherni* tradant, *cohortibus octodecim in occulta valle, & equitatu poſt militum terga collocato. hoc illectum barbarum ſimulata Romanorum fuga, circumventum.* Utro modo geſta res fuerit, id ſatis conſtat, altero hoc prœlio cæſos à Ventidio Parthos præcipui nominis ducem amiſiſſe. Hoc certe interfecto exceſſerunt Syria, provinciamque Romanus, præter Aradum, nemine jam repugnante, recepit. atque inde in Palæſtinam tranſgreſſus, prope Hieroſolymitarum urbem caſtra poſuit. Sed Antigono pecuniam affatim dante, cum maxima copiarum parte digreſſus, ad tegendam diſſimulationem cohortes aliquot reliquit Silone præfecto, quem & ipſum mox pecuniis aggreſſus Antigonus, otium redemit, donec iterum ſuccurrere Parthi poſſent.

Herodes Joppen expugnat. Dio. Joſeph. Hegeſippus. 1. 30. L. Igitur neque propinquis Herodis, qui Maſſadæ obſidebantur, ſubventum: & Joſephus urgente ſiti cum viris ducentis fugam tentaturus in Arabiam fuerat, niſi proximæ noctis imbre refectus, completæque aqua ciſternæ forent. Sed Herodis adventu bellum acrius cœptum, quum miſſus ab Antonio Dellius, *à Romanis ducibus adiuvari Regem* juberet. Cœterum Ventidius civitates, quæ defecerant ad Parthos, recipiebat, magnam pecuniam mulctæ nomine ſingulis imperans. ſed Malchus Arabiæ rex præ cæteris ingentem ſummam pependit. Tandem Silo junctis cum Herode copiis, Joppen expugnanti adfuit: dein ſoluta Maſſadæ obſidione Hieroſolymam petentem ſequutus eſt. Sed corruptus Antigoni pecunia, neque valde utilem operam præſtitit, & concitavit milites, ut ante tempus *in hyberna deduci* poſtularent. Sed Antonius cognitis Ventidii rebus epulum Athenienſibus publice præbuit, ludoſque gymnicos fecit, quibus ipſe gymnaſiarchæ munus obiit: quumque de his Romam ſcripſiſſet, ſupplicationes ejus nomine decretæ ſunt, cuius auſpiciis iſta Ventidius geſſiſſet.

Cn. Domitii ſevecitas. Strab. lib. XII. Velleius 2. 78. 3. D. Or

LI. Sed & alius legatorum Antonii Pollio, qui miſſus in Parthinos fuerat, Illyrios circa Epidaurum aliquot prœliis fudit. Sub idem tempus Cerretanos tumultuantes, (obtinebant autem convalles Pyrenææ, ſylvæ) Cn. Domitius ex Conſulatu miſſus in Hiſpaniam coërcuit. Ii legatum eius exceptum inſidiis, & à militibus

dere-

derelictum vincerant. Ideo Domitius priuſquam in hoſtem duceret, ſontes ad concionem diſſimulanter vocatos, reliquis copiis circumfudit, cognitaque cauſſa manipulum unum, penes quem maxima flagitii pars hærebat, decimavit. in centuriones etiam aliquammultos, & primi pili Vibullium animadvertit. Hæc ſeveritas ad victoriam profuit, & quum miles Imperatorem magis quam hoſtem metueret, Cerretani haud difficulter debellati: ob eas res geſtas & huic & Pollioni decretus triumphus eſt.

LII. Sed Domitius poſtea triumphavit: Pollio ſtatim A. D. VIII. Kal. Novembres ex Parthinis. Nec ſemel triumphaſſe contentus filium ſibi natum ſub eadem tempora Salonium vocavit, à maritimo Dalmatiæ oppido, quod eodem bello ceperat. Idem Pollio ſummus eorum temporum orator, inſignis hiſtoricus, ſtudiorum patronus eximius, bibliothecam Romæ primus publicavit in atrio Libertatis, quod ex manubiis reſecerat: imaginibus doctiſſimorum virorum ibi poſitis; in his Varronis, unius eorum qui tum adhuc viverent. [1] Aſinius Pollio bibliothecam publicat. Dio. Flor. 4. 12. 1. Plin. 35. 2. 9.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXVIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

QUUM Sex. Pompejus rurſus latrociniis mare infeſtum redderet, nec pacem, quam acceperat, præſtaret; Cæſar neceſſario adverſus eum bello ſuſcepto, duobus navalibus prœliis dubio eventu pugnavit. P. Ventidius, legatus M. Antonii, Parthos in Syria prœlio vicit, Regemque eorum interemit. Judæi quoque à legatis Antonii ſubacti ſunt. Prætereà belli Siculi apparatum continet.

APPIO Claudio C. F. Pulchro, C. Norbano C. F. Flacco Conſulibus, qui primi binis Quæſtoribus uſi ſunt, multa Romæ gravia ac terribilia inciderunt. Nam & plebs propter ſævitiam exactorum, cum iis eorumque militibus dimicavit; & ſexaginta ſeptem Prætores numerati ſunt, aliis ſubinde ſuffectis in aliorum locum. Sed & puer quidam Quæſtor creatus, poſtridie togam virilem ſumpſit: & Senator pugnare inter gladiatores cupiens, cauſſam dedit edicto, quo *Senatores muneribus gladiatoriis dimicare, ſervi lictores fieri, mortui propius ab Urbe mille nongentos paſſus cremari* vetabantur. Sibyllini deinde libri ſunt aditi, prodigiorum cauſſa. Urb. cond. ann. 715. Prætores uno anno 77.

II. Nam & paulo ante hoc tempus, è taberna meritoria trans Tiberim oleum ſcaturiens, per totum diem largiſſimo rivo fluxit. tum autem & cella Romuli, Prodigia.

ſacrificio quod forte Pontifices ibi faciebant, arſit: & ſimulachrum *Virtutis* aere portam quamdam poſitum, in faciem procubuit: & quidam furore Cybeles correpti, *matrem deûm iraſci populo Romano* canebant. Idque confirmarunt libris inſpectis Quindecimviri, juſſeruntque *deportari deam ad mare, atque unda marina luſtrari.* Traditurque res mira dictu, niſi quod horum ſemel cognita cauſſa nihil inde proventientium mirabile eſt; *ſimulachrum longiſſime intraſſe in mare, vixque aliquando rediſſe ad litus.*

Liviam ducit Cæſar. Suet. Aug. c. 62 Tacit. l. 10. Dio.

III. Major exinde metus Romæ fuit, majorque numinis averſi fides: neque mutarunt prius opinionem homines, quam circum ædem ejus, & in Foro palmæ quatuor enatæ ſunt. Tum & Liviam ſibi matrimonio junxit Cæſar, Neronis uxorem, & uterum ferentem ex eo. quod quia ignominioſum jure Romano erat, conſuluit Pontifices Cæſar, *an concepto nec dum edito partu rite nuberetur?* Reſponſum eſt, *propter turbationem ſanguinis gravidarum nuptiis interdici. hic vero, quoniam ſextum menſem gravida ſit Livia, ſatis liquere ex utro marito conceptus fœtus ſit: nihil ergo vetare quin matrimonium coëat: quemadmodum nuper Octavia in manum Antonii conveniſſet.*

Priore marito nuptum eam dante. Vell. 2. 79. a Dio. Suet. Tib. c. 4.

IV. Hæc illi reperta ſorte in majorum inſtitutis reſponderunt; ceterum non alia dicturi, etiamſi alia reperiſſent. His nuptiis prior maritus auctor exſtitit, quaſi patris vicem nuptum dans uxorem modo ſuam: diſcubueruntque Cæſar & Livia ſeorſim, & puerulus quidam nudus, quales tum habere nobiles matronæ ſolebant in deliciis, ad Liviam converſus; *quid hic agis*, inquit, *domina? en maritus tuus iſto loco accubat*, digito demonſtrans Neronem. Poſtea Claudium Druſum Neronem genuit, qui eſt Livia in penatibus Cæſaris, qui *remiſſum eum à ſe patri* commentariis ſuis intulit. Neque diu ſupervixit pater Nero, liberorumque ſuorum tutorem Cæſarem reliquit. Hæc geſta largam præbuere materiam ſermonibus, & inter alia vulgatus eſt verſus, qui mox in proverbium abiit, *felicibus eſſe vel trimeſtres liberos.*

Bogud Mauritaniæ Regno excidit. Appian. lib. 5. Civil. Dio.

V. Iiſdem temporibus Mauritaniæ Regno Bogud Bocchi F. excidit, qui perſuaſus à L. Antonio ſub bellum Peruſinum, Carinatem à Cæſare ulteriori Hiſpaniæ præfectum armis petiverat. Nam deficientibus interea Tingitanis, quum & domi excluſus, & in Hiſpania Bocchi paterni hoſtis auxilio victus eſſet, exſul ad M. Antonium ſe recepit. A Cæſare Boccho Regnum quod occupaverat confirmatum eſt; Tingitanis civitas data. Neque diu poſt male ſarta inter Pompejum & Cæſarem gratia reſciſſa eſt, haud dubie cauſſas quærente potius, quam orto ex oblatis odio. Sed Achajam Pompejus ægre ferebat ab Antonio detineri prætextu pecuniæ, quam ſibi deberi à provincialibus ille contendebat: contra Pompejus illa quoque debita ſimul cum provincia fœderis legibus ſibi conceſſa interpretabatur.

Pompejus res novas moliturs. Liv. Epitom. App. l. 10.

VI. Igitur ſive hac motus injuria, ſive ut Cæſar dictitabat *ingenio perfidus*, & Menodoro credens *inducias eas potius quam pacem habendam* dictitanti, ſive ægre ferens illis tantos eſſe exercitus, comparare novas naves, deligere remiges, & ad exercitum ita concionari cœpit, ut *majore apparatu ſibi opus eſſe* diceret. Inter hæc & piratæ ex inſidiis infeſtabant mare clanculum; ut vix ſentire levamen populus famis poſſet, vulgoque jactaretur, *non eſſe quæſitum ea pace laborum finem, ſed tantummodo tribus dominis quartum acceſſiſſe.* Sed correpti qui-

Menodorus ad Cæsarem manſit.

dam piratæ tortique, *auctorem Pompejum* ediderunt; atque indicavit eam rem populo Cæsar, & cum Pompejo per literas queſtus eſt. Ille purgans ſe de objecto crimine, vicißim *Achajum ſibi non reſtitui & ab Antonio vexari* exprobravit. Quum in eo res eſſent, magnum maturando bello momentum Menodorus attulit, repente ad Cæsarem tranſgreſſus his cauſſis.

Menodorus gratia Pompeii amiſſa. Dio. Appian. Oroſ. 6. 18.

VII. Potentiam hominis ægerrime patiebantur, quotquot remanſerant apud Pompejum nobiles; ſed adoleſcentis aures ſolis libertis patere gnari, aliquos ex eo genere induxerunt, ut Menodorum veluti *Patrono imperantem* criminarentur. Atque illi quod ultro facere per invidiam cupiverant, cum aſſenſu tantorum virorum & præmio facturos rati, occaſionibus non defuerunt. Forte & alioquin ſuſpicionem patroni Menas incurrerat Heleno dimiſſo, liberto Cæsaris, colloquioque deinceps cum ipſo Cæsare habito. Idcirco miſſis quibuſdam Pompejus *adeſſe ad rationes frumenti pecuniæque adminiſtratæ reddendas* juſſit. Commodum è libertis Cæsaris Philadelphus ad frumentum è Sardinia deportandum venerat: cum hoc fidiſſimum amicorum Myſylionem Menodorus Romam miſit, *ſi receptus fidem obtinuiſſet, Sardiniam Corſicamque cum tribus legionibus, ſexaginta navibus, & multis amicis ſuis* offerens.

Claſſem & exercitū Cæſari tradit. Appian. Dio. Suet. Auguſt. cap. 72. Liv. Epit.

VIII. Et dubitavit aliquandiu Cæsar, ſed ubi fidem ab eo datam Menas didicit, comprehenſis, qui evocandi eum cauſſa à Pompejo venerant, & interfectis, claſſem & exercitum Cæsari tradidit. Neque dedidit repoſcenti Pompejo Cæsar, *ab ipſo violata fœdera, fugitivis recipiendis, triremibus ædificandis, retinendis in Italia præſidiis* arguens. Quin & magnis honoribus affecit Menam, aſſeruitque in ingenuitatem, & annulis aureis ornatum in Equeſtrem ordinem recepit: neque enim tum adhuc cuiquam inferioris loci geſtare annulum aureum licebat: Cœnæ quoque ſuæ adhibuit, *quem honorem nulli nec antea, nec poſtea libertino habuiſſe* traditur. His cognitis Pompejus Menecratem, & ipſum libertum ſuum, ad infeſtandam Italiæ oram miſit, à quo Vulturnum, & alia quædam Campaniæ loca, vaſtata ſunt. Idcireo Cæsar velut neceſſarium bellum ſuſcepturus, tabulas Pompejani fœderis recepit à Veſtalibus, ex Africa Lepidum, ab Athenis Antonium *ad communicanda conſilia* ciens. Sed Lepidus ad trajiciendum fuit ſegnior.

Antonius accitus à Cæſare Brundußi venit. Dio. Appian.

IX. Antonius vere primò cultum animumque Imperatoris reſumpſerat; *navesque deduci* juſſerat ad Parthicum bellum. Eo celerius Brundußium venit. Sed ubi ſtatum ad diem non adfuit Cæsar, qui tum in Hetruſcis agens, Ravenna naves longas, ex Gallia copias cum apparatu Brundußium & Puteolos mittebat, utrinque invaſurus Siciliam, ſi idem Antonio videretur; ille ſive magnitudine Cæſariani apparatus commotus, nam in ſocietate potentiæ collegarum opes ægris oculis adſpiciuntur; ſive prodigio territus, in Græciam rediit: quippe feræ militem circa tabernaculum ejus excubantem devoraverant, ſola facie, quaſi in hoc relicta, ut adgnoſci poſſet, augebatque religionem, quod neque clamor auditus eſſet pereuntis, neque cæterorum vigilum quiſquam quidquam ſenſiſſet.

Sed mox ſe greſſus illam deſtituit.

X. Sed Brundußini quidam retulerunt, *ſub orientem diem a ſe viſum eſſe lupum, curſu ſe propipientem ex tentoriis.* Ipſe ſcriptis ad Cælatem literis *feſtinandum ſibi oſtendit ad Parthicum bellum*: auctorque ei fuit *non diſcedendi*

Dio. Appian. *à fœderibus. Menodoro* quoque, cui *belli cauſſam* imputabat, *ſervitutem* minatus eſt, *tamquam fugitivo ſuo, quod nimirum Pompeji Magni bona, in quibus & Menodorus tum fuerat, empta à Dictatore Cæſare poſſideret.* Deſtitutus ab Antonio Cæſar, quamquam ideo hoc fieri exiſtimabat, ut ſuis unius opibus ſuſtinere Pompejum cogeretur; intentiore cura bellum apparabat: multis præſidiis per oram Italiæ munitis, navibuſque Romæ & Ravennæ fabricari juſſis. Sed & ex Illyrico magnum exercitum evocavit. Menodorum ſuæ claſſis ducem Calviſio Sabino legatum dedit, quem univerſæ rei maritimæ præfecerat. L. Cornificium L. F. *deportare Tarentum partem Ravennatis apparatus* juſſit. hunc adorta tempeſtas jactavit claſſem. Cæterum navis una tantum perfracta eſt, quæ Prætoria parata Cæſari fuerat: eaque res in omen tracta futuri.

Cæſar tamen bellum incipit. Oroſ 6. 18. App. Dio. XI. Poſtquam omnia ſatis inſtructa Cæſar exiſtimavit, Populo Romano per literas, exercitui coram belli cauſas expoſuit; *quod* aſſenſu plerorumque *contra fidem pactorum ſuſcipi* Pompejus teſtabatur: *idque etiam Antonio viſum, qui propterea ſocius eſſe impiorum armorum noluiſſet. Pompejum* igitur Cæſar *auctorem novarum injuriarum eſſe* demonſtravi, *piratarum & Menodori indicio: mentemque Antonii deprehendi ex eo poſſe, quod Achajam Pompejo non redderet.* Inde celeritate adhibita & ipſe navigavit in Siciliam à Tarento, Calviſius cum L. Statilio Tauro, & Menodorus ab Etruria; legiones terreſtri itinere Rhegium petierunt. Pompejus Cæſarianæ claſſi Menecratem oppoſuit, infeſtum inviſumque Menodoro, fortunæ & animorum ſimilitudine.

Dio. App. XII. Hic obviam factus hoſtibus ſub veſperam, coëgit eos ex alto refugere in ſinum, qui ſupra Cumas eſt: ipſe applicuit Ænariam. Luce reddita rurſum adeptus ſecundum litus navigantes lunata acie, quum aliud agere non poſſet, magno impetu invectus adterram compulit. At illi inde repugnabant, impari quidem certamine, quum ejectæ in litus naves immobiles hærerent; neque vitandis hoſtibus, neque impetendis habiles. Ergo pro meliore Pompejanis erat pugna, qui libero incurſu fatigabant adverſarios, feſſoſque ſubmiſſis in eorum locum recentibus otioſe recipiebant. Sed inter hæc Menodorus & Menecrates, quum ſe forte conſpexiſſent invicem, omni alia re poſtpoſita, magno clamore concurrerunt. Neutra navis inde læta abiit: Menodori præfractum roſtrum eſt, Menecratis remi altero latere deterſi. ſed jam utrimque ferreæ manus injectæ, tam roſtra quam remos inutiles effecerant: & tamquam pedeſtri prælio viribus & manu certabatur.

Pugna Menecratis, & Menodori. XIII. Menodori navis erat aliquanto altior; ergo & commodius in adverſam injici potens poterant, & miſſa inde tela majore violentia incidebant. Forte ſub idem tempus dux uterque vulnus accepit: Menodori brachium tranſfixum eſt, Menecratis femur. Sed verutum facilius evelli potuit; hamata ſoliferrea Hiſpanica Menecratem inutilem pugnæ reddebat: Nec tamen ille deſiit hortari ſuos, donec capta jam nave, ne perveniret in manus inimici, medios in fluctus ſe præcipitem dedit. Duæ hæc ad ſiniſtrum cornu geruntur, Calviſius à dextro eodem profectus, naves quaſdam Menecratis, abruptas à ſuis perſequutus eſt. Interim Democharis ipſe quoque Pompejanus libertus, Menecrati legatus additus, Calviſianas reliquas naves in fugam, nonnullas in ſaxa compulit, reli-

Cæſaris claſſis variè premitur.

ctaſque à claſſiariis incendit: donec revectus ex alto Calviſius & reduxit fugientes, & incendium navium reſtinxit.

Cæſar feſtinationem temeritatemque damnat. Dio. Appian. Suet. Aug. 25. 7.

XIV. His rebus geſtis quum nox ſupervenisſet, utrique ſuas in ſtationes redierunt, nec victi neque pro victoribus. Sicut enim de claſſe Cæſaris longe plures amiſſæ naves fuerant; ita Menecratis interitu ſatis penſatum id detrimenti videbatur. Certe Democharem eo caſu turbatus, ſimul ne tranſiret in Siciliam Cæſar timens, quem à Tarento Rhegium iſſe audierat, ſublatis anchoris abiit. & Calviſius reparata claſſe oram legens, paulatim inſequutus eſt. Sed Cæſar à Rhegio cum magno militum & navium numero fretum ingreſſus, quum amicis placeret, pugnari cum Pompeio, quadraginta tantum naves ſecum ad Meſſanam habente; non paruit, feſtinationem temeritatemque ſemper damnare ſolitus, & *ſatis cito fieri* dictitans *quæ ſatisfiant bene: neque ſuſcipiendum prælium eſſe, niſi quum majora periculis commoda proponerentur. nam ob mediocria pugnantes aureo hamo piſcari*.

Pompeiani Cæſarem claſſe adoriuntur.

XV. Sed interim Democharem Meſſanam reverſus, in locum Menecratis præfecturam claſſis accepit, collegamque Apollophanem, qui itidem Pompeji libertus erat. Et Cæſar auditis quæ ad Cumas erant acta, per fretum navigabat, ut Calviſium conjungeret: jamque Stylida prætervectus Scyllæum flectebat, promontorium Italiæ, quum à Meſſana Pompejus excurrens; aggrediendo proximas naves, inſequendo progreſſas, univerſam claſſem attinuit: neque tamen ad Prætoriam cæteræ ſe receperunt, non ſinente Cæſare, ſive propter anguſtiam locorum, ſive ſecundum prius decretum vitante pugnam. At Democharis cum Apollophane binis navibus aggreſſi ſingulas, tamen haud multum proficiebant; propugnantibus è contra legionariis, & magnitudine roſtratarum, quæ à minoribus vix tuto impetebantur.

Et magnopere urgent. Appian. Dio.

XVI. Sed ubi Pompeiani receptis feſſis atque ſaucils, ſubinde in pugnam reducebant integros, neque roſtris tantum, ſed etiam jaculis ignitis ſæviebant; urgeri Cæſariani, pulſaque ad litus navigia, hoſtibus inſtantibus, inter ſe, aut ad ſaxa collidi, geminumque plane Cumano negotium eſſe. Ibi Cæſar exſcenſione facta ſuccurrebat periclitantibus, adnantes ſuſcipiens, deducenſque in editiora. Sed Cornificius cæterique duces cohortati invicem, in juſſu Imperatoris abruptis anchoralibus in altum evecti ſunt, ut potius auſi aliquid perirent, quam hoſtibus ſe obterendos darent immobiles. Nec male ceſſit audacia, Prætoriamque Democharis Cornificius cepit; præfecto in aliam navem tranſiliente. Interim & nox appropinquabat, & cum Calviſio & Menodoro Cæſaris alia claſſis: qua conſpecta Pompeiani diſceſſerunt, iſque caſus ſervavit reliquas Cæſaris naves, ne prorſus omnes abſtraherentur ab hoſtibus, aut immiſſo igne deflagrarent.

Cæſarianorum miſeria. App.

XVII. Ea nocte plerique relictis navibus in montes ſe receperunt, accenſis ignibus fortunam ſignificantes. Ipſe Cæſar inter rerum omnium egenos circumcurſitans, *durare* jubebat *donec dies redderetur*. Nec à navibus quidquam erat auxilii, quæ jam tempeſtate jactari ceperant: & Calviſium adeſſe nesciebant. Pompeianis enim ſolus viſus erat, qui longius à terra diſiuncti, proſpicere facilius in altum potuerant. In hoc articulo neceſſitatis bona quædam tortuna Cæſari certiam decimam legionem adduxit, quæ clade cognita per alpreta contendit ad gnes, Imperatoremque ſuum ab omnibus famulis detectum, & commilitones iſſos atque famelicos recrearunt.

Mena prudentia in tempestate. Appian. Dio.

XVIII. Tum vero ejus omnia nuncios dimisit Cæsar incolumitatis suæ, & vicissim audito Calvisii adventu exhilaratus, quievit se dedit. Postea lux miserabile spectaculum aperuit crematarum aut fractarum navium; fluitabantque passim armamenta, navibus etiam quæ superarant valde quassatis atque laborantibus. Sed otium ab hostibus Calvisii præsentia præstabat, ut subduci reficique possent; quum subitò exortus Auster vehementiori omnes discrimine involvit. Sed Pompejus intra portum Mamertinum deduxerat suas naves: at Cæsarianæ circa litus asperum & inportuosum ingenti periculo jactabantur. neque resisti poterat, per absentiam nauticæ turbæ, cujus pars major in litus evaserat. Sabini tamen minus afflicta classis est, Menæ providentia, qui magno rei maritimæ usu, longius in mare provectus, ubi mitius intumescebant undæ, jecit anchoras; remigioque contendens adversus ventum, ne funes intenti rumperentur, effecit, ut eodem semper loco tenere se posset; tantundem spatii subinde remensus remigio, quanto abreptus venti violentia fuerat.

Cæsaris classem tempestas adfligit. Appian. Dio.

XIX. Sed & alii quidam industriam hujus imitati, pestem intentatam repulerunt. At reliqua multitudo ventum, ut vero tempore cito, positurum existimans, utrimque revincta anchoris navigia, ne colliderentur, contis propulsabant; minime diuturna ope, quum flatus impetuosior obstantia omnia dissiceret, navesque disruptis anchoralibus in litus impingebantur. Sævum deinde diem, tristior nox excepit, incumbente se vento, & tenebris conspectum adimentibus. jam pridem enim auxilium usus perierat, ne quidquam contento clamore petentibus opem, quorum voces ventorum fluctuumque stridor, & repercussu montium multiplicati fremitus obruebant. Etiam æstus his accesserat malis, & ex navibus utcunque servatos, in terra quoque fluctus infesti consequebantur. Tandem appetente die remisit ventus, & sub solis ortum plane quievit undis tamen adhuc die sævientibus; atrocior enim tempestas fuerat, quam vidisse locorum istorum accolæ unquam meminissent.

Pompejus victoria uti nescit. Oros. 6. 18. Dio. App.

XX. Igitur Cæsar majore hominum parte, & classe pene universa mulctatus depositâ spe potiundæ in præsens Siciliæ, eadem adhuc nocte Vibonem properavit, non sustinens calamitatem intueri, cui remedium afferre non poterat: scriptisque ad amicos & duces literis, *præsto esse* jussit *omnes*. Interim quos secum habebat milites circum maritima præsidia dimisit; ne Pompejus victoria factus alacrior, in Italiam irrumperet. Sed ille ne reliquias quidem cladis impedire conatus est, quominus ut poterant funibus colligantes navium rimas, Vibonem secundo vento deflorent; tantum abest ut de continenti cogitaret suorum fatis acer defensor, ad aliena invadenda segnis. Igitur Cæsar, deficientibus ad Pompejum vicinis, Liparenses ex insula Neapolim translatos, ibi degere ad finem belli coëgit. Ipse quia & pecunia opus erat & navibus, iisque multis & celeriter, neque populus, nunc iterum urgente bellum ut contra fœdera susceptum obtereret, conferre quidquam volebat: Mæcenatem in Græciam misit, pertrahendi ad bellum Antonii causâ.

P. Ventidii præclarum strategema. Appian. Parthic. & lib. 5. Civil.

XXI. Ea spes si fefellisset, legiones onerariis trajecere, bellumque terra gerere majorum exemplo cogitabat. Erat Antonius in procinctu ut Parthis iret obviam. Idcirco Mæcenate cum bona spe dimisso, è sacra olea Athenis coronam sibi sumpsit; atque ex certo oraculo valentium aqua è Clepsydra tonte impletum

extulit secum. Sed jam totam belli molem P. Ventidii virtus & fortuna discussserat. Is commissa aliis obsidione Aradi, quæ conscientia admissorum pertinacius repugnabat; adversus Pacorum, cum magnis copiis iterum irrumpentem in Syriam contendit. Nondum ille transierat Euphratem, sed metuebat Ventidius, ne prius adventaret; quam ipse quas in Cappadocia trans Taurum habebat legiones contrahere posset. Idcirco non ignorans, ex iis qui socii videbantur, quemdam Channæum, Cyrrhesticæ nationis Regulum, proditorem agere; cum illo intima sua consilia communicare simulans, *campos maxime timere* dicebat, agebatque cum proditore; *induceret Parthos, ut ad Zeugma trajicerent exercitum, brevissimo itinere, & arctissimo Ephratis alveo. Tum enim se opportunitate collium facile eluturum sagittarios equites.* Plut. Aut. c. 44 Velleius. 2. 77. 1. Dio. lib. 49. Front. Strat. 1. 1, 6.

XXII. Quum hæc ad Parthos relata essent, omnia se Ventidii consilia tenere putantes, ut qua minime vellet ille transgrederentur, infra Zeugma pontem struxerunt. Habebant & iter ad eum locum prolixius, & dum flumen ibi propter latitudinem operosius jungitur, amplius quadraginta dies consumpti sunt. Ita Ventidius triduo ante quam Pacorus adveniret, copiis receptis omnibus, in agro Cyrrhestico exspectavit hostem. At ille contemnens Romanos pro imbellibus, quod transmittenti fluvium non occurrerant, castra Ventidii obsidere ausus est. At Ventidius partem legionum intra vallum ordinatam habebat, quæ prius non procurreret, quam hostes quingentis non amplius passibus abessent. Hoc ubi factum est, barbarisque & sagittarum usus ademptus, & fiduciæ Romanæ inopinata oblata facies; celeriter debellati terga verterunt: maxime glandium violento jactu eminus territi. Et mox celeberrime victoria. Plutarch. Justin. 42. c. 4. Flor. Strat. 2. 2. 2.

XXIII. Cæterum, uti nos Parthis, in diversa intenderunt fugam, insequentibus Romanis. Idcirco Pacorus castra Ventidii discessu legionum sine defensoribus reperturum sperans, eo impetum convertit. Enimvero Romanus cæteris subito emissis legionibus, consternatos & locis iniquis circumventos cecidit. Pacorus inter primos fortissime pugnans occubuit; reliquorum pauci pro corpore ejus propugnantes, magna multitudo, quum pontem peterent, occupati, totoque inter Euphratem & Orontem sinu concisi sunt: nonnulli ad Antiochum Commagenes Regem perfugerunt. Ventidius quamquam tertio jam prælio victor, in Mediam Mesopotamiamque Parthos compulerat, invidiæ vitandæ captsa non amplius institit; sed ad perdomandos defectores arma circumferens; pleraque ex itinere recepit: viso capite Pacori, quod circa civitates mittebat, ut periisse Regulum intelligerent. Namque Syri Pacorum justitiæ ac clementiæ nomine plusquamalium ullum Regem diligentes, nequaquam deserturi nisi mortuum videbantur. Pacorus Rex Parthorum occiditur.

XXIV. His receptis in Commagenen ductus exercitus, Parthos quos eo confugisse diximus non tradente Antiocho, sed plus celebratæ Regis opes avaritiam Ventidii stimularant, ut Samosata obsidione clauderet. Inde, quia nihil jam indigebat tot legionibus, duas cum equitibus mille Macharæ duce ad Herodem misit, cum Antigono bellantem. Sed Macharæ plus damni amicis quam hostibus inferendo, movit Herodem, ut ad Antonium properaret, quem venisse Samosata compererat. Quippe Ventidius offerenti mille talenta Commageno pacem dare non erat ausus; prohibente Antonio, qui jam haud longe semotus, Antonius invidet Ventidio Plutarch. Ioseph Antiq. 14. 27. & de Bello Iudaic. 1. 12. Appian. Dios. c. 18. Dio.

suum hoc videri opus volebat, nec per Ventidium omnia fieri. Sed obsessi pace desperata fortius repugnantes, eo tandem adegerunt obsessorem, ut acceptis talentis trecentis, & duobus admodum obsidibus non valde illustribus acquiesceret: concesso vicissim, ut ab Antiocho quidam Alexander, qui transfugerat ad Romanos, occideretur. Jam dimiserat Ventidium Antonius, tanquam ad Triumphum quem meruisset; cæterum felicitati ejus haud obscure invidebat. neque postmodum opera tam boni ducis usus est, quamquam ob ejus gesta supplicationes sibi Triumphumque Romæ decretum noverat.

Ventidii mira fortuna. Appian. Florus. Eutropius. Plutarch. Marm. Capit. Plin. 7. 3. Agel. 15. 4. Val. Maxim. 6. 9. 9. Suetion. apud Agell.

XXV. Sed eadem ipsi quoque decreta Ventidio erant. pensasse. Crassianam cladem Pacoro interfecto videbatur: addebatque momentum aliquod admirationi, quod eadem die res utraque gesta dicebatur. Igitur primus hic omnium hoc de Parthis decus retulit, & suo quidem ævo solus, exstincto prius Antonio, quam decretum sibi Triumphum duceret. Ita P. Ventidius P. F. Proconsule ex Tauro monte & Parthis triumphavit A. D. V. Kal. Decembres, magna admiratione pristinam hominis fortunam cum præsente comparantium, quod qui, sicut Massurius tradidit, iterum, semel certe Triumpho Pompeii Strabonis ductus ipse fuerat, nunc de ferocissima gente splendidissime triumpharet. Eidem quum postea fato concederet, is quoque honor est habitus, ut publico funere sepeliretur. Cæterum uti lætitiam summam populo Romano Pacori finis, ita patri Orodi luctum incredibilem attulerat.

Phrahates patrem, fratres, filium occidit. Justin. 42. 4. 12. Vell. 2. 79. Appian. Dio.

XXVI. Denique amenti similis, sine cibo, sine voce, ut prorsus obmutuisse videretur, complures dies exegit. Postea ubi loqui rursus incepit, nihil aliud quam *Pacorum* in ore habuit, quasi cum præsente sermones conferens. hunc enim filiorum omnium haud dubie præstantissimum jam successorem suum declaraverat. Itaque luctu tandem remittente, nova exercuit hominem solicitudo, quem ex triginta filiis faceret Pacori loco Regem: quum senilis animus à tot pellicibus, pro suo quaque filio nitente, diversas in cogitationes distraheretur. Postremo Phrahatem prætulit, suo totiusque domus malo. Mox enim sceleratissimus parricida patrem, quasi contentem mori, fratresque, primum Antiochi filia prognatos, quod materno genere nobiliores erant; deinde cæteros omnes interfecit: suum quoque filium mox adjecit, jam adultum, ne quis superaret, qui contra se ab offensis optimatibus Rex nominaretur.

Herodes Antigoni ducem superat. App. Joseph. de bello Judaic. 1. 13. 18 Antiq. 14. 27. Dio.

XXVII. Inter hæc Antonius obiter constituta Syria in Ægyptum properans, C. Sosium in Ventidii locum Syriæ & Ciliciæ præpositum, *Herodi restituere Regnum, & ulcisci Antigonum* jussit, qui per absentiam Herodis, Josephum fratrem ejus, cum quinque cohortibus Romanis interfecerat. Igitur Sosius præmissis duabus legionibus, cum reliquo exercitu subsequi statuit, quantum per anni tempus, jam enim vergebat æstas, liceret. Sed dum subigendis Araduis, qui jam diu perpessi omnia, tamen desperatione magis quam viribus resistebant, Sosius detinetur; Herodes magno prælio ducem Antigoni Pappum vicit, eòque timoris adegit hostes, ut recepturus caput gentis Hierosolyma videretur, nisi propter vehemens frigus in hyberna deduci exercitum oportuisset. Per idem tempus Antonius Athenas rediit, auspicio suo quam ductu gestis rebus illustrior. Unde vulgo existimabatur, commune hoc ei cum Cæsare fatum esse, ut per legatos quam per se ipsum esset uterque felicior.

XXVIII.

XXVIII. Nam & Agrippa præclare ſe geſſit ubivis pro Cæſare: & à C. Soſio atque L. Canidio Gallo Antonianis ducibus inclyti Reges victi ſunt. Jam primum M. Agrippa Conſulatu ſuo & Canidii, Galliam rebellantem compeſcuit, primuſque à Dictatore Cæſare tranſiit Rhenum, ſed & Aquitanos inſigni prælio vicit. Idcirco Cęſar evocatum, & triumphare juſſum, claſſi fabricandæ exercendiſque remigibus præfecit. Sed Agrippa vir prudentiſſimus, ſcientiſſimus parendi, minime convenire putavit, ut mærente Cæſare triumpharet, cujus beneficio tantus è tantulo factus eſſet. Nam humili loco ortus, ut etiam Vipſaniæ gentis, tamquam obſcuriſſimæ nomen ipſe tolleret, *L. Agrippam L. F.* ubique præferens, ad maximos honores evectus amicitia Cæſaris fuerat. Urb. cond. an. 716. M. Agrippæ geſta. Appian. Dio lib 48. Vell. 7. 29. 1. Tacit. 1. 3. 1. Senec. de Benef. 3. 32. Val. Maxim. 4. 7. 7. Dio. Liv. Epitom.

XXIX. Igitur prætermiſſo Triumpho, toto conatu in mandatum ſibi munus incumbens, naves per omnem Italiæ oram ædificabat. Maximus enim fiebat apparatus ad tam vicinum & formidabile bellum. nam & amici Cæſaris, & quædam civitates ultro promiſſas naves conſtruebant. Sed quoniam plerumque litus Italiæ importuoſum erat, & ſtationes tantæ claſſi non reperiebantur; Agrippa præclarum opus orſus, quomodo ex Lucrino lacu portum faceret, excogitavit. Quippe in agro Cumano Miſenum inter & Puteolos locus in Lunæ ſpeciem curvatus, Lucrinum Avernumque lacus habebat. Hoc Agrippa mirabili prorſus opere commiſit mari, *portumque Julium* appellavit, tum quidem recipiendis navibus aptiſſimum: hodie paludem cænolam ac tenuem, ex quo ſubterraneus ignis, facta per montes eruptione vicina late cineribus altiſſimis opplevit. Nunc quidem *Mons novus* appellatur, anno factus centeſimo ſeptimo, priuſquam hæc ſcriberemus. Hujus operis multi ſcriptores confuſius quam explicatius fecerunt mentionem: res ita ferme habuit. Et ab eo factus portus Julius. App. Dio. Philargyr. ad Virgil. Geo. g. 2. 161. Velleius. Suet. Aug. 16. 2 Cluver. Ital. Antiq.

XXX. Lucrinum lacum ab externo mari dirimebat agger antiquus, octo ſtadiorum longitudine, nec latior, quam ut incedere per eum currus poſſet. Vetus erat fabula *ſtructum ab Hercule, Geryonis armenta per regiones illas agente.* Hanc molem duabus anguſtis foſſis, per quas intrare naves poſſent, ſcidit Agrippa; deinde foſſis aliis ductis Lucrinum Avernumque conjunxit: ſimul quo undique facilius ad portum iter eſſet, ſylvas circum denſiſſimas, nihil reveritus antiquas locorum cærimonias exſcidit. Inde protectum exiſtimo rumorem, ſimulachrum antiquum, ſive Calypſus illud fuit, ſive ipſius Averni ſudaſſe: neque negligenda res viſa, Pontificeſque, licet natura loci calidis aquis referti miraculi fidem elevaret, locis iiſdem piacularia ſacra fecerunt. maxime quia ſub idem tempus tanta ibi facta tempeſtas fuerat, ut prodigii loco haberetur. Sed Agrippa portu ſtrenue effecto naves eo deductas conſternere, remigeſque tota hyeme exercere inſtituit. nam Cæſar viginti millia ſervorum ad hos uſus manu miſerat. Operis ejus deſcriptio. Strab. lib. 5. Diod. 4. 112. 118. Dio. Sueton. Philargyr. Velleius.

XXXI. Iiſdem Conſulibus & Judæi ſubacti. Vere novo Rex Herodes caſtris ad Hieroſolymam poſitis, tres aggeres excitari juſſerat, eodem loco & exemplo quo Pompejus olim ceperat urbem. Deinde ad nuptias cum Alexandri filia celebrandas Samariam profectus, conſummato matrimonio cum ingentibus copiis in caſtra rediit. Venit mox eodem C. Soſius cum legionibus undecim, & ſex equitum millibus, magnoque auxiliorum numero, ad Borealem oppidi murum oppoſito vallo. At Judæi, gens pertinax, & odii ſemel concepti retinens, nihil omittebat, quo nocere obſeſſoribus poſſet; nec audacia tantum, ſed & Herodes & C. Sollius Hieroſolymam obſident. Liv. Epitom. Joſeph. Antiq. 14. 27. & de Bello Jud. Hegeſip. 1. 31. Dio. lib. 49.

patientia laboris formidabiles, cuniculis maxime molesti erant, unde subito exsilientes, nec opirantibus damnum inferebant. & priusquam ferme pars aliqua muri machinis impelli posset, interiorem novum opponebant.

Et capiunt. Joseph. Ant. & de Bel. Jud.

XXXII. Hac contumacia in quintum usque mensem contra tantos exercitus locum tenuerunt, quum interim & fame premerentur, quod forte septimanus iis annus erat, quo prætermitti solebat agricultura. Sed fiducia templi alebantur, *cui non defore divinum auxilium; & si quis in hujus defensione occubuisset, hunc vero præ cæteris felicem deoque amicum* prædicabant. Nec nisi per partes capi Hierosolyma potuit: quadragesimo die viginti admodum delectorum Herodis exteriorem murum transcenderunt: quos statim sequuti sunt Romani quidam centuriones à Sosio. Sed adhuc resistebat interior murus, nec superari ante quintum decimum diem potuit. Tum vero urbs inferior, cum vestibulo Templi capta, porticibus quibusdam circa delubrum inflammatis: cujus rei invidiam Herodes in Antigonum detorquebat.

Una cum Templo.

XXXIII. Interim Judæi qui partim in templum interius, partim ad superiorem urbem confugerant, legatis ad Sosium missis *sacræ rei faciundæ otium* petierunt. eumdem exoraverunt, & qui capti apud Romanos erant, *ut interesse sacro sinerentur*. Ille sperans hæc esse signa deditionem agitantium, utrumque concessit. Sed ubi nihilo secius in rebellione persistebant, die quadam Saturni facta vis est, Templumque pugnando captum: nec urbs defendi diutius potuit. Magna omnis ætatis sexusque cædes fuit. Romanis propter obsidionis moram iratis; Judæos accendente factionum inter se crudelissimarum odio.

Herodi Regnū Judæorum traditur.

XXXIV. Antigonum ad pedes se abjicientem immisericorditer accepit Sosius, complosis manibus *Antigonam* nominans, vinctumque in custodiam dedit. Sic iterum à Romanis capta est Judæorum metropolis, eodem die, quo septimo & vicesimo anno ante expugnata à Magno Pompejo fuerat. Herodi curæ fuit prohibere alienigenarum turbam, arcana Templi & sacrorum spectare contendentem. Idem vix impetravit à Sosio, prædam urbis militibus suis adferente, ut à se acceptis pecuniis direptionem remitteret. Inde Sosius aurea corona in Templo dedicata, captivum Antigonum Antonio adducens, discessit, Regno Judæorum Herodi tradito. Atq; ille minime certam ejus possessionē sibi spondens, quādiu Antigonus supereſſet, maximis muneribus expugnavit Antoniū, ut interfici juberet.

Antigonus securi percutitur.

XXXV. Igitur Antiochiæ deligatus ad palum, flagrisque cæsus, & securi percussus est: quo supplicio neminem adhuc Regum quilquam Romanus affecerat. Cum hoc extincta nobilissimæ stirpis dignitas, penes quam supra annos centum viginti Sacerdotium & principatus Judæorum fuerat, in Herodem plebejæ gentis hominem, Idumæisque parentibus ortum concessit. Sequenti anno, qui L. Gellium L. F. L. N. Poplicolam, M. Coccejum Nervam Consules prætulit; quietæ res in Syria fuerunt, absente Antonio, metuente Antonium Sosio, si magnis gerendis rebus obscurare gloriam Imperatoris legatus videretur.

Urb. con. an. 717.

Monæses Parthus ad Antonium confugit. Plutarch. Horat. Jos. Appian.

XXXVI. Sed Parthi bellum ingens inter se moverunt, ob Pharahatis novi Regis crudelitatem & vecordiam; qui post multa parricidia nemini jam parcere poterat, nobilissimo cuique infestior, quo magis sibi ab hoc genere metuebat. Igitur multis quaquaversum diffugientibus, ad Antonium Monæses venit. Erat vir illustris ac potens, & prioribus adversus Romanos bellis magna virtutis fama.

Digitized by Google

Quapropter Antonius eum Themiſtocli, ſe magno Regi comparans, tres ei donavit urbes, Lariſſam, Arethuſam, Hierampolim, quam & Edeſſam, & prius Bambycem appellatam ſupra ſcripſimus. Parthic. Dio. lib 48.

XXXVII. Interim Romæ multiplici prodigiorum denunciatione eſt exterrita. Quippe *Delphinas concurriſſe invicem cruenta pugna circa Clupeam ferebantur*: Romæ ſanguinem inter pluviam lapſum cælo, varie diſtulerunt volucres: ludis Romanis, Senatorum in Capitolio, ſicuti mos erat, epulatus eſt nemo. Liviæ quoque oblatum omen ſicut ipſi lætum, ita civibus formidabile habebatur. quippe circa tempus nuptiarum cum Auguſto, in Veientanum ſuum euntí, prætervolans aquila gallinam albam, ramulum lauri cum baccis ſuis roſtro tenentem, in gremium abjecerat. *eam* quum *ali Livia, ſeriemque ramum* haruſpicum monitu juſſiſſet; tanta pullorum ſuboles provenit, ut ea villa diu poſtea *ad Gallinas* vocaretur, quæ via Flaminia juxta nonum ab urbe lapidem fluvio Tiberi inædificata fuerat. Prodigia. Plin. 15. 30. 18. Suet. Galb. c. 1.

XXXVIII. Ramus etiam, quamquam ita creſcere laurum Democritus & Theophraſtus ambigant, tale lauretum produxit, ut poſtea diutiſſime Triumphis Cæſarum ad coronas ſufficeret. Ea res potentiam Cæſarianæ domui ſtabilem videbatur promittere. Percellebantur etiam homines crebra mutatione magiſtratuum, quum nonnulli eodem die inirent ejurarentque: nihil inde quærentes amplius, quam honorem nominis, & ſpem adipiſcendi provinciam, ac cætera non niſi magiſtratu functis tribui ſolita. Contra erant qui magiſtratus capeſſere paupertate aut alia cauſſa vetebantur. Nam & qui apud Pompeium erant, quaſi merito arcebantur deſponſis honoribus; & quidam bonis amiſſis ſumptus tolerare non poterant. Crebra mutatio magiſtratuum. Theophr. de Plantis. l. 3.

XXXIX. Inter quos M. Oppius, propter pietatem in parentem gratus plebi; quum Ædilitatem prætermittere ſtatuiſſet, ſtipe collata ſeque & impenſam munerum exhibuit: quum etiam in Theatrum ingreſſi quidam, hiſtrionum ſpecie cum perſonis, pecuniam contulerunt: animorum ſuorum obſequentes judicio, periculum ne *inimicis Triumvirorum faviſſe* dicerentur, hac cautione vitantes. Nec hic ſtetit in Oppium populi amor: quin & mortuum paulo poſt in Campo Martio funeravit. Sed invidia nobilitatis oſſa ſepulti translata ſunt alio: Pontificibus monentibus, *locum ſacrum eſſe, neque contaminandum mortuorum reliquiis*: quum tamen multos ibi ſepeliri & paſſi jam & paſſuri eſſent. Eodem vere M. Antonius Athenis egreſſus, cum trecentis navibus, Brundiſii non receptus, Tarentum appulit; promiſſum Cæſari auxilium ferens. M. Oppii pietas honorata. Appian. lib. 5. Civil. Plutarch. Ant. cap 46.

XL. Sed Cæſar exſpectare dum ſuæ claſſis præſto eſſet, maluit: licet ſemel iterumque invitatus, ut apparatu Antonii, ſuffectaro ad id bellum, uteretur. Apparebat aliquid ſubeſſe querelæ ac ſuſpicionum. Idcirco Octavia quæ comitata virum ex Græcia fuerat, exoravit eum, *ut ad fratrem mitteretur*. Alteram ea jam filiam apud Antonium pepererat, & tum etiam erat prægnans. Hæc in itinere occurrens Cæſari, primariis amicis ejus adjunctis Mæcenate & Agrippa, multa precum humilitate contendit, *ne ſe miſerrimam omnium matronam ex omnium feliciſſima redigi paterentur*. Octavia virum & fratrem concitate ſtudet. Dio. Appian. Plutarch.

XLI. *Nunc enim*, inquit, *totus orbis me beatam prædicat, ſuſpicitque duorum Imperatorum, alterius ſororem, alterius conjugem. Sin vero, quod dii ne ſi* Ejus ad fratrem oratio. Appian.

rint, prava consilia vos in bellum egerint, uter vestrum sit futurus superior, in incerto erit: unum erit certissimum, me, utcunque res ceciderit, in perpetua solicitudine & luctu fore; cui in qualibet viri fratrisque fortuna, semper plus offeretur quod erueiet, quam quod reficiat. Cæsar ad hæc objicere, *se desertum ab Antonio, maximum in discrimen incidisse: sed & missum in Africam esse Calliam, ut fœdus contra se cum Lepido jungeret.*

Antonii & Cæsaris certamen humanitatis.

XLII. Tum Octavia: *Calliam ad Lepidum non alia causa missum esse scio, quam ut de matrimonio ageret. Cupiebat enim Antonius desponsam adolescenti Lepido filiam collocare, priusquam Parthicum ad bellum proficisceretur. Prius autem crimen ita diluit Antonius, ut tibi per Mæcenatem satisfactum eo nomine credam.* His obtestationibus, & quia Calliam etiam miserat Antonius, ut ex ejus quæstione deprehenderetur veritas: ita Cæsar emollitus est, ut non accepto Callia *cum Antonio se colloquuturum* diceret, *inter Tarentum & Metapontum, circa fluvium Evonymum, si & illi videretur.* Accepta conditione, quum eodem forte tempore ad flumen uterque veniisset, Antonius carpento desiliens, in Scapham forte stantem eo loco se conjecit solus, trajecturus ad Cæsarem: contendit & ille vicissim prævenire cupiens Antonium; & aliquamdiu occurrentium sibi in amne certamen fuit, uter in alterius ripam fidemque se traderet prior, sed vicit Cæsar, *ad duos unum se profecisse* dicens, *non ad Antonium modo, sed & ad sororem suam.*

Nova inter eos pacta. Plutarch. Appian. Dio.

XLIII. Itaque conscenso Antonii carpento, cum eodem Tarentum profectus, ea nocte apud illum mansit sine corporis custodibus. Postridie rursus apud Cæsarem eadem omnia Antonius fecit. Adeo duo illi summæ fortunæ competitores, & rationibus suis conducere putabant, intimam familiaritatem levibus suspiciunculis, & professa odia summæ benevolentiæ significationibus vicissim obruebant. Cæterum quia Cæsar, bellum Siculum sequentem in annum differebat; Antonius in Parthos properabat; ille navibus indigebat, hic legionibus; instituta est permutatio, uti Cæsar Antonio duas legiones Italicas daret: hic Cæsari rostratas cum remigio centum. Sic & classem adeptus est Cæsar, qua egebat; & sumptu liberatus Antonius, milites nactus, quos Italiam obtinente Cæsare, licet ex prioribus pactis delectuum jus haberet, difficulter confecisset. Octavia quoque, præcipuum & instrumentum & vinculum instauratæ amicitiæ, viro mille delectos milites impetravit à fratre; fratri vicissim decem phaselos à viro: quod genus navium inter longas & onerarias ferme medium est.

Etiam de retinendo Triumviratu. Dio. Cornel. Nep. Attic. 12. 2. Appian. Plutarch.

XLIV. Accesserunt nova ex sponsalibus firmamenta, & Antyllo, quem Antonio Fulvia pepererat, filiolam suam despondit Cæsar; & Antonii Octaviæque filiola Cn. Domitio pacta est, qui modo hostis acerbissimus Triumviris, & proscriptus inter parricidas fuerat. Sed facile fuit quidvis polliceri, nihil servaturis, nisi quod postea quoque sibi profuturum censuissent. Sub idem tempus, opinor, etiam auctore Antonio Pomponiam Agrippa duxit, T. Attici filiam, Equitis Romani affinitatem generosarum nuptiis anteponens, quum propter summum in amicitia Cæsaris gradum, nullius non conditionis potestatem habere videretur. Præterea convenit, *uti Sex. Pompejo Sacerdotium & Consulatus, nuper pacta eriperentur; ipsi nihilominus, elapso tempore Triumviratus, in aliud quinquennium potestatem retinerent.* His peractis profectus Antonius, liberos suos

Claſſes Cæſar. & Ant. tempeſtate vexatæ.

ex utroque matrimonio, & Octaviam conjugem ad Cæſarem remiſit Corcyra, ne moleſtiarum ac periculorum, qualia bellum affert, haberet participes: niſi forte, quod eventus affirmat, plus de Cleopatræ amoribus, quam de bello ſolicitus, amoliendum hoc in tempore impedimentum judicavit.

XLV. At Cæſar novis copiis navalibus auctus quamquam prius quieſcere eo anno ſtatuerat, bellum incepit, non pœnitendis initiis, niſi quod Menas ingenio levis, & cum fortuna mutans animos, præterea Sabino parere non ferens, impetrata fide, cum ſex aut ſeptem navibus iterum ad Sextum transfugit. Exiſtimatum etiam eſt, minis Antonii perterritum, & quotidianis cæterorum Pompeii libertorum exprobrationibus promiſſiſque præbuiſſe aures. præſertim ultione ſumpta de Menecrate, quem præcipuum inter Pompejanos inimicum habuerat. Cæſar offenſus hac perfidia, in Sabinum effudit iram, ablata tamquam indiligenti claſſis præfectura, quod fugam tot navium non ſenſerat. In ejus locum Agrippa maritimum imperium accepit: à quo interim nova confecta claſſis Romano more luſtrata eſt. Conſtitutis ad ipſas undas altaribus, naves inſtructæ circumſtabant magno omnium ſilentio, interea Sacerdotes re divina juxta mare facta, ducibus aſſumptis piacularia extra navigio impoſita ter circum claſſem circumvehebant; invocabantur potentia maris numina, *uti quæ detrimenta, quæque pericula deſtinata claſſi fuiſſent, ea in hoſtium caput expetant.* Claſſis nova luſtratur. App. Dio. Oroſius. 6. 18.

XLVI. Poſtremo pars extorum, turba favente linguis, in mare projiciebantur; partem adolebant altaribus. Tum educta portu claſſis animi ſpeique Cæſarem implevit, undique cincturum navibus Siciliam. Quippe & Antonianæ naves jam ad Fretum proceſſerant: & Lepidus quantumlibet invitus, auxilia promiſerat. Sed maxime nova claſſe confidebat, mira firmitudine ſpecieq; compactis navibus, quæ neq; roſtrorum timerent impetum; & magnum numerum propugnatorum caperent, & turres portarent, unde tamquam è muro in ſubjecta hoſtium navigia pugnari poſſet. Cæterum omnes iſtas cogitationes momento quaſi tempeſtas circa Palinurum promontorium adorta diſſlavit. Res hoc modo geſta eſt. Conſtitutum erat, uti A. D. Kal. Julias (quod ob patris memoriam ſibi fauſtum fore ominabatur) tribus diverſis claſſibus Pompejus oppugnaretur. Nec ideo minus tempeſtate perit. Dio. lib. 49. Plin. 7. 45. 2. Vell. 2. 79. 3. App.

XLVII. Ille contra *Plennium* quemdam *cum una legione, & magna multitudine velitum Lilybæum & vicina loca tueri* juſſit: & præſidia ad Orientem & Occidentem diſpoſuit, inſulis etiam occupatis, Lipara præſertim & Coſſura, ne harum opportunitate hoſtes juvarentur. Meſſanæ vero (hanc habebat arcem belli) quod roboris erat in claſſe ſecum habebat; inde quamlibet adnecceſſitatem occurſurus. Interim die dicta Lepidus ex Africa ſolvit; mille ducenas onerarias, ſeptuaginta longas, in quibus erant ſemiplenæ legiones duodecim, equitum Numidarum quinque millia, magniſque apparatus alius. Interim & à Tarento Statilius Taurus eum navibus Antonianis eorum duabus adfuit; cæterarum enim remigium peſtilentia nuper exhauſerat. Quæ & Lepidus corripitur. Strabo lib 6. App. Vell. 2. 80. 2.

XLVIII. Cæſar Puteolis facto ſacrificio, projectiſque è Prætoria in mare extis profectus eſt, Ap. Claudio cum magna multitudine navium poſtremum agmen cogente. Ubi tertia dies venit, vehemens Auſter adgreſſus eſt omnes, Lepidique multas onerarias depreſſit. Tenuit tamen ille Siciliam, & incluſoque intra Lilybæum Plennio, multa circum oppida armis aut deditione cepit. Taurus Et tamen in Siciliam eſcendit.

animadverſa tempeſtate matare Tarentum reduxit claſſem. Appianæ naves afflictæ circa Minervæ promontorium & quædam in ſcopulos aut brevia compulſæ ſunt, disjectis nec ſine gravi damno cæteris. Cæſar in Velinum portum ſe & naves ſuas receperat, præter hexeremum unam, quæ circa Palinuri promontorium vi tempeſtatis ſoluta eſt.

Numerus amiſſarum Cæſaris navium.

XLIX. Erat ea portus natura, ut ad cætera tutus verſus Orientem pateret. Idcirco quum repente verſus in Africum Auſter eſſet, neque portu exire naves prohibente vento poterant, neque aut remis aut anchoris contineri, quominus inter ſeſe aut ad laxa comminuerentur. Ita naves majores ſex amiſſæ, minores ſex & viginti, cum aliquanto majore numero Liburnicarum. nam & ab hoſte damnum datum erat. Menaſque multas ex disjecta claſſe naves abſtraxerat aut exuſſerat. Tanta hæc erant incommoda, ut ante triceſimum diem emendari non poſſe viderentur, quo tempore pene in exitu futuræ æſtas erat, ideoque rectius videbatur, venientem in annum expeditionem differri.

Qui ſe invito Neptuno victoriam adepturum jactat Suet. Aug. 16. § Dio.

L. Sed Cæſar, *vel invito Neptuno victoriam ſe adepturum* jactans, cæterum populum timens, ſi diutius annonæ penuria premeretur, *continuo ſubduci reſticique naves* juſſit: remiges ex naufragio receptos ad Taurum miſit, complendis navibus quæ penes eum vacuæ remanſerant. Mæcenas in Urbem ire juſſus eſt, ad plebem in officio continendam, quæ ob adverſa Cæſaris & memoriam Pompeji Magni tumultuabatur. Ipſe magna celeritate atque diligentia novos per Italiam colonos hortatus, ad viſendam Tauri claſſem Tarentum tranſcurrit: mox Vibone alloquutus legiones, navium apparatum feſtinavit: brevi tempore ſic confirmatis atq; conſtitutis omnibus, ut iterum invadere Siciliã poſſet.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXIX. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

ADVERSUS Sex. Pompejum vario eventu navalibus certaminibus pugnatum eſt: ita ut ex duabus Cæſaris claſſibus, altera, cui Agrippa præerat, vinceret; altera, quam Cæſar duxerat, deleta, expoſiti in terram milites in magno periculo eſſent. Victus deinde Pompejus in Siciliam profugit, M. Lepidus qui ex Africa voluntad ſocietatem belli contra Sex. Pompejum à Cæſare gerendi trajecerat; quum bellum Cæſari quoque inferret, relictus ab exercitu, abrogato triumviratûs honore, vitam impetravit. M. Agrippa navali corona ab Cæſare donatus eſt: qui honos nemini ante eum habitus erat.

Alterum Menæ transfugium ad Cæsarem.

EX diverso Pompeius hac felicitate non ad industriam, sed vanitatem & ineptias excitabatur: jam haud dissimulanter *Neptuni filius* appellari volens, cujus spreto numini duplex naufragium Cæsaris, & alterum quidem per ætatem immissum imputabat. Idcirco & paludamentum induit cyaneum pro purpureo, & Neptuno Salaciæque, parentibus scilicet suis, bobus auratis & equo fecit. Sed & equos vivos, quidam *& viros* addunt, conjecit in Fretum. Nec tamen securus audiit, *iterum instare Cæsarem*, quam cum strenuo & irrequieto res esset, considerans. Idcirco Menodorum *ire speculatum quid fieret in Italia* jussit. Pompeii vanitas. Plin. 9. c. 1. App. Orosius. Sueton. Dio. lib. 48. Porphyr. ad Horat. Epod. 9. Aust. de Vir. Illustr. c. 84.

II. Ille dolens sibi classis imperium non esse redditum, sed solummodo paucarum navium, quas reduxerat, præfecturam relictam; ne contra Lepidum quidem opera ejus Pompeium uti voluisse; iterum agitare proditionem animo cepit. Cæterum quo majoris apud Cæsarem fieret, si prius edidisset plura documenta, quantum in eo præsidii partibus esset; omne quod secum habebat aurum, inter suos distribuit, ut promptioribus ad omnia uteretur. Ergo duodeviginti passuum millibus trijdui spatio eremigatis, impressionem in naves Cæsaris sæpe fecit, ad tuenda loca ubi novæ aliæ fabricabantur, dispositas. Ex his binas ternasve subinde abripiens, simul onerarias in stationibus incursu intercipiens aut corrumpens, omnia pavoris atque consternationis implebat. Non enim Cæsar modo, sed etiam Agrippa petendæ materiæ caussa tum aberat: quoque maius audaciæ simul & artis specimen ederet; aliquando nave in mollius solum sponte impacta, in luto se obhærere simulavit; donec decurrentibus velut ad certam prædam hostibus, inhibendo se expedivit, abiitque cum plausu & cachinnis, non sine stupore & verecundia Cæsarianorum. Menas virtutem ostentat. Appian. Dio.

III. Sed ubi maturum esse putavit, dimisso Senatore, quem ceperat, Rebilo, præstruxit ad novum consilium viam. Deinde commentus apud suos, *Mindium Marcellum*, jam à tempore Dictatoris familiarem Cæsaribus, *ad se transiturum*, cuius nuper amicitiam Romæ comparaverat; sine suspicione cum eo in quadam parva insula congressus, mentem suam aperuit, *se coactum injuriis Calvisii, quas pati non potuisset, ad Pompeium refugisse. nunc amoto Calvisio, nihil obstare quin redeat ad Cæsarem non male de se meritum; modo fides à M. Messalla detur*, nam hic per absentiam Agrippæ classi præerat. Nec diu dubitavit Messalla, Cæsari gratum se facturum admonitus aut conjiciens. Menas iterum ad Cæsarem transit. Cic. Fam. 18 6. Dio. lib. 49. App.

IV. Ergo ubi cum aliquot triremibus Mindius adfuit: tanquam à Cæsaris partibus transiens, adjunxit ei se proditor, & suos partim volentes, alios repugnare validiori non ausos, transduxit. Postquam in conspectum Cæsaris admissus est, ad genua procidens oravit veniam, nihil excusans. Et eam quidem haud gravatim tribuit Cæsar: cæterum ingenio tam mutabili nihil postea majoris rei credidit; dedit que negotium certis hominibus, dissimulanter eum custodiendi: præfectos triremium qui manere nolebant, quo cuique visum est abire dimisit. Jam refecta classis erat, & Cæsar Vibonem appulsus, Messallam cum duabus legionibus transmittere in Siciliam jussit, Lepidique copiis coniunctum stationem agere in Tauromanitano sinu. tres alias legiones ad statuam (Stylida vocant Græci) excubare jussit; quod is locus ad duodecimum à Rhegio milliare distans, brevissimum in Siciliam traiectum habebat. Sed Cæsar ei parum fidit postea. Dio. Orosius 6. 18. App. Strabo. lib. 6.

Lepidi legiones aliquot malemulctantur. Appian.

V. Sed Taurus à Tarento Scylacium, obversum Tauromenitanæ regioni promontorium petiit, itineri simul prælioque paratus. Nam & mari speculatoria navigia præmittebat, & litora curabat exploranda per equites. Ideoque Cæsar à Vibone transgressus, probata Tauri diligentia securior, eodem rediit. Pompejus adversum hæc iisdem locis præsidia constituit, quibus per eamdem æstatem habuerat. Interim quatuor Lepidanæ legiones, deceptæ specie occurrentium navium, nam à Lepido missas existimaverant, in Papiam Pompeii ducem inciderunt: maleque mulctatæ, ne Lepidi quidem navibus, quæ postea venerant, obviam ausæ confidere, vario & miserabili errore, multas onerarias amiserunt. Sed & duæ ferme legiones desideratæ: plerisque in mari varia peste consumptis, & si qui enare potuerant, exceptis à Tisseno Gallo Pompejanarum partium duce. cæteri statim aut postea pervenerunt ad Lepidum, quum ad Sextum Papias abnavigasset.

Cæsar fretum transire statuit. Plin. l. 8. c. 12. Appian. Dio.

VI. Sed cum universa classe Cæsar explorato profectus ad Strongylen, quæ septem Æolidum una est; quum ex magna specie copiarum, quas circa Pelorum & Mylas & Tyndaridem agere videbat, ipsum adesse Pompejum conjectaret, relicto cum imperio Agrippa Vibonem repetiit, pedestres copias adducturus. Inde ad castra Tauri citatis itineribus transgressus, cum tribus legionibus & M. Messalla fretum transire statuit, ut per absentiam Pompeji Tauromenio capto, duabus ex partibus illum angeret. Interim & Agrippa è Strongyle transjecit Hieram, eaque capta se paravit, ut postridie Mylas transvectus Democharem adoriretur, qui stationem ibi cum quadraginta navibus habebat. Sed ubi cum dimidia parte classis Hiera profectus, non exire Democharem vidit, contempta hostis ignavia rediit, sequenti die classem universam adducturus. Vicissim Democharis non alias Agrippæ naves esse ratus, & has ipsas tardas & graves noctu evocavit Pompejum eo proposito, ut conjuncti Agrippam aggrederentur.

Agrippæ pugna cum Pompejanis. App. Dio. Non. Epod. 9.

VII. Igitur postridie sub idem ferme tempus utrimque classibus eductis, quum Agrippa & Apollophanem cum quinque & quinquaginta navibus adesse, & cum aliis septuaginta Pompejum sequi cognosset, nuncio celeriter ad Cæsarem misso, in magnis animi fluctibus fuit: idemque & Demochari similibus caussis accidebat; & nisi fuga præter turpitudinem haud minus periculi quam prælium habuisset, non dubitabatur utrobique, quin præstaret recedere. Sed quia digredienti sequuturus hostis timebatur, pari aliquamdiu Marte concursum est. Pro Pompejo celeritas navium, artesque gubernatorum, & remigum erant; Agrippa plures & firmiores habebat: & robur Cæsariani militis adæquabat Pompejanorum desperatio. fugitivi enim plerique erant, quibus si caperentur, ne simplex quidem perari mors poterat.

Navis unius casus memorabilis. Appian. Pollux 5. 17. 1. 30.

VIII. Memorabilis in hoc prælio casus unius navis fuit, quam Agrippa præ cæteris petebat, quod ea Papiam invehi cognoverat; incurrique impetu tam violento, ut prora discussa carinam aperiret: & qui in turribus ejus constiterant, in mare excuterentur. Igitur & navem aqua copiosa admissa celeriter mersit, cum thalamitis, (sic appellantur ordinis imi remiges) cæteri tabulato perfracto enatarunt. Et Papias in proximam navem receptus, pugnam repetit. Pompejanorum enim scaphæ passim oberrabant, quibus excipierentur nantes, fractis

fractis aut āmiſſis navibus. Nam & integræ relinquebantur, quoties ferreis manibus comprehenſæ defendi adverſus tanto validiores non poterant.

IX. Idcirco Pompeius ex edito loco conſpicatus quæ fierent, ſignum receptui dedit, jam adveſperaſcente die. redieruntque ſervatis ordinibus, ad litora non aſpera aut ſaxoſa, ſed quę multo cœno limoſa erant, applicantes: Agrippa quum cuperet, inſequi non potuit, ne cum magnis ſuis navibus in brevia delaberetur. idcirco jactis in alto anchoris ſubſtitit, tamquam iterum inuaſurus vel per noctem: ſed monentibus amicis, *ne militem nimiis vigiliis & laboribus debilitaret, neve nimium crederet infido mari*, vix tandem ſe recepit. Sunt qui dicant, *Cæſaris invidiam veritum, abſolvere victoriam noluiſſe*. Sed & dicere ſolitum inter familiariſſimos, *ſecundum locum tenentibus magna prudentia opus eſſe; velle enim præpotentes, laboribus & periculis eorum maxima conſequi, ſed hoc ſciri credique ab hominibus nolle; dandam igitur eſſe operam, ut perficiendis ingentibus operibus ſtrenue deſudent, perfectorum titulo cupide ſolerterque cedant.*

Secundum locum tenentibus neceſſaria prudentia. Appian. Dio. Excerpt. Valeſ.

X. Hoc prœlio Pompeius quum naues amiſiſſet triginta, hoſtiles quinque corrupiſſet, laudauit tamen ſuos, donauitque, *pro victoribus ſibi eſſe* præfatus, *qui eum tantis navibus æquo Marte dimicaſſent; non enim prœlium iſtud; ſed hoſtilium murorum oppugnationem videri*. Subjecit, *ſe quoque navium ſuarum altitudini non nihil adſtructurum eſſe*. Interim Cęſar, ubi Meſſana digreſſum Pompeium, fretumque ſine idonea cuſtodia relictum ſenſit; cum Antonianis nauibus Tauromenium petere conſtituit. Cæterum Pompeius id ipſum coniectatus, parte nauium Mylis relicta, quę præſentis Imperatoris ſpeciem Agrippæ facerent; quum poſt prœlium leuiter cęnaſſet, continuo Meſſanam redierat. Agrippa vero pro præſenti copia milite refecto Tyndaridem, quæ dedebatur aduectus, oppidum volentibus incolis recepit; ſed mox à præſidiariis ſtrenue pugnantibus ejectus eſt.

Pompeius ſuos incidat. App. Oroſius. 6. 18. Dio.

XI. Aliis tamen oppidis recepta ſunt ejus præſidia: quibus rebus conſumpta die, ſub tenebras pridianam ſtationem repetiit. Jam Cæſar è Scylacio prouectus Leucopetram attigerat, ubi certioribus nunciis Pompeium ad Mylas Agrippæ concurriſſe doctus, ſtatuit noctu tranſire Fretum, & in Agro Tauromenitano copias exponere: ſed cognito prœlii euentu, haud ſatis decorum victori putans, per tenebras ſubrepere, expectata luce, quantum capere militum naues potuerant, vacuo mari tranſjecit: cæteris cum Meſſalla relictis, quos remiſſis mox nauibus arceſſeret. Cæterum Tauromenii non receptus, præternauigato amnis Onobalę oſtio (Cantarum hodie vocari autumant) & fano Veneris, ad Archegetam appulit. Id loco nomen erat à paruo ſimulachro Apollinis, *quod ibi poſuiſſe Chalcidenſes* ferebantur, *hoc duce ad condendam coloniam ex Eubœa profecti; quum Naxum, quæ poſtea Tauromenium eſt appellata, occupaſſent.*

Cæſar in Siciliam tranſit. Dio. pp. Fazellus Hiſtoriæ Siculæ lib. Thucydid. 6. 2. ſ. Plin.

XII. Hic exſcenſione facta, ſimul terram Cæſar attigit, lapſante veſtigio procubuit. nec exterritus ſacra fecit deo, caſtriſque ibi collocatis oppidanorum tentare animos decreuit. Nondum abſolutum vallum erat, quum Pompeii magna claſſis cum ipſo Imperatore adfuit, in deſeſſorum locum integris repoſitis remigibus: ſimul & equitatus eius conſpectus eſt, pari celeritate per litora tranſcurrens: & alio loco pedeſtres copiæ apparuerunt. Ea repente res objecta magnopere Cæſarianos exterruit, qui victum prœlio Pompeium, nuſquam diſcedere poſſe

Eius ibi periculum. App. Dio.

Victor Cæſar vincitur equeſtri pugna.

per Agrippam putaverant. Neque abſurde creditum eſt, *ſi undique ſimul factus impetus eſſet deleri Cæſaris exercitum potuiſſe*. tres omnino legiones erant, cum equitibus quingentis, quorum nondum advecti equi erant. velites mille, voluntarii ex novis coloniis duo millia, cum elaſſiariis.

Cæſar ſuos hortatur. Oroſius 6. 18. App. Dio.

XIII. Sed equitatus tantum impetu in munientes facto, interturbavit opus, nequidquam: navibus, ne ſero diei prœlium inirent, ſub Coccyno capientibus ſtationem: peditatu in oppidum Phœnicen abducto. Cæſar hac opportunitate uſus, non intermiſſo per noctem labore caſtra permuniit. deinde traditis L. Cornificio copiis, ante lucem cum claſſe profectus eſt, occupaturus tranſitum, antequam præcluderetur, & minus timens Pompeii naves, ut paucas numero, & recens victas. Igitur dextra acie Titinnio commiſſa, ſiniſtra Carcio, ſi modo recte traditum nomen eſt; vectus Liburnica claſſem circumiit, ſolicitus hortator: quo tempore, ne forte adgnitus ab hoſtibus in periculo eſſet, Imperatoria inſignia depoſuit. In eo curſu, quum obviam ſe Pompeius tuliſſet, bis congreſſi, ad noctem uſque depugnarunt.

Eadem accipit à Pompeianis. Liv. Epit. Dio. Appian.

XIV. Tum vero Cæſaris haud dubie inferior fortuna fuit, multiſque captis aut merſis navibus, pars cæterarum, ipſo fruſtra hortante verſus Italiam fugit, quas Pompeiani neutiquam longe inſequuti, ad reliquas oppugnandas redierunt. Et harum pleræque tum merſæ ſunt, aut in hoſtium devenerunt manus. & ſi quis enatare ex his potuit, ab equitatu Pompeii litus obeunte capti aut interempti ſunt: Pauci ad Cornificii caſtra penetrarunt, à velitibus ejus deducti: nam grávem armaturam educere adverſus legiones victoria ſuorum alacres, minime tempeſtivum judicabat. Ipſe Cæſar in multam noctem jactatus, & animi pendens, utrumne Cornificium, an vero Meſſallam peti oporteret, bona quadam fortuna ſub portum Abalam, eum uno tantum ſatellite delatus eſt. quem à montibus decurrentes quidam exceptum, & in acatium ex acatio translatum, quominus deprehendi ab hoſtibus poſſet, animo & corpore ægrum, ad Meſſallæ caſtra deportarunt.

Omine quodi confirmatur. Dio. Plin. 6. 29. 2. Appian.

XV. Nec quidquam habuit antiquius, quam miſſa ad Cornificium Liburnica, ſignificare *ſalutem ſuam, & maturum auxilium* polliceri; miſit etiam circum vicinos montes, *Cornificio* jubens *opitulari quotquot poſſent*. Curato deinde corpore poſt modicam quietem, ad Columnam Rheginam profectus eſt, deducente Meſſalla, ubi Carrinas cum tribus legionibus conſtiterat, juſſu Cæſaris in Siciliam traiecturus. At tum Liparam præmiſſus eſt à Cæſare mox ſequuturo. Sed hanc animi agitationem conſolata eſt res parva dictu, niſi ſuperſtitione inflaretur: piſcis è mari exſiliens ad pedes ambulantis ſe abjecit. Hoc argumento ſpoponderunt vates, *ſub pedibus Cæſaris futuros, qui tum tenerent maria*. Idcirco jam tranquillior animo ſcripſit ad Agrippam, *ut ad eximendum periculo Cornificium, expeditas copias duce Laronio mitteret*. Mæcenatem iterum ablegavit Romam, atque is correptos aliquot, novarum rerum auctores ſupplicio affecit publice.

Meſſallæ fides in Cæſarem. Liv. Epit. Dio. Appian.

XVI. Meſſalla Puteolos navigavit, ut legionem primam à Vibone adduceret; præclarę fidei ſpecimine edito: nec enim omni ope humana deſtitutum interficere arduum fuiſſet, ſi proſcriptorem ſuum potius, quam Imperatorem, cogitare maluiſſet. Interim in magno periculo cum expoſitis militibus Cornifi-

Digitized by Google

Terreſtre Cæſaris copiæ in diſcrimine.

eius verſabatur. Armis caſtriſque tutum fames oppugnabat: nec ignarus eius rei Pompeius, provocante Cornificio detrectavit certamen. Idcirco navibus incenſis, quæ forte delatæ ad caſtra eius è prœlio fuerant, Mylas inſtituit petere, laceſſentibus undique Pompeianis. Nam ſive per campeſtria loca pergebatur, equites aſſultabant, ſive per montana & aſpera, Maurus jaculator moleſtus erat, nec itineris facultas, nec pugnæ dabatur; quum levis & expeditus hoſtis ſubſiſtentes refugeret, abeuntes inſequeretur.

Cæſarianorũ ſub Cornificio ingens periculum. App. Dio. Diodor. 4. 60.

XVII. Et erant defendendis inermibus occupati, quos ex naufragiis ſervatos in medium agmen receperant: maximus erat in fluminibus tranſeundis metus, quum divulſi invicem, & cum aqua aut luto luctantes multi vulnerarentur. Triduum inter hæc pericula conſumptum eſt. quarta deinde dies certi interitus metum attulit. Deventum in ea loca erat, quæ profluvio quondam Ætnæorum ignium exuſta fuerant, uſque in mare decurrentibus rivis. Rhynca vocabant accolæ, non niſi noctu tranſire ea ſoliti, vitandi æſtus gratia. Sed Cornificiani nec inter tenebras ſuſcipere iter propter ignorantiam locorum audebant; neque ſuſtinere interdiu poterant vim pulveris quo ſuffocabantur, & fervorem plantas, nudis præſertim pedibus ineedentium, perurentem. & tamen morari vetabat ſitis, & hoſtilium copiarum formidabilis conſpectus, ad anguſtias, quæ regionem illam ambuſtam finiunt, ab ipſo interim Pompeio adductarum.

Qui deſperatis plane rebus. Dio. Appian.

XVIII. Magnus erat in agmine numerus ſauciorum, qui ad progrediendum invalidi commilitonum humeris portabantur. Sed tum extrema deſperatio coëgit, his depoſitis oneribus, ne ſui quidem ulla jam parcimonia in hoſtes irrumpere. Hoc impetu repulſi Pompeiani primos aditus reliquerunt: nec ideo minus aliæ fauces haud procul inde cuſtodiebantur. Idcirco non labore tantum vulneribuſque & ſiti affectos, ſed etiam fruſtra niti autumantes, vix excitavit Cornificius, oſtenſo forte propinquo, ut ſemel collectis viribus unicam ſalutis ſpem pugnando capeſſerent. Sed dum multa ſuorum jactura manum cum præſentibus conſerunt, fontem ab alio præſidio hoſtium occupari viderunt. Tum vero penitus omnis defluxit corporibus animiſque vigor: torpentesque fatigatione & tædio, quod in ipſis erat, perierant; quum eminus conſpecta ſigna legionum, dubia primum, mox ubi cognoſci potuere, certa ſpe deficientes erexerunt.

Agrippæ providentia eripiuntur. Dio. App.

XIX. Laronius erat ab Agrippa miſſus cum tribus legionibus & frumento, cuius egere Cornificianos ſciebat. Nam Agrippa, Democharem alio profectum ſentiens, Tyndaridem ceperat, refertam copiis, & opportuno ad mare ſitu. Idcirco Pompeius ipſum adeſſe Agrippam exiſtimans, tanta celeritate diſceſſit, ut etiam pars impedimentorum in caſtris relinqueretur. At Cornificiani milites fonte potiti, quamquam monentibus de periculo ducibus; adeo biberunt intemperanter, ut multi præcluſo ſpiritu inter hauriendum exanimarentur. Cæteros ad Agrippæ caſtra perductos ſuperveniens paulo poſt Cæſar laudavit donavitque ex merito, vim enim maximam, non hoſtium modo, ſed quæ ſunt hominibus intolerabilia famem, ſitim, æſtum ſuſtinuerant. Cornificius quidem tantum ſibi ſervatis hiſce copiis tribuit, ut poſtea Romæ, quoties à cœna rediret domum, elephanto vectaretur.

Cæſar Mylenſium fauces occupat. App. Dio.

XX. Interea Cæſar ingentem exercitum in Siciliam tranſduxerat, legiones unam & viginti, leviter armatorum plures quinque millibus, equitum viginti.

Cæterum totum ferme litus Pompeiana præsidia tenebant, continuos ignes alentia, ut metu incendii naues Agrippæ, quem maxime timebant, deterrerent. Tauromenitanas quoque fauces, & quæ ad Mylas sunt, Pompeius occuparat; montanosque calles muris eductis præcluserat. Sed & profectum Tyndaride Cæsarem, oppositis apud Dianium castris, leuibus equitum prœliis distinuit, pugnæ se nolentem committere. donec fama aduentantis Agrippæ excitus, ad Pelorum transcucurrit. Sic relictas hostium diceſſu Mylenſium fauces Cæsar occupauit, recepto etiam Dianio, parvo oppidulo, sed magnæ in fabulis famæ, propter *Solis armenta*, quæ *socii Vlyſſis ibi mactaſſe* ferebantur.

Sine tabernaculo pernoctat. Oroſ. 6. 18. Appian. Dio.

XXI. His rebus cognitis, & comperto aduentum Agrippæ falso jactatum fuisse, Tisienum Gallum Pompeius accivit. ei Cæsar obviam iturus, aberravit à via circa Myconium: & quia cum expeditis copiis, ut ad prœlium proceſſerat, noctem tempeſtatibus horridam ſine tabernaculo exegit, ſcuto tantum Gallico, ſuſtinentibus per vices militibus tectus. Emicabant inter præcipitatos imbres ex Ætna prorumpentes flammæ, cum terribili mugitu, adeo quidem, ut Germani locorum imperiti, præ conſternatione cubilibus exſilirent; nec amplius fabuloſa crederentur, quę de montis eius incendiis, igniumque torrentibus antiquitas tradiderat. Inde progreſſus ad vaſtandum agrum Palæſtanum, Lepido forte per ea loca frumentanti occurrit.

Cum Lepido conſungitur. App. Dio.

XXII. Namque is tempeſtatibus & inſultu Demochares amiſſa parte navium, non ad Cæsarem continuo, ſed Lilybæum contendit, neceſſitate incertum an conſilio, eoque ipſo ancipiti, ſive ut Cæsarem luctari ſolum cum Pompeio ſineret; ſive ut ab illo virium hoſtilium partem abſtraheret in ſeſe: Tiſienum certe hactenus detinuerat. Igitur conjunctis ambo copiis Meſſanam obſidione clauſerunt. Sed cito exortæ ſunt ſuſpiciones & diſcordię, quum Lepidus pari cum Cæsare poteſtate ageret; Cæsar eum legati potius loco habere deſtinaſſet. Ea cauſſa feſtinationis Cęlari fuit, ne Lepido ſpatium daret cum hoſte tranſigendi. abſque hoc enim fuiſſet, ſpes erat citra ſanguinem debellari poſſe; quod & frumentaria res & pecuniaria incipiebat eſſe apud Pompeium anguſtior.

Pompeium ad pugnam cogit. App. Dio.

XXIII. Taurus enim miſſus ad hoc à Cæsare, commeatus Pompeii frequenter intercipiebat, civitateſque occupabat, unde alendus illi exercitus eſſet. Ergo cum alteri prœlio decernere lubitum, alteri neceſſum videretur; ad ſummam dimicationem haud ægre deducta res eſt. Continuis aliquot diebus Cæsar inſtructas legiones ante caſtra, naves in mari Agrippa oſtentaverat, reformidante congreſſum Pompeio, quod erat utrobique infirmior. tum vero metuens, ne ſi ſubterfugere prœlium pergeret, tanquam ſua confeſſione victus, à ſociis deſereretur; miſit ad Octavianum quæſituros, *utrum navali pugna velit decernere*: qua parte ſibi pluſculum confidebat.

Maritimo prœlio dimicatur.

XXIV. Cæsarem quoque, licet ſemel iterumque improſpere tentato mari, conditionem recuſare puduit. Dies ergo condicta eſt, in quam trecentis utrimque navibus concurreretur. Terra quoque inſtructæ ſunt acies: ſed ſpectaturæ tantum maritimo prœlio dimicantes. In eo labore ſita utriſque ſumma rerum videbatur: nec ad inſtruendas claſſes quidquam reliqui fecerant. Igitur acriter & diu certatum eſt: quamquam Agrippæ recenti commento Pompeiani graviter infeſtarentur. harpago erat, teli ea forma, ut & vis eius robuſtior eſſet ſolito, & inevitabilis

S. Pompeius fugit in Aſiam.

impetus. Tignum enim cubitorum quinque ferro coopertum, duobus in utroque capite ferreis annulis firmiſſimis inſtruxerat: ex horum altero pendebat uncus ferreus ad comprehendendas hoſtium naves; alter multos habebat funiculos, quibus harpago ſemel injecta navibus, aptabatur machinis, quarum opera violentiſſimo niſu attraherentur. Neque præcidi tignum ferro munitum poterat; neque propter eius longitudinem ad funiculos pertingi. Victa igitur Pompeii claſſe, pedeſtris etiam exercitus timore correptus Meſſanam verſus abivit.

XXV. Eodem & pauci ex navali prœlio ſe receperunt, ſeptemdecim navibus: quos ipſe quoque mox Pompeius comitatus eſt à Naulocho conſcendens. cæteri varia clade deleti: quum eiectas in litora naves Cæſar incenderet; altum tenentes Agrippa perſequeretur. Inter hæc relictus cum exercitu Tiſienus Gallus, in poteſtatem Cæſaris ſe tranſdidit: exemplumque hoc præfecti equitum imitati ſunt. Hac pugna naves Cæſaris tres tantummodo merſæ reſeruntur, Pompeianæ duodetriginta: cæteræque omnes, præter ſeptemdecim, quas diximus, incenſæ fractæque ſunt, aut in manus hoſtium pervenerunt. Pompeius inter hanc calamitatem exercitus quoque defectione cognita, protinus abiecto Imperatorio cultu Meſſanam certos homines præmiſit, qui filiam amicoſque & pecunias, & quidquid pretioſum erat, jam enim hunc in caſum conſarcinata habebat, in naves ſervatas imponerent. Pompeii claſſis vincitur. Liv. Epitom. Appian. Dio.

XXVI. Miſit etiam Lilybæum ad Plemmium inde arceſſendum, octo legiones ejus fugæ comites habiturus. Neque tamen exſpectavit ad ſe properantem, pavidus ducum ſuorum præſidiorumque nunciis frequenter ad victorem deficientium. Igitur cum reliquis navibus relicta Sicilia curſum in Aſiam direxit, Antonium, obſervatam in ſimili periculo matrem, ſibi ſperans æquiorem fore. Nec inſequutus quiſquam eſt fugientem, alia per negotia impeditis victoribus, & inter ſe parum amicis. Quippe Cæſar in caſtris ad Naulochum remanens, Agrippam ad obſidionem Meſſanæ miſerat; quod oppidum intraverat jam Plemmius, unaque ſecum hoſtem attraxerat Lepidum. Igitur à duobus exercitibus ſe videns obſideri, de pace oratores miſit. ibi tendente Agrippa, *ut in adventum Cæſaris res integra ſervaretur*; Lepidus & pacem Plemmio ſtatim dedit; & conciliandis eius legionibus, annuit ut una cum ſuis militibus Meſſanam tota nocte diriperent. Ipſe fugit in Aſiam. Oroſ. 6. 18. Dio. Liv. Epitom. App.

XXVII. Acceſſit & incendium, ſtudio an inter militarem licentiam temere ortum: & utraque audita clades excivit Cæſarem, ut ſequenti ſtatim die advolaret. At Lepidus adventu Cæſaris cognito, reliquit oppidum, & in colle quodam munito caſtris poſitis, obterere Cæſarem in concione militum cepit, acceptaſque ab eo injurias exponere. Animus enim ei creverat, tot circum ſe videnti ſigna legionum, quarum multitudinem acceptis in fidem Pompeianis, uſque ad numerum viginti duarum adauxerat. Igitur & Siciliam retinere cogitabat, *jure facturum* dictitans, *quod & veniſſet in eam inſulam prior, & plures civitates in deditionem* accepiſſet. Cæſar quum & hæc audiſſet fieri, & fauces contra ſe præſidiis inſeſſas videret; amicos de injuriis queſtum miſit. Remiſit alios Lepidus, ad diſceptationem provocans. Lepidus Cæſarem criminatur. Dio. App. Velleius. 2. Suet. Aug. 16. 7

XXVIII. Venit Cæſar, & exprobrandis utrimque maleficiis, eo proceſſum, ut ultro citroque minæ jacerentur. Ergo tanquam in vicinia hoſtilium caſtrorum excubiæ diligenter actæ ſunt: & eductæ portu naves ad anchoras ſteterunt, ne à Lepidanis incenderentur: iterumque civile bellum Romani exercitus horruerunt, Cæſar corruptis Lepidi copiis. App. Seneca. Ariſt. Polit. 5. 11. Dio.

nunquàm concordi inter pares potentia. Lepidus tamen à suis quoque postponebatur Cæsari, segnitiem eius cum industria & virtute adolescentis comparantibus. Hoc ubi Octaviano innotuit, sperans promissis præmissque ad se pertrahi Lepidi copias posse, per idoneos homines cum singulis tribunis atque præfectis egit. cesserunt que haud pauci, præsertim qui Pompeium sequuti, parum sibi cautum pace cum Lepido facta credebant, nisi consensus Cæsaris accessisset. postquam satis parata omnia visa sunt; cum magno equitatu profectus ad castra Lepidi, sed relictis extra vallum alis, cum paucis suggressus, quod videretur de pace acturus, intromissus est.

In castra eius venit. App. Vell. 2. 80. 3. Dio. Oros. 6. 18.

XXIX. Sed inter incedendum astute jactis vocibus, *invitum se cogi ad bellum* modo singulos modo universos testabatur: & *Imperatorem* appellantibus quotquot viderant; Pompeiani, quos corruptos fuisse diximus, accurrerunt; veniam orantes. ille *mirari* respondit, *veniam hos ab se petere, qui nihil dum ad promerendum eam fecissent*. Intellecta vox est, & alii mox signa transtulerunt ad Cæsarem: alii facturi eadem, detendebant tabernacula; quum excitatus tumultu Lepidus ad arma prosiliit: telaque jaci cepta, & armigero Cæsaris occiso, ipse quoque percussus innoxio ictu, quia thorax pectus defenderat, cursu se recepit ad equites. Id præsidiarii milites in proximo castello conspicati, deriserunt Cæsarem, & in fugam ejus jocati sunt: nec mora, irritatus adolescens castellum oppugnavit equitum opera, nec ante quievit, quam illud expugnasset. Cæterorum quoque præsidiorum præfecti, statim, aut nocte proxima se dediderunt, intacti plerique, pars in speciem tantummodo paulisper oppugnati ab equitibus.

Lepidus in potestatem venit Cæsaris. Orosius. Dio. App. Vell. Sueton. Liv. Epit.

XXX. Non defuerunt tamen, qui serio vim repellerent: donec universo adducto exercitu castra Cæsar obsedit. Tum vero desitum est vulgo; & quamquam durante adhuc in Lepidum reverentia communiter nihil moveretur, per partes transibatur: & auxilia quæ submittebantur a Lepido plerumque transfugiebant cum illis, ad quos custodiendos venerant. Jam & Pompeianorum reliqui agminibus factis deseruerant: & apparebat finem deficiendi nullum fore; quum signa abeuntium retinens Imperator exclamavit, *hoc ego nunquam dimittam vivus*. abscessit tamen, territus violentissima voce signiferi, *dimittes ergo mortuus*. Postremi omnium equites, tanquam ad redimendum moræ crimen, miserunt ad Cæsarem, *utrumne occidere deberent Lepidum* consulentes, jam exutum imperio? sed id quidem vetuit Cæsar. at Lepidus repentina Fortunæ mutatione dejectus, cum pullo amiculo ad Cæsarem venit: cui quum ad genua vellet accidere, sublevatus est ab assurgente, vitaq; concessa & cum bonis Romam remissus, ut inde Circeios in perpetuum exilium ablegaretur, Triumvirali potestate adempta. Pontificatum tamen maximum, Octaviano concedente, usq; ad finem vitæ retinuit.

Cæsar ordinat Siciliam. App. Dio.

XXXI. Sublato in hunc modum Lepido, Cæsar ex sua unius sententia ordinavit Siciliam: equites & Senatores qui fuissent in Sexti partibus, supplicio affecit præter paucos: milites in suas legiones distribuit; urbium quoque pensata merita: pertinacioribusque pœnæ constitutæ; sponte deditis venia præbita. Rhegini deinde paucitate incolarum laborantibus supplementum Cæsar ex sociis navalibus dedit. Antonio naves ab illo acceptas remisit, substitutis aliis in locum earum quæ perierant. Pompeium neque per se neque per alios persequutus est, sive quod è numero patris interfectorum ille non fuerat: sive ne querendi causſam

Missionem militet à Cæſare flagitant.

præberet Antonio, ſi videretur in partem illius cum armis tranſcendere. Donativum inde militibus dedit, coronaſque & honores diſtribuit, conceſſitque Pompeianis veniam, & plura promiſit in futurum, pollicitis quam præſente copia ad tantam exſaturandam multitudinem inſtructior.

Milites miſſionem & præmia poſtulant. Oroſius. App. Dio.

XXXII. Conductis enim in unum copiis legiones numerabat quinque & quadraginta, equitum millia quinque & viginti, levis armaturæ ſeptem & triginta circiter. Nec tulit miles differri ſpes ſuas, popoſcitque *miſſionem & præmia, quibus donati poſt Philippenſia arma victores fuerant.* Cęſar, quamquam hoc bellum illi minime conferendum videretur, tamen reſpondit *accepturos digna præmia, ſimul Antonius cum ſuis exercitibus affuiſſet, quos participes eiuſdem liberalitatis haberi par eſſet: miſſionem non impetraturos niſi finita more majorum militia*, minis additis, *ſi tumultuari tam iniquis cauſſis pergerent.* Ne tamen horum contumacia recens dediti exercitus accenderentur, vocata concione lenius egit, *non abeſſe longe tempus quo ſatisfieri poſtulatis eorum debeat. Scitis enim*, inquit, *mihi cum Antonio ſic eſſe diviſas partes, ut tamen quæ ſummam Reipublicæ, pacem bellumque, cogendoſque & dimittendos exercitus concernant, de communi ſententia ſtatui oporteat.*

Ipſe differt in adventum Antonii.

XXXIII. *Igitur quamprimum erit occaſio, erit autem propediem, ne dubitate quin de commodis legionum ſim cum eo diligenter acturus. Interea ſub ſignis neque otioſi Reipublicæ, neque vobis inutiles manebitis. Quando enim beneficio deorum civilia tandem arma quieverunt; ad externa bella vos ducam, ubi neque formidetis ullum ſeclus, neque hoſtes pari robore parique ſcientia armorum habeatis. Illyrios, Pannonios, Dalmatas, neque debita præſtare ſtipendia, & ultro incurſare fines noſtros, dum internis diſcordiis diſtringimur, audiſtis. Eos ulciſci in animo eſt: & ad hæc bella, ſi parum eſſet Imperatorem hæc jubere, ipſi operam veſtram offerre, atque, ut ita dicam, obtrudere deberetis; quo Romani nominis ignominiam vindicaretis in illos, qui niſi veſtros animos veſtroſque lacertos contemnerent; injuriis in populum Romanum abſtinuiſſent. Adverſus hos laudabilis erit ferocia, quam contra Imperatorem veſtrum turpiter & fruſtra conſumitis. Ad lætitiam ultidoris, ad gratulationem civium, ad defenſæ Reipublicæ gloriam, acceedent & à me præmia, & in opulentis gentibus minime expers prædæ victoria erit.*

Illi reclamit. App. Dio.

XXXIV. Acclamatum eſt, *ſatis ſibi exhauſtum laboris, nec ad nova bella profecturos, nondum acceptis priorum præmiis ac honoribus.* Atque illo reſponente *ſe & honores dediſſe multos, & additurum coronas alias legionibus: itidemque bis qui navali prælio viciſſent, oleaginas; præterea tribunis & centurionibus prætextas, iuſque adipiſcendi ordinis in ſua cuique patria*: tribunus Ofilius nomine, *corollas & prætextas puerorum delinimenta eſſe exclamavit; militibus agris opus eſſe & pecunia.* Ea vox aſſenſu circumſtantium excepta quum eſſet, Cæſar indignatus de tribunali deſcendit.

Ofilii tribuni ferocia & pœna. Dio.

XXXV. At laudantibus Ofilium pleriſque, & cæteros increpantibus, qui ad communem cauſſam contabantur accedere; pari temeritate tribunus negavit *opus aliis fore: ſe enim vel ſolum ad impetranda hæc tam juſta ſufficere.* Sed ille quidem tam ferociter loquutus in præſentia, poſtridie numquam comparuit; neque reſcire vulgus potuit, quid eo factum eſſet. Admonuit hoc exemplum cæteros, ut ne-

Legiones veteres dimiſſ, aliis præmiis donatæ.

mo unus præcipue, ſed confertim uno ore acclamarent, *mitti velle*. Cæſar ſatis intelligens, nondum militiæ pertæſos, ideo tantum poſtulare miſſionem, ut ſe paulo poſt cum Antonio dimicaturum (id enim fore olim apparebat) redimere operam eorum atque benevolentiam quoquo modo cogerent; minime cedendum judicavit. ſapienter exiſtimans, ſi ſemel vinci paſſus eſſet, numquam militum licentiam avaritiamque ceſſuram, quin aliud ex alio flagitarent.

Cæſar partem copiarum dimittit invitus. Velleius 2. 81. 2. Appian. Dio. Oroſ. 6. 18.

XXXVI. Igitur ſeveritatem liberalitate temperans, ut diverſa erant genera ætateſque militum, varie cum iis agere inſtituit. & Mutinenſis quidem militiæ ſociis, ut veteriſſimæ legionum parti, miſſionem dedit: *nihilo ſecius exſoluturum præmia* pollicitus, quum hi diſceſſiſſent ex inſula (ſtatim enim juſſerat avehi) cæterique in petenda miſſione perſiſterent, dimiſit omnes qui dena ſtipendia expleviſſent; quo numero ferme erant, qui ad Philippos navarant operam. *hos quoque faceſſere* juſſit *ex inſula*. Sic dimiſſis circiter viginti millibus, cæteros pro concione adhortatus, *ne perfidiam non ſponte Imperatoris militiam deſerentium imitarentur*, laudavit, donavitque quingenis denariis, ſpe inſuper facta, *fore ut brevi honore opibuſque cumulati dimitterentur*. Adjunxit *nullius eorum opera deinceps uſurum, quos invitus dimiſiſſet, etiamſi inſtantiſſime deprecarentur*: *neque daturum præmia, niſi quos cauſſa cognita dignos judicaſſet*.

Miles fanaticus dum pugnatur in Sicilia rem nunciat Romæ. Suet. Aug. 24 & 25. App. Senec. de Ben. 3. 32. Oroſius. Feſt. Triump. Dio.

XXXVII. Interim ut præſentibus promiſſum donativum repræſentaretur, quam ad rem pecunia deerat, ſtatim à concione Siculis tributum imperavit talenta mille ſexcenta. Sed Agrippæ coronam auream roſtratam; itemque vexillum cæruleum, virtutis cauſſa dedit, qui honos nemini ante eum erat habitus. His ita geſtis, Statilium Taurum, cujus armis interim Sicilia tota ceſſerat, in Africam pro conſule miſit: à quo ſtatim recepta vetere provincia, ne Numidia quidem moram fecit. Ita præmiſſa parte exercituum, cæteros ipſe ſecum ex Sicilia deduxit. Hæc victoria Cæſari, non modo ad ingentem acceſſionem virium profecit, ſed etiam opportuna fuit ad motus Italiæ coercendos, incipiente jam tumultuari Hetruria; ſed ad famam adventus ejus omnia confeſtim conquierunt. At Romæ quo die parta, eodem etiam annunciata victoria eſt. miles enim quidam neſcio quo furore correptus, ut tum ſingula maxime gerebantur, ita vocibus ac geſtu expreſſit: poſtremo curſu Capitolium petens, ad pedes Jovis enſem depoſuit, tanquam ceſſaturo poſthac ejus uſu, pacatiſque redituris temporibus.

Senatus adulatur victori. App. Dio. Suet. Aug. c. 84

XXXVIII. Tanto maturius meditari adulationem potuit Senatus, qui olim aſſuefactus ſervire Fortunæ, & quibus illa faveret; immodicos honores redeunti decrevit: ipſi delato arbitrio, partem eorum quam delegiſſet, aut ſimul omnes accipiendi. Obviam etiam egreſſus eſt longiſſimo itinere, ſimul incedente maxima multitudine populi: ſalutantemque deos, & è fanis domum ſe recipientem, proſequuti ſunt. Poſtridie tam in Senatu, ut moris erat, extra Urbem evocato, quam pro concione res ſuas atque conſilia expoſuit, idque, ſicut ſolenne fuit ei in omnibus maioris momenti negotiis, de ſcripto, quod mox edidit. Argumentum erat plenum amoris & benevolentiæ.

Ille gratias agit. App. Dio.

XXXIX. Geſtis ſuis enumeratis, gratias agebat Patribus, propter honores delatos. *laudationem* enim, *ſtatuas, primam ubique ſedem, triumphalem arcum, ovationem, coronam lauream perpetuo geſtandam, ferias anniverſarias qua die viciſſet, atque ea die ut in cella Jovis Capitolini cum uxore & liberis epularetur* decreverant.

Sed

Digitized by Google

Cæſ. Pontific. & Lepido in ſe transferre recuſat.

Sed ex his tum quædam recuſavit Cæſar modeſta oratione: promiſitque *conſuetis honoribus contentum fore, cum præclara civilis exſtincti belli conſcientia: quo ſublato nunc tranquillitatem atque pacem* jubebat *exſpectari, & quæ inde bona proficiſcuntur. Atque ut ea jam inciperent perſentiſcere, ſe tributa quotquot indicta, nec dum perſoluta eſſent, debitoribus remittere* dixit: *itemque vectigalia nonnulla, & mercedes habitationum.*

XL. Accepit tamen ex honoribus, *ut ovans iniret Urbem, & annua ſolennia victoriæ ſuæ, cum aurata ſtatua in Foro, habitu triumphali, cingentibus columnam navium roſtris, & inſcriptionem hanc præferente baſi*: OB PACEM DIU TURBATAM TERRA MARIQUE PARTAM. Ingreſſus eſt Urbem iterum Triumvir Reipublicæ conſtituendæ cauſſa, ovans ex Sicilia, Idibus Novembr.

Et ovans init Urbem. Dio. App. Cauſabon. in Suet. Aug. 22. 2 Capitolini Triumph.

XLI. Sub eos dies offerente maximum Pontificatum populo, quod eum adimi vivo cuiquam inauditum erat, recuſavit. & quibuſdam *Lepidum pro hoſte publico necari* jubentibus, conſtantiſſime reniſus eſt. Nec deerant, qui hæc ſecus interpretarentur. facta hæc, ut Lepido atque Antonio, tamquam diſpari præditis ingenio conflarent invidiam: neque ſponte fuiſſe liberalem, ſed quod exigi à depauperatis civibus non potuerit, donare quam perdere maluiſſe. At Patres ob ejuſmodi moderationem multa decreverunt: *uti ſacroſanctus haberetur, & qui eum verbo quive facto læſiſſet, eadem pœna teneretur, ac ſi Tribunum plebis violaviſſet, quorum & poteſtatem, & in ſubſelliis una conſidendi jus* ei dederant.

Lepido Pontificatum non vult eripere. Suet. Aug. 31. 2 App. Dio. Oroſius 6. 18.

XLII. Additum etiam, *uti habitaret in publicis ædibus*: poſtquam deſtinatam domus aream Apollo vindicarat. *Plures* enim *domos* per procuratores ſuos *in Palatio*, ubi habitare decreverat, juſſerat *emi*. Sed fulmine tactus eſt locus, reſponderuntque haruſpices, *eum à deo deſiderari*. Nec his contenti Patres, in Agrippam quoque, quem gratiſſimum Cæſari videbant, verſa veneratione, decreverunt, *uti quoties aliquis triumphans cum corona laurea inveheretur: ille acceptam à Cæſare navalem geſtaret*. Inter hæc Valerium Meſſallam, propter navatam eo bello operam, augurem fecit Cæſar, quum proſcriptus nuper fuiſſet, etiam aucto ſacerdotum numero.

Honores Cæſari & Agrippæ decreti. Dio. Vell. 2. 2. 8. 3. Suet. Aug. 29. 5

XLIII. Sed & Uticenſes civitatem Romanam beneficio Cæſaris acceperunt: & militibus promiſſus ager dividi cœptus. & deficiente publico, *aliunde coëmi* Cæſar juſſit. Paſſim enim per municipia & colonias deminuto capitum numero, agri ſupererant. in his Capua quum eſſet, magnum modum agrorum, quos publice poſſidebant Campani, ab his adeptus eſt, eoſq; militibus in ſupplementum coloniæ adſcriptis diſtribuit. Cnoſia invicem his attributa regione Cretæ, unde duodecies redibat annuum, multo largiore fructu, quam quem ex agris ſuis perceperant; &, qua maxime poſtea gloriati ſunt, aqua Julia. Hæc enim profecto plurimum & ad ſalubritatem oppidi & ad amœnitatem contulit. quorum aquæductuum etiamnum in ruinis antiquæ Capuæ veſtigia & fragmenta ſub terra reperiuntur.

Aqua Julia Capua. Veilejus. Dio Leandri Ital.

XLIV. Inde circum exercitus literas miſit, una die ubiq; aperiendas. jubebantur *omnes fugitivi*, quamlibet his fœdere Pompejano conceſſam libertatem Senatus confirmaverat, jamque ſe pro militibus illi gerebant, *comprehendi*. Hi poſtea quam adducti ſunt in Urbem, interrogati *unde & a quibus profugiſſent*, dominis ſunt reſtituti: quotquot reperire dominos non poterant, alii Romæ crucibus

Fugitivi puniuntur. Appian. Dio.

affixi sunt, pars magna per Italiæ Siciliæque civitates, unde quisque fugerat, pœnas dederunt. Et ut amplissimo ordini plus dignitatis accederet, vetuit *amiciri* Cæsar *purpura*, *nisi magistratus Senatorios*; quoniam vestis illa etiam ab humilioribus usurpari cœperat.

P. Canidii res gestæ. Plut. Ant. p. 945 Dio. Appian. Parth.

XLV. Eisdem Consulibus P. Canidius Crassus legatus Antonii, relictus ab eo in Armenia, & hanc devicit, & in Iberos exercitu ducto, Regem Pharnabazum prœlio fusum ad societatem belli contra vicinos Albanos adegit: & horum Rege superato Zobere, progressus ad Caucasum usque, Antonii nomen famamque iis locis celeberrimam effecit. Cæterum ea res fraudi potius Antonio, quam honori & lucro fuit: quatenus successus ille vanum animum ad bellum Parthicum, quod jam olim secum agitaverat, vehementius impulit.

Antonii consilia de bello Parthico. Appian. Dio. Plutarch. Anton. p. 949.

XLVI. Etiam in Monæse ingentem spem collocaverat, quem peritum regionum, & de Parthorum erga se affectu multa & præclara pollicentem, ejus belli ducem habere decreverat, Regno promisso. Sed hæc quidem tota destinatio mox evanuit, postquam Phrahates, Parthis molestè ferentibus Monæsis exsilium, miserat ad eum nuncios, dextram daturos, integram ei apud Regem gratiam, & magna ab isto commoda fore. Pupugit ea res Antonium, cæterum ne alios forte ad sese transituros deterreret, dissimulavit offensam, simul oblatam occasionem decipiendi Phrahatis existimans. Ut enim incautum imparatumque invaderet, *sibi gratum esse* prætulit *redire ad suos Monæsem, pacis pararium*: unaque misit legatos *amicitiam* promissuros, *si captivos & signa Crassi calamitate amissa Parthus reddidisset.*

Cleopatram arcessit. Plutarch. Dio. Joseph. Ant. 15. 4

XLVII. Ipse interim Syriæ appropinquans, Fontejum Capitonem misit, ut Cleopatram adduceret: cujus amore deperibat, super cætera irritamenta communium etiam liberorum recordatione devinctus. Geminos ex ea sustulerat: è quibus puellam appellari *Selenem* jusserat, puerum *Helium*, siderum nominibus. Venit illa, nec modicam postulans laboris mercedem, Herodi quidem Judæo maximi discriminis causa fuit, cujus Regno inhiabat. Effecit enim ut propter interfectum Aristobulum affinem suum capitis arcesseretur: quemadmodum & Lysaniam Ptolemæi filium, quem Iturææis Antonius dederat Regem, Parthis favere calumniata perdiderat.

Eique multa donat, Joseph. de bello Jud. 1. 13. & Antiq. Plutarch.

XLVIII. Nam inexplebilis avaritiæ fœmina cunctis Syrorum Regulis struebat insidias, ut his sublatis eorum ditiones dono Antonii obtineret. Igitur licet dimissum, semel Herodem continuo infestavit, ut redimere pericula sua sæpius pecunia cogeretur. Neq; minus iniqua Arabi Malcho, duorum Regna sibi flagitabat. Tandem Antonius hinc mulieribus incitatus furiis; inde pudore retentus; ne aut daret omnia, aut negaret, Judæo Hierichunta & feracem balsami regionem ademit; Nabatæo maritimam: sed & *Phœnicum urbes cis Eleutherum fluvium usque ad Ægyptum, Cleopatram habere* jussit, *Tyro & Sidone exceptis*, quas ab antiquo fuisse liberas, eam gratiam, quantumvis blandienti Reginæ noluit gratificari. Sed illa tamen ad Euphratem usque prosequuta proficiscentem, non ante dimisit, quam aliquot Ciliciæ Cretaque partibus, ad hæc Cyrene & Cypro auctior discederet.

FINIS LIBRI CXXIX.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

M. Antonius, dum cum Cleopatra luxuriaretur, tarde Mediam ingreſſus, bellum, cum legionibus octodecim & ſexdecim millibus equitum, Parthis intulit: & quum, duabus legionibus amiſſis, nulla re proſperè cedente retro rediret, inſecutis ſubinde Parthis, ingenti trepidatione, & magno totius exercitus periculo, in Armeniam reverſus eſt; viginti & uno diebus trecenta millia fuga emenſus. Circa octo millia hominum tempeſtatibus amiſit: tempeſtates quoque infeſtas ſuper tam infeliciter ſuſceptum Parthicum bellum culpæ ſuæ paſſus eſt: quia hiemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram feſtinat.

AT M. Antonius remiſſa in Ægyptum Cleopatra, quum Euphratis tranſitum diligentius quam pro ſua opinione cuſtodiri præcepiſſet, in Armeniam iter flexit, à cujus Rege, contra Regem Medorum, (Artavaſdes nomen utrique fuit) invocabatur. Ibi luſtrato exercitu, reperit legiones ſedecim validiſſimas, cum Gallorum & Hiſpanorum cohortibus millia decem implentibus. Equites legionarii ſimul cum auxiliis millia ſedecim: neque multo minor levis armaturæ multitudo. Sed hic tantus apparatus, cujus fama Bactrianos & Indiam perterrefecerat, poſtremo in ludibrium abiit, corrumpente occaſiones Antonio, dum amore Cleopatræ, velut inſania correptus, citius ſeriuſve juſto agit omnia, non ad occaſiones rerum, ſed ſuas libidines delicias que reſpiciens. Nam & magnam ejus anni partem, dum luxuriatur cum Cleopatra, perdiderat: & quamquam æſtas reliqua nequaquam par eſſet tantæ expeditioni, feſtinabat, ut apud illum hybernare poſſet. Antonii exercitus ad bellum Parthicum. Dio. Vell. 2. 82. 1. Plutarch. Juſt. 42. 5. 3. Flor. 4. 10 101. Liv. Epit. App. Parthicis.

II. Idcirco licet longe fuiſſet conſultius, in Armenia reficere militem, qui decies centena millia paſſuum raptim confecerat; atque hyeme ibi tranſducta, primo vere, priuſquam ex hybernis Parthi moverent, occupare Mediam, ſine mora profectus eſt, nunciis etiam inſtigantibus, qui *Medum longe à ſuis finibus auxilium adduxiſſe Parthis* attulerant. Sed nec indicere bellum curæ habuit, quo prorſus inopinus invaderet; non ante profeſſus hoſtem, quam Atropatenem attigit, quæ ab Armeniis Araxe fluvio diſjungitur. Ejus expeditionis vitia. Liv. Epitom. Plutarch. Dio. App. Florus. Strab. lib. 11.

III. Progreſſus aliquantum, quum celeritatem, qua per Mediam irrumpere cogitabat in Parthos, moſe impedimentorum tardari cerneret; relicto ad ea cum parte exercitus Oppio Statiano, majorem & firmiorem equitum peditumque numerum agens, ad Praaſpa contendit. Erat ea Medorum Regia ſita in munito & arduo colle, diſtans ab Araxe & finibus Armeniæ paſſuum millibus quadringentis. Hic primum ipſa res arguit imprudentiam conſilii, quo tormen- Antonius Praaſpa obſidet. Velleius. Dio. Strabo. Plutarch. App.

ta, quæ trecentis plauſtris vehebantur, & arietem pedum octoginta reliquerat. Nec enim idonea materies aderat, in regione humiles tantum arbores & mollis ligni educante.

Interim Parthi relictas ab eo legiones delent. Plutarch. Florus. Dio. Vellejus.

IV. Quod proximum erat aggerem jecit, ut velut ex æquo loco conſereret cum propugnatoribus manum. Interea Parthus Meduſque Reges implicitum validæ urbis oppugatione hoſtem ſinentes, in Statianum mittunt haud ita magnam manum, ſed ſatis validam adverſus ex itinere feſſos, & tale nihil exſpectantes. Igitur & Statianus, & quos ſecum habebat (erant autem legiones duæ) irrumpentibus ſub ſerum diei barbaris, occidione exſi ſunt: nec evaſit quiſquam, præter unum Polemonem, Ponti Regem, quem cęperunt vivum, acceptoque mox pretio dimiſerunt. Direptis deinde impedimentis, & corruptis machinis, pleni ſpiritus ac ferociæ, ad liberanda Praaſpa contenderunt.

Artavaſtes Antonium deſerit. Dio. Plutarch. Strabo lib. 16. Appian.

V. At Armenius Artavaſtes, licet præcipuus ſuſcipiendi belli auctor, in Regnum deſertis Romanis abiit: non ſine crimine proditionis, quum neque ad Antonium adduceret copias, neque Statiano, (potuiſſe enim creditur) ſubveniſſet. At periculo ſuorum exterritus Antonius, licet ad primum Statiani nuncium, propere ſigna moverat, nihil præter mortuos, & veſtigia eladis reperit: ne hoſtibus quidem uſquam comparentibus. quarum rerum ſicut altera mæſtitiam dubitationemque indidit animo; ſic altera, quaſi fugientibus ob metum barbaris, utrumque exemit. Sed ubi reditum ad Praaſpa fuit, & annona, vicinis omnibus devaſtatis, cœpit eſſe gravior; cum decem legionibus, tribus cohortibus Prætoriis, & univerſo equitatu frumentatum iit: hoc maxime modo hoſtes ad pugnam elici poſſe ſperans.

Prælium cum Parthis. Plutarch. App. Dio.

VI. Nec amplius unius diei progreſſus iter; quum circumfundi Parthos undique, vimque minitantes cerneret, ſignum pugnæ in caſtris propoſuit. Cęterum *detendi tabernacula* juſſit, ut ſpeciem non pugnaturi, ſed proficiſcentis præberet: ita lunatam barbarorum aciem præteriens, imperavit equiti, *ſimul animadverteret tam prope acceſſiſſe ſigna legionum, ut inferri in hoſtem poſſent, invectus faceret initium prælio.* At Parthi ſtupentes ſpectaculo diſciplinam Romani militis conſiderabant, ſervatis exacte ordinibus prætereuntis, & cum ſilentio quatientis pila: quum ſubito eum clamore irrupit eques, & uſum arcuum propere ſuggreſſus abſtulit. Repugnabant tamen: ſed ubi & funditores, violentiore ictu & longius pertingente, quam Parthicæ ſagittæ poſſent, incubuerunt; & legiones clamore ſcutorumque ſtrepitu hoſtium exterruerunt equos: priuſquam ad manus venire miles poſſet, ſolutis ordinibus abierunt.

Antonius ſuos caſtigat. Plutarch. App. Front. 3. 37.

VII. Ibi magnam in ſpem Antonius venit, poſſe profligari bellum, ſi fugientibus inſtaretur. At ubi ad octingentos paſſus inſequutus pedes, & triplo ſpatio eques, non ultra triginta viros cępiſſe, nec occidiſſe pluſquam octoginta cerneret; gravis inceſſit omnibus ſolicitudo, ſiquidem victores tantillum inferre detrimenti poſſent, victi tot amitterent armatorum millia. Dies inſequens Praaſpa repetentibus eoſdem labores attulit: & vix dimotis hoſtibus, ad caſtra ſua magno cum labore redierunt. Interim & obſeſſi eruptione facta, relictos ad opera turbaverant, aggeremque incenderant. Igitur Antonius rebus ubique parum ex voto fluentibus triſtior, advocatos in concionem ſeveriſſima oratione caſtigavit. *Quid hoc eſt flagitii, milites*, inquit, *aut qua vecordia acti tantum militiæ*

dedecus admiſiſtis? ignaviane veſtra factum, an vero negligentia dicam, quod ex oppido pene capto facta eruptio, opera incenſa, vos ipſi à molliſſimo genere hominum fuſi fugatique eſtis?

VIII. *Medos enim ſi neſcitis, à multis ætatibus, priuſquam Pompejum & Romana arma experirentur, non Græci modo, ſed etiam Syri Cappadoceſq; omnibus ferme prœliis vicerunt. Deſinamus Romani jactare Pacorum, & Parthicas laurus; ſi ab his ſuperari patimur, quos ſervire Parthis non pudet? Scilicet ſi ſub Ventidio militares, timeri ab hoc hoſte poſtulares; eui nunc & auſpiciis & ductu M. Antonii par eſſe non potes! Hoc vulgari per provincias placet, hoc narrare hoſtes, audire ſocios, in Italiam, in Vrbem, ad Senatum Cæſaremq; perferri? Adeone tot legiones quum eſſetis, me unius diei itinere diſtante, rueri opera nõ potuiſtis? ecquid futurũ erat, ſi me ratio belli longiorem aliquam in expeditionẽ abſtraxiſſet? In unius igitur oppidi obſidione mihi cũ tanto exercitu hærendũ erit: aut ſi uſquã abſceſſero, metuẽdũ, ne vos tãquã relicta à paſtore pecora diſſipemini?* Quod Praaſpe-xiis eruptionibus ceſſe-rant.

IX. *At ego tribunos militum vobis, ego legatos reliqui, penes quos hærere culpæ veſtræ partem nolim, neque commiſiſſe quemquam, ut ſim ei aſperior, quam conſuetudo mea patiatur. Sed quemadmodũ ingenio meo lenitas congruit; ita diſciplinæ, quæ tutelam imperii & exercituum continet, neceſſaria eſt ſeveritas. Nam hæc exempla ſi impunita patiaris, quid erit deinceps flagitii, quod animadverſione dignum eſſe quiſquam exiſtimet? ſpe corrupta celeriter expugnandi Praaſpa, utilitatem publicam, & armorum noſtrorum famam, & populi Romani formidatum prius his gentibus nomen prodidiſtis. Quantum nobis adferre potuerit moræ ſterilis arborum rẽgio, & propterea multo labore ac tempore vix effectus agger, magno dolore noſtro ſenſimus: nunc ad eadem reficienda opera unde otium nobis, unde materia erit? Veſtrum hoc facinus erit, quicumque huic culpæ affines eſtis! per vos irriſi contemptique aut munita urbi ſine machinis & operibus adſidebimus; aut infecto negotio diſcedemus.* Et opera incendi paſſi erant.

X. *Hoc ego niſi jam in auctores vindicavero, non recuſo quin nullius uſus Imperator habear. Erit tamen apud me non innocentiæ tantum ſecuritas, ſed etiam levioribus delictis venia. quos autem conſtabit gravius peccaviſſe, quàm ut condonari iis debeat, cauſſam non dicent; quominus, quam exemplo ſuo labefecerunt diſciplinam, eam ſupplicio ſuo ſanciant.* Mox legioni, cujus eo tempore ſtatio fuerat, pro tritico hordeum admenſus eſt, legato eum ignominia dimiſſo, punitiſque duarum cohortium centurionibus omnibus, & manipulis decimatis. Inter eas calamitates, quum & eruptionibus Medorum, & prœliis Parthorum Antonius fatigaretur; multique milites frumentandi cauſſa progreſſi paulo longius interciperentur: ſuſtinebatur tamen, donec præterito jam æquinoctio, ſubvereri Parthus cœpit, ut ſuos omnia potius quam hyemem ſub pellibus laturos, contineri in caſtris poſſet. ſuberat etiam metus, ne vel indignatione robur augente vel accitis alieunde auxiliis Romanus oppidum vi ſubigeret. Legionis uniuſ pœna Frontinus. Stratagem. 4. 1. 37. Dio. Plutarch. Anton. App. Part.

XI. Subornatis igitur notiſſimis quibuſque Parthorum, *parcius inceſſi Romanos frumentatores, & nonnulla citra pugnam concedi* jubebat: *præferrique benevolum animum in milites, in Antonium convicia jaci, qui tot egregios viros contumacia ſua perderet. mittendis enim ad Regem legatis, pacem haud dubiam impetrari poſſe. Nunc illũ exſpectare in aliena regione famẽ ac hyemẽ, duos atrociſſimos hoſtes,* Phraatis aſtutia. Appian. Plutarch.

etiam si præterea nulli essent. quod si tum retrocedere conentur, quomodo tandem emensuros iter, satis difficile futurum vel amicis & deducentibus Parthis? Hæc ubi per multos & sæpe ad Antonium relata sunt, jussit *à barbaris, si forte eadem hæc iterarent, exquiri, utrumne illa sciente ac probante Phrahate dicitarent?* Tum demum ex amicis quemdam misit, qui ad tegendam turpitudinem, ne contentus tuta fuga videretur, captivos & signa Crassi repeteret.

Antonius recedit ex Media. Dio. Plutarch. Appian.

XII. Legationem hanc Phrahates superbo excepit apparatu, aurea sella sedens, ac nervum arcus pulsans. Nec oratione quam adspectu minus terribilis, longo sermone increpavit Romanos, *Antoniumque* jussit *satis habere, quod suos milites, suaque signa retineret; ac si cordi fœdus esset, primo quoque tempore Parthorum finibus excederet. sic tutum ei discessum, pacemque fidam fore.* Dura conditio erat, sed duriora timebantur. Idcirco paucis inde diebus vasa colligens, præ pudore milites alloqui non potuit, vir alioquin præstans facundia & civilibus militaribusque concionibus exercitatissimus: vicemque suam hortandi milites Domitio Ænobarbo demandavit. Ea res multis displicuisse dicitur, contemni se putantibus, post tot toleratas ærumnas. plerique rem ut erat conjicientes æquioribus animis imperium sequuti sunt. Quum recessisset à Praaspis Antonius, Medi relicta ab eo opera, aggere disjecto incendere.

Marso quodam itinetis duce. Liv. Epitom. Justin. 42. 36. Horat. Carm. 3. 5. Vell. App. Plutarch.

XIII. Tum vero maxima exceperunt Antonium pericula, insanique labores: & erat actum de universo exercitu, ni è mediis hostibus auctor salutis extitisset. Parthos in prœliis opera servorum uti consueviſſe, supra etiam indicavimus: & inter equitum millia quinquaginta, quæ occurrerunt Antonio, *solos quadringentos liberos fuisse* relatum est. Igitur & milites Crassiani hoc in numero quum esset e inventi; quidam eorum natione Marsus noctu accessit ad vallum, monuitque ne itinere quo venerant, reverterentur. Quippe per campestria & plana redituros inevitabilis manebat à Parthis equitibus pernicies: montanis & sylvestribus locis tutior Romanis receptus erat; hostibus impeditior persequutio. *neque vero simulatæ pacis fidendum*, idem Marsus admonuit; simul viarum offerens ducem, & quum fides postularetur, vinciendum se præbens, donec Armeniam attigissent.

Parthi infestant abeuntem. Appian. Dio. Plutarch.

XIV. Ita vix itinere bidui progressum est per pacata in speciem omnia: die tertio quum juxta fluvium incedente agmine, ruptum recens aggerem Marsus animadvertisset, effusasque in viam aquas, *haud procul abesse hostem* monuit. vixque spatium Antonio fuit diducendi ordines, ut procurrere levis armatura posset, quum Parthi se inculerunt: & à velitibus atque funditoribus, post multa utrimque vulnera repulsi, denuo fecerunt impressionem. Tum vero Gallus eques emissus est, dissecitque atque dissipavit Parthicas alas, ut eo die quidquam præterea tentare desinerent.

Fabii Galli temeritas. Plutarchus.

XV. Hoc documento admonitus Imperator, quadrato deinceps agmine semper incessit, non à tergo tantum, sed etiam in lateribus levi collocata armatura equitibus injunctum, *ut hostes repulisse contenti, longius ne persequerentur.* quum eundo pugnandoque proximum quatriduum ita præteriisset, ut Parthos non minoribus acceptis quam illatis detrimentis tæderet incepti, simul instans hyems desiderium repetendi domos faceret; rem prope restitutam Fabii Galli temeritas afflixit. Vir erat fortis & strenuus, ideo facile persuasit Antonio, *ut sibi ad tutelam postremi agminis majorem numerum levis armaturæ, simul aliquot equi-*

quitum alas concederet : cum bis ſe ſperare operæ pretium facturum. P. Canidii error. Plutarch. Appian.

XVI. Incumbentibus deinde Parthis, quum ſubmoviſſet hoſtem, non ex priorum dierum inſtituto recepit ſe ad ſuos; ſed cupidius inſtitit pugnæ. Igitur qui in ea parte curabant, à ſe divelli Gallum videntes, revocabant hominem: & Titius Quæſtor, manu ſignis injecta, *convertere* jubebat; increpans *Gallum, cujus ſtoliditate tot viri fortes in diſcrimen adducerentur.* Ille *ſua curare Quæſtorem* jubens, perſtitit in ſententia, donec ab hoſtibus circumventus, auxilium poſtulavit. Ibi vero magna tum cæterorum ducum imprudentia, tum P. Canidii, qui apud Antonium plurimi fiebat, paucæ cohortes alæque ſubſidio miſſæ; deinde, dum illæ vincuntur, aliæ aliæque. ita factum ut priorum quorumque conſternatione etiam recens advenientes auferrentur. nec ſiſti potuit, donec fulſere ſigna legionum, quas à prima acie raptim Antonius adduxerat. In primis tertiæ legionis virtus, per medium fugientium agmen eniſa, barbaros ab inſequendo deterruit.

Antonii ac militum charitas mutua. Plutarch. Appian.

XVII. Ea pugna non pauciores tribus millibus amiſſi: ſauciorum ad quinque millia recepta, in quibus auctor cladis Gallus, quatuor transfixus ſagittis, haud diu ſuperfuit; cæteros Antonius obiens, multa commiſeratione, nec ſine lachrymis conſolatus eſt. Nec deerant Antonio artes, quibus militari vulgo probaretur. Nobilitas, facundia, ſimplicitas, & quod in donando erat largiſſimus, in colloquendo comis, mirificum ei conciliabat favorem. Tum vero ſe curæ videntes eſſe Imperatori, ſic affecit penitus, ut obliti vulnerum, *eum ſui ipſius curam agere* juberent: *eo ſalvo, ſalvos milites, ſalvum omnem exercitum fore.* Mox cum pulla veſte proditurus in concionem, vetantibus propter omen amicis, Imperatoriam purpuram ſumpſit: verbiſque factis, quum victores laudaſſet, pullos incularet; adeo commoti ſunt qui arguebantur, ut cauſſis fugæ indicatis, *tamen ſe vel decimandos, vel arbitratu ejus puniendos* offerrent, *modo triſtari Imperator, & ægro eſſe animo deſineret.*

Parthorum ingens equitatus. Plutarch. Appian.

XVIII. Tum ille viciſſim tactus hoc animo obſequioque militum, ſublatis in cœlum palmis, *Vos vero*, inquit, *dii deæque omnes precor, ut ſi quid iſtoinc præterea impendit calamitatis, id omne meum in caput vertat: at vos tam bonis tamque amantibus mei militibus parcite.* Sed hæc mutua inter Imperatorem & exercitum benevolentia, ſic confirmavit animos, ut hoſtes, qui poſt hanc victoriam nihil non ſibi pollicebantur, ſpe ſua judicioque magnopere fallerentur. Illi contra ſuam conſuetudinem prope caſtra Romana pernoctaverant; & adfluentibus in horas aliis, (nam & ex perpetuo comitatu ſuo, tamquam ad paratam prædam, multos Rex mittebat) ad numerum quadraginta millium equitum aucti, Romanos iter facientes invaſerunt. Sed alacriter ab his repugnatum eſt, donec per declivia euntibus rurſum acerrime inſtiterunt Parthi, tanta multitudine ſagittarum immiſſa, ut pene obruerentur.

Ejus ſagittas Romani teſtudine facta excipiunt. Front. Strat. a. 3. 15. Plutarch. Dio. Appian.

XIX. Ibi juſſu Antonii legionarius miles, receptis in medium velitibus & equitatu, teſtudinem fecit, in quam cadentibus ſagittis, hoſtium pharetræ ſine noxa militis exhauirentur. Inuſitatum id ſpectaculum non uno errore decepit Parthos. Primo enim, quum in ſiniſtrum genu omnes procubuiſſent, eſſerque idem ab equis ad hoc exercitis factum, barbari vulneribus & fatigatione deficere Romanos ſimul omnes rati, omiſſis arcubus arripuerunt contos, ſic interfecturi jacentes. Sed ubi cominus ventum, conſurgens ſubito miles pilis conjectis complures

interemit; reliquos miraculo rei & suorum casu attonitos conjecit in fugam: eo terrore, ut deinceps aggredi legiones non auderent. Igitur denuo pacis in speciem frumentum aut pabulum petentibus occurrebant, remissos ostendentes arcuum nervos: *neque se ulterius infestos fore abeuntibus. paucos Medorum sequuturos, unius alteriusve diei itinere: nec inferendi periculi causa, sed tutandis vicis suis paulo longius distantibus.*

Parthus nobilis suorum insidias prodit. Plutarch. Appian. Flor. l. 3. c. 5.

XX. Sed suberat ingens dolus, & exitiosus omnibus, si declinassent in campos, quod spe Parthicæ pacis, & ob commoditatem aquandi factum esset; nisi nobilis Parthus in castra Romana venisset, *Monæsis se propinquum esse* dicens, *& ejus in gratiam salubre consilium afferre*. Collibus deinde eminus ostensis, *sub his*, inquit, *universæ Parthorum copiæ latent; exceptura vos, siquidem in campos signa demiseritis. Altera, qua instituistis, pergere via, molestias habet, quibus assuevistis, hanc vero si præteritis, scitote vos M. Crassi fato perituros*. Quum eadem dux viæ Marsus diceret, *neque magnopere aliud timendum superesse, præter iter unius diei, per loca arida*; sequutus consilium Antonius, *aquam portari jussit in utribus & galeis*, quod omnia vasa defecerant. Sed Parthi animadverso suas insidias non succedere, præter morem suum noctu sequuti agmen, sub ortum solis extremis inerubuerunt, vigilando & eundo defatigatis. quippe eadem nocte circiter septem & viginti millia passuum confecerant.

Antonii copias, præter hostem sitis urget. Appian. Plutarch. Florus.

XXI. Huic labori periculum additum, priusquam exspectabatur, longius enim abesse hostem putaverant; ad hæc sitis non aquarum modo penuria, sed etiam calore certaminis accensa, pugnandum enim simul & incedendum erat, pene ad desperationem impulit universos: donec *flumen esse in proximo, eoque jam primos pervenisse ordines* auditum est. Sed ne sic quidem miseriarum finis, accessio quin imo fuit. Salinacidas enim aquas amnis vehebat, quæ potæ stomachum exulcerabant dolore, sitimque ultro adaugebant. Nec ignorabat hæc Marcus, aut monere omittebat. Sed impatientia sitis vicit: neque præsens molestia sinebat curare aut metuere futuram. donec Antonius rogando docendoque *non longe flumen abesse salubrius, atque ultra viam asperam, ubi necessario finem insequendi facere Parthos oporteret, ne igitur ob tantillam voluptatem tam in propinquo sitam spem incolumitatis corrumperent*; permovit eos, ut coërcita potandi lubidine, castra ponerentur.

Antonii desperatio. App. Plut. Florus.

XXII. Jam & Parthi ex more recesserant, quum iterum Mithridates adfuit, *post modicam quietem properari* jubens *ad proximum trajiciendum amnem*: *nec longius Parthos sequuturos*. Contra Antonius aurea illi vasa quamplurima dono misit: ex quibus ille quotquot occultare veste poterat, secum abstulit. Cæterum iter ejus diei quietum fuit: sed nox insequens terrorem habuit maximum, ipsis militibus auctoribus, qui passim occidebant spoliabantque eos, penes quos aurum & argentum esse sciebant: diripiebantque pecunias Antonii, & argentum ejus factum concidebant dolabris. Tum vero correptus ultima desperatione, qui hostium eam irruptionem esse crediderat, Rhamnum libertum suum, qui fuerat gladiator, jurare coegit, *confestim mortem illaturum, ubi jussus esset: ablaturumque caput*: ne aut vivus perveniret in potestatem hostium, aut mortuus agnosceretur.

Parthi desinunt persequi Romanos.

XXIII. Inter hæc amicis complorantibus, dux itineris suaviorem & humidiorem auram sentiens, *haud procul abesse miseriarum finem* docuit, *flumine vicino*:

simul

ſimul allatum eſt, *tumultum è militari licentia natum eſſe*. Igitur ad hunc cohibendum caſtrametationis dari ſignum juſſit. Dum tentoria figuntur, ſimul cum oriente die Parthi, adfuerunt. Idcirco ſicut fuerat ſuperioribus diebus factum, iterum teſtudine ſe Romanus texit, donec vis major præteriſſet. Tum iter & pugnam continuando primum agmen fluvium attigit: objectiſque ad arcendum hoſtem equitibus, quod vulneribus aut morbo debile erat in exercitu trajectum eſt. Ibi demum remiſſis arcuum nervis quieverunt Parthi, acclamante quodam ex ducibus: *Ite & bene valete Romani, merito virtutem veſtram in cælum effert fama, qui Parthorum tela incolumes ſuſtinuiſtis.* Plutarch. Appian. Florus.

XXIV. Sed illi promiſſis hoſtium minime fidentes, otio læti, tranſmiſerunt univerſi, curatiſque jam ex commodo corporibus, reliquum ad Araxem iter die ſexto peregerunt. Eo loco poſtremum timuerunt, ſparſo rumore *Parthos inſidiari vorticoſum & profundum amnem tranſituris.* Sed vanus ille timor fuit: tranſgreſſique ſine noxa, quum tandem in pacatiora veniſſe intelligerent, præ gaudio procidentes oſculabantur amicum Armeniæ ſolum, & in mutuos complexus ruebant cum lachrumis: tamquam erepti ex inferorum faucibus, vitæque redditi: Nam profecto miſerrimus hic & patientiſſimus exercitus longo tempore ærumnas incredibiles pertulerat; perignotas regiones, & hoſtilia omnia, viginti & uno diebus trecenta circiter millia paſſuum fugiendo emenſus. Saluto inſperata lætiſſimos. Plutarch. Appian. Liv. Epitom. Oroſ. 6 18.

XXV. Inter hæc fames etiam incubuerat, crebris prœliis impedientibus frumentationem, & inopia jumentorum, quorum pleraque variis modis interierant, reliqua ſauciorum corporibus & farcinis onerabantur. Reperio *chœnicem frumenti veniſſe denariis quinquaginta: panes hordeaceos pari pondere argenti fuiſſe permutatos*. Et per ſe ſatis grande malum fames erat, & aliorum cauſſa quippe pleroſque ad nefandos cibos adigente neceſſitate, radices herbæque vellebantur, nullo ſalubrium noxiorumque diſcrimine. Sed eminebat una peſtis, quæ in cibo ſumpta mirum inſaniæ genus, & ex eo mortem inferebat. Inde qui guſtaſſent, omnium aliorum immemores, vertendis lapidibus tamquam re maxime ſeria occupabantur: donec tranſmiſſo veneno ad vitalia, bilem evomentes concíderent. Et didicerant quidem adverſus hanc ægritudinem vinum eſſe remedio. ſed illud quoque jam defecerat. Inſania ex herbæ cujuſdam eſu: Appian. Plutarch. Oroſius.

XXVI. Super hæc inſtabant viæ dolis barbari præoccupantes anguſtos tranſitus, foſſis & operibus obſtruentes viam, aqua pabuloq; prohibentes. quod ſi forte per cõmodiorem aliquem locum proceſſurum agmen videbatur, ſpargebant Parthi famam, ibi maximum eſſe periculum ab inſidiis: ſubornatis qui per ſpeciem benevolentiæ monerent loca peti, veris periculis minime caritura. Jam & perfugere quidam tot incommodorum tædio tentaverant: & niſi Parthorum ſagittis in conſpectu cæterorum cooperti fuiſſent, periculum erat ne plerique ſequerentur. Moleſtiſſimum iter: Appian. Plutarch. Dio. Oroſius.

XXVII. Idcirco *ſæpius exclamaſſe Antonium* ferunt, *ò decem millia! Græcos adſignificantẽ qui duce Xenophonte longius iter, & à pluribus infeſtati confecerant. Periſſe* dicuntur *militum viginti millia, quatuor equitum: calonum pars ferme tertia*: impedimentorum prope nihil ſuperfuit. Cæteros etiam quum ſe jam omni moleſtia defunctos crederent, haud multo leviora prioribus mala exceperunt. primũ ex longa inopia cibus potuſq; immoderate ſumptus cõcitavit atroces morbos, Summa animorum affectione. Plutarch. Appian. Velleius. 2. 83. 3. Liv. Epitom. Florus.

Supplicationes pro Antonio tanquam victore.

ut multi colicis doloribus & hydrope exſtinguerentur. Deinde tempeſtatibus amiſſa ſunt octo circiter hominum millia, dum ex ardoribus Armeniæ Cappadocum frigora ſuccedunt, & ex ſubita mutatione cœli corpora olim variis debilitata modis concipiunt morbos.

Antonius ad Cleopatram properans. Dio. Liv. Epitom. Florus. Plutarch. Appian.

XXVIII. Ferunt *Antonium adeo tuliſſe hæc ægre, ut vetuerit referri ad ſe peremtorum numerum*: quum mederi qua voluiſſet ratione non poſſet; qua potuiſſet, nollet. Quippe in Syriam, atque inde Ægyptum properans, ut apud Cleopatram hyemaret; neque hyberna habere in Armenia voluit; nec eum eo Rege bellum: multis inſtigantibus ne perfidiam hominis inultam pateretur. Nec enim dubitabatur, quin ille victoriam Parthicam corrupiſſet: quando inter proficiſcendum profligaverant hoſtem decies octies, ſed levi cedentium damno, quos propter velocitatem equorum aſſequi Romani non potuerant: quod ſi Armenii equites aſſueti Parthico hoſti, neque celeritate impares adfuiſſent, ingens periculum Parthis incubuerat, ne propulſantibus Romanis, perſequentibus Armeniis grandi aliquo infortunio mactarentur.

Per continuas nives Cappadociam tranſit. Dio. Plutarch. Orosius.

XXIX. Sed Antonius in alia tempora vindictam differens, pecuniam & commeatum ab Rege tamquam ſocio & amico accepit: neque proditionem exprobrando, neque ullis aliis in rebus priorum temporum prætermiſſa aut imminuta comitate. Ex Armenia, licet jam adulta hyems eſſet, per continuas nives Cappadociam raptim tranſiens, Antiochiam pervenit: nec ibi commoratus, cum paucis ad mare deſcendit, & in caſtello quodam inter Berytum & Sidonem (*vicum album* vocabant) Cleopatram exſpectavit; ſæpe à poculis, (quibus intemperanter delectabatur) exſiliens, ut ſpecularetur adventum ejus. Poſtquam illa adfuit, veſtem & pecuniam exercitui diviſit, quinque & triginta denarios ſingulis, tamquam allatum à Cleopatra donativum.

Romæ multa mutantur. Vell. 2. 82. 3. Florus. Dio.

XXX. Sed alii *veſtem à Regina ſuppeditatam* ajunt, pecuniam negant: *cæterum illius nomine diſtributam, ab Imperatore profectam eſſe*. Hic expeditionis Antonianæ exitus quum Romæ non ignoraretur, & fama nunciante veritatem, & diligenter explorante cuncta Cæſare; tamen ſupplicationes in Urbe tamquam bene geſta Republica fuerunt. Quippe Marcus occultatis cladibus, tantummodo ſi quæ erant paulo meliora inflatius perſcripſerat: quod vivus è tantis periculis evaſiſſet, victoriam vocans. Et ſuperſedebat arguere Cæſar, durante adhuc Sexti bello: deinratus fore, ut Antonius ſua ſibi vecordia malum arceſſeret. Nec deerant quæ domi curarentur, ubi quotidie multa ex antiquo more mutabantur. nam neque Ædiles ullos iſte annus habuit; quod civilibus bellis attritæ multorum facultates, inſanis ludorũ ſumptibus terrebant petituros: neq; Præfectus Urbis feriarũ cauſſa fuit.

Cn. Domitii Triumphus ex Hiſpania. Dio lib. 48.

XXXI. Sed illorum partibus Prætores & Tribuni plebis functi ſunt; hujus, delecti quidam è Collegio Prætorum. Reliqua negotia publica tum in Urbe, tum per univerſam Italiam, illo & ſequentibus aliquammultis annis, C. Cilnius Mæcenas Eques Romanus adminiſtravit. Eodem anno Cn. Domitius triumphavit ob res in Hiſpania geſtas, A. D. XVI. Kal. Sextil. Hic aurum coronarium non ab aliis quam Hiſpaniæ civitatibus acceptum, partim inſtruendo Triumpho impenſit; reliquum contulit ad refectionem Palatii. Ejuldem operis ornamentis & mutuo ſumptas ad Triumphum à Cæſare tabulas & ſtatuas, imminuit; repetentique Cæſari facete reſpondit, *mitteret ipſe & juberet tolli: ſibi enim ad hoc*

miniſterium deeſſe famulos. & Cæſar, ne res dedicatas diis auferre videretur, acquievit. Huic victoriæ deberi rationem apud Hiſpanos computandi tempora, quam *Æram* vocant, viri docti non male exiſtimant; victa gente Romanis ritibus paulatim mutante patrios: quemadmodum & paulo poſt, Antonio ſuperato, Ægyptii Julianum annum receperunt.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXXXI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

EX. Pompejus, quum in fidem M. Antonii veniret, bellum adverſus eum in Aſia moliens, oppreſſus à legatis ejus, occiſus eſt. Cæſar ſeditionem veteranorum cum magna pernicie motam inhibuit: Japidas, & Dalmatas, & Pannonios, ſubegit. Antonius Artavaſdem, Armeniæ Regem, fide data perductum, in vincula conjici juſſit, regnumque Armeniæ filio ſuo ex Cleopatra nato dedit: quam uxoris loco, jam pridem captus amore ejus, habere cœperat.

QUUM deinde L. Cornificius L. F. Sex. Pompejus Sex. F. anno darent nomina; novam in ſpem opprimendi Parthorum Regis Antonius venit: quod Polemon Zenonis Laodiceni oratoris filius, quem Ciliciæ Ponticique parte attributa Regem appellaverat, venerat Alexandriam, *à Medo ſe mitti* dictitans, *cui male cum Parthis conveniret, ob prædam inique diviſam, & inde orta jurgia, ex quibus in amittendi Regni timorem Medus incidiſſet.* Is igitur Antonium exciri juſſerat, omnes opes ſuas in belli ſocietatem offerens. Idque facere tanto cupidius credebatur, ut Armeniæ Regem ulciſceretur, iratumque ei Antonium attraheret, à quo contra ſe quoque nuper adductos eoſdem Romanos dolebat. Urb. cond. an. 718. Mediæ rex Paetho diſcors. Dio. Strabo lib. 11. App. lib. 5. Civil. & Parthic. Plut. Ant. c. 68.

II. Igitur Antonius nihil addubitans victoriam ſuam fore, ſi Medorum ſagittariis & equitibus, quæ ſuperiore bello ſola ipſi præſidia defuerant, adjuvaretur: novam expeditionem parabat, ut ad Araxem fluvium Medo conjunctus, impetum in Parthorum regionem faceret. Interim ut Artavaſden Armenium dolo caperet, evocavit eum, quaſi de rationibus ſuſcepti belli deliberaturus. Sed illi fraus ſuboluit, nec ſe commiſit Antonio. quapropter hic diſſimulata ira, ſub ſpecie belli Parthici oppreſſurus imparatam Armeniam ex Ægypto movit. Interim & Sex. Pompejus hoc maxime modo calamitatibus belliſque ſuis finem impoſuit. Quum Meſſanæ ſuorum fidei diffiſus, per altum vela facturum dixiſſet; exſtincto navis Prætoriæ lumine, oram Italiæ legit: ſpoliatoque obiter Junonis Laciniæ fano, Antonio e novandi belli cupiditatem injicit. Plutarch. Dio. Appian. lib. 5. Civil.

Corcyram atque Cephalleniam advectus, in quosdam suorum forte vi tempestatis eodem ejectos incidit.

Sex Pompeius Mytilenen fugit delatus: App. Dio.

III. Nec tamen adsumpsit omnes; sed exposito *periculo, si paueiores quam ut se defendere, plures quam ut latere possent, simul incederent*; plerosque aliam alibi æquiorem quærere fortunam coëgit. cum cæteris Mitylenæorum portum tenuit, qua in civitate bello civili pater Pompejus hunc puerum adhuc, cum noverca Cornelia deposuerat, & Lesbiis eum ob patris memoriam cupide recipientibus, hyemem ibi exigere statuit, quod Antonius, ad quem ibat, in Mediam proeessisse nunciabatur. Sed postquam præfectum Asiæ C. Furnium sibi parum amicum expertus, Antonii improsperam fuisse Parthicam expeditionem didicit; in spem adductus est, siquidem perisset Antonius, in ejus se potentiam succedere posse: sin superesset, saltem in imperii venire societatem.

Imperatorium habitum resumit. Dio. Liv. 37. 21. Liv. Epitom. Appian.

IV. Duabus præterea rebus animus ei augebatur: recenti memoria Labieni, qui Asiam omnem celeriter subegerat: & quod ad eum quotidie multi confluebant ex Sicilia & aliis provinciis. Igitur Imperatorio habitu resumpto, de Peræa occupanda consilia agitabat: missis interim Alexandriam legatis, Antonio *societatem & amicitiam* offerens. quum paulo ante, jubenti *arma ponere* Antonio, & sic promittenti veniam, *dicto audientem fore* rescripsisset. Tum vero speculandi caussa suos per speciem legationis misit: & eodem tempore legatos in Thraciam Pontumque: legatos ad Parthorum Regem: eo se recipere cogitans, hac spe, futurum ut Romanus, & Pompeius exercitui Parthico dux, ut modo Labienus, præficeretur. Nec omittebat augere classem, exercere remiges, quoties argueretur; prætexens *à Cæsare metum* aut *Antonio parari ista* dictitans.

Legatorum ejus ad Antonium oratio.

V. Legatorum Pompeji talis ad Antonium oratio fuisse traditur. *Missi sumus à Pompejo, qui Fortuna iniquiore coactus relinquere Siciliam, ad tuam dexteram confugit, non quasi deesset quo se reciperet, sed quia magnitudinem animi tui fidemque & simplicitatem morum multis experimentis cognitam semper probavit. Nec enim longinquus erat aut difficilis in Hispaniam cursus: quæ patrem ejus, quæ fratrem constantissime dilexerat: quæ protexit ipsum post cladem fratris rerum omnium inopem: quæ mox adjuvit enixissime, & quam semper exhibuit, nunc quoque pollicetur operam. Cæterum ille sic est adfectus animo, ut tuam fortunam atque adeo voluntatem sequi malit: tecum, si pax placet, quiescere, tecum, si bellum anteponis, adire pericula postulet: Neque vero recens hunc induit animum: jam olim, quia Siciliam adhuc firmiter obtineret, Italiam popularetur, amicitiam tuam ambiit, matre quoque tua, quam servatam ad te misit, pararia pacis atque societatis usus.*

Incitant eum in Cæsarem.

VI. *Atque utinam eadem tibi mens fuisset! utriusque res longe nunc haberent commodius: neq; Pompejus expulsus Sicilia foret, neque tu adversum Parthos expeditione irrita teque & exercitum fatigavisses. Nam sine tua classe nihil adversus Pompejum Cæsar potuisset: nec adversus te Parthi, si fuisses adjutus his copiis, quas tibi Cæsar promiserat. Sed præterita quoniam mutari nequeunt, ne vituperemus; documentum potius inde sumamus ad ea quæ sunt in manibus. Ecce nunc iterum eadem illa Pompejus monet, quæ utinam illo tempore ad animum admisisses! toties deceptus, tot appetitus insidiis, aliquando dispar tuo Cæsaris ingenium, artes dissimillimus agnosce. Ita neque simulatis fœderibus ejus, neque subdola affinitate capiere. Nam ab hoc quidem homine fidum pacatumque nihil expectaveris:*

ſimul ipſi vires placebunt ſuæ, fruſtra tot amicitiæ vincula jactabis, infeſtus implacabiliſque fiet.

VII. *Ecquid enim Pompeii fortuna mentem aperire Cæſaris potuit, quem ſine cauſſa bello petivit, neglecto fœdere? ecquid Lepidi, quem poteſtatis & victoriæ ſocium, imperio & dignitate ſpoliavit? idque te inconſulto, citra cujus aſſenſum tantarum rerum nihil oportebat geri: te fraudato præmiis utriuſq; victoriæ, quem decebat commodorum omnium participem conſortemq; haberi. Sed ille unus imperare omnibus, unus obtinere, quidquid tot ſæculis rei Romanæ partum eſt, poſtulat. Ideoque ſubmotis jam cæteris hominibus, qui reſiſtere ambitioni ejus poterant, te propediem, ne dubita, petiturus eſt, qui nunc cupiditatibus illis unus obſtas.* Ut unum imperare cupientem omnibus.

VIII. *Hæc quidem te quoque dare perſpicue que videre exiſtimat; ſed tamen à ſe etiam moneri voluit, quo duo hæc penitus intelligeres; primum, neque moleſte Pompejum ferre, quod naves Cæſari præbuiſti, cujus ad bellum Parthicum tibi neceſſaria tum videbatur amicitia: alterum, ſpem eſſe Pompejo permagnam, te conſiderata fraude Cæſaris, & perpetuo conſiliorum ejus tenore, damniſque & periculis Parthici belli, quorum ille non mittendo promiſſos exercitus maxima cauſa extitit; non eſſe commiſſurum, ut diutius injuriæ tuæ vindictam, amicis ſolatium, inimico ludibrium debeas. Denique ut compendio Pompeji mentem omnem ediſſeramus, ſic habe: Sextus cum tota claſſe, fidelisſimiſque e piis, quæ ne adverſa quidem fortuna uſum reliquerunt; in tuam ſe fidem tradit. Tu vero ſive quietæ res manebunt, inſigne pacis ornamentum habebis, ſervatum Magni Pompeii filium: ſive turbabuntur, juvenis acer, induſtrius, inviſus infeſtuſq; Cæſari tot una adductis navibus, tot fortiſſimis viris, minime pœnitenda partium tuarum erit acceſſio.* Summa orationi.

IX. Antonius ad hæc reſpondit, *ſe mandaſſe M. Titio, ut cum parte Syriacarum navium militumque deſcenderet in Aſiam, Sextumque ſi ſe armis tueretur, invaderet: ſin vero, honorifice ad ſe deduceret. Jam igitur in manu Pompeii eſſe, utram experiri ſortem malit.* Antonii reſponſum. Dio. lib. 49. Appian. lib 5. Civil. Oroſius 6. 19.

X. Hæc quum maxime agerent, adducti ſunt, quos in Parthos Sextus miſerat, oſtenſique legatis excuſantibus *tempora, juvenis in maximas anguſtias conjecti: nec indignari Antonium debere, ſi illi dubitatione quadam, ne plus apud Antonium veteres offenſæ, quam preces ſuæ valerent, ad barbaros reſpexiſſet. omnem certe eam cogitationem, quemadmodum ſit ex deſperatione nata, ita ſimul cognoverit ab Antonio ſe recipi, in nihilum abituram.* Et ſatisfieri ſibi paſſus eſt Antonius, placabilis ingenio neque ſuſpicionum tenax. At Sextus audito contra ſe Titium mitti, quem ob defectionem à ſuis partibus oderat; Ænobarbum in ſuam redigere poteſtatem conatus eſt, eo pignore ſuam ſalutem in tuto fore ratus. Legatio Pompeii ad Parthos excuſatur. D. o. App.

XI. Cajus enim Furnius, Antonii nomine Aſiam obtinens, appellentem eo Pompejum arcere inſuper habuerat, neque ſatis ad hoc validus, neque comperta dum Antonii voluntate. Sed ubi eum bello ſe parare animadvertit, provincialium habito delectu, Domitium quoque Ænobarbum accivit propinqui exercitus ducem, cum Rege Amynta. & convenerant illi, quum amicorum quidam Ænobarbi Curius prodere illum Pompeio conatus eſt: ſed proditus ipſe convictuſq; de conſilii ſententia pœnas dedit. Pompeius interfecto ſuo liberto Theodoro, quem unum arcani ejus conſcium indicaſſe rem rebatur; abiecit de cætero inutile fallendi conſilium, & proditione Lampſaco potitus, magnis ſtipendiis invitavit Italici Pompeius Ænobarbo ſtruit inſidias. Oroſius. App.

genetis homines, quos eo C. Cæſar Dictator in Coloniam deduxerat.

Furnium caſtris exuit. Dio. lib. 52. Joſeph. Antiq. 15. 10. & de bell. Iudæ. 15. App.

XII. Jamque ſub ſignis trium legionum inſtar habebat, cum equitibus ducentis. His copiis ſubito comparuit Cyzici, oppidum commodiſſimo ſitu proditione recepturus. Sed repulſus à militibus, qui cuſtodiæ gladiatorum, quos forte ibi habebat Antonius, erant additi; portum Achæorum repetiit. Venit eodem & Furnius ſemper obſervans eum, ne quam urbem occuparet; & frumentationem impediens. Hunc quoniam allicere Pompejus ad pugnandum nequiverat, in caſtris ſuis adortus miſit aliam manum, quæ ſibi reſiſtentem, à Quæſtoria porta invaderet. Et ſucceſſit dolus: irrumpentibus Pompejanis à tergo, coactus caſtra relinquere Furnius, multos milites amiſit.

Equites Italicos corrumpere conatur.

XIII. Per Scamandrios enim campos imbribus madentes per quam impedita fuga fuerat. Hujus victoriæ fama Sexto multorum conciliabat animos. & ex Furnii auxiliis pars magna egeni tributiſque exhauſti homines, gaudebant ſtipendia facere ſub Sexto, qui pecunioſus & liberalis habebatur. Satis jam belle procedere cætera videbantur: ſed equitatus deerat. Igitur comperto alam equitum Italicorum ad Antonium pergere, quam Athenis Octavia miſerat, ablegavit ad eos corruptores cum auro: ſed deprehenſi ſunt ab his qui ſub Antonio Macedoniæ præerant; aurumque inter equites proditionem abhorrentes diſtribuerunt.

Ab amicis deſeritur. Dio. Appian.

XIV. Interim Sextus Nicæa atque Nicomedia præclaris Bithyniæ urbibus occupatis, pecunias colligebat, invalido ad prohibendum Furnio, qui propinquis locis caſtra muniverat: donec ei primum advenerunt è Sicilia naves ſeptuaginta, reliquiæ claſſis, quam Antonius Cæſari commodaverat; neque multo poſt cum aliis centum & viginti è Syria Titius adfuit. His ad Proconneſum appulſis, Sextus claſſe deſperatas incendit naves, quas gravioribus farcinis oneraverat; remigeſque ad pedeſtrem militiam tranſtulit: ne tum quidem conſilio bellandi depoſito. Quapropter amicorum ejus principes Caſſius Parmenſis, Naſidius, Saturnius, Thermus, Antiſtius, cæterique, & præcipuo apud eum honore habitus Fannius, poſtremo ſocer ipſe Scribonius Libo, pacta ſalute, ad Antonianos duces tranſierunt.

Fugiens cum perſequutoribus pugnat. Dio. App. Oroſ. 6. 19.

XV. Ille deſtitutus, caſtris nocte relictis, in mediterranea Bithyniæ contendit, Armeniam, ut exiſtimatum eſt, petens. Luce reddita Titius Furniuſque & cum his Amyntas perſequuti fugientem, circa veſperam attigerunt: & quia omnes pariter ab nocturno prœlio abhorrebant, caſtra utrimque ſunt poſita. Tum quoque conſilium audax Pompejo ſuſceptum fuit, nec futurum inutile, ſi tam urgendis cœptis pertinax, quam ad tentandum promptus fuiſſet. Tribus enim cetratorum immiſſis millibus, hoſtes caſtris expulerat, poteratque forteſſis abſolvere victoriam, ſi fuſis fugatiſque inſiſteret. Sed ille contentus aliquid præripuiſſe itineris, brevem ejus lætitiæ inanemque fructum ſenſit. Mox enim collectis viribus hoſtes inſequuti, carpendo extremum agmen, confirmando provinciales, frumentum, aquam, pabulum eripiendo, in eas anguſtias redegerunt hominem, ut ſpretas antea conditiones repetere cogeretur.

Colloquium Furnii expoſcit. Appian.

XVI. Demum circa Midæum, haud inclebre Phrygiæ majoris oppidum, colloquium Furnii expoſcit, quem ut paternum amicum, & majoris dignitatis Titio præferebat. Quum utrimque ad ripas amnis Sangarii acceſſiſſent, Pom-

pejus oſtendit, *ſe legatis ad Antonium miſſis, quum interim alimentis egeret, nemine prabente; hæc ad conſilia prolapſum. cæterum peteret ut ad Antonium deducatur, nec alteri quam Furnio cogatur ſe credere.* Furnius ad hæc: *ſiquidem ipſi pacis ſtudium cordi fuiſſet, aut ſtatim ad Antonium proficiſci, aut Mitylenis reſponſum ejus opperiri debuiſſe. id quoniam eſſet prætermiſſum, ſuadere ſe, ut veniat in fidem Titii, cui negotium iſtud permiſſum ſit ab Antonio: neque duces ejuſdem Imperatoris tentet inter ſe committere.*

XVII. Parum hæc placebant Pompejo, qui Titium à ſe aliquando ſervatum, pro ingrato averſaretur. neque honorificum putabat, in poteſtatem hominis non nobiliſſimi ſe tranſdere; neque tutum: ne forte ſive pro moribus ſuis, ſive propter veterem aliquam offenſam fidei Titius vindictam anteponeret. Igitur iterum dedebat ſe Furnio, aut hoc abnuente, ſaltem Amyntæ. cæterum reponente Furnio, *nihil ante ſe facturum, aut Amyntam, quod eſſet conjunctum cum illius injuria cui mandatorum ſuorum exſequutionem Antonius commiſiſſet;* colloquium ſolutum eſt. Sequenti nocte quum minime dubitaretur, quin venturus qualibet conditione in fidem Sextus eſſet, relictis ille per caſtra ignibus, & tubicinibus ad ſignificandas ex more vigilias, cum expeditis profectus eſt; ne ſociis quidem itineris indicans quo ducerentur. Iterum fugiens.

XVIII. Habebat autem in animo, redire ad mare, & incuſtoditam Titii claſſem incendere. Sed profugiens ab eo Scaurus, quamquam conſilii ignarus, iter prodidit. inſequutuſque cum mille quingentis equitibus Amyntas, equitatu carentem celeriter deprehendit. Hujus ad conſpectum clam palamque deſerto Pompejo tranſierunt ejus milites: illumque jam omnes metuentem dedere ſe in manum Amyntæ ſine conditione coëgit, qui conditiones Titii reſpuerat. Titius adactis ad ſacramentum Antonii Pompejanis, ipſum in cuſtodia habuit, donec Imperatoris mandata veniſſent. Sed Antonius his rebus auditis, primo iræ impetu, ſcripſerat *ut interficeretur*: mox ductus pœnitentia, *ſervari juſſit incolumem.* At forte fortuna interitum ferentes literæ poſterius advenerunt. Idcirco Titius ſive recentiores has eſſe credens, ſive propter veterem offenſam ſimulans, jugulavit eum Mileti, ætatis ejus anno quadrageſimo. Capitur & interficitur. Dio. lib 49. Vell 2.79.5. App in. lib. 5. Civil. Oroſ.6.19. App.

XIX. Quidam non ab Antonio, ſed à Planco miſſas literas crediderunt, qui eſſe ſolitus in gravioris momenti negotiis uti Antonii annulo, nomenque ejus ſubſcribere. caſum autem occidendi Sexti, ſive Antonio, ſive Planco fuiſſe, magnitudinem Pompejani nominis, & metum, ne paternæ fraternæque amicitiæ Cleopatra memor, hunc aliquando præferre Antonio inciperet: neve Cæſar hoſtem ſuum recipi cauſſaretur. His rebus in Urbem nunciatis, Cæſar ob mortem Pompeii Circenſes exhibuit, & Antonio curruum pro Roſtris, & in delubro Concordiæ ſtatuas poſuit: decernendumque curavit, *ut Antonio cum conjuge & liberis ibidem epulandi jus eſſet.* Quales ipſi quoque Cæſari attributi honores erant. Adhuc enim pro amico ſe gerebat, literiſque conſolatus eſt eum de clade Parthica, *ſuam ſortem* comparans, *cui ex invidia propter victoriam & honores ea cauſſa decretos, propemodum plus moleſtiæ, quam ex ipſo bello exſtitiſſet.* Cæſaris lætitia ex morte Pompeii. Plutarch. Ant.c.33. App. Dio.

XX. Ipſe deinde in Siciliam profectus eſt, inde petiturus Africam, ubi turbas quaſdam enatas eſſe didicerat. Sed aliquamdiu tempeſtate detentus, neque Expeditio in Illyricum. Suet. Aug c.47

Appian. Oroſ. 6. 19. Dio. Liv. Epit.

tunc, neque poſtea provinciam illam adiit: mutataque ſententia, & Statilio Tauro permiſſis Africæ rebus, in Illyricum prævertit. ubi cum Liburnis Japodes, & ſub idem tempus in Alpibus Salaſſi Taurilcique tumultuabantur, jam à ſuperioris Cæſaris temporibus inquieti. Sed hoc bellum apparantem ingens veteranorum ſeditio tenuit: ex eo genere, quos in Sicilia dimiſſos fuiſſe prædiximus. *Nulla ſe dum accepiſſe præmia* querebantur: *atque hæc vel novis laboribus mererentur, iterum adigi ſacramento* petebant. Hos igitur Cæſar, ne permixti alios etiam ſeditioſos redderent, ſeorſim habere ſub ſignis inſtituit. Hoc ipſum incitamento illis fuit, ut acrius moverentur: multiſque & diverſis artibus ad coërcendum opus eſſet.

Seditio veteranorum compreſſa. Suet. Aug. 24. 4 Dio.

XXI. Nam initio paucos eorum, qui plurima habebant ſtipendia, circum Galliæ colonias diſtribuit: futurum ratus, ut cæteri, ſpe paulo poſt adipiſcendi eadem, quieſcerent. Ubi ne ſic quidem conſederunt animi, correptos quoſdam ex ſeditioſiſſimis affici ſupplicio juſſit; terrore quæſiturus obſequium, quod provocare per lenitatem nequiviſſet. Tum vero palam frementes, per ſimulationem concionis habendæ legionibus circumfudit; armiſq; ademptis cum ignominia omnes dimiſit. Hoc demum facto invictum Cæſaris animum, ſuamq; imbecillitatem veris indiciis æſtimantes, ſerio pœnitentia exoraverunt imperatorem, ut milites fieri pateretur. Atque ille mitigatus precibus, & opus habens exercitu, præterea que ſubveritus, ne ad Antonium occaſione data ſe conferrent, haud gravatim annuit: ſemperque poſtea militum eorum forte fidelique opera uſus eſt.

Cæſar Japodas aggreditur. Strab. lib. 7. Tibull. 4. 1. App. Illyr. Cluver. Ital. Antiq. 1. 2. 9 & 10. Flor. 4. 12. 6.

XXII. Duodetriceſimum ætatis annum Cæſar tum agebat, lætus ſucceſſibus, & ubique propter exſtincta bella magnis cultus honoribus: nam & paſſim à civitatibus inter tutelares deos habebatur. Eo impatientius ferens, non alibi modo, ſed in ipſa Italia laceſſi pacem: dimiſſis adverſus alias gentes ducibus, ipſe ſtatuit Japydas aggredi, bellicoſiſſimos homines, adeoque firmis corporibus, ut laboribus vix ſub extremam ætatem cedant; & reperti ſint, qui ſub centeſimum vitæ annum, nulla militiæ munia detrectarent. Hi Aquilejam uſque excurrerant, etiam Tergeſte Romanam coloniam deprædati. Sed Avendeatæ quidem cum iis qui Monetium incolebant, quod hodie Croatiæ oppidum eſt, haud procul Vanna flumine advenienti ſe dediderunt. in cæteris, præſertim qui montana incolebant, perdomandis plurimus labor fuit. Horum Arupini vicis incenſis, nemoribuſque ſucciſis, qua parte venturus Cæſar credebatur, in oppidum ſe receperunt: deinde alias per ſilvas abruptis torrentibus invias iter molienti occurrentes, ſimulata fuga ſe ſubduxerunt, inſidiis excepturi perſequentem.

Et in fidem nec pr. Florus. App.

XXIII. Sed ille præſentiens dolum, clam præmiſit expeditos qui ſummas montium juga occuparent. cum cæteris copiis inſtituto itinere ſuggrediens, dum excidit arbores, viaque munienda & ſtruendis pontibus iter aperit, ab hoſtibus repente invaditur. Inter eam conſternationem Cæſar contanti adſcendere in arduum militi ſcutum ademit, & in primam aciem provolans, ſubmovit hoſtem. Tum vero decurrentes ex ſuperioribus locis, qui ad hoc erant præmiſſi, magnum Japodum numerum occiderunt. Igitur illi relicto opido per ſylvas fuga diſperſi curam injecerunt Cæſari, ne reperiri poſſent; vetuitque incendi oppidum, hoc ſalrem pignore ſperans attracturum eos. Nec fruſtra conſilium fuit.

ut

Metulini ſe ſuoſque necant.

ut patrias ſedes, ingue iis relicta reciperent, in fidem venerunt. Inde Metulum ductus exercitus, maximum ejus regionis oppidum, quod ſitu ſimul municiſſimo, & egregia juventute defendebatur.

Metulum obſidet. App.

XXIV. In monte numeroſo duos colles murorum ambitus occupabat, modica intercedente valle; id ſpatium tria millia armatorum, viribus animiſque præſtantium tuebantur. Aggerem jacere Romanus inſtituerat. id opus nocturnis diurniſque eruptionibus impediebatur. neque ſubire muros tutum erat, quod machinas habebant barbari, relictas à D. Bruto, quo tempore circum ea loca congreſſus cum hoc Cæſare & Antonio fuerat. Neque de aggere perfecto proderat diſcuſſiſſe mœnia, quod inferior ſubinde murus ab hoſte ducebatur. At Cæſar occupato exteriore, ſuccenſoque, ad novum murum binis aggeribus jactis, turres erigit, unde quatuor ſimul pontes in mœnia porrigerentur.

Ponte rupto fauciatur. Flor.

XXV. Paratis omnibus, à diverſa parte cieri tumultum jubet, ut à defenſione loci, unde periculum ſtruxerat, obſeſſi deducerentur. Quum ſucceſſiſſet conſilium, læti Romani prorudere incipiunt pontes, ſed tum inter feſtinationem minus caute res adminiſtratur, labare machinæ, ponteſque unus ſuper alium ruere cœperunt. Tribus ita perditis corruptiſque, ne quarto quidem fidere quiquam audebat; quum accurrens Cæſar, qui ex loco edito ſpectaverat omnia, poſtquam verbis nihil profectum eſt, exemplo incitaturus ſuos, protinus exſilit in pontem, prætento ſcuto mœnia petens. Tum vero & Agrippa & duo alii duces, cum uno armigero provolant primi: tum horum imitatione milites ita certatim, ut præ multitudine pons ruptus, in præceps omnes effunderet. multis ſtatim exanimatis, maleque multatis compluribus: in quibus & Cæſar ipſe fuit, cres dextrum & utrumque brachium ſauciatus. Sed animi firmitudine, debilitatem membrorum ſuſtinens, continuo iterum contendit in turrim, ſeque militibus & hoſti monſtravit, ne aut hic inani ſpe ferocior, aut illi ſegniores deſperatione fierent.

App Flin 7.45. Suet. Auguſt. 20.2.

Metulinorum deſperatio. App. Dio.

XXVI. Sed *& alium pontem adificari* protinus juſſit. & multas inſuper copias arceſſi: eaque res Metulinos terruit, reputantes quam cum invicto res eſſet, ut miſſis legatis *facturos imperata* pollicerentur. Cæſar *obſides quingentos* poſtulavit, *utque præſidium acciperent*, adductique ſunt obſides, & præſidio recipiendo duarum arcium exceſſior tradita. Sed ubi *arma quoque tradere* juſſi ſunt, concluſis in curiam uxoribus liberiſque ſuis, præſidium Romanum noctu interfecerunt: inde Curia incenſa, ne hoſtium arbitrio morerentur, ſibi conſciverunt necem. Etiam fœminæ pleræque liberis interemptis, aut in ignem conjectis, eodem modo finierunt. & incendium nemine reſtinguente ſic ablumpſit ædificia omnia, ut tanti modo oppidi vix veſtigium ullum ſupereſſet.

In Pannonios expeditio. App. Dio.

XXVII. Cæſar ex laborioſiſſimo bello ſpolia nulla retulit: ne captivis quidem abductis, quippe voluntaria morte conſumptis, qui comprehenſi fuerant. Metulinorum tamen exitus cæteros Japodas ita exterruit, ut damnata ſpe animorum, in poteſtatem ſe traderent victoris. Inde in Pannonios, & ipſos antea Romani Imperii exſortes caſtra movit, nulla belli cauſſa, niſi quod ita commodum videbatur, exercere ſimul & alere militem alienis impenſis.

Nicol. amaſ. de inſtit. Aug. Liv. Epit.

Eius populi deditio. Appian. Dio.

XXVIII. Segeſticani tamen obtendebantur, qui ſemel iterumque Romanis armis petiti magis quam domiti, quum nec obſides dare, nec aliud quidquam facere pro victis coacti eſſent, ferocius agebant. Nam Pannoniorum regio ab Ja-

pydia uſque in Dardanos porrigitur: fluminibus & ſylvis impedita. Cœlum & ſolum hodie ſatis clemens ac ferax, tempore Dionis, qui regionibus his præfuit, aſperum atque immite habebatur. Inde homines etiam, ut ſolet, ferociſſimos gignebat; eçdiſque & pugnandi cupidos. Pæonas nonnulli Græcorum vocant: quorum tamen prope Rhodopen montem, ubi Macedoniæ regiones ad mare pertinent, ſedes fuit. Sed Pannonii & ab ſe ipſis, & ab Romanis dicebantur.

Segeſticani legatos mittunt. Appian. Dio. Strab. lib. 6. & 7.

XXIX. Urbes tum nullas habebant: neque vicis eorum & villis injuriam inferri Cæſar patiebatur, quas in plano ſitas deſeruerant: hac clementia ſperans conciliaturum animos. At illi quum ſe recepiſſent in ſylvas, ad Syſciam proficiſcente Cæſare, quæ haud procul abeſt Segeſtica, palantes ab agmine Romanos intercipiebant. Idcirco Cæſar per continuos octo dies, quibus ad Savum fluvium uſque proceſſit, omni clade vaſtavit eorum agros, & ædificiis immiſit ignem. Ubi Segeſticam perventum eſt, oppidum ad confluentes plurium amnium, ſed præcipue Colapis & Savi, quorum ille munimenta ipſa adluebat, legati ab oppidanis adfuerunt, *ecquid veniſſet cum exercitu, quidque ſe facere vellet*, quæſitum.

Inter ſe diſcordant. Strab. lib. 4. & 7. App.

XXX. Ille *præſidium ut acciperent*, imperabat, *obſidesque centum, cum certo frumenti modo*. Neque diſtulerunt primores acceptis conditionibus, obſides tradere. Sed ubi conſpectis militibus, qui ad præſidium ibidem agendum mittebantur, exhorreſcere vulgus ad ſpeciem præſentis ſervitutis cçpit; diſſenſione inter oppidanos nata, portæ clauſæ ſunt: & in mœnibus armati comparuerunt. Quando enim optimatum liberi obſides dati fuerant, diſcors populus horum periculo, quod ad ſe pertinere non putabat, nihil movebatur. Sed Cçſar qui opportuniſſimum bello Dacico locum, quolibet pretio redigere in poteſtatem cupiebat; ponte facto Savum tranſgreſſus caſtris communitis, Segeſticenſes intra mœnia coëgit.

Adverſus Cæſar in ſtrenue ſe defendunt. Dio. App.

XXXI. Et quamquam inter flumen & urbem omne ſpatium foſſis valliſque interſeptum erat, improbo labore bini aggeres erecti ſunt. Nec enim terra tantummodo res gerebatur, ſed navibus etiam, quas à ſociis ad ſubvehendum exercitui commeatum paratas, adverſo Iſtro ſubigi in Savum amnem, atque inde in Colapim juſſerat. Neque ſegniter ſe defendebant obſeſſi, ſæpius eruptione cum facibus in aggeres facta: armatis etiam lintribus prœlia aliquot navalia fecerunt, in quibus præter alios Menas etiam occiſus eſt, qui à Sexto ad Cæſarem ſemel iterumque transfugerat. Et habebant in vicinis Pannoniis fiduciam haud ſine cauſſa: gens enim prævalida erat, ſi unius imperio regerentur: poterantque ad bellum educere centum millia delectæ juventutis.

Dedunt ſe Cæſari. Dio. App.

XXXII. Sed ſparſa in plures potentia nihil in commune conſuli patiebatur. Una tantum natio copias ſuas ſubſidio miſit: hiſque profligatis, & obſeſſi ſe dediderunt; & reliqui mox Pannones, exemplum ſequuti ſunt. Cçſar tricefimo die poſt difficilem obſidionem recepta Segeſtica, ſive virtutem admiratus hominum, ſive precibus emollitus, clementer victoria uſus eſt: imperataque pecunia, commigrare omnes in ſemotam oppidi partem juſſit: cæteras attribuit quinque & viginti cohortibus ibi collocatis, quibus Fufius Geminus præfectus eſt. Reverſo deinde in Urbem Cæſari Triumphus decretus: quo commodius in tempus dilato: nam ad cætera perdomanda redire in Illyricum ſtatuerat, ſorori uxorique ſtatuas decernendas curavit, atque rerum ſuarum adminiſtrationem liberam: parque Tribunis jus, quo ab antiquo ſacroſancti habebantur.

Urb. condit. 719.

XXXIII. His actis in Galliam eſt profectus eo conſilio, ut ad patris exempl im

bellum inferret Britanniæ; ſed Pannonum & Dalmatarum motibus revocatus eſt; quum modo M. Antonius M. F. Triumvir, L. Scribonius Libo Conſulatum iniſſent. Fama enim atrox ſparſa erat, relictas in Pannoniis copias rebellione barbarorum eſſe deletas. idcirco nihil moratus hyemem, quum præcipiti itinere eo perveniſſet, audit improviſa irruptione partem præſidii Segeſticæ deſideratam eſſe: cæterum poſtridie Geminum prœlio victorem, recuperaſſe & pacaſſe omnia. Verſis ergo in Dalmatas armis, qui poſt ſigna quinque cohortium adempta Gabinio numquam arma depoſuerant, neque coërceri ab Agrippa potuerant, Priamonem duxit, quam Verſus quidam nomine Dalmatarum ductor, rurſus occupatam vallo foſſaque clauſerat: occupatis & aliis circa locis, quæ natura & metu inexpugnabilia videbantur. Cæſar in Dalmatas armavertit. App. Dio. Liv. Epitom.

XXXIV. Regio enim montoſa omnis, frequentes ubique colles erigens, pinnarum in ſpeciem acuminatur. Supra millia duodecim erant pugnaciſſimi homines: itaque & oppidum & hos colles diſpoſitis opportune præſidiis retinebant. Cæſar igitur inacceſſa loca videns, ſe circumvallare totum iſtum collium ambitum velle ſimulat. interim clam emittit idoneam manum, quæ ſummos ad tumulos reperire viam conetur. Ii homines ſylvis occultati, ſtationes Dalmatarum ſomno languentes noctu invadunt, ſternuntque; & occupatis ſuperioribus locis, ſignum quod convenerat, edunt. Idcirco Cæſare vim inferente barbari clamore deluper incurrentium perterriti, aliis ſubinde aliiſque collibus deturbantur: pars quæ eminentiſſimos, ſed aquarum inopes inſederat, obſidionem & ſitim verita, curſu ſe recepit Priamonem. Stratagemate circumventos opprimit.

XXXV. Eodem & Cæſar exercitum adduxit, oppidoque cum duobus collibus proximis, qui adhuc ab hoſte tenebantur, per ſpatium quinque ferme millium circumvallato, cum Teutino alio Duce Dalmatarum, obſeſſis ſuccurrere auſo conflixit; duplici prœlio geminam victoriam conſequutus. Nam & obſeſſi eodem tempore eruptionem in opera nondum commiſſa fecerunt. Sed & hi tertia ſuorum amiſſa parte, dum in oppidum refugiunt, aditum perſequentibus Romanis aperuerunt. Oppido capto, Dalmatis in aream fuga delatis, oppoſita eſt cohors una, quæ portas obſervaret. Ea circa quartam vigiliam eruptione ſubita turbata loco ceſſit: nec ultra profecerunt hoſtes, ſtatim occurrente Cæſare; & omni ope defecti poſtridie ſe dediderunt. At Cæſar cohortem decimatam per eam deinceps æſtatem hordeo pavit: ex centurionibus quintum quemque affecit ſupplicio. Priamonem capit. Suet. Aug. 24. 5 Dio.

XXXVI. Hunc ad modum capta Priamone Teutinum haud longe proſequuti victores. nam & fuga ſparſerant copias, & locorum fraudes timebantur: eo vehementius, quod inter duos arduos montes longa vallis inſidias Cæſari ſtructas texerat: eodem loco, ubi & antea Gabinius vexatus fuerat. Ideirco Cæſar incenſis circum villis aperuit viam: deinde per juga montium utrimque præmiſſa parte copiarum, quæ decurrere quandocumque ad auxilium laborantium poſſet, cum cætero exercitu inceſſit per vallem, obvia quæque diripiens, vicoſque & oppida vaſtans incendio. Cæterum præter Priamonem, etiam Nina oppidum, & Sinotium duplex (veteris ac novi cognominibus diſtinguebantur) & ipſa caput olim gentis Salona, conflagrarunt. Salona & alia oppida incenduntur. App. Hirtius de bello Alex. c. 42. Strabo lib 7.

XXXVII. Sed ad Setoviam magna occurrente hoſtium manu, aeriter pugnatum: & Cæſar dextrum genu lapide ſaucius per aliquot dies ægrotavit. Interea Salaſſi rebellant. Suet. Aug. 20. 2. & 21. 2. App. lib. 5. Civil. & Illyr. Strab. lib 4.

Salassi quoque sub imperium accepti: gens Inalpina, ingenioque & loci natura fera. Ideirtò & vectigalia posscebat à transeuntibus & publicanis aquam vendebat ad aurarias. ipsi quoque Valerio Messallæ, dum vicinis locis agebat, non nisi pretio accepto, ligna ad focum, & ad exercitationes ulmea hastilia præbuerunt. Sane non ita pridem Antistius Vetus aggressus nec opinantes, quum angustiis occupatis continuo biennio eos obsedisset, talis maxime inopia fatigatos, ad deditionem perpulerat. Sed insidiati occasionibus, quum munimenta Romanorum expugnassent; omnem deinde Veteris conatum irrisui habuerunt.

Sed à Messalla domantur. Strabo. Ann. Dio. lib 45.

XXXVIII. Sed & Cæsaris aliquando pecunias diripuerunt; & specie reficiendarum viarum atque pontium, è summis montium jugis, in vallum Romanum saxa devolverunt. Sed tum quidem ob L. Antonii bellum, Cæsar his indulta libertate veniam præteritorum dederat. At illi temporum causa hoc factum suspicati, neq; mansurum, ubi plus otii nactus Cæsar esset, non omiserunt alias adscisceré civitates in societatem, & abnuentes hostiliter invadere. Tum igitur Valerio mandatum id bellum est; isque magno labore ad famem redactos in deditionem accepit.

Antonius Artavasdem dolo capit Tacit. a 3. a. Plut. Ant. c. 67. Vell. 1. 82. 3. Zonaras.

XXXIX. Dum ita Cæsar cum variis gentibus decertat, Antonius expeditionem denuo suscepit in Armeniam: initoque eodem die & posito Consulatu, P. Sempronium Atratinum suffecit; unde quorumdam annalibus eo anno non Antonius sed Atratinus Consul præscribitur. Cæterum ut dolo Artavasdem caperet, viribus diffisus, amicitiæ specie offensas tegens, Q. Deillium misit, qui filiam ejus filio suo Alexandro conjugem peteret; multa & præclara pollicitus. Quin & ipse reversus in Armenios evocavit eum Nicopolim, nec destitit omnibus artibus sollicitare, literis atque sermonibus nihil nisi summæ benevolentiæ signum præferens. Nihil ad hæc moto Artavasde, quippe alia commeruisse memor, fidere non properabat ei quem offendisset; iterum ab Antonio Deillius adest cum blandissimis mandatis: nec eo segnius Antonius Artaxata tenditita Rex partim pollicitationibus adductus, partim metu legionum, quæ cum Antonio erant, in castra ejus venit.

Armeniam occupat. Dio. Oros. 6. 18. Zonar. Joseph. Antiq. 15. 5. Tacit a 3. a. Vell.

XL. Tum vero pecuniam sibi deesse simulans, neque libenter daturos Armenios, nisi pignoris loco Regem retinenti, circumduxit eum circum castella, quibus thesauros asservari noverat. Sed infructuosam ei hanc fraudem purpuratorum Regis constantia fecit. neque castellis traditis, & vicem capti patris Artaxiæ regnare jusso, qui maximus natu filiorum erat. Tum vero omissa penitus simulatione cathenæ sunt Artavasdi additæ, sed argenteæ, quibus videlicet vinciri Regem minus indignum haberetur. Ita bello contracto, quum subitus Rex Artaxias & patris insperato casu perculsis adversus prævalidum hostem, & in penetralia Regni receptū improspere dimicavisset, Armenia tota cum conjuge & aliis liberis Artavasdis in potestatem Antonii concessit. Artaxias in Parthos exsulatū abiit.

Antonii Triumphus Alexandrinus. Zonar. Dio. Appian. Parthic. Plutarch. Orosius. Joseph. Vell.

XLI. His ita gestis, ut ad reliqua belli locum sibi Medorum Regem adisceret, quem Armeniæ antiquitus hostem, eum Parthis nuper ex prædæ Romanæ divisione simultatem contraxisse cognoverat; ejus filiam suo filio despondit. Relictis deinde legionibus, quot Armeniæ tuendæ satis fore credebat, cum cætero exercitu Ægyptum repetit, Alexandriaque triumphans Romano more invectus est. Prælata sunt ingens præda, quam ex opulentissimo Regno rapuerat. Artavasdes ipse cum uxore liberisque & purpuratis ante currum incessit in cathenis aureis. inde prorsus ad Cleopatram deducti, quæ magna populi

multitudine circumfusa, in argenteo tribunali, sellaque aurea consederat.

XLII. Sed barbari, tametsi huic se dono dari, cum omni Regio instrumento intelligebant, non adorarunt eam, licet minis promissisque solicitarentur, nec aliter nisi nomine salutare sustinuerunt, memores magni se Tigranis progeniem esse; quæ res apud alios gloriam illis, odium apud Cleopatram, & ex eo magnas calamitates peperit. Nam in custodia fuit habiti, & sub Actiaci belli tempus Artavasdes interfectus est. Triumpho peracto, quum etiam epulum populo Alexandrino dedisset, in concione Græcorum adsumpta in argenteum tribunal Cleopatra liberisque ejus, hujusmodi orationem habuit. Artavasdes non adorat Cleopatram. Ioseph. Dio. Strab. lib. 11. Tacit.

XLIII. *Si nullum adhuc animi mei judiciique documentum habuissetis Alexandrini, proximum certe spectaculum ducti in hanc urbem Triumphi sufficere vobis potuisset. Decus enim atque lætitiam uni hactenus populo Romano exhiberi solitam, ad vos transferri beneficio meo vidistis. Deinceps igitur Alexandria quoque, tanquam altera Roma, triumphantes Imperatores accipiet; captivos videbit Reges, tantarum rerum voluptate, commodis, gloria decorabitur. Neq; vero me fecisse pœnitet, aut aliquid à me commissum arbitror, quod jure reprehendi debeat.* Antonii concio ad Alexandrinos.

XLIV. *Nec enim vel conditoris nomine, vel magnificentia oppidi, hoc honore indigna est Alexandria; & quod omnium primum est, Reginæ merito vel anteferenda omnibus. Hæc enim hac orta domo, penes quam per trecentos fere annos, nusquam interrupta serie regimen rei Ægyptiæ fuit, quum animi magnitudine, prudentia, industria nullo majorum inferior, pulchritudine vero ac vetustate fœminas omnes supergressa, complura virtutum suarum specimina edidisset: hoc inter alia maximum omnium atque palmarium opus confecit, ut Ægyptum imperio Romano indissolubili societate connecteret.* Cleopatram dilaudat.

XLV. *Atque etiam conatibus eius atque consiliis dii adfuerunt: nisi forte humana industria tantam parari felicitatem putavistis, ut duobus Romanis Imperatoribus C. Cæsari prius, deinde mihi nuberet. Hanc enim mihi uxorem esse deos hominesque omnes testor; neque nobilitas eius, neque virtutes patiantur, ut pellicis loco haberi cuiquam mortalium debeat. Sed neque Cæsari in deliciis magis quam in matrimonio fuit, & ego quem hoc scire propter familiaritatem Cæsaris maxime oportuit, tum ejus rei testis fui: tum etiam Cæsarionis hujus ab ipso agniti. idque non ego solummodo, sed C. Matius, sed C. Oppius, aliique Cæsaris amici sciunt. Quod igitur felix faustumque sit Senatui Populoque Romano, totique adeò Imperio, cujus & vos hanc spectandæ partis estis; Cleopatram tam pro dignitate sui generis, quam amplitudine virorum, honoribus afficere decrevi.* Quam suam uxorem esse & Cæsaris fuisse testatur. Liv. Epit. Dio. lib 49. Suet. Cæsare cap. 52.

XLVI. *Hanc igitur in posterum* Reginam Regum, *& hunc filium ejus Ptolemæum Cæsarionem*, Regem Regum *appellandum jubeo. neque vero hæc vocabula vel Imperatoris Romani uxorem, vel hunc unicum superstitem & verum D. Julii sanguinem dedecerant. Hos igitur Ægyptum Cyprumque semper à majoribus eorum possessas, Africam præterea, & Cœlen Syriam obtinere æquum est: ut meis hisce liberis ego prospicere debeo. Te ergo Ptolemæe Regem Syriæ, & quidquid regionum inter Euphratem atque Hellespontum mei juris est constituo. Tibi Cleopatra Libyam dono, quæ Cyrenes finibus adjacet. Alexander Armeniam habeat; & quæ trans Euphratem occupata occupandave nostris armis ad Indiam usque porriguntur;* Hi, Reginæ liberis, Regna distribuit. Dio. Plutarch. Anton. & 87. Liv. Epit.

His rebus Cæſar offenditur. Zonar. Dio. Sueton.

XLVII. Tum vero novi Reges ex humilioribus, quæ poſitæ ipſis fuerant ſedibus progreſſi, Antonium Cleopatramque aureis ſedentes thronis, hanc etiam cum novæ Iſidis nomine, ſtolam ejus deæ geſtantem venerati ſunt. Diſcedentes inde Alexandrum Armenii ſtipatores circumdedere, Medico cultu tiaraque recta & cidari conſpicuum: Ptolemæo crepidas, cauſiam & chlamydem ac diadema habenti Macedones apparuerunt. Hæc tam fatua non Alexandriæ modo dicere & facere illum, ſed ne Romam quidem perſcribere puduit. Cæterum à Conſulibus occultatæ ſunt literæ, quamquam produci eas Cæſar, vanitatemque æmuli ſui cunctis innoteſcere valde cuperet. Multis enim nominibus offendebatur. in ſuam invidiam attolli Cæſarionem ſentiebat; Artavaſdis quoque caſu, quo cum adverſus Antonium conſilia miſcuerat, & Antonii Triumpho, dolorem & miſericordiam & invidiam percipiebat.

Antonii literæ ad Senatum. Appian. Parthic. Zonar. Dio.

XLVIII. Sed & literas ad eum contumelioſas Antonius ſcripſerat, adulteria objiciens, ſibique legitimam uxorem Cleopatram eſſe. Sed neque populus ereptum Urbi honorem Triumphi, communicatumque cum Alexandrinis, parum indignanter tulit: & ſuper tot alia immodica præmia, hanc etiam ſtupri mercedem Cleopatræ dari. Hæc quum ita ab ſe acta, ab cæteris accepta ignorare Antonius non poſſet: ſcribere ad Senatum ſuſtinuit, *paratum ſe abire magiſtratu, graviorem diuturnioremque poteſtatem habenti, quam in libero populo eſſe oporteret, ſublata quæ hæc expreſſiſſet neceſſitate*. Neque vero hoc eum animo ſuo deſtinaverat; ſed invidiam Cæſari quærebat, quem exiſtimabat, quod ad Urbem eſſet, primum de abdicando compellatum, aut obſequendo potentiam, aut obnitendo ſtudia civium amiſſurum eſſe. Cæterum hæc quidem conſilia vana fuerunt.

Triumphi honor vulgatur. Vell. 2. 87. 1. Nomm. apud Pigh.

XLIX. At in Urbe ludos Veneri Genitrici fecerunt ſuffecti Conſules Paulus Æmilius Lepidus, C. Memmius, qui ex Kalendis Juliis inierant. In eodem Conſulatu ſuo Æmilius porticum Pauli appellatam privatis impenſis perfecit. Eodem anno Conſulatum & M. Herennius geſſit ex Kalendis Novembribus. Multi per id tempus quum in imperiis non ampliſſimis fuiſſent, Triumphum à Cæſare, alii ab Antonio impetrarunt: eoque prætextu auri coronarii nomine provinciis fuerunt graves. Quorum C. Norbanus C. F. T. N. proconſule ex Hiſpania triumphavit A. D. IV. Idus Octobr. de cujus geſtis prorſus nihil reperio. At vero T. Statilius T. F. Taurus, P. Soſius C. F. T. N. Africa & Judæa pacatis, ille A. D. Pridie Kal. Jul. hic III. Nonas Septembr. non ſine cauſſa triumpharunt. Inter alias antiqui moris ruinas adnotatum eſt, ſub id tempus pueros impuberes à Cæſare præfectos Urbi fuiſſe Latinis, ne Senatorii quidem eos generis, ſed Equitum Romanorum filios. Anno ſequenti Cæſar ſecundum inito magiſtratu, quem collega Sex. Pompeio gerere debuerat, hoc interim occiſo, L. Volcatium Tullium adſcivit. Ipſe, quum mane pro æde Capitolini Jovis paululum curuli ſella præſediſſet, honore abiit, quem gratificari pluribus cupiebat. Eam veriorem cauſſam eſſe arbitror, quam quod exemplum ſequutus Antonii fuerit. quippe convenerat, *ut hic & Sextus per amicos quos vellent, magiſtratum gererent; quod abfuturi toto eo tempore videbantur*. Suffectus eſt in locum Cæſaris P. Autronius, ſtatimque magiſtratum occepit. Sed Ædilitatem jam pœne neglectam M. Agrippa ſuſcepit ultro, quo Cæſari ſibique populum ludorum & operum magnificentia conciliaret.

Urb. cond. an. 720. Agrippæ Ædilitas. Suet. Auguſt. c. 26. Dio. Appian. lib. 5. Civil. Plin. 36. 15. Strab. lib. 7.

L. Omnia enim ædificia publica, viásque omnes sua pecunia refecit: aquæductus Appiæ, Marciæ, Anienis, pœne dilapsos emendavit: Juliam à quindecim passuum millibus duxit, opere supra terram passuum VII. M. substructione passuum DXXVIII. reliquo opere arcuato. Salientis centum quinque, castella centum triginta, complura etiam cultu magnifica; operibus iis signa trecenta ærea aut marmorea impositi, columnas ex marmore quadringentas. neque ulla ferme domus extinde Romæ fuit, quin sufficientem haberet ad omnia aquam. Et opera publica.

LI. Cloacarum etiam à Tarquinio Prisco structarum maximum ac firmissimum opus, corrivatis atque per meatus immissis septem amnibus, qui torrentium modo rumperent ac auferrent omnia, sic expurgavit Agrippa, ut per eas subturbana navigatione in Tiberim pervehi non dubitaverit. In Circo ne multitudo metarum erroris causam ultra præberet hominibus, delphinas ac ova, quæ vocant, designandis curruum conversionibus posuit, ludos omnis generis editurus. Inter quæ Cloacarum Plin.

LII. Nam ut ipse in Ædilitatis suæ commemoratione scripsit, ludos fecit diebus undesexaginta gratuita, præbuit balinea, centum septuaginta toto anno, ludis etiam tonsores conduxit sua pecunia, ne quis de populo sumptus in eos faceret. Induxit & Senatores largitionibus, ut Trojanis Circensibus, quos pueri majores minoresque ludere consueverant, filios suos noteſcere paterentur. Tesseras etiam in Theatro ex superiore loco misit, quas referentibus pecunia, aut vestis, aut aliud quid daretur. Sed & rerum variarum copiam redemptam ab institoribus, diripiendam populo proposuit. Liberalitas in P. palumbum. Dio. Suet. Aug. c. 43

LIII. Mox ad severiores curas conversus Mathematicos (sic vulgo tum Astrologos vocabant) & Magos Urbe expulit: quos inter & Anaxilaus Larisæus Pythagoricus fuisse creditur; nullo maleficio, sed quibusdam ab arte medica miraculis apud ignarum vulgus *Magi* appellationem meritus. Interea Cæsar iterum profectus in Dalmatas, jam à Statilio Tauro, quem eo præmiserat, fame fatigatos & propemodum domitos offendit. Nec diutius dilata deditio est. obsides septingentos ex principum liberis dederunt: signa restituere Gabinio Vatinioque olim adepta, & tributa persolvere ab eo tempore, quo Cæsari patri promiserant, coacti. Mathematici pelluntur Vrbe. App. Illyr. Liv. Epitom. 132.

LIV. Traxit ea ruina Derbanos etiam conterminam gentem, paribusque conditionibus in potestatem illi venerunt. His manubiis Cæsar porticum Octaviæ, appellatam sic à nomine sororis, extruxit, ibique recepta ab hostibus Romana signa appendit. Mox etiam insignis Bibliotheca collocata ibidem est, sive Augustus eam, sive quod Plutarchus scribit, memoriæ filii sui Marcelli causa, Octavia dedicaverit. Sub idem tempus, quum Senatores quidam latrocinii arguerentur, obrui potius eam fœdam ordinis notam, quam fontium vindicari culpam placuit: edicto proposito, ne quis Senator postea hoc crimine postularetur. Bibliotheca in Octaviæ porticis. Dio. Appian. Sueton. Plutarch. Marcell.

LV. Sic & qui tum erant rei exempti, & quibusdam aliis ostensa in posterum prædandi impunitas. In numerum patriciorum, qui frequentibus bellis exhaustus erat, plebeii quidam collecti sunt Senatusconsulto. Magistratus etiam variæ habiti mutatique. Ex K. Mai. L. Flavius Consulatum iniit; ex Kal. Jul. C. Fonteius, M. Acilius. Kalendæ Septembris L. Vinucium Consulem, Octobres L. Laronium produxerunt. L. Asyllius (sive fortassis Aselli fuit) quum diuturno morbo vexatus Præturam deponeret, filium suum successorem accepit: in alterius cujusdam locum, qui erat extremo anno mortuus, alius paucas in horas suffectus est. Dum ista Magistratus variæ mutati. App. Zonar. Plutarch. Anton. c. 88.

Romæ gerantur, M. Antonius nunciis & literis Mediæ Regis excitus, prolixe offerentis omnia, magnam in spem venerat, conficiendi Parthici belli, si sagittariorum, equitumque tantùm numerum legionibus suis adjunxisset. Id enim præcipue defuisse nuperis conatibus intelligebat.

Octavia ad Antonium navigat. Dio.

LVI. Interea nunciatur Octaviam ab urbe digressam ad virum navigare. id concesserat petenti frater, semper indulgens, & hunc etiam prætextum belli favorabilem in vulgus habiturus, si quod rebatur, despecta ab Antonio & contumelioſe tractata fuisset. Nec fefellit eum coniectura: vix Athenas appulerat mulier, quum Antonii literas accipit, ibidem jubentis exspectare, donec ab expeditione Parthica rediisset. Illa licet ægre ferens hæc mandata, misit tamen quemdam ex familiaribus Antonii, Nigrum nomine, qui multam vestem militarem, jumentaque & pecunias, tum amicis atque ducibus Imperatoris dona doceret deportasse: præterea lectorum virorum in Prætoriam cohortem impetrata à fratre millia duo cum insignibus armis, & equitum alam.

Sed ille artibus Cleopatræ. App. Plutarch.

LVII. Hæc ubi Antonio expoſuit Niger, multas identidem & meritas laudes præstantissimæ matronæ intermiscens; omnes artes adhibere Cleopatra cœpit, ne quem occupaverat, loco depelleretur. Igitur amore Antonii deperire simulans, venientem velut stupente obtutu excipiebat; abeuntem liquentibus & languidulis ocellis prosequebatur. sæpe flens videri affectabat, sed tanquam abscondere cupiens lachrumas, celeriter & furtim abstergebat. Id maxime faciebat in Syria, unde in Armenios proficisci Antonius constituerat.

Fascinatus bellum in Cæsarem molitur. App. Plutarch. Dio.

LVIII. Hæc amatoria veneficia vocibus adsentatorum ejus, familiarium Antonii juvabantur; *hominem durum atque crudelem* appellitantium, *qui talem fœminam ad mortem desperatione adigeret. Nec enim sine illo victuram. prorsus indignam eo fato, quæ nomen conjugis Octaviæ retinente, vel pellicem Antonii se vocari, Regina tot populorum non dedignaretur.* Fascinatus his Antonius, in tantum animo relanguit, ut Medo nequidquam occasionem urgente, donec Parthorum dissidia faciles præberent invadentibus, protinus Alexandriam reverteretur: æstatem opperiendam esse referibens. Tum quoque vix ad Araxem progressus est; quum irritatus Cæsaris actionibus de bello adversus ipsum suscipiendo, cœpit cogitare. Cujus hæ proximæ fuisse causæ feruntur. Ut Octavia relicto in pellicis amplexibus marito Romam irrita rediit, Cæsar jam ad se commigrare jusserat.

Octaviæ dicta & facta laudabilia.

LIX. Illa tamen non quotidiani exempli mulier, oravit, *ut se remanere in domo viri pateretur.* Eadem obtestata fratrem est *ne propter se bellum Antonio faceret, nisi maioribus caussis impelleretur: decorum enim neutri fore; si mulierum caussa bello civili rem Romanam involvisse dicantur.* His dictis facta etiam laudabiliora adiecit. Antonii liberorum, non modo quos ipsa, sed etiam quos ei Fulvia pepererat, curam egit: amicorum eius desideria, quos honorum potendorum, aut aliarum rerum gratia Romam mittebat, apud Cæsarem enixe juvit: nullaque re optimæ uxoris officio decsse visa est. At sic invita nocebat Antonio, cui populus irascebatur talem fœminam negligenti; jam ob cætera quoque facinora caussæ illius iniquior.

Cæsaris & Antonii mutuæ criminationes. Dio. lib. 50. Plutarch.

LX. Sæpius enim Triumphum ejus Alexandrinum, divisionesque Regnorum, & *cætera* incivilia Cæsar in Senatu & ad populum traducere solebat.

Nec

Nec Antonius recriminari oblitus eſt: miſſis qui quererentur *victo Pompejo, exacto Lepido, omnia unum retinere Cæſarem: eadem arrogantia ſuis cum veteranis pœne totam Italiam diviſiſſe, nullo reſpectu eorum, qui cum Antonio militarent. Sed & ex deſectibus, quos Cæſar in Italia habuiſſet, dimidiam militum partem ſibi deberi* præferebat.

LXI. Cæſar ad ea cavillabatur, *Sextium & Lepidum jure à ſe coërcitos; nec omnem abnuere ſe partiri bello parta, ſi Ægyptum ſecum Antonius, ſi Armeniam dividat. Nam quod militibus ſuis colonias in Italia queratur non dari, habere eos Mediam & Parthos, ſatis amplas regiones, ſua nimirum & Imperatoris ſui virtute quæſitas.* Nec Pompeii mentione abſtinebat; *quem à ſe dimiſſum, Antonius crudeliter occidiſſet. Ab eodem Artavaſdem fraude captum in vinculis attineri, ſumma cum Romani nominis infamia.* Præcipue *Cleopatra* exagitabatur; *liberiſque ejus donatus Oriens, & inſertus in Juliorum gentem Cæſario.* Cleopatræ exprobratur Antonio. Dio. Plutarch.

LXII. His aliquotics ei per partes objectis invicem purgatiſque, magis magiſque accendebantur, neque jam legati concordiæ cauſſa, ſed ut alter alterius exploraret conſilia, mittebantur. Donec Antonius non ultra differendum putans, ſocietatem cum Rege Medorum in has leges junxit, *ut ab eo contra Cæſarem acciperet auxilia, contra Parthum ei daret.* Sic abductis ſecum Medis equitibus atque ſagittariis, partem legionarii militis apud eum reliquit, parte etiam Armeniæ recens pacatæ eidem conceſſa. Filiam quoque Regis Jotapen, admodum puellam, Alexandro deſponſam, una cum militaribus ſignis, quæ Statiani pugna amiſſa fuerant, deportavit. Polemoni qui pararius pacis ejus fuerat, præmii loco minor Armenia conceſſa. Hæc amicitia exitioſa Medo fuit. quippe poſt felix contra Parthos & Artaxen prœlium, quum Romanos milites avocaret Antonius, Regios non remitteret; vim hoſtium ferre non potuit: fuſuſque & captus occaſionem Parthis, Armeniam ſimul Mediamque recipiendi præbuit. Antonii fœdus cum Rege Medorum. App. Parthic. & Dio. Plutarch.

LXIII. At Romani maxima præda aucti diſceſſerunt, Armeniorum opulentiſſimo Regno ſpoliato, direptiſque etiam ſanorum opibus. Anaitidis delubrum erat, cæteris religioſius cultum, eoque donariis dives. Id diripuit Antonii miles, & inter cætera ſtatuam auro ſolidam, etiam antiquitate venerabili, concidit. Nec omiſerim referre ſtultam pietatem mendaciis tueri cupientium à numinibus proditam ſacrorum ſuorum exiſtimationem. *eum qui primus violaſſet id ſimulachrum, oculis membriſque captum expiraſſe* vulgarunt. Sed veteranus quidam, quum paucis poſt annis Auguſtum excepiſſet convivio Bononiæ, effetque illata fabulæ hujus mentio; *ſe illum eſſe reſpondit, & de cruce numinis cum maxime cœnare Cæſarem, ſibique omnem ex ea rapina cenſum eſſe.* Anaitidis delubrum direptum. Strab. lib. 11. Plin. 33.

FINIS LIBRI CXXXI.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXXXII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CÆSAR in Illyrico Dalmatas domuit. Quum M. Antonius ob timorem Cleopatræ, ex qua duos filios habebat, Philadelphum & Alexandrum, neque in urbem venire vellet, neque finito triumviratus tempore Imperium deponere, bellumque moliretur, quod urbi & Italiæ inferret: ingentibus tam navalibus quam terreſtribus copiis ob hoc contractis, remiſſoque Octaviæ ſorori Cæſaris repudio, Cæſar in Epirum cum exercitu trajecit. Pugnæ deinde navales & prælia equeſtria ſecunda Cæſaris referuntur.

Legati Romani ad Antonium. Plutarch. Dio.

INTER hæc Antonius Canidio cum ſedecim legionibus ad mare præmiſſo, occurrentem Cleopatram excipiens, Epheſum eum ea perrexit, ibi contracturus claſſem. Hæc audita Romæ Cæſarem Patreſque moverunt, ut legatione miſſa, in urbem eum revocarent; inter præſentes facilius diſceptari controverſias rati: mox ire abnuentem, *finito jam Triumviratus tempore, ſicuti nuper promiſiſſet, deponere magiſtratum* juberent. Interim Kalendis Januariis novi Romæ Conſules ineunt Cn. Domitius Cn. Dom. F. Ænobarbus C. Soſius C. F. quorum Domitius civilium certaminum experientia cautior, modeſtius agebat: alter nullis dum conflictatus infortuniis, primo ſtatim Senatu multa cum laude Antonii Cæſarem arguit: tendebatque ut Senatuſconſultum rationibus ejus perquam adverſum fieret, ni Nonius Balbus præſcriptione Tribunicii nominis interceſſiſſet.

Urb. cond. ann. 721. C. Soſius Conſul Cæſari adverſus.

Conſules ad Antonium abeunt.

II. Aberat tum conſulto Cæſar: nolens ſe præbere altercationibus, quibus neque cedere, ſine dignitatis imminutione poſſet; & ſi quidem imperium inhiberet, inchoare bellum videretur. Etiam ad omnia maturius penſitanda ſpatium petiſſe videbatur: quo prudenter uſus, ſimul reverſus Romam eſt, convocari Senatum juſſit. *Eo tempore præter militare præſidium, amicis etiam pugiones ſub veſte geſtantibus, in medio Conſulum curuli ſella ſedentem, multa pro ſe ſuiſque actis modeſte locutum* tradunt: *flexit ſe deinde ad Antonii accuſationem, præſentiſque Conſulis, quibus plurima ac gravia contra ſe & Rempublicam commiſſa objectabat.* Quum ad hæc ſilentium pertinax omnium eſſet, *eadem ſe ſcripto comprehenſurum* ait, *& certa die, in quem Senatum iterum habere volebat, recitaturum.* Tum Conſules non exſpectata die, quod tacere ad talia tam indignum ipſis, quam obloqui intutum videbatur, ad Antonium profecti ſunt: multis Patrum hoc exemplum ſequentibus.

III. Sed Cæſar, ne propter ſuam aliquam injuriam ab his deſertus putare-

Consules a Antonium profugi.

tur, à ſe ſponte dimiſſos credi maluit: quoque faceret fidem, *aliis etiam indulgere ſe* dixit, *ad Antonium proficiſci cupientibus.* Ita diſcedentibus ex Urbe propinquis ejus amiciſque, C. Aſinius Pollio, qui poſt Brunduſinam pacem rebus Antonii miſceri deſierat, in Italia manſit. idem neque Cæſari deinceps roganti *ut ſecum ad bellum iret*, obtemperavit, *mutua cum Antonio beneficia* excuſans, *neque ſe interpoſiturum armis, & prædam futurum victoris.* At Domitius quum Antonium Epheſi conveniſſet, hortari cœpit, *ut Cleopatram nihil aliud quam impedimentum belli futuram, in Ægyptum remitteret.* nec aliis amicorum ea ratio diſplicebat. At Cleopatra metuens, ne ſi uſquam diſcederet, iterum pararia pacis pignuſque Octavia fieret, Canidium induxit ingentibus præmiis, ut ab ea mente Antonium revocaret.

Aſinius Pollio neutri ſe addicit. Suet. 27. 3. Dio. Vell. 2. 86. 3. Plutarch. Ant. c. 73.

IV. Atque ille ſpecioſo obtentu negavit *æquum videri quaſi per ignominiam hanc removeri à bello, quæ ducentas naves, viginti millia talentorum, & præterea commeatum in omnes copias præbuiſſet. neque vero ex uſu eſſe alienare animos Ægyptiorum, non contemnendam efficientium maritimarum virium partem. Sed & alioqui* negabat *videre, cuinam illa ſociorum Regum prudentia concedat: ingenio ſolers, uſu perita, quæ tantum Regnum longo tempore ſola gubernaſſet.* Hæc oratio apud mulieroſum hominem, & vitiorum ſuorum advocatis faventem valuit: unaque Samum profecti, coactis undique ſcenicis artificibus, & quicumque ludis operam præſtare ſoliti erant; inter compotationes epulaſque tam fœdo luxu ſolvebantur, ut vulgarentur ſermones mirantium, *quales igitur hi poſt victoriam eſſent futuri, qui tam bilariter, & profuſe, inter comparandam genio indulgerent.*

Antonii luxus inter apparatum belli.

V. Sed Antonius Bacchicis artificibus data ad habitandum Priene, Athenas inſtituit curſum. Ibi renovata ludorum atque conviviorum eſt intemperantia; & Cleopatra, ne minoribus ibi honoribus afficeretur, quam acceptam eſſe Octaviam audiverat, Athenienſes multis muneribus coluit. Idcirco jam à multis ætatibus ſummus potentiorum adulator populus, immodicos ei honores decrevit. id plebiſcitum inter primores oppidi Antonius etiam, civis Athenienſis ſcilicet, ad Reginam detulit, orationemque habuit nomine civitatis. Tum vero non diutius ſuſtinere potuit, quin repudium Octaviæ mitteret; *eamque ſuis ædibus* juberet *excedere.* Illa plorans & lamentabunda *ſe quoq; inter cauſſas belli eſſe*, exivit; ne tum quidem cura depoſita privignorum, quos una ſecum eduxit, præter maximum natu, qui profectus ad patrem fuerat.

Octaviæ repudium. Hiſt. Miſc. 7. 7. Plutarch.

VI. Triſte ſpectaculum id populo fuit: neque illam modo miſerabantur, ſed Antonium magis, qui talem uxorem amens dimitteret in Cleopatræ gratiam, quę ne forma quidem, qua una niteretur, aut ætatis flore Octaviam vinceret. At luxus & tarditas Antonii magno metu Cæſarem liberavit; ne imparatior ordiri bellum cogeretur. nam Antonii ſciſcitantia ſpatium ei dedit, & cogendi pecunias ab invitis, & placandi ſpoliatos, quorum dolor inter exigendum acerrimus, ubi dediſſent, modico interpoſito tempore mitigabatur. Dum hæc aguntur, velut in ſolatium Urbe excedentium, Fortuna Cæſari quoſdam illuſtres ex cohorte amicorum Antonii reſtituit. Inter quos L. Plancus qui fuerat in turpiſſimis adulatoribus Cleopatræ, propter vocem Antonii jactam in convivio, qua ſibi rapinas exprobrari ſenſerat; ad Cæſarem transfugit: eumque paulo poſt M. Titius, ſocore Planci genitus, imitatus eſt.

Plancus & Titius ab Antonio ad Cæſarem tranſiêrt. Dio. lib. 50. Velleius.

Et ei Antonii teſtamentum producunt. Plutarch. Dio.

VII. Sed ii cauſsam defectionis hanc ediderunt. *Antonium actione Cæſaris, poſt diſceſsum Conſulum, de ſcripto recitantis ejus facinora irritatum, amicorum conciliũ eoëgiſſe; ibique multis in utramq; partem diſputatis, bellum repudiata Octavia decreſſe. Ejuſmodi conſultis, & Cleopatræ tædio, mutaſse partes deteriores melioribus. Nam & ſigillatos à Regina eſse, quod Antonio conſilium remittendi eam in Ægyptum dediſſent.* Cæſaris non interfuit, quibus quiſque cauſſis diſceſſiſſet, opportunitate hominum uſus eſt, qui acta ſecretiſſima & abſtruſa conſiliorum Antonii noverant. Iidem teſtamento adhibiti teſtes, judicium ejus Cæſari prodiderunt. nec ille conquievit, priuſquam repertum reſignaret; nec in Senatu tantum, ſed etiam in concione populi recitaret.

Quod recitatum Antonio populi odium creat. Tacit. 5. 8. 1. Hiſtor. 1. 76. 4. Suet. Aug. 17. 2 Plutarch. Dio.

VIII. Apud Veſtales, uti conſueverant, depoſitum fuerat: & negabant illæ *tradituras; ne venienſ ipſe auferret, non poſſe prohibere.* nec piguit ire, & quo inimicum premeret, facinus committere pleriſque culpandum. *Sed & tunc fuiſse ferunt, quibus res prorſus indigna videretur, aliquem in vita eogi rationem reddere eorum, quæ poſt mortem fieri voluiſſet.* Cæterum ea ſcripſerat Antonius, quæ Cæſari non modo conficerent apud pleroſque inhumaniſſimi facti veniam, ſed ipſum quoque inexpugnabilibus hominum odiis oneraret. Legebatur ibi juſtis Cæſaris & Cleopatræ nuptiis editus Cæſario: tum ſuis ex eadem liberis infinitas dabat opes: nec minus offendebat, quod *etiam ſi Romæ fuiſſet mortuus, corpus ſuum Alexandriæ & in eodem cum illa conditorio humari* jubebat.

Quod Antonii familiares conantur avertere. Dio. Plutarch. Cic. Famil. 10. 26. Vell. 2. 84.

IX. His infenſi cęteris etiam facilius adhibebant fidem, inter quæ C. Cluvi. s. *donatam Cleopatræ Pergamenam bibliothecam* dabat crimini, *quæ ducenta mill. a ſimplicium voluminum habuiſſet, itemq; amatorias nugas ſeriis negotiis immixtas, & ſæpe prælatas: relictum in gravi cauſſa C. Furnium notæ dignitatis & eloquentiæ, ut lectica per Forum delatam Cleopatrã Imperator Romanus fatellitis inſtar deduceret.* Sed Antonii familiares hęc quidem pro fictis & falſis rejectabant; populum deprecantes; *ne quid immedicabile properanter ſtatui paterentur.* Quin & Plancum multa in Senatu gravia objicientem Antonio, Coponius vir Prætorius acri voce repreſſit; *multa ſcilicet perperam feciſſe Antoniũ* dicens, *pridie quam à Planco relinqueretur.*

Et miſso Geminio ipſum admonere temporum. Plutarch.

X. Miſerunt etiam è numero ſuo Geminium in Græciam, qui rerum Urbanarum ſtatum Antonio, & imminens ei periculum exponeret. *id enim agi, ut adempto imperio hoſtis judicetur.* Geminius, ubi ſe propter Cleopatræ ſuſpiciones, Octaviæ cauſſa veniſſe putantis rejici atque etiam in convivio propterea ſede minus honorata collocari, cavilliſque ſubinde peti ſenſit; cauſſam adventus ſuper cœnam rogatus, *cætera quidem non niſi ſobriis agenda* reſpondit: *unum ſe etiam in vino præclare ſcire, omnia recte habitura, ſi remiſſa domum Cleopatra foret.* Excandeſcente ad hæc verba Antonio, *gratias ſe agere Geminio* Cleopatra dixit, *qui ſine fidiculis iſta eſset confeſsus.* Hinc ille non ignarus quanto cum periculo iſthic degeret, proxima adrepta opportunitate Romam refugit.

Antonio Conſulatus abrogatur. Juvenal. 10. Dio. Plutarch.

XI. Alios etiam Antonii amicos Cleopatra & ejus adulatores expulerunt: in iis M. Silanum, quem poſtea Auguſtus Conſulatus ſui collegam optavit. *Se quoque mox fuga vitaſſe inſidias, quas indicio Glauci medici cogniſſet,* Q. Deillius in hiſtoriis retulit; offenſa Cleopatra quod Deillius *ſibi atque cæteris vappam miniſtrari* ſuper cœnam jecerat; *Sarmentum* (is propter facetias in deliciis erat Octaviani) *Romæ Falernum bibere.* His modis effectum eſt, ut etiam amicis

Antonii diverſam in ſententiam tranſductis, omnium conſenſu Conſulatus olim deſtinatus, ſimulque poteſtas omnis, quam videretur in mulierem tranſtuliſſe, abrogaretur. ne & hoſtis judicaretur, illuſtribus viris datum, quos tum adhuc apud ipſum commorantes pari ſententiæ aſperitate feriri oportuiſſet: quos allicere benignis atque blandis rationibus cupiebant. Igitur & præmia decreverunt laudationeſque relicturis Antonium: & Cleopatræ bellum propalam indixerunt.

XII. Ad ſaga tum itum: & ſolemnes bello ſumendo cærimonias in æde Bellonæ fecialis Cæſar peregit. Tum quo animus amplior omnibus eſſet, in hunc ſenſum verba feciſſe dicitur: *Quamquam miſerrima & ſit & cenſeatur civilis belli conditio; tamen ea tempora inciderunt, ut dubitem, an non potius optandum illud fuerit, quam ut adverſus mulierem, & ſi recte rem penſitamus, ne ipſam quidem, ſed viliſſima ejus mancipia induere arma cogamur. Nam illi quidem ſuum foventi Antonium vix cogitatio præter hanc ulla libera erit. eunuchus Mardio & Pothinus exercitum ducent; ſignum pugnæ tradabunt tonſtrix Cleopatræ, & Charmium. nam de Antonio pudet! ſed tamen tam metuendum nihil, quam ſperandum eſt. olim ille mentis inops, & pharmacis potionatus arbitrium ſui perdidit.* Cæſaris oratio de Bello civili. Plutarch.

XIII. *Niſi forte putetis ſuæ poteſtatis fuiſſe, quum Alexandrinus ipſe Gymnaſiarcha, Cleopatram Reginam ac dominam ſalutavit: quum eam in Foro, inter ludos, in judiciis, in tranſvectionibus equitum ſecum perpetuo habuit: quū vino & amore ſaucius, inter eunuchos currū Reginæ pedes ſequutus eſt: quum aureū baculum tenens, acinace cinctus, purpura gemmiſque externum in morem exultus, in aureo lecto, aureaq; ſella curuli diadematus præſedit. Jam cætera quis prorſus indignitate ſatis exſecretur? Romani milites Ægyptiæ apparent: mulieris hujus nomen inſcriptum ſcutis præferunt: & ſi quæritis, quis exercitui præſit, nō Prætorium in iis caſtris, ſed Regia vocatur: nec Antonii, ne fallamini, ſed Cleopatræ imperium eſt. Si tamen Cleopatram vocari, non lunam potius & Iſidē fas eſt: nā hæc nomina imponit ei furioſus amator, non mehercule ſtolidius, quā quod ſe Dionyſium, ſi diis placet, & ne parum Ægyptius videatur, Oſiridem appellat.* Antonii obſequia Cleopatræ præſtita traducit. Dio. Senec. Epiſt. 83. Florus. Serv. ad Virg. Æneid. 8.678.

XIV. *Iiſdem veneficiis contactos amicos ejus putes: qui itidem ab hac Circe quælibet in monſtra mutari patiuntur; & quum in convivio ſaltatur, quos illa juſſerit, aut homines aut dii fiunt. Hi non modo, rem noſtris moribus turpiſſimā, verſari in caſtris fœminam, ſed imperare vident: hi tanta Romani nominis opprobria ſiccis oculis adſpiciunt: hi applaudunt quum Imperium noſtrum amentiſſimis donationibus concerpitur; quum alibi rapiuntur patrimonia Regum, alibi prodiguntur; quum fœdiſſimum gulæ certamen, non profuſis tantum dapibus, ſed inaudito hactenus luxuriæ ingenio una ſorbitiuncula cenſus gentium mergit.* Ejus ſimiles ei amicos. Vell. 2. 82. 3. Serv. Macrob. Saturnal. 3. 17.

XV. *Centies ſeſtertium fuiſſe margaritam, quam nuper illa vorago hauſiſſe in aceto dicitur, fama non dubitat. Inter hanc licentiam vitiorum, & hanc fœditatem adulantium, quid mirum eſt, ſi eouſque muliebris exceſſit temeritas, ut pretiū obſcæni conjugii Romanū imperium petat, & per jura quæ ſit in Capitolio datura, jurare conſueverit. Hæc etiam auditu vobis gravia eſſe animadverto; ut mihi certe dicta ſunt. Sed quemadmodū omen iſtud procul à nobis patriaq; abeſſe volumus; ita neceſſum eſt, ut armis atque manibus, ſummaque rerum ope, & ſi aliter nequeat,* Cleopatra per jura, quæ datura ſit in Capitolio jurato. Florus. Propert. 3. 9. Eutropius. Ovidius Metamorph. 15. 827. Dio.

vel nudi corporis ob jactu, hanc pestem atque hoc nefas abarceamus. Hæc & similia loquutus, non tamen institit, ut Antonio bellum indiceretur. præstare credebat, si hominem Cleopatræ penitus addictum in eam invidiam conjiceret, ut externæ Reginæ causa contra patriam civesque nulla te læsus arma corripuisse videretur.

Vires Cæsaris & Antonii. Plut. Anton. cap. 59. Suet. August. 17. 4. Dio.

XVI. Maximum id civilium omnium, atque externorum etiam bellorum populo Romano fuit. Galliam omnem Hispaniamque, & excepta Cyrenaica Africam, Illyricum etiam & insulas Occidentis Cæsar trahebat. Sed & Italia publice pro partibus ejus conjuraverat. quo tempore necessitatis ejus gratiam Bononiensibus fecit, propterea, quod antiquitus in Antoniorum clientela fuerant. At Antonium, quidquid per Asiam Romanæ ditionis erat, Thraciæque populi, & cum Græcis Macedones, ad Illyrios usque & Jonium mare, Ægyptusque & Cyrene, cum adjacentibus insulis, sequebantur. Reges quin imo atque Tetrarchæ, socii Romanorum, aut finitimi saltem omnes auxilia mittebant. Igitur navium haud minus quingentis coëgerat; in his multas quæ octo, vel etiam decem remigum ordinibus agebantur, non ut in bellum magis, quam pompam & ostentationem armatæ. Pedestres copiæ centum millia militum, duodecim equitum continebant.

Reges auxiliares Antonii. Joseph. Antiq. 15. 6. Dio.

XVII. Reges etiam ad commilitium venerant ex Africa Bogus, ex Asia Tarcondimotus Ciliciæ Rex, Archelaus Cappadociæ, Paphlagoniæ Philadelphus, & Commagenes Mithridates. His Europa Sadalem à Thracia junxit. Amyntas & Polemon alios pro se duces ex Gallogræcis & Ponto miserunt. Sed neque Nabathæorum atque Judæorum auxilia defuerunt; quamquam dolo Cleopatræ commissis bello Regibus. Tantaque fuit utriusque contentio, ut jurejurando milites adstringerent; atque Antonius suis vicissim obstringeretur, *in caput suum* exsecratus, *si aut pacem cum hoste faceret, aut confecto bello amplius bimestri potestatem retineret, Senatui Populoque Romano cuncta traditurus*.

Cæsar militibus nummos dividit. Liv. Epitom. Dio.

XVIII. Atque id, licet ab ejus proposito plurimum abhorrebat, tamen vix à se passus est multis precibus impetrari, *ne imperium ante sextum à bello mensem deponeret*. Nam victoriæ quidem, æstimatis Cæsaris suisque viribus, maximam spem conceperat; numero militum, equitum, navium longe superior: & pecuniis, quibus abundabat, corrupturum se sperans Cæsaris præsidia. quarum rerum causa magnas summas circum quaque, sed maxime in Italiam atque Urbem ipsam mittebat. Unde Cæsar intentiores ubique custodias disposuit, militibusque suis, ne alienam liberalitatem respicerent, nummos divisit. Quum inter tantos utrimq; apparatus imminentium malorum gravis expectatio, variis hominum indiciis atq; sermonibus differretur, etiam prodigiorũ atroces minæ metũ auxerunt.

Prodigia. Joseph. de bell. Jud. c. 1. 19. Plut. Ant. c. 11. Dio.

XIX. In Urbe simius fanum Cereris ingressus, inter sacrificandum omnia confuderat: bubo ex Concordiæ templo, ad omnia præcipuæ religionis delubra circum volans, quum undique expelleretur, postremo in æde Genii publici consedit: neque captus est, & fero ex conspectu hominum discessit. Thensa Jovis ludis comminuta est. In Judæa terræ motus ingens infinitum animalium numerum & hominum triginta millia absorbuit. Pilaurum, quam ad Adriaticum Antonius coloniam deduxerat, terræmotu hausta est. Super Jonium fax per aliquot dies suspensa sursum in æthereum recurrit. Alba statua marmorea Antonii sudorem,

Mutua inter eos provocatio.

fruſtra detergentibus quibuſdam, ſanguinemque multum emiſit. Tempeſtatibus percuſſa pleraque. In his trophæum in Aventino, Victoria in ſcena; pons Sublicius in amne.

Draco biceps. Plutarch. Plin. 36. 5. Dio.

XX. Incendia quoque multis locis fuerunt, & mons Ætna finitimos gravi terrore detrimentoque mulctavit. Athenis ex Deorum & gigantum dimicatione, quam fecit in ſcuto Minervæ Phidias, Dionyſii ſimulachrum ventis exceſſum in theatro jacuit; cujus numinis habitum nomenque Antonius uſurpare conſueverat. Eadem tempeſtas Eumenis Attalique coloſſos, quos Antonio tranſcripſerat civitatis adulatio, ex multis ſolos evertit. Præſentibus curis adjecit præteritorum memoriã ſolicitudo, quod nuper in Hetruria draco biceps, longus pedes octoginta quinq; ſubito conſpectus, poſt multa & varia damna data, fulmine ictus fuerat. Romæ pueri partium nominibus adſumptis biduo concurrerunt. Antoniani victi ſunt.

Antonius Patris hyemat. Plutarch.

XXI. Tot portentis pavefactæ mentes, quum in quotidiana belli exſpectatione eſſent; factum eſt, ut neuter eo anno quidquam inciperet. Cæſar ab Antonio veniſſe pecunias audiens, non audebat, niſi diligenter omnibus proviſis, ab Italia diſcedere. Antonium vix emerſum è luxu, & improviſo adventu hoſtes territare conantem, Cæſarianæ claſſis nuncium decepit, quam ad Ceraunios montes ſtare, ſpeculatoriis navigiis conſpectis quidam affirmaverant. Igitur in Peloponneſum directo curſu, paſſim diſpertitus copias, quo & plura loca tutaretur, & diviſis in expedito alimenta forent, Patris hyemare inſtituit. Ibi quoque eum prodigia impendentium malorum exceſſiſſe credita ſunt, quod interea dum illic agit, Herculis fanum, quem generis ſui auctorem ferebat, conflagravit.

Eum Cæſar provocat ad prælium. Plutarch. Dio.

XXII. Inter has belli moras, ex omni ordine utrimque tranſfugerunt quidam: & L. Meſſium exploratorem deprehenſum Cæſar, oſtenſo ei prius omni ſuo apparatu miſſum feci: quamquam eumdem etiã bello Peruſino captum dimiſiſſe meminerat. Ad Antonium ſub id tempus epiſtolam miſit Cæſar, optionem offerens, *venire ipſe in Italiam, an ſe in Græciam tranſjicere mallet, ea conditione, ut qui admiſſurus alterum eſſet, ſtationes ſecuras portuſque præberet adnaviganti, & à mari copias ſuas tanto intervallo reduceret, quantum expeditus eques conficere una die poſſet. intra quintum deinde diem de ſumma re cerneretur.* Hoc potius eo fiebat, ut animum ſuis augeret, quam quod Antonium tali conditione uſurum credebat. irriſitque ille dictitans, *ecquis igitur judex noſter erit, ſi forte neglexerit alteruter pactorum fidem?*

Hic illum ad ſingularem pugnam. Plutarch. Velleius. 2. 82. Dio.

XXIII. Ne tamen timere hoſtem videretur, contrà popoſcit, *ut ſecum ſingulari pugna congrederetur. aut hoc ſi facere non eſſet auſus, ille Pharſalicis campis, ubi prius inter Cæſarem & Pompejum decretum armis eſſet, exitum totius belli committeret.* Hæc acta ſunt C. Sofio Cn. Domitio Conſulibus; quum interim ex Kal. Jul. L. Cornelius, ex Kal. Nov. N. Valerius ſuffecti Conſules magiſtratum geſſiſſent. Hic annus quum inter apparatum minaſque belli præteriſſet, matura omnia C. Cæſar tertium, M. Valerius Meſſalla Corvinus Conſules exceperant. hinc quoque capientibus omen hominibus, quod ademptus Antonio Conſulatus ad eum pervenerat, quem paucos ante annos ab eodem Antonio proſcriptum meminerant.

Urb. cond. an. 722. Conſul. fit. nuper proſcriptus. Incendium à libertinis excitatum.

XXIV. Nec temere factum exiſtimarunt, quod ludis quidam mente captus in Theatrum inſiliens coronam D. Cæſaris ſuo capiti impoſuerat, ſtatimque diſcet-

Appian. lib. 4. Civil. Dio. Strab. lib. 8. Zonar.

ptus à circumstantibus fuerat. Circa eosdem dies lupus in æde Fortunæ occisus; ludis equestribus canis à cane devoratus est. Incendium etiam inter prodigia propter magnitudinem damni, nam Cereris etiam & Spei ædes cum pulcherrimis donariis conflagrarant, computatum est: quamquam fraude libertorum excitatum esse constitisset. In furorem eos egerat tributorum acerbitas, quod ab omnibus hoc genus, qui quidem Italiam incolerent, quibus res quinquaginta millium denariorum aut eo amplior esset, octava pars facultatum in præsente pecunia exigebatur.

Cæsar in Epirum mittit classem. Flor. 4. 11. 4. Dio.

XXV. Tantaque fuit hominum importunitas: tumultu cædibusque & incendio grassantium, ut armis eâ coerceri oporteret. Illa demum severitas & hos compressit; & ingenuorum prævenit motus. ægre ferentibus plerisque, quod ex prædiis Italicis, quartam annui proventus pendere cogebantur. At Cæsar, ut hostem inopinatus percelleret, nondum mari navigabili, Brundisio provectus, quum Corcyram usque venisset, tempestatibus coactus cedere, retro cursum flexit. Vere demum iterum educta classis, Epirum tenuit, expositisque legionibus ibi castra metaturis, ad Leucadem insulam, Ambraciique sinus cornua constitit. Nec occurrit statim Antonius remigum inopia, quæ variarum nationum colluvies, quum procul ab Imperatore hyemem transegisset, neque exercuerat sese, & morbis atque transfugiis admodum decreverat.

Agrippa remigem retinue. Histor. Miscella. 7 8. Dio. Strabo. lib. 8. Vell. 2. 84. 3.

XXVI. Igitur M. Agrippa cum parte navium præmissus à Cæsare, minime negligendam occasionem ratus, observato onerariarum adventu, quæ ab Ægypto Syriaque & Asia eum armis atque commeatu ad Antonium tendebant, multas abripuit; & plerisque locis exscensiones faciundo, vehementer Antonianos perterruit. mox in Peloponnesum irrumpens, Methonem, Messeniæ non incelebre oppidum, quamquam validissimo præsidio munitum, in oculis adversæ classis, subito appulsu cepit, Bogudemque ibi Mauritaniæ Regem deprehensum occidit.

Cæsar universas copias trajecit. Eutropius. Velleius 2. 84. 2. Dio. Plutarch. Anton. c. 79.

XXVII. His auditis Cæsar in spem erectus, contractis Brundisium Senatus atque Equestris ordinis primoribus, aliis ut horum uteretur opera, cæteris, ne res interim novas domi molirentur, ad transjeciendum omnia comparabat: ostentans una, secum sentire, quidquid in Urbe nobilitatis esset. Definito deinde quantum eorum quisque servitii, quantum commeatuum portaret, universas copias trajecit. Forte pars major Antonianæ classis ad Actium (Epiri est locus) stabat; non firmissima remigio, quod inopia rerum necessariarum valde erat imminuta. Igitur conditionibus aut vi sperans suam in potestatem hos venturos esse Cæsar, eo cursum direxit. Naves in universum ille ducentas quinquaginta paraverat modicæ altitudinis, cæterum expeditas & agiles; peditum octoginta millia, cum duodecim millibus equitum.

Cleopatra ludit in adventum Cæsaris. Histor. Miscell. ex Orosio. Thucyd. 2. 9. 3. Strab. lib. 7. Pausan. Arcadic.

XXVIII. Antonius tametsi legionum numero præstabat, tamen ut Cleopatræ gratificaretur, in classe locaverat arcem spei suæ, quamquam penuria remigum vulgo è Græcia corriperentur à præfectis ejus quilibet, ita ut neque viatoribus abstineretur, agasonibusque & messoribus, quo ex genere plerique erant, qui mare numquam vidissent. nec sic quidem succurri poterat indigentiæ, quin magna pars classis pessime navigaret. Ajunt, *quum paulo post Antonius Actium venisset, trientemque fere nautarum absumptum fame reperisset, crudelem sane atque prorsus inhumanam vocem effudisse: Remi modo salvi sint, remiges non deerunt, quousque*

Græcia

Græcia homines habuerit. Ergo Cæsar pedestri exercitu ad Cerāunios montes expositō, qui dehinc ad Actium procederet, obiter recepta, quæ relicta à fugiente præsidio fuerat, Corcyra, in Thesprotidis portu, quem propter Thyamin & Acheronta fluviosque alios in eum incidentes, aut ex ipso mari ebullientes aquas, ob argumentum *dulcem* appellant, classem constituit. Interea Cæsaris adventum tumultuosi nuncii ad Antonium pertulerunt: *illumque jam apud Torynem* (Epiri oppidum fuit) *considere*. Quos eludens Cleopatra, *quid magni est*, inquit, *si in Toryne sedet Cæsar*? ad culinariæ supellectilis instrumentum, quod hac appellatione Græci notant, significationem detorquens.

XXIX. Sed hujuscemodi dictis servari classis suggrediente Cæsare non potuisset. Antonius cum præsentibus copiis impigre profectus, veteris ducis solertia subvenit, rostris tamquam ad procursum obversis, & quo speciem instructarum ostentaret, remis ab lateribus navium demissis, & remigibus armatis per tabulata dispositis. Ita delusus Cæsar, abjecto pugnandi consilio, evocatos ad colloquium Antonianos corrumpere conatus, quum nihil succederet, neque propter aquarum penuriam, quas magnis operibus inaccessas hosti effecerat, commorari circum ea litora posset, ad locum, ubi mox Nicopolis exædificata est, secessit. Castris hic communitis, muroque alium ad portum (Comaro nomen est) perducto, terra simul marique gravis Actio vicinus imminebat. Adeoque nihil ab eo prætermissum est, ut trans eumdem murum à mari in Sinum Ambracium naves transvexisse sit creditus, coriis bubulis recentibus oleo inunctis, per quorum lubricitatem facilius tantæ moles provolverentur. Antonii solertia Cæsar deluditur: Dio. Plutarch.

XXX. Cæterum is erat locorum situs, ut pro eo qui prior occupasset, magnopere facturus videretur. Actium enim, circa quod ea gesta res est, Apollinis fano celebre promontorium Acarnaniæ, os Ambracii sinus efficit, portus, apud Nicopolim qui sunt, respiciens. totusque is sinus, & quidquid ante eum loci est, quum accipiendis, tum tutandis navibus eximiam commoditatem præstat. Sed totum hoc spatium operibus etiam Antoniani permunierant, ad utraque sinus cornua inædificatis turribus, & mari quod intererat, navibus præcincto. Castra juxta fanum posuerant spatio plano & aperto, pugnæque committendæ, quam stativis aptiore. Ut enim depressis & palustribus locis consuevit, tam hyeme quam æstate insalubris ibi aër erat, & morbi per castra vulgabantur. Dum ita ex propinquo castra castris opposita sunt, nihil non expertus Cæsar, educendo instructos ordines ut pugnæ faceret potestatem, adnavigando classe, & onerarias hostium abstrahendo, non tamen elicere in aciem eos potuit, quin adventum suorum præstolarentur. Locorum in quibus pugnatum est situs. Strabo. Thucydid. 1. 6. 1. Dio. Florus. 4. 11.

XXXI. Tum vero propius admotus cum parte legionum Antonius, etiam equitatum ab utroque sinus latere præsidio collocavit. Cæsar nullum eo loco sibi casum ad tentandam prœlii fortunam cernens aperiri, in Græciam atque Macedoniam partem copiarum misit, ut Antonium à præsentium rerum cura revocaret. At Agrippa Leucadem, & quotquot ibi naves erant, repentino incursu cepit. Inde Patras, victo navali pugna qui occurrerat Q. Nasidio; neque diu post Corinthum in potestatem redegit. Quibus rebus, & quod à M. Titio & Statilio Tauro cęsi Antonii equites fuerant, inclinare multorū animi ad fortunę momenta cęperunt. Transfugiebant ad Cæsarem quotidie aliqui; sed inter notissimos, Paphlagoniæ Cum Fortuna multi transeunt ad Cæsarem. Velleius. 2. 84. 3. Dio.

Rex Philadelphus Titio Tauroque ſe conjunxerat. Plus tamen adfecit Antonium Cn. Domitii tranſitio. qui Cleopatræ invitus, quam ſolus Antonianorum numquam niſi nomine ſalutare voluerat, quamquam febre correptus, parvo acatio ad Cæſarem trajecit.

Alios idem conantes Antonius interficit. Plutarch. Anton. & Ro. & Romulo c. 29. & Apoph. Rom cap. 15. Vellejus. Dio.

XXXII. Antonius tamen magnum animum præferens, contrà ſententiam Cleopatræ, quidquid rerum Domitius reliquerat, ad eum remiſit. Nec diu ſuperfuit ille, non tam opera, quam exemplo prælatis partibus utilis. nec enim tantus vir abjecturus priorem amicitiam fuiſſe, niſi deſperatione credebatur. Ergo frequentibus jam transfugiis, Antonius metu cohibiturus, quos benevolentia non poſſet, cum aliis quibuſdam, etiam partis Arabiæ Regem Jamblichum excruciatos occidit: & Q. Poſthumius Senator juſſu Imperatoris manibus quorumdam diſcerptus eſt. Inde Q. Deillio & Amyntæ Regi timens, quos in Thraciam & Macedoniam, ad conducendos mercede milites miſerat; an ipſorum quoque perfidiam veritus, ipſe ſtatuit eo proficiſci, ut præſentia ſua, ſive metum eorum, ſive defectionem præveniret.

Cleopatræ ſententia vincit in Ægyptū revertendum. Liv. Epitom. Dio. Hiſtor. Miſcella 7 8. Plutarch. Anton.

XXXIII. Male omnino hoc ei conſilium vertit. nam & illi cum Rege Thracio Rhymetalce & Dejotarus ad Cæſarianas partes ſe tranſtulerunt; & per abſentiam ejus navale prælium auſus Soſius, iniquo Marte dimicavit. Quippe L. Tareſium cum paucis navibus in ſtatione relictum oppreſſurus, licet inter denſam nebulam aggreſſus in fugam egiſſet, aſſequi non potuit: & Agrippæ forte redeunti oblatus, cum multis aliis & Tarcondimotum Regem perdidit. Hac pugna ſimul quod ipſe reverſus equeſtri prælio inferior diſceſſerat, vitare propinquitatem hoſtium coactum, poſt unius bidui moram majora caſtra acceperunt. Ibi quum etiam inopiam timerent, de ratione gerendi porro belli conſultatum eſt. quum variatum ſententiis eſſet, vicit, ut lemper, apud Antonium Cleopatra, *præſidiis firmari* jubens *opportuniſſima locorum, & in Ægyptum naves militeſque reduci, ubi omnia pro ipſis eſſent habituri.* Cæterum ad hoc conſilium non muliebri tantum timore delapſa erat; ſed etiam injecta frequentium prodigiorum cura. quod in Prætoria ſua navi, quam vocabat Antoniada, quum hirundines nidum ſub prora feciſſent, aliæ ſupervenientes & has expulerant, & pullos earum diſcerpſerant: & ſtatuas Cleopatræ dearum inſignibus adornatas fulmen dejecerat.

Licet Canidius contra miſcruiſſet. Plutarch.

XXXIV. Hinc illa diffidens præſentibus, Antonium quoque ſui terroris implevit. Nec tamen confeſſo timore, ne ſuorum animos deſperatione abalienarent, aut fugientium ſpecie abiri placuit; ſed inſtructa ad dimicandum claſſe, ſi quis propoſitum iter interpellaſſet. At Canidius *remiſſa in Ægyptum Cleopatra, pedeſtri Marte decernendum* cenſuerat. *Neq; enim turpe ad famam fore, ſi Cæſari Siculis bellis nautica certamina edocto mari cederet: id immo, ſi neglecta damnataq; fortiſſimarum atque fideliſſimarum legionum opera, tot pedeſtrium præliorum victor, in claſſe ſummæ rei ſpem reponeret. In Macedoniam igitur ac Thraciam* jubebat *transferri bellum, Regem Dicomen, maxima offerentem Getarum auxilia, ſociū diſcriminis habituros.* Sed hæc repudiata eſt, ut prædiximus, ſententia. Sub idem tempus Antonius propinquum periculum effugit, quum per longa brachia, quibus caſtrorum munitionem portui conjunxerat, pro more ſecurus incederet.

Antonii concio ad milites.

XXXV. Cæſar enim admonitus, *excipi eum poſſe*, clam miſerat ſubſeſſores: atque illi paulo feſtinantius exſurgentes antecambulonem Imperatoris corripuerunt; ipſe celeri curſu vix ſe recepit ad ſuos. Interim delectis ex omni nu-

mero præſtantiſſimis quibuſque navibus centum ſeptuaginta, cæteras, quod imminuto transfugiis pugniſque exercitu compleri non poterant, igne conſumi placuit: præter Ægyptias ſexaginta, quas malo conſilio Cleopatræ relinquebat. Dio. Hiſtoria Mi ſcella. Plutarch.
Noctu deinde pretioſiſſimis rerum in naves comportatis, poſtquam omnia ſatis inſtructa parataque videbantur, Antonius adhortandos prius milites ratus, advocata concione hunc in modum feciſſe verba dicitur: *Quæ à duce parari oportuit, præſto eſſe omnia, ne mihi credi poſtulem, ipſi noviſtis, atque adeo videtis Commilitones. ſive numerum copiarum reſpicitis, ſive cuilibet generi pugnæ idoneas manus, haud dubie ſuperiores ſumus. taceo quod tam ſtrenui bellatores plerique eſtis, pugniſque clariſſimis nobilitati, ut vel ſingulorum celebratam virtutem hoſtes noſtri horreant.*

XXXVI. *Viribus igitur, in quibus ſunt omnia, potiores, etiam pecuniarum non magnitudine modo, ſed facilitate parandi utendique libertatis vincimus. nam ex ubere copiæ deſumptis neque parcere cogimur, neque ſeditiones per vim ereptas querentium formidamus: qualia multa viſuri mox in Italia ſumus, ubi jam olim tumentibus animis meum, quo illi ſolo adhuc tenentur, arma noſtra detraxerint. Poſt iſta pœne ſupervacaneum eſt de me dicere, niſi referre arbitrarer, hoc etiam ab omnibus intelligi, & vos eſſe ejuſmodi ut quolibet Imperatore vincere poſſitis; & me, ut quibuslibet militibus. Et ego non amplius juventa calidus, nondum ſenecta ſegnis, bos ipſos annos habeo, quibus & corporibus adhuc robur conſtat, & mentium longe acerrima vis eſt.* De ſe magnifice loquitur.

XXXVII. *De ingenio & uſu, quamquam in meis laudibus debeam eſſe reſtrictior, id tantummodo dicam, neutrum mihi defuiſſe, quo minus & utilia providere, & opportuna dicere, & domi bellique facere quæ oporteret, poſſem. nec ferme particula ulla negotiorum utrobique offerri poteſt, quam non experiundo didicerim: ſæpe aliorum ductu, ſæpe meis auſpiciis res gerendo, parendi, imperandique cognitas omnes rationes habeo. multa caute, haud pauca audaciſſime geſſi, ut temporibus recte uti aſſueſcerem. neque Fortuna deſuit, quin & victoriis me multis, & nonnumquam infortuniis, ad omnes bellorum caſus erudiret.* Experientiam maxime prædicans.

XXXVIII. *Sed iſta quum apud conſcios dicam, non ero prolixior, ubi unum hoc audidero, quam adverſæ partes numero & robore militum, apparatuque varietate multipliciter vincantur, à nulla tamen re imparatiores, quam ab Imperatore, in certamen deſcendere. Unde enim ei in his annis neceſſaria huic loco experientia? quem & corpore invalidum eſſe ſcimus omnes, nec aut in continenti aut in mari ullius prælii victoriam per ſe obtinuiſſe. Certe in Philippicis campis dum ego vinco, ille fuſus fugatus, caſtris exutus eſt, nec quid interſit inter duos, aut brevius poſſem aut verius exponere. Jam etiam victoriæ futuræ certiſſimum præſagium ſumi ex apparatibus ſolet.* Contra Cæſarem ſperantes.

XXXIX. *Illis igitur, ſi quid roboris eſt, forte ſit in legionibus, & pedeſtribus copiis. at vero navibus, ut ipſi videtis, tanta differentia eſt, ut noſtris quidem nocuri minime poſſet à tanto infirmioribus, ſi ſola mole ſua defenderentur. jam vero quum tantus ſagittariorum numerus è turribus telorum imbrem eminus ſpargat, equus boſtium ſuggredi ſuſtinebit? Neque vero Sicula victoria quemquam terreat, quæ & ipſa non Cæſaris decus, ſed Agrippæ miniſterium imo claſſis meæ facinus fuit. cum mancipiis & libertis Pompeji decertatum eſt: & quid ejus copiæ ad noſtras* Siculam Cæſaris victoriam elevat.

& ſic tamen ſemel iterumque fœde mulctatus eſt iſte Cæſar, quum unius Siciliæ vires oppoſitas haberet. at quota pars imperii noſtri eſt Siciliæ? ut ſi quis hanc ſubegerit, formidandus eſſe nobis videatur.

Crudelitatem ejus exaggerat.

XL. *Ego vero tam parum iſtis eventis moveor, ut quum paſſim & pedeſtri bello vincere, maritimo experiri maluerim, cujus victoriam ſecum tracturam omnia proſpicio. Nam hoſtium legiones in anguſta concluſas inſula, ſedendo deinceps, & arcendo tantum commeatus, quod mare tenentibus facillimum erit, expugnabimus. Dixi, milites, quanta brevitate potui, quantis argumentis victoriam nobis certam deberi arbitrarer. Nunc etiam, quod omen dii avertant, quid victis expectandum ſit, cogitate; quo fortius pugnam capeſſatis, hiſque animis ineatis prælium, ut omnino victoribus inde diſcedendum exiſtimetis. Sicula illorum victoria nobis documento ſit, quæ in vos ſint exempla edituri, qui tam multos, etiã illuſtrium virorum interemerunt: nec eorum tantũ qui apud Pompejum fuerant, ſed etiam ex Lepidanis, ſocios ſuos, conſorteſque periculorum, quibus haud minimam deberent partem ejus ipſius victoriæ, qua tam inſolenter abutebantur.*

Et ingratum animum erga Lepidum.

XLI. *Quid jam de ipſo Lepido loquar? cujus quum injuriam nullam, beneficium magnũ & recens haberent (nec enim ſine hujus auxilio evertere Pompeium potuiſſent) ingratiſſimi mortalium hominem innocentem, benemeritum, mitem imperio exuerunt, & nunc quoque captivi modo habent in cuſtodia. Neque mitiores in cæteros, quos pecuniis crudeliter exigendo quum in arma egiſſent, pro hoſtibus occiderunt. Qui ergo talia in amicos ſocioſque perpetrant, quid non audebant in adverſarios? nobis ſcilicet parcẽt, quibus illi viles fuerunt? abſtinebunt noſtris, qui ſuorum facultatibus minime pepercerunt? tam impotentes manente bello, victoria moderate utentur? Sed qui ego in enarrandis quæ adverſus alios deliquerunt, verba conſumo? quis enim indignius meipſo acceptus eſt & habitus?*

Itemque ſuas injurias.

XLII. *Triumvir conſtituendæ Reipublicæ pari atq; Cæſar jure creatus, tanto tempore ſic uſus poteſtate, ut pœnitere ejus non debeat quantum in collega eſt, magiſtratu privor, deſtinato etiam Conſulatu careo non de Senatus ſententia, cujus nomen fruſtra præſcribi, tot primorum ejus ordinis, ipſorumque adeo Conſulum profectio ex Urbe demonſtravit. Satellites Cæſaris ſint, qui hæc molienti Patrum auctoritatem falſo circumdant, in ſe quoque, non tantum in Rempublicam injurii, quando ſic ſe cervicibus ſuis Regem imponere non ſentiunt. Jam pro ſe quiſque rationem ineat, quid ſibi poſſit ab hoc monſtro polliceri; cujus inhumana atque impia temeritate, teſtamentum M. Antonii è penetralibus Veſtæ vi raptum eſt, vivi, valentis, Armeniæ tum maxime victoris, & tanta potentia ſubnixi: nec raptum modo, ſed reſignatum, lectumque publice?*

Et aſſutam diſſimulationem Cæſaris.

XLIII. *Cujus quidem exemplum rei, ne feraciſſima quidem ſcelerum tempora produxiſſe memorantur. Hac ergo deſignavit in collegam ſuum, cognatum, amicũ etiam ſi diis placet. ecce enim negat arma adverſus me induiſſe! quid ergo vobis fiet, commilitones, quibus aperte minatur; quorum honoratiſſimum quemque inter hoſtes judicatos nominatim retulit? Quod ſi non eodem decreto bellum indixit omnibus, ne ideo factum putetis, quod in aliquos futurus ſit lenior. Diſcordiæ ſemina jacere voluit vafer adoleſcens, ſatis gnarus conjunctis ſe parem eſſe non poſſe: ſin diſſentiamus, adverſus omnes occaſionẽ aperiri. Ergo & credulos*

nonnullos leveſque ſpe ac promiſſis pellexit: non reputantes hac ſe perfidia juſtum Imperatorem, & reddendæ Reipublicæ ſtudium jurejurando profeſſum, cum eo commutare, qui nihil aliud, quam ſervitutem ſimul omnium quærat.

Peroratio. Plutarch. Anton.

XLIV. *At ego cum cæteris illuſtribus viris, tametſi edicto Cæſaris omni metu vacare jubemur, rebus potius quam verbis adcredentes, neq; vos deſerere, neq; cæteros qui ſervituti libertatem anteponent, decrevimus. Rem igitur ſane æquiſſimam poſtulamus, ut eodem in nos animo ſitis, duo maxime ponentes ob oculos, & quantas exituri miſerias bene pugnando, & quanta adepturi bona ſitis. Nihil in vos hoſti ſuperbo atque crudeli licebit: vos immo ad ſummam gloriæ potentiæque provecti, rerum arbitri eritis. neque vobis tantummodo in liberata patria, ſed ipſis quoque quos vicerítis, ingentium commodorum auctores.* Hanc in ſententiam loquutus, principes amicorum, ne ſuperiorum exemplo profugerent, in naves impoſuit: juſſis una conſcendere ſagittariorum duobus, legionariorum viginti millibus. Quod enim Cæſarem Siculo bello victorem feciſſe magnitudo maxime navium, & multitudo propugnatorum credebatur; ipſe quoque utrumque imitari conſtituit. Ergo & triremes raras ædificarat, cæteras ab quaternis uſque ad denos ordines, cum præaltis turribus.

Veterani vox ad Antonii. Dio.

XLV. Ferunt, quum præter illum legiones in claſſe pugnaturæ incederent, veteranum centurionem magna & queribunda voce exclamaſſe; *Ergone his cicatricibus* (oſtendebat enim frequentes toto averſo corpore) *gladio q; diffiſus, Imperator, ſpes tuas his nullius uſus lignis concredes. At iſta Phœnicibus & Ægyptiis digna eſt militia: nobis terram præbe, in qua aut vincere aut occumbere didicimus.* Ille nihil ad hæc. Sed nutu tantum, manuque mota oſtendens, bonum animum ei habendum, præteriit. Sed ipſe triſtium potius quam meliorum objecta imagine, *vela comportari* jubebat *in naves*, *ut* ſcilicet *perſequendi fugitivos hoſtes facultas foret.* At Cæſar conſilio Antonii ex transfugis cognito, ſibi quoque ante diſcrimen agendum cum exercitu ratus ejuſmodi orationem habuit.

Cæſaris concio.

XLVI. *Eventus bellorum pro bonitate cauſſæ plerumque juſtitia numinum diſpenſari, non hodie demum herive credi cæpit; ſed ex omni temporum memoria conſtanti priorum obſervatione veluti per manus traditum eſt. Igitur licet ita parati ſimus, ut vel injuſtum bellum ſatis felix fore confidere debeamus; plus tamen fiduciæ in eo repono, vobiſque reponendi ſum auctor, quod non facturi injuriam: ſed intentatam repulſuri, hoc quidquid eſt periculi ſubibimus.*

Vult videri populi Romani bellum adverſus Cleopatram.

XLVII. *Ecquid enim Romano populo, gentium omnium principi, plerarumque victori accidere indignius potuiſſet, quam quod adverſus Cleopatram, quaſi hoſtem, tanto cum apparatu proficiſci cogimur? Sane ego hac nuncii fœditate non ſolum, ſi qui manium ſenſus eſt, valde permoveri Fabricios, Scipioneſque & Æmilios putem; ſed etiam Pyrrhum & cum Philippo Magnum Antiochum, & clariſſimos Pœnorum principes erubeſcere, ſi mulierem Ægyptiam intelligant cum his contendere, quorum à majoribus tanti ipſi Reges Imperatoreſque victi ſunt. Neque vero meriti hanc ignominiam ſumus, quibus Gallia ſubacta, quibus Pannones ad Iſtrum uſque domiti, tranſituſque Rhenus, & in Britanniam trajecti exercitus, ſatis illuſtria teſtimonia ſunt, nihil nos à priorum virtute deſeciſſe.*

Ægyptiorum ignaviam oſtendit.

XLVIII. *Prob deos immortales, adeone nos à vilíſſimis hominibus deſpici, ut ab Ægyptiis & Alexandrinis provocemur? Quid enim ad exprimendam iſtorum molitiem ignaviam ju: dici verius aut expreſſius poteſt? Hi igitur mortalium turpiſſimi*

ſimulatque inertiſſimi, qui tanta ſunt vecordia, ut reptilia feraſque colere pro diis poſſint; qui condiendis corporibus immortalitatis affectant inane ludibrium, quam ab animis ſuis geſtiſque ſperare non audent; qui ſemper ut ad res novandas levitate præcipites, ita ad gerendas præ timiditate ineptiſſimi fuerunt: hi, inquam, procedere in conſpectum noſtrum, oſtendere arma ſua, expectare noſtra ſuſtinent. Quamquam quid ego horum amentiam reprehendo, quæ per ſe facile quietura, noſtrorum fatali quodam furore ſtimulatur: Romanas illi proh pudor! Romanas intuentur manus, commilitones!

M. Antonium in externos ritus deſciviſſe inculcat.

XLIX. *Noſtri generis homines Reginæ ſuæ ſtipatores conſpiciunt: hinc equites Romanos, hinc Senatores ſpadonum eam vilitate adulari. Quid quod M. Antonium bis Conſulem, ſæpius Imperatorem, Reipublicæ conſtituendæ mihi datum collegam, tot terras imperio, tot exercitus obtinentem à moribus noſtris deſciviſſe vident, omnemque & natalis ſoli charitatem, & patriorum numinum reverentiam abjuraſſe. Etenim ſi quis forte veſtrum eſt, qui aliis auctoribus parum credidit, ſcitote M. Antonii juſſu & exemplo pro Iſide aut Diana adorari Cleopatram: Antonio imponente natos ejus Solis atque Lunæ ferre nomina: Antonium bis ampliſſimas inſulas, magnam continentis partem, tamquam privatum patrimonium diſtribuiſſe.*

Patientiam ſuam & Rudium pacis prædicat.

L. *Etiamſi certiſſima ſunt hæc atque compertiſſima, credere contantibus ignoſco. Sed eadem facinorum magnitudo, ſicuti vix invenire fidem objecta poteſt, ſic nota eadem & probata veniam enormibus peccatis negat. Qua in re plus aliquanto patriæ ſalutiq; omnium, quam affectui meo deberi intelligo. Quid enim non feci tuliq; ut hic à me ſervari poſſet, quem patrem appellare ſolitus, partic: pem conſiliorum, collegam poteſtatis habui: cui ſororem chariſſimam junxi matrimonio: cui, ut alia taceam, totos exercitus dono dedi? Quam ergo contanter ad vindictam Romani nominis acceſſerim, inde manifeſtum eſſe cunctis credo, quod neq; contumelia ſororis, neque ſuſceptorum ex ea liberorum neglectu, non Ægyptiæ mulieris, quam ſorori meæ anteposuit, inſolentia; non amentia ipſius, provincias populi Romani liberis iſtius fœminæ diſtribuentis, in arma compelli potui.*

Sed Antonii bellum ſibi non indictum ſumere.

LI. *Neque enim eodem mihi tum numero ducendi videbantur Antonius & Cleopatra: quod adverſus externam arma potius expediri dignitas noſtra jubebat; civi ad pœnitentiam ſpatium dari poſtulabat humanitas. Et indicto Cleopatræ bello ſperabam hunc ſi non ultro, coactum certe ad meliorem mentem rediturum eſſe: ideoq; nec hoſtem judicari paſſurum. Quando autem ille nec miſericordia noſtra, nec patientia utitur; ſed ſive impudentia, ſive pharmacis, ut ferunt, iſtius venefica mota mente, beneficium noſtrum repudiat, in mulieris gratiam nobis patriæq; periculum intentans: quid ſupereſt, commilitones, quam ut hunc Cleopatræ volonem, iiſdem quibus & dominam ejus armis ſubmoveamus? & quando ipſe majorum ſuorum & Romani nominis, & bonorum à patria acceptorum non meminit: nos quoq; Romanum hunc & Antoninm Conſulemque atque Imperatorem fuiſſe obliviſcamur, & quod ipſe omnibus his titulis prætulit cum Canopico cymbaliſta negotium eſſe cogitemus.*

Nec tamen magnum adferre momentum partibus.

LII. *Unde neq; cuiquam exreputatio ſubeat, talem iſthunc hominem aliquid ad partes corroborandas Cleopatræ ſua præſentia momenti adjecturum. Qualis*

antea quoq; bellator fuerit: multi veſtrum ſatis norunt, à quibus ad Mutinam victus ac fugatus eſt. Quod ſi forte dum à nobis ſtetit, aliquid habuiſſe virtutis viſus eſt; id omne alim jam voluptatibus mollitieq; deperiit. Nam inter Regias voluptates, inter muliercularum amores, quę durare virtus, aut quid manere conſilii unicuiq; virilis queat? Nec enim fieri poteſt, ut alius ſit quiſquam, atque ſe eſſe ſtudet: delicias inertia atq; negligentia ſequitur; laboribus atq; periculis virtus aligaudet. Igitur & ille quondam non inſtrenuus Antonius, tanto jam tempore unica ſuſcepta expeditione, multa millia civium pugnando ad Praaſpa, plura deinde fugiendo perdidit. Nec mirum ſane. Nam ſi quis veſtrum laſcivam ſaltatiunculam aliquam, aut Bacchicæ choreæ ductorem deſiderat, vix nanciſci meliorem alium poſſet, illis enim rebus adprime eſt exercitus. at cui duce ſit opus, ſi ſapiat, alium quæſiturus eſt.

LIII. *In hoc enim quid eſt, quod placere cuiquam debeat? Ætas? at illa defloruit annis, emarcuit luxuria. Animi magnitudinem? tamquam illa cum ſtupris & mollitie conſiſteret. Pietatem ergo cultumque deorum aliquis nominet? quaſi vero hos non æque ac patriam oderit. Fidem? hujus enim egregium edidit ſpecimen in Armeniæ rege. At benevolentiam erga amicos? laudetur ſane illa atque prædicetur, ſi non intimos alios contumeliis à ſe pepulit, alios etiam crudeliſſime interfecit. Erant, qui apud milites magnam ejus eſſe charitatem exiſtimarent. Sed his quoq;, aut vehementer fallor, hunc errorem quotidiana ad nos transfugia exemerunt. Atque ego cæteris quoque ſimilem eſſe animum non dubito: iterumq; eventurum ei, quod Brunduſio in Galliam proficiſcenti contigit. Tum enim etiam, quamdiu emolumentum ſine periculo ſperabant, adhæſerunt omnia profuſe pollicenti; poſtquam prædam tenuem & laborioſam, vulnera & mortes nuſquam non occurrere viderunt, ſibi cœperunt conſulere, neglectis illius rationibus.*

Quod milites eum oderint.

LIV. *Talis ergo militum animus erit: auxiliorum vero quæ ſecum trahit, qualis ſit, quid attinet dicere? Aſiaticum id omne genus eſt, è qua parte terrarum toties triumphatum, quoties in conſpectum venire ſignorum noſtrorum ſuſtinuerunt. reliquiæ eorum, quos Philippenſi bello ad ſatietatem veſtram cecidiſtis. Unum eſſe fateor in hoſtilibus caſtris, cujus nec inficiari veritatem, nec elevare magnitudinem auſim. Ingens in illis navibus auri pondus eſt, maxima divitiæ. Sed illa neminem vulnerant, & ſi viri eſtis, veſtra ſunt. At quorſum ego hæc commemoro, quæ tantummodo excitare avaros poſſint? debentur quidem iſta vobis, atque ultro mox aderunt; ſed digniora vobis victor præmia eſſe reor, quod majeſtatem principis terrarum populi, quod veſtras injurias, veſtram gloriam, veſtrum Imperium defendiſſe dicemini.*

Auxilia Aſiatica parum certæ præſtent.

LV. *Huc igitur adeſtis, quotquot aut nuper mecum Illyricas Dalmaticaſque nationes, aut paulo ante Siciliam viciſtis; quique Mutinam huic eidem latroni eripuiſtis: & quam pro caſtellis obſcuris capiendis, pro una aut urbe defendenda, aut recuperanda provincia, Reipublicæ fortem fidelemque præſtitiſtis operam; eamdem nunc in univerſo omnium diſcrimine adhibete. Nam ſi verum volumus, ut apud nos pro libertate populi Romani, & tantum non humani generis; ſic inde in ruinam utriuſque pugnabitur. Cum ea fœmina bellum eſt, quæ & concupiſcere Romanum Imperium, & cupiditatem profiteri audet; cum eo homine,*

Rom. Imperiũ vindicari debet à dominatione fœminæ. Pacatus Panegyr. Vell. a. 85. 2. Dio. lib. 50.

qui non minus ſtolide promiſit hæc omnia, quam illa nequiter poſtulaverat. Abſit vero ut hæc tam dira dictuque etiam vix tolerabilia ulla dies videat, ut in tam impuris manibus populi Romani ſit Reſpublica. ut ſcurris horum, quos digno ſane nomine copreas ipſi vocant, vos conjugeſque veſtræ, liberi, patrimonia divexanda dentur.

Naves Antonii ad pugnam dicit eſſe inhabiles.

LVI. *Sic animati neque multitudinem hoſtium timueritis; turba enim eſt, & vulgus, haud parum aptius ſarcinis quam armis portandis genus: neque magnitudinem navium pueriliter ſuſpexeritis; inhabilis illa moles per ſe neminem oppugnat aut ſauciat. & ultro parum eſt ad impellendum inhibendumque quum oporteat idonea. Quid igitur facient in his concluſi magis, ne effugiant, quam impoſiti ad pugnandum cum ſpe victoriæ; ubi tamquam equeſtri agilitate omni à parte triremes noſtras Liburnaſque adſultantes videbunt? ubi velut in immobiles & ictibus ſe præbentes hinc roſtra incurrent, inde tela ac faces injicientur? non expedient hercle conſilium ad fugiendum æque & inſequendum ineptis & velut in veſtigio hærentes. Atque hæc non quaſi divinans ante experimentum prædico commilitones; duobus jam prœliis comperta loquor, & nemini veſtrum ignota. Sic igitur nos paremus, tamquam uno prœlio, quidquid ab imperio noſtro exerravit, ſub jugum revocaturi.*

Sed & illum fugæ quam pugnæ cauſa conſcendiſſe.

LVII. *Nec Aſia ſolum & Græcia noſtra erit; ſed Ægyptus etiam veteribus opibus & quas nuper ubi ubi rapere potuit Antonius, dives. Nec enim pedeſtris exercitus, ſua quoque confeſſione nobis impar, victoriæ præmia morabitur, neque vincere difficile eſt, quales diximus, nauticas copias: de quibus ipſa etiam cum marito Cleopatra deſperavit. Namque, ne quidquam vos celem eorum, quæ certis indiciis cognita teneo; fugæ potius quam prœlii cauſſa naves conſcenderunt, certo ſane argumento, ex quod ex omni ſuppellectili quidquid paulo pretioſius fuit, eodem importanda curaverunt. Idcirco qui fortaſsis nudos abire pateremur; nunc præmia victoriæ noſtræ ſecum ablaturos non dimittemus, donec & hæc & ipſos ſtrenue pugnando noſtram in poteſtatem redigerimus.* Sic dimiſſa concione, utrumne obſiſteret exituris, an vero viam aperiret fugæ, agitare cœpit. quod enim velociores habebat naves, facile ſe conſequuturum abeuntes rebatur: & ſi Antonium curſus abſtuliſſet, cæteros omnes nullo amplius retinente ad ſe tranſituros.

Cæſar ſe ad prœlia comparat. Plut. Ant. c. 63. et Plut. c. 77. Dio. Plin. lib. 37. c. 3. Vell. 2. 87. 2. Appian. lib. 5 Civil.

LVIII. Sed Agrippa ſubjiciente, *favore ventorum eripi ſibi claſſem velis uſuram poſſe*, prœlium committere ſtatuit, majore aliquanto ſpe vincendi, poſtquam illo die tempeſtas oborta, & proximo deinde triduo deſæviens, effuſis imbribus & multa grandine navibus Antonianis moleſta incubuit. Quinto demum die quum reddita ſerenitas eſſet, Cæſar & ipſe, poſtquam in hoſtia reperto felle duplici egregie litarat, magnam vim militum in navibus collocat: auxiliares in ſcaphas imponit, ut celeriter diſcurſando monerent pugnantes quid fieri vellet, & ad ſe quid ubivis rerum gereretur, referrent. His ita paratis, quum dextro cornu M. Lurium, ſiniſtro L. Aruntium præfeciſſet, Agrippa univerſæ claſſi præpoſito; ipſe cum Valerio Meſſalla, & aliis illuſtribus, futurus ubi res poſtulaſſet, egreſſum hoſtis exſpectabat.

FINIS LIBRI CXXXII.

JOH.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXXXIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

M. Antonius ad Actium claſſe victus Alexandriam profugit, obſeſuſque à Cæſare, in ultima rerum deſperatione, præcipue occiſe Cleopatræ falſo rumore impulſus, ſe ipſe interemit. Cæſar, Alexandria in poteſtatem redacta, Cleopatra, ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte defuncta, in urbem reverſus, tres triumphos egit: unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium de Cleopatra: impoſito fine civilibus bellis altero & viceſimo anno. M. Lepidus, Lepidi, qui triumvir fuerat, filius, conjuratione contra Cæſarem facta, bellum moliens, oppreſſus & occiſus eſt.

DUM apud Cæſarem hi apparatus fiunt, ex diverſa parte Antonius, claſſis ſuæ dextro cornu cum L. Gellio Publicola præfuturus, lævum C. Soſio, mediorum regimen M. Octavio & M. Inſteio tradiderat: pauloque extra portum profectus, pro faucibus ejus inſtructa acie ſtabat. Tradunt etiam, quaſi in perniciem ejus omnia conſpiraſſent, *ab Echeneide p:ſciculo retentam prætoriam fuiſſe; qua circumire ad exhortandos ſuos cœperat, donec in aliam navem tranſiret.* Evectus igitur Cæſar, ubi nuſquam progredi hoſtem animadvertit, incertus conſilii, tamen expediri remos præcepit. deinde, ubi nemo ex adverſo procedebat, nam ſcapha circumvectus Antonius gubernatores *tenere locum circa anguſtias portus, tamquam anchoris jactis immobiles* juſſerat, hortatus milites, *ut propter gravitatem navium, inde velut ſtataria pugna aggredientes exciperent;* ſignum datum, uti cornua inveherentur. In alterum jam Agrippa tranſierat: quem porrigere videns aciem Publicola, dum ſuos etiam ordines expandit, à mediis divellebatur.

Antonii Prætoria ab Echeneide retinetur. Plutarch. Vell. Plin. ja. rd

II. Tum Antonius ne multitudine hoſtilium navium circumveniri ſuam claſſem aut diduci pateretur; invito propior in advenientes Cæſarianos movit. Ibi vero L. Aruntio occurrente, atrox & obſtinatum certamen ortum, ducibus utrimque atque gubernatoribus ex ſua alacritate aut arte ſpem pugnantium intendentibus, & animos inſtigante conſpectu atque acclamationibus pedeſtrium copiarum, quarum regimen hinc P. Canidius, inde Statilius Taurus obtinebant. Sed erat ſicuti navium utrimque, ſic etiam pugnæ ratio diſpar. Cæſariani minoribus & levibus navigiis hoſtilium moles impetu ſubibant, tectique & ſub ipſa eorum magnitudine latentes, impune detrimentum inferebant: aut ſi fruſtra conatus fuiſſet, priuſquam manibus ferreis comprehenderentur, ſe recipiebant, mox eamdem iterum navem, aut ſi qua alia opportunior videretur, libero incurſu tentaturi.

Navium & pugnæ ratio diſpar. Dio. Plutarch. Vell.

Cleopatra fugit. Hiſt. Miſcel. 7.8. Plutarch. Dio. Flo. 4. 10. 6.

III. Adverſus hęc Antonianis curę erat, ex prætaltis navibus (decem pedes aliquæ à mari aberant) catapultis haſtas aut ſaxa jacere, ſuccedentem hoſtem miſſilibus inceſſere, harpagines injicere navibus. ea res quoties procedebat, haud dubie vincebantur Cæſariani: ubi ſubducentibus ſe his, atque celeritate ſua eripientibus aberraverant machinæ; aut roſtris hoſtilibus perforabantur Antonii naves, aut ſingulas à pluribus circumventas amittebat. Erant in altera parte gubernatores periti, remex alacer, dux intentus: in altera præter milites nihil: ſic igitur pugnabatur, ut hinc ſola legionariorum virtute res ſuſtineretur, inde plurimus nautarum atque remigum labor eſſet. Quum ab hora quinta diei, uſque in ſeptimam multa utrimque cæde dimicatum, neutrò inclinante victoria, eſſet; Cleopatra, quæ poſt aciem anchoris in ſalo jactis naves ſuas conſtituerat, haud ultra ferens ſpei terroriſque anci pites moras, eum ſexaginta ſuis navibus, in medio pugnantium ſubito conſpecta, exterruit Cæſarianos, donec eam minime pugnandi animo progreſſam Peloponneſum verſus ſublatis dolonibus fugere animadverterunt.

Et poſt eam Antonius. Hiſtor. Miſcella. Vell. Plutarch. Julian. Orat. 3 316. Dio.

IV. Forte propitius ventus ſubortus longe has ſtatim à loco ubi pugnabatur abripiebat. Igitur ſive deceptus Antonius, & ſuos excedere prœlio ratus, ſive Cleopatram anteponens omnibus, ipſe quoque detracto inſigni Prætoriæ navis, Alexandro Syro & Scollio quodam ſolis familiarium comitantibus, intendit fugam. Neque ſegnius reſiſtebatur, nolente Imperatorem relinquere milite, à quo relictus atque proditus ipſe erat. Tandem ſub horam decimam clamante atque rogitante Cæſare, *cuius igitur auſpiciis, cujus in gratiam pugnarent poſt Imperatoris fugam?* vix inducti ſunt, ut oblatam ultro veniam accipere faterentur. Pars tamen ad ſublevandas naves projectis in mare turribus atque armamentis abierunt: quibus omiſſis Cæſariani carentes velis, & tantum ad pugnam parati, cæterarum fugam impedire ſatis rati, jam audacius & apertius, multitudine navium & vento favente freti oppugnabant.

Ignes injecti navibus.

V. Ergo erudelior quam antea pugna eſſe cœperat; nec jam gubernatorum artibus & ſuarum celeritate navium contentus Cæſaris miles, conſcendere hoſtiles, & tractis in præceps aut repulſis propugnatoribus evadere in tabulata nitebatur. Sed peribant inter hæc multi, dum contis protruſa nauigia, aut ſecuribus cæſa, præterea conjectis in has ex ante parato ponderibus prægravatæ faciſcunt: alii dum prætaltas naues ſcandunt dejecti, pars collato pede trucidantur. Igitur Cæſar, ut minore ſuorum periculo rem conficeret, ignem adferri juſſit è caſtris, quo auxilio antea abſtinere ne præda corrumperetur, cogitaverat. Tum vero paſſim à Cæſarianis ignes variis ingeniis jacti: nam præter jacula ignita faceſq; manu jactas, vaſcula quoque pice referta ac carbone tormentis vibrabantur.

Unde ſumma multis calamitas.

VI. Et quamquam dulci prius aqua conſumpta, deinde marinam infunderent exſtincturi, plus augebatur incendium, vires ex ſalſa aqua capientibus flammis. Tum vero quum omnia experiri neceſſitas cogeret, centonibus atque adeo corporibus occiſorum injectis ſuffocari viſus eſt ignis; ſed mox victis quæ obſtiterant, vento quoque exſuſcitante importunior eluxit. Igitur multiplicato metu mortis exſternati, donec quidem pars aliqua nauis ardebat, repugnabant incendio, quaſi corporum objectu arceri poſſet, cędendo tabulas, transferendo onera, aut in mare, interdum in ipſos etiam hoſtes immittendo, ut vel ſic lædercntur. Erant,

qui ſemper ſe recipientes in ea loca, quo nondum ignis penetraverat, manibus ferreis, contorumque uncis hoſtiles retinere naves ſumma contentione laborarent: ut in has inſilientes aut ſalutem conſequerentur ex victoria, aut ſi una perdere inimicos potuiſſent, ſolatium mortis.

VII. Ut autem leves Cæſaris naves periculum facile effugerunt, & ardentium tabulata ac latera ad ipſam uſque carinam depaſta flamma, locum quo concederent ultra non habentes adflabat; miſerrimis hominibus graviſſimæ calamitates incubuerunt. Multos & præcipue nautas, intactos adhuc igni fumus enecat: alii medium inter incendium tamquam in camino aſſantur: videres etiam, quos ipſa, quæ tuendo corpori ſumpſerant arma, conceptis ignibus torrerent. quæ qui abjecerunt, eminus hoſtium telis convulnerabantur. Ne quidem in mare deſiluiſſe proderat: quum alios hauriret unda, vel ineidentia tela inter ipſas aquas conficerent: pars à marinis belluis intercepta laceraretur. Et plurima mortis imago.

VIII. Soli, ut tali tempore, mitiore fato perierunt, qui priuſquã iſta paterentur, mutuis vulneribus, aut ſua manu perempti, ſimplicem mortem, & in ipſis nauibus ſuis buſtum inuenerunt. Tum demum, poſtquam eum in ſtatum deducta res erat, tuto ſuggredi ſe poſſe rati victores, ut pecuniam quam ſciebant eſſe in nauibus diriperent, ſtudioſe adnauigarunt. Nec aliunde major ea die clades his partibus exſtitit: non modo milites plurimi dum exſtinguere ignem parant, ambuſti, ſed & totæ naues hoſtilibus correptæ harpaginibus conflagrarunt. Hæc pugna A. D. IV. Non. Septembr. commiſſa, huiuſmodi exitum habuit, per noctem etiam obſtinatione pereuntium continuata, donec illuceſcente die, qui in navi pernoctaverat Cæſar, jam ſine exceptione victor, adeoque ſolus reliquus Romanæ rei rector intelligeretur. Victoria Cæſaris. Dio. lib. 51. Suet. Auguſt. 17 6. Dio. Vell. 2. 86. 1. Plutarch.

IX. Nam illa dies ſalutaris eſt habita Reipublicæ, & inde tempus imperii ejus præciſe computatur. Cæſa fuerunt hoſtium millia quinque, naves omnis generis captæ trecentæ, ſicut ipſe Cæſar in commentariis ſuis retuliſſe traditur. Nam alii cecidiſſe millia duodecim ex victis prodiderunt, ſex vulnerata, ex his inter curandum mille mortuos. At Cæſar miſſo eum Liburnis Mæcenate, qui longius inſequeretur fugientes, ad honores deorum, à quibus adjutus eredi volebat, ſe contulit. & ante cæteros Apollinem colere ſolitus, à quo & genitus gaudebat exiſtimari, tanquam præſenti numini (nam apud Actium ædem habebat antiquitus) decem naves ex præda dedicauit, ab uno remorum ordine ad decem: quę poſtea cum ipſis naualibus deflagrarant. Templum deinde eiuſdem dei ampliando nobilitauit: & pro vetere triennali agone, ludos gymnicos muſicoſque inſtituit, & certamen equeſtre, quod ſingulis quinquenniis in ſuburbio Nicopolis loco ad hoc parato ageretur, Actiacos vocari ludos jubens: eorumque cura Lacedæmoniis demandata. Et ob hanc Apollini habitus honos. Dio. Suet. Aug. c. 70. & 94. Strabo lib. 7. Plin. 4. 3. 5. Pauſan. lib. 5. & 7. Plutarch. Ant. c. 88.

X. Dedit etiam deinceps urbi condendæ operam, *Nicopolin* ex argumento vocans, quam in loco caſtrorum poſitam migrare eo juſſis vicinorum Ambraciæ & Anactoriæ regionis caſtellorum habitatoribus: quibuſdam etiam longius à Calydone & Ætolia areeſſitis frequentauit. ubi vero tabernaculum Imperatoris fuerat, Apollinis ſacellum faciundum curauit ſub dio, quod roſtris captarum nauium exornatum eſt. Eodem loco hominis & aſini ſignum ex ære poſuit; qui ad prœlium procedenti omen fecerant, alter *Eutychi* nomen habens, alter. Et in loco caſtrorum condita Nicopolis. Sueton. Aug. c. 96. Zonar.

Nicontis: quæ ſtatuæ poſtea Conſtantinopolin tranſvectæ, in Theatro Circi ſteterunt.

Patrenſes ornat Cæſar. Strabo. Pauſan. lib. 7. & 10.

XI. Ipſam quoque urbem non manubiis tantum, ſed etiam convectis in eam oppidorum ornamentis, quorum & incolas eo tranſtulerat, conſpicuam reddidit. & quo majorem novo populo dignationem circumdaret, inter Amphictyonas locum ei dedit, ſuffragiis Dolopum, quæ gens pridem interierat in Nicopolitanos collatis; & quæ Magnetes Maleenſeſque, & cum Ænianibus Achæi Phthiotæ habuiſſent; quas civitates communi Theſſalorum contribuebat. Patras etiam quæ magno partibus adjumento fuerant, immigrare coëgit ex finitimis oppidulis homines; ſed & Rhypis everſis multitudinem deduxit Patras: oppidum commodo appellentibus ſitu interire, ut cęperat, minime paſſus.

Antonius in Cleopatræ navem recipitur. Dio. Plutarch. Anton. c. 86.

XII. Igitur & ſolis Achæorum libertatem, eum jure coloniæ Romanæ tribuit, & de ſpoliis Calydoniorum, tum alia ornamenta, tum Dianæ Laphriæ ſimulachrum dono dedit. Verum hęc ad ſequentia tempora pertinuerunt. At Antonium ex prœlio profugum, ſigno navis eminus conſpecto Cleopatra noſcens, inhibuit curſum; donec Regia Prætoria venientem acciperet. tranſeenditque ille nec videre Reginam ſuſtinens, nec ab ea videri. taciturn & cogitabundus ſuffulto manibus capite in prora ſedebat: donec ad tumultum perſequentium navibus circumagi juſſis, cæteros haud ægre ſubmovit: navis una perſeveranter inſtabat, cujus in tabulato quidam minitabundo geſtu lanceam vibrans eminebat. is interroganti Antonio, *tu quis es, Antonium qui perſequeris? Eurycles*, inquit, *Lachăris filius, Laco, Cæſaris fortunâ mortem patris mei perſequor*. eum enim Antonius latrocinii crimine ſeeuri percuſſerat.

Ibique triduum ſolus exigit in prora. Dio. Triumph.

XIII. Neque tamen Prætoriam, in qua tum Antonius erat, ſed alteram (binas habebat) invaſit: eaque & alia quadam quæ pretioſam ſupellectilem vehebat, abrepta receſſit. Tum iterum priori triſtitiæ redditus Antonius, triduum ſolus exegit in prora, ſive offenſus Cleopatræ, ſive pudore viſum ſubterfugiens: donec ad Tænarum proceſſum eſt. Ibi demum opera mulierum colloquio, & mox menſę lectoque communi admoti ſunt. Jam amicorum nonnulli eum onerariis multis ad eum peruenerant, *mari res perditas, pedeſtrem exercitum in officio eſſe* nunciantes. Miſſis igitur, qui *Canidium cum legionibus & equitatu per Macedoniam in Aſiam properare* juberent; *navem* multa pecunia Regioque inſtrumento onuſtam *inter ſe dividere* amicos juſſit, *ſalutique ſuæ proſpicere*.

Exercitus ab eo relictus in fidem Cæſaris venit. Dio. Vell. n. 85. 6. Plut.

XIV. Nec deſiit reſtitantes ac flentes, ſolatia & preces miſcens, urgere donec diſcederent: eoſque Theophilo procuratori ſuo, qui Corinthi remanſerat, commendauit, ut eos tantiſper abſconderet, donec placandi Cæſaris reperiſſent viam. Pauci fugiſſe Antonium ſenſerant: neque facile erat credere veterem Imperatorem, & vices Fortunæ haud ſemel expertum, relictis integris legionibus undeviginti, millibus equitum duodecim, in fuga præſidium arcemque ſalutis collocaſſe. Milites certe deſiderio & exſpectatione ejus etiam poſtquam abiſſe eum pernotuit, per ſeptem dies conditiones à Cæſare oblatas recuſarunt: donec pro Antonio, quos diximus ad eum miſſos, adfuerunt, maturari fugam prœcipientes. Tum quidem mœſtus & ſubiratus Imperatori miles efferentem ſigna Canidium aliquantis per ſequutus; ubi caſtra ſua, in quibus pauci remanſerant, in poteſtate Cæſaris eſſe didicit, & Canidius ſuos haud minus quam hoſtem metuens, no-

Grati animi in Murco exemplum.

cturna fugâ ſe proripuit: inops omnium, ſine imperio, ſine commeatu victori ſe citra prœlium permiſit.

Qui victoria clementer utitur. Velleius. Dio. Pauſan. 4.

XV. Neque major moles in recipiendis Antonii ſociis fuit. domum ab infelice prœlio regreſſi, nihil moverunt poſtea, ſed in fidem poteſtatemque Cæſaris, alii ſtatim, quidem haud multo inde tempore ſe dediderunt. Cæſar victoria per quam clementer uſus eſt, ingenione ſuo, an ut Antonium oneraret invidia eorum, quæ duo poſt Mutinenſem atque Philippicam victoriam peccaverant. Civitatibus tamen Græciæ, dein Aſiæ pecunias tantum imperavit, gentiumque concilia ſuſtulit. Thuriatas Meſſeniæ populum, Lacedæmoniis, quorum odio ſequuti Antonium fuerant, ſubjecit. Tetrarchis atque Regibus, præter Amyntam & Archelaum; quidquid oppidorum ab Antonio acceperunt, ademit. Philopatora Tarcondimoti filium exuit regno. idemque fatum Lycomedis fuit, Ponti Cappadocii partem obtinentis: & Alexandri, quem accuſato fratre Jamblicho præmium accepiſſe cognoverat ab Antonio, quem & mox in triumpho ductum interemit.

Multis ignoſcendo. Strab. lib. 12. Dio. Vell. Senec. de Ben. 2. 25.

XVI. Sed quæ ſub Lycomede fuerant, Medio cuidam tribuit Cæſar, qui priuſquam res prœlio permitteretur, Myſis concitatis, bellum contra Antonianos ſuſceperat. Cleoni quoque Gordiucomenſi ob ſimile meritum Myſiæ conceſſę partes, ut ex latrone Regulus fieret, & Jovis Abretteni ſacerdos, à quo aucta mox patria *Juliopolis* appellationem accepit. Cydonios atque Lampæos Cretæ populos, quorum auxiliis erat uſus, liberos eſſe juſſit, etiam reſtitutâ Lampe, quam belli turbo everterat. Adverſus Romanos varie ſe geſſit, alios pecunia, haud paucos etiam vitam mulctando. Tamen & quibuſdam ignovit, à quibus ſæpe graviter læſus fuerat. Horum facile principes C. Soſius, quum L. Arruntii fide interim latuiſſet, poſtea enixis ejus precibus, & clementia Cæſaris iram vincente, ſervatus eſt. M. Scaurum Sex. Pompeii fratrem uterinum, deſtinatæ neci Mucia mater eripuit. C. Furnius patris impetrata ſalute, memorabili voce gratias egit: *Hanc unam, Cæſar, habeo injuriam tuam. effeciſti ut viverem & morerer ingratus.*

Murci preces pro Barbula. App. lib. 4. Civil. & Ovid. Triſt. 1. 4. 39. 2. 8. 25.

XVII. Hæc exempla lenitatis Murco (nam nomen ejus, quę Græcorum ſcriptorum negligentia eſt, aliud non reperi) fiduciam dedit, pro Barbula, qui inter duces Antonii militaverat, deprecandi. Quam rem quum admodum anxie ac diligenter ageret; miratus Cæſar hominis ſolicitudinem, *ecquod igitur ei tantum cum Barbula amicitiæ jus eſſet*, interrogavit. Ibi Murcus, *Quod inter homines ſanctiſſime conſervari intereſt. tuque probare etiam in hoſtibus conſuevi-ſti, fides me incitat, & referendæ pro meritis gratiæ deſiderium. Tres ſunt quibus omnia me debere arbitror, tibi, qui me numero proſcriptorum exemiſti: M. Agrippæ, cujus precibus exoratus es: & huic, cujus pro ſalute nunc ſolicitus ſum. nam is mihi patronum Agrippam paravit, & antea quoque fuit in me liberalis. Quippe clade Bruti captus, quum agnoſci timerem, pro ſervo venii. Emit me Barbula, & induſtrium eſſe cernens, diſpenſatorem conſtituit. deinde quum aliam in me indolē deprehendiſſet, id quod erat ſuſpicatus, ut verū fatterer, ſalute promiſſa, monuit.*

Grati animi grati perpulchrū exemplum.

XVIII. *Contra ego latere adhuc ſub hac perſona cupiens, negare, obteſtari, nomen, genus & priores dominos fingere. nec exempta Barbulæ ſuſpicio eſt, Romamque proficiſcens ſecum ire juſſit, ſiquidem proſcriptus eſſem, haudquaquam promptæ,*

Antonii militis Cæſarianis mixti.

ſequuturum arbitratus. Caterum bona mea fortuna factum eſt, ut quidam amicorum Barbulæ, qui ſalutandi eum cauſſa ad portam proceſſerant, me cognoſceret, idque ei clam indicaret. Tum ille non prius adquievit, quam ſecuritatem mihi tuo beneficio redderet. Ejuſdem benignitatis occaſio, en iterum offertur tibi, Cæſar. Barbula inter Antonii præſidia deprehenſo meam imitari ſolertiam placuit; ſervum finxit. à me, diſſimulante notitiam ejus, emptus eſt. Per te, Cæſar, fortunam tuam, tamque faventes ad omnia deos oro, aut ſalutem unius hujus capitis concede mihi, aut me una interfici jube. Tolerare dolorem non potero, ſi tam fuero infelix, ut cui vitam debeo, ſervare nequeam. At vero tua me conſolatur humanitas, quam ſæpe alias, & modo adverſus inimiciſſimos demonſtraſti. Macte hac clementia quæ te in cœlum aliquando feret, & interim æquitate deum præſtabit, ut tam miſericors victor, nec offendi debeas à quoquam & quum fueris offenſus ſemper poſſis ignoſcere.

Curio, & alii quidam occiduntur. Dio. lib. 51. Vell. 2. 86.

XIX. Non repulit tam honeſtas preces Cæſar; ſavitqi exemplo, quod his etiam annalibus ab oblivione vindicandum exiſtimavi. Additur apud Appianum, ſolum hujus geſti reliquum auctorem, *id par amicorum una quoque Conſules majores fuiſſe.* cæterum inter magiſtratus eorum temporum, nullum quod huc accommodari poſſit collegium reperio. Inter hæc documenta manſuetudinis, etiam vindicta partes ſuas obiit, occiſo inter clariſſimos Curione, cujus pater pro Cæſ. Dictat. pugnans in Africa occubuit. Sed & alii quidam interfecti. excuſantibus Cæſaris amicis, *periſſe bis meritos, qui hoſtilia auſi, ne deprecari quidem voluiſſent.* Sed inter omnes maxime miſerabilis Aquiliorum exitus, quibus cognomen Floris, fuit. pater & filius erant, nec niſi uni Cæſar, ſortiri jubens, vitam indulſerat. Sed pietate filii ſe ſtatim ad ſupplicium offerentis, & occiſus ipſe, nec ſervatus pater eſt. namque ſuis manibus, præ dolore orbitatis, ſibi conſcivit necem.

Antoniani in victrices legiones diſtribuuntur. Suet. Aug. 17. 6 Dio.

XX. Cæſar inter hæc Antonianis militibus, qui nondum expleta ſtipendia habebant, ſuas in legiones diſtributis, & disjunctis per varia caſtra legionibus, veteranos Brunduſium præmiſit. Admonitus erat Sicula ſeditione, ne tantam vim militum eodem loco haberet. Etiam ad libertorum motus penitus ſedandos, quartam iis penſionem, quæ adhuc ex imperata pecunia debebatur, remiſit. Et hi quidem datorum haud ultra memores, retentam partem in lucro hilares computabant. Militum vero qui adhuc ſub ſignis agebant, diligentia tribunorum, & ſpe Ægyptiæ prædæ quieſcebant: dimiſſi poſt victoriam ſine præmio ſtomachabantur. quæ indignatio quum non multo poſt in ſeditionem erupiſſet, non tamen imparatum Cæſarem nacta eſt. Nam is proviſu futurorum Agrippam per cauſſam aliorum negotiorum in Italiam miſerat; veritus ne Mæcenas Urbis Italiæque præfectus, quoniam manebat in Equeſtri loco, contemneretur.

Agrippa & Mecenas amicorum Cæſaris principes. Tacit. l. 30. 4. Plin. 37. 2. Dio. Suet. Aug. 28.

XXI. Ex omni cohorte amicorum duo hi præcipua apud eum gratia erant, his ſecreta ejus innitebantur; horum fidei tantum credebat, ut quum duas indiſcretæ magnitudinis gemmas inſculpta ſphyngis imagine haberet, altera ſignaret ipſe, alteram penes hos relinqueret, ut per abſentiam ſuam, quæ poſtulaſſent tempora, epiſtolæ & edicta ejus nomine proponenda ſignarentur. Ad hos aut alios, ſi quid occultiorum literarum daret, ridenda nunc pueris calliditate pro unaquaque lectra quam volebat legi, ſequentem ponere ſolebat. ipſius autem epiſtolas ad Senatum ſcriptas, aperiebant illi, & mutatis quæ volebant iterum obſi-

gnatas reddebant. Unde quum pro diversitate temporum sæpe variaret oratio, communiter jactari cœpit, *Sphyngem adferre enigmata.*

XXII. Neque minus aut nota per Italiam, aut propter collationem pecuniarum, quam frequenter imperabat, terribilis erat Mæcenatis rana: nec tam quomodo signata edicta essent, quam quid juberent referebat. Tamen Cæsar cavillationes non ferens, postmodum imagine sua signare instituit. quod & sequentes Imperatores fecerunt, Galba excepto, qui gentilitium insigne retinuit, è prora navis prospectantem canem. Dimisso in Italiam Agrippa, Cæsar velut ista cura exsolutus Græciam obiens civitates ordinabat; frumentum quod bello superat afflictis exhaustisque distribuebat; sacra fanaque visebat. etiam initiatus est Cereris & Proserpinæ Eleusiniis. Cæsar Græciam obit. Plin. Dio. Plutarch. Suet. Aug. c. 93.

XXIII. Inde quum in Asiam transmisisset, certiora de Antonio cogniturus, audito veteranorum tumultu, & crebris Agrippæ literis revocatus, ne se procul amoto, si forte ducem idoneum essent adepti, magnas turbas darent, in Italiam redire, quamquam hyemante mari constituit. Sed exacto interim anno, qui suffectos etiam Consules, ex Kal. Maji M. Titium ex Kal. Octobris Cn. Pompejum habuit; Imperator Cæsar quartum Consulatum iniit in Asia, cujus M. Licinium M. F. Crassum collegam habuit, quamquam ille Pompejanis, dein Antonianis in partibus, nec dum Prætor fuisset. Illa quoque peregrinatio Cæsaris dignum relatu pietatis ac clementiæ exemplum habuit. In Italiam revocatur. Dio. Plutarch. Suet. August. cap. 26. Appian. lib. 4. Civil. Urb. cond. an. 723. Pietatis ac clementiæ exemplum.

XXIV. Forte Sami dum captivos cognoscit Cæsar, Metellus adesse jussus, senex squallidus sordidatusque processit, qui inter duces Antonianos in potestatem venerat. Ad id nomen exsiliens filius ejus, qui tum in consilio sedebat, vix in ista illuvie adgnitum patrem complexus; *hic*, inquit, Cæsar, *hostis tibi paulo ante, ego miles fui. non magis ille pœnam, quam ego præmium meriti sumus. aut igitur me propter illum occidi jube: aut illum propter me vivere. loquere tecum, oro quæsoq; & utrum moribus tuis sit convenientius judica.* Motis ad commiserationem omnibus, Cæsar, quum paulum addubitasset, infensissimum hominem, & nullis pollicitationibus ab Antonio abduci quitum, in filii gratiam venia prosequutus est. Colossicæ statuæ Sami. Strab. lib. 14.

XXV. Antiquitus tres colossicæ statuæ in eadem basi Sami fuerant, quas abreptas nuper ab Antonio Cæsar inter spolia erat nactus. Ex his Herculem ac Minervam in eadem sede curavit reponendos, Jovem qui postea in Capitolio stetit, imponi in navigium jussit. Idem & aliis civitatibus adempta ab Antonio signa reddenda curavit: & Ephesiis Apollinem Myronis opus, somnio monitus. Adulta jam hyems erat, sed nihil territus anni tempore Cæsar, quamquam bis inter trajiciendum tempestate conflictatus, semel inter Ætoliæ & Peloponnesi promontoria, iterum ad Ceraunios montes, amissis aliquot Liburnicis, fracto navis suæ gubernaculo, fusisque armamentis litus Italiæ tenuit. Jam præcesserat venientis fama. Ideirco Brundusii totum ferme Senatum, totum Equestrem ordinem, majorem partem plebis reperit. neque Magistratus remanserant domi præter duos Tribunos plebis, totidemque Prætores, retentos Senatusconsulto. magnum quoque ex aliis urbibus agmen aderat, legatione fungentium, aut sponte accurrentes. Hyberna Cæsaris navigatio. Strab. lib. 13. Plin. 39. 8. 3. Dio. Suet. Aug. 17.

XXVI. His igitur studiis omnium, & præsentia Cæsaris turbæ statim conti- Ejus adventu conquiescunt tur-

cuerunt: ipsique adeo milites alii vultu ac sermone Imperatoris exterriti, quidam spe, pars evocati ad eum profecti sunt. Igitur levius exspectatione negotium fuit. Pecunia, & omnium bellorum sociis agro insuper promisso, desideriis militum satisfactum. pauci Italorum cum Antonio senserant. horum ager & oppida militi distributa: ipsi Dyrrachium & Philippos & alias urbes transmarinas trajecti. Nec omnibus repræsentari nummi potuerunt. quamquam enim magnus pecuniæ modus postrema partus erat victoria, majoribus impensis exhauriebatur. Ideireo Cæsar suas & amicorum possessiones subhastavit, facta etiam potestate militibus ex his accipiendi, quod deberetur. Nec emptum quidquam ab ullo, nec insolutum acceptum est. quis enim esset ausus? tamen ista species prætextum honestum differendæ solutioni præbuit, donec paulo post ex Ægyptia præda promissa præstarentur. Sed & legiones deinde alias aliis Imperii partibus præsidio futuras, dicto audientes habuit.

Tacit. 1. 42. 4. Dio. Sueton.

Cæsar in Græciam redit. Dio. Sueton.

XXVII. His ita ordinatis, & his quos venia data extra Italiam manere jusserat, hoc interdicto exsolutis, Urbanos qui ad ipsum non veniissent negligens, intra tricesimum diem: quam ex Græcia solverat, eodem rediit. Et, ne iterum flectendis promontoriis hyemem adversam experiretur, translatis per Isthmum navibus, tam rapido cursu vectus est, ut Cleopatræ ac Antonio simul *discessisse ex Asia, & rediisse* nunciaretur. Illi (quippe quę fuerit horum interim fortuna, quæve consilia exponi maturum est) quum ad Parætonium pervenissent, quamquam invitis animis, in diversa cursum intenderant. Antonius in Libyam delatus, in solitudinem quamdam se condidit, duobus stipantibus amicis, Lucilio, de cujus in Brutum eximia fide supra narravimus, & Rhetore Græco Aristocrate.

Cleopatræ æstus, crudeli. tas, rapinæ: Dio. Flor. 4 10 8. Plin. 19. 1. 23. Strab. lib. 13

XXVIII. Sed Cleopatra, ne res novas allatus de clade rumor apud populos notæ levitatis excitaret, protinus in Ægyptum contendit, cum aurea puppe veloq; purpureo, sicut exierat, coronatis etiam navibus, ac perstrepentibus ut lętis rebus solet tibiis, mentita victoriam. Ast ubi se iterum tenere Regni habenas rata est, multos principum olim infensos sibi, & nunc cognitis quæ gesta ad Actium erant, ferocitores interfecit; bona occisorum publicavit; viventium rapuit: ne deorum quidem donariis abstinuit sacrilegas manus, olim adsueta per Antonium ex fanis omnibus convasare, quidquid pretio aut opere æstimari audiverat. Inter hæc Antonius, missis ad Pinarium Scarpum, qui adventum suum nunciarent; postquam neque se recipi; & à Pinario quum nuncios suos interfectos tum quosdã militum ægre rem ferentiũ, cognovit: vix prohiberi per amicos potuit, ne sibi violentas inferret manus.

Fuga in alium orbẽ tentata. Plutarch. Dio. Strab. lib. 11.

XXIX. Ab his raptus, & in navem impositus, Alexandriam pervenit. Pinarius Cyrenen quam tenebat, cum legionibus quatuor Cn. Cornelio Gallo (hic erat à Cęsare pręmissus) contradidit. At Cleopatra, quo Medi Regis amicitiã grato pignore obligaret, Artavasdis ei caput misit, qui nuper in Armenia discors Medo regnaverat. Deinde ingens opus aggressa, per Isthmum, quo mare Rubrum ab Ægyptio discriminatur, transportare naves cęperat, ut impositis militibus & pecunia, sedem quietam alio in orbe quæreret. Sed incensæ à Petræis Arabibus naves, Antoniusque talia molienti superveniens cum spe salvas adhuc sibi pedestres copias esse, consilium mutare coëgerunt: Nilique potius ostia firmis communiri præsidiis placuit. Jam ad bellum terra marique gerendum apparatibus strepebant omnia, vicini quoque populi & Reges in auxilium solicitabantur, neque pemtus interquie-

Ant. omissa Syr. in Cyrenen. frustra profectus.

quiescebant fugæ consilia, quo minus nunc de Rubro mari, nunc de Hispania cogitaretur; quam partim vi partim pecunia superabilem imaginabantur.

Antonius Timonis vitã agit. Plutarch. Dio.

XXX. Hæc consilia quo diutissime laterent, simul etiam periculum strueretur Cæsari, miserunt qui per caussam tentandarum conditionum, copias ejus corrumperent. Dum hi redeunt, Antonius minime præsentibus lætus, & ex crimine desciscentium amicorum, etiam manentibus iniquior, urbe atque frequentia relicta, jacto juxta Pharum in mare aggeri domunculam imposuit, *ibi se Timonis acturum vitam* professus, cui omnes homines odio fuisse dicuntur. Ideo Cleopatra per absentiam ejus aurea scella sceptroque & corona, tanquam seque Regnumque dedens, ad Cæsarem missis, ab hoc sibi veniam clam Antonio comparabat. Sed ille donis Reginæ ominis caussa retentis, palam minatus, *armaque & Regnum deponere* jubens, occultis promissis spem faciebat mulieri, *fore ut integrum ei Regnum relinqueretur, si quidem Antonium occidisset.* Inter hæc Canidius ipse, certissimus actorum nuncius ad Antonium venit: simul *& Herodem deficere, & alias omnes civitates Regulosque auxilia negare* allatum est.

Quam mox conviviis & epulis mutat. Plutarch. Dio.

XXXI. Hæc Q. Didio fatagente fiebant, qui Syriam obtinens Antonii beneficio, nunc Fortunam sequebatur. Idem & Arabibus incendendi Regias naves auctor fuerat. His rebus sic immutatus est Antonii animus, ut magis hoc nuncio recreatus esse, quam perculsus videretur. Projectis enim eum spe simul curis, relicto Timonio suo, (sic enim appellaverat) à Cleopatra in Regiam receptus, civitatem in convivia & epulas, se in liberalitatem, intemperanter effudit. Caussa utrique relatus in numerum virorum Cæsario, & virilis toga Antyllo data, quem ex Fulvia genuerat. Plus animi futurum Ægyptiis Romanisque putabant, si etiam post Antonium & Cleopatram ducibus non carituri viderentur. Id consilium rebus inutile, adolescentibus pernicioſum fuit, tamquam viros objiciendo iræ odioque victoris, quos melius puerilis prætexta defendisset. Hoc tempore Regina, & Antonius collegium quod instituerant *Inimitabilis* vitæ, in aliud verterunt, quod *Commorientium* vocavere, manente luxu: quem ductis in orbem conviviis cum amicis exercebant, in hoc, ut commorerentur, nomina dantibus.

Gladiatores Antonium juvare conantur. App. lib. 5. Civil. Dio.

XXXII. At ic torpor, nova subinde blandiente spe excussus est. Inter defectionem fere omnium, qui per amicitiam Antonii Cleopatræve creverant, gladiatores destinatum voluptati spectaculorum sanguinem ad usum belli obtulerunt. Cyzici discebant, ad ludos triumphales, si vinceret Antonius, præparati. Sed ejus calamitate cognita, manu facta Ægyptum petere instituerunt, opem fessis rebus allaturi. Per omnia circum hostilia, nam & Amyntas, & Tarcondimoti liberi, quos ex conjunctissimis amicis acerbissimos hostes Antonio & Cleopatræ Fortuna fecerat, transeuntes infestaverunt: tamen non sine hostium damno repulsis omnibus, in Syriam enisi sunt. Ibi Didius eos excepit, intercluso Ægypti aditu arma simul pertinacibus, & præmia transituris ostentans. Illi neque minis perlici, nec promissis passi, Antonio adsignificandum curant, *si venire eo placeret, haud difficillimum conjunctis in Syria bellum fore.*

Antonii ad Parætonium expeditio.

XXXIII. Diu præstolati responsum, quum nec Antonius, nec ab eo quidquam compareret, periisse rati, sic quoque constanter Didio se permiserunt; pacti, *ne postmodum in arena pugnarent, atque, dum eis de rebus certior fieret Cæsar, Daphne*

Hiſtor. Miſc. 7. 9. Dio.

(ſuburbium eſt Antiochiæ) *ad habitandum ſibi concederetur.* Sed hi deinde decepti à Valerio Meſſalla, quum ſe putarent militatum ad legiones mitti, diſperſi varie, atque per occaſionem interfecti ſunt. Antonius ne in Syriam iret, ſicuti conſtituerat, alia ſuſcepta expeditione præpeditus, & illos perdidit; nec ad Parætonium fuit felicior. Ea prima Ægypti civitas occurrit à Cyrenaica venientibus, quo ſe cum legionibus Pinarii contuliſſe Cornelium Gallum audierat. ratus igitur ſuos modo milites, ad conſpectum noti Imperatoris novum ſacramentum abjecturos, præſertim ubi validis inſtructum viribus vidiſſent; opinione ſua difficiliora omnia invenit.

Cornelii Balbi ſtratagemate infelix. Dio. Plutarch.

XXXIV. Colloqui enim cupiens, obſtrepentibus tubis exaudiri non potuit: & improviſa hoſtium eruptione detrimentum accepit: & quum ad Parætonium victoribus deditum claſſem admoveret, arte Galli ſuperatus eſt. Ille proviſo Antonii conſilio, cathenis noctu per anguſtias portus ſub aqua tenſis, de cætero ineuſtoditum reliquerat. Igitur invecti ſine metu Antoniani, attractis per inſtrumenta præparata cathenis concluſas naves, & undique ſimul à terra marique & imminentibus ædificiis oppugnatas tueri nequiverunt; quum incendio perirent aliæ, aliæ undis mergerentur. Interim nec à legationibus ceſſatum: poſtquam ſine fructu prima reverterat. Aliquamdiu conſultatio tenuit, quis mitteretur, quando pauci ſupererant amicorum, & horum ſuſpectam fidem perfidia transfugientium effecerat.

Cleopatræ & Antonii legatio ad Cæſarem. Dio. Plutarch. Suet. Aug. 17. 9

XXXV. Euphronius igitur delectus filiorum Antonii præceptor, per hunc *magna pecuniæ vi oblata, Regnum liberis ſuis* Cleopatra orabat: Antonius deditoad ſupplicium Turullio Senatore, qui inter percuſſores ſuperioris Cæſaris fuerat, eum *neceſſitudinis & amicitiæ priſtinæ* admonuit: *& mutuum amorem, ſeriaque & luſus communicata* referens; *ut ſibi ſaltem Athenis, ſi in Ægypto nollet Cæſar, privatam agere vitam liceret*, poſtulabat. Magis tamen pro Cleopatra, quam de ſemetipſo ſolicitus, non recuſabat mori, dum illi parceretur. Huic quoque legationi nihil reſpondit Cæſar. ſero tentari conditiones vitæ. Turullium interfici juſſit. Turulli mortem locus ubi periit, inſigniorem fecit, quod ira Æſculapii tractus ad ſupplicium videretur.

Cleopatram aſſu petit Cæſar. Val. Max. 5. 1. 10. Dio. Plutarch.

XXXVI. Quippe Actiaco bello præfectus Antonii ad naves fabricandas lucum Æſculapii in Co inſula ſuccideraat. Igitur eodem in luco occiſus pœnas dediſſe violato numini credebatur. Quum duæ jam legationes irritæ fuiſſent, Antyllum filium cum multo auro Antonius miſit; aurum acceptum, Antyllo non plus quam prioribus reſponſi datum. At Cleopatram quemadmodum ſemel iterumque minis atque pollicitationibus verſaverat, ita tum quoque iiſdem artibus adgreſſus Cæſar, Thyrſum ex libertis hominem non ineptum ablegavit, qui *correptum ejus amore Cæſarem* mentitus, ad Antonii eædem impelleret mulierem impudicam, fiducia formæ multiplicibuſque experimentis ſatis perſuaſam, ſe ab omnibus hominibus amari.

Ne ſuo Triumpho ſe morte eriperet. Dio. Auct. de Vir. Illuſtr. c. 80. Joſ. Ant. 15. 5. Plutarch.

XXXVII. Quippe ſi vera fama eſt, tantæ libidinis hæc Regina fuit, ut ſæpe proſtiterit; tantæ pulchritudinis, ut multi noctem ejus morte propoſita emerint. Cæterum Cæſari major erat ſolicitudo, ne per deſperationem ſeque & preciosiſſima rerum Triumpho ſuo eriperet. Quippe jam à multis eam diebus nihil majore cura agere cognorat, quam ut omnis generis venena experiretur. *inter*

quæ ferunt *aſpidem placuiſſe præ cæteris, quod aliis celerem mortem cum cruciatu adferentibus, aliis haud ſatis præſentibus, hujus ſerpentis morſu, citra contractionem vultus, aut membrorum jactationem, torporem ictis obrepere viderat; eoſque deficientibus placide ſenſibus ſi commoverentur, hoc non minus ægre ferrent, ac ſi ex profundo ſopore eſſent excitati.*

XXXVIII. Jam in Regia conditorium ſibi ſtruxerat, eoque inferri ex opibus ſuis juſſerat chariſſima, aurum, argentum, ſmaragdos, uniones, ebenum, ebur, odores, *ſecum omnia crematúram* præferes, *ſi vel minimum Fortuna titubaſſet.* Id ne fieret, *ſpem mulieris alere Thyrſus, & procul ab his cogitationibus abducere* juſſus erat. Hoc dum ſedulo magis quam caute agit, longis ejus cum Cleopatra ſermonibus, & hinc teſtificatione benevolentiæ, irritatus Antonius adripi hominem juſſit, & quæ graviſſima injuria haberetur, ſi cujus eam patronus intuliſſet, flagris cædi imperavit. Remiſit eum deinde cum literis factum excuſantibus, *non mirum eſſe ſi malis prope amentem inſolentia & inſultatio hominis liberti, ad iram compuliſſet. id ſi gravate ferat Cæſar; eſſe penes illum Hipparchum, ſuſpenſumque poſſe ad ſatietatem flagellari.* Secum omnia pretioſa crematutam minata. Dio. Plutarch.

XXXIX. Hic inter Antonii libertos in maximâ gratia patroni fuerat: atque idem rebus inclinatis primus omnium tranſierat ad Cæſarem. Dum iſta geruntur, Herodes Rhodum, ubi tum Cæſarem agere didicerat, trajecit; rerum ſuarum anxius. Igitur, licet reliquo retento cultu, diadema ſepoſuerat. Ubi vero conveniri Cæſarem datum, & dicendi copia facta non pro magnitudine rerum, quæ tum in diſcrimen veniebant, humiliter ſupplex, ſed vultu ac voce intrepidus: *ſi non modo cum Antonio bellum gerere decreſti, Cæſar, ſed etiam cum his qui amicitiam Antonii cum fide colentes, nihil inexpertum reliquerunt, quo ille rerum potiretur; abſolvi me vix poſſe ſatis intelligo.* Herodes ad Cæſarem veniens. Plut. Ant. cap. 87. Joſeph. Ant. 15. 5.

XL. *Quamquam enim Arabum impediente motu, ad bellum cum eo profectus non ſum; votis tamen pro eo ſteti: & quum pecuniæ & commeatuum quem maximum modum poteram, mitterem; pauciora me facere, quam meritis ejus deberetur, exiſtimavi. Unum imprimis non pro quolibet amico feciſſe videor; quod etiam poſt Actiacam pugnam in illo tranſitu rerum immobilis ſteti; ſi non firmiſſimum ſocium, fidelem certe conſiliarium Antonio ſervans. cui ſi ille paruiſſet, ſublata Cleopatra & geſſiſſet omnia melius, & facilius rediſſet tecum in gratiam. Hæc ego & fruſtra negem, multis argumentis atque teſtibus facillima deprehendi: & ſi exitioſa mihi erunt, non erubeſcam adeo præclaram culpam, viroque bono dignam apertiſſime confiteri. Sin vero me prius experiri cupis, jam non ignarus, quo ſim erga bene meritos animo; nihil vetat, quin eamdem fidem, quam hactenus Antonio præſtiti, tibi poſthac, quem fata dominum terris oſtenderunt, conſtanter approbem.* Fatendo ſe fidum Antonio fuiſſe.

XLI. Plus apud grandem & magnificum Cæſaris animum hæc erectæ indolis index oratio valuit, quam ſi cauſſam ſuam abjectiſſimis precibus egiſſet. Igitur licet non novum eſſet Cæſari, Reges ipſi quotidiana officia togatos, ac ſine Regio inſigni, clientium more præſtare; reſumere diadema juſſus, eumdem mox honoris gradum apud Cæſarem habuit, quam apud Antonium habuiſſet. Adjecit Cæſar *etiam ab Didio perſcriptũ eſſe ſibi adverſus gladiatores auxilia Herodis uſui fuiſſe.* Paremque Cæſari fidem polliceendo abſolvitur. Sueton. Aug. cap 60.

XLII. Alexandro tamen Laodiceno ex familiaribus Antonii veniam impetra-

Sed Alexandro Laodiceno veniam non impetrat. Plut. Ant. Joſeph.

re non potuit, *jusjurandum* obtendente Cæſare, *quo ſe obſtrinxerat vindicaturum in Cleopatræ lenonem*. nam hic Alexander maximâ Reginæ machina adjiciendam Antonii animo ſororem Cæſaris fuerat. Is nuper ab Antonio miſſus ad Herodis retinendum animum, ipſe quoque exuerat fidem, Cæſaremque adierat Herode deprecatore conſiſus. At Herodes multa Cæſari ejuſque amicis dilargitus; ad Ægyptiacum bellum profieiſcenti comes fuit: donec in Syriam perventum, inde ad res domi ordinandas in Regnum recurrit. Cæſar interim per Syriam ducens exercitum, Alexandrum quem in vineulis adduxerat, in patria ipſius ſupplicio juſſit affici.

Studium Herodis in Cæſarem. Joſeph. Plutarch. Hiſtor. Miſcella 7. 9. Dio. Oroſius. 6. 19.

XLIII. Inde contendenti in Ægyptum circa Ptolemaidem, Herodes occurrit cum ampliſſimis muneribus, etiam militibus neceſſaria hoſpitaliter præbens. Ipſum quoque Cæſarem, eum amicis centum quinquaginta magnifico convivio excepit. & quia per loca arida ducendum erat, ita providit, ut neque vinum, neque, qua magis erat opus, aqua exercitum deficeret. diſcedens deinde Cæſari talenta octingenta dono dedit: omnibuſque rebus ita ſe geſſit, ut *eum opes Regni quod tenebat, animi magnitudine multum exſuperare*, æqui iniquique faterentur. Cæſar ad Peluſium adducto exercitu, deditione Seleuci, quem præſidio Regina præfecerat, oppidum cepit. Inde quum Alexandriam peteret, equitatus itinere fatigatus eruptione pulſus eſt Antonii, qui ad famam iſtarum rerum motis à Parætonio caſtris, urbem intraverat.

Cæſar ſuorum fidei credit. Dio. Plut.

XLIV. Ergo uno hoc inter tot adverſa proſpere decertato certamine lætior quam pro magnitudine geſtæ rei, Cleopatram in armis complexus, commendavit ei quemdam, qui præceteris fortiſſime illo die pugnaverat. Sed ille dono Cleopatræ loricam auream, & ex eodem metallo galeam nactus, cum his nocte proxima ad Cæſarem tranſfugit. Contra ſuis adeo fidebat Cæſar, ut libellos in caſtra conjectos, quibus *ad ſe tranſituris denarios mille quingentos viritim* Antonius pollicebatur, ipſe recitaverit palam: & tempori congruentia loquutus, etiam promptiores ab ira ſollicitatæ fidei habuerit. Ideoque Antonius, poſtquam omnia tentanti nihil ſatis procedebat, ad ſingulare certamen Cæſarem provocavit. Ille deridens hominem, *multas patere ad exitium vias morituro* reſpondit.

Antonius de extremis cogitat. Oroſius. 6. 19. Plutarch.

XLV. Sub hæc tempora ſemper obverſante cogitatione extremorum, pridie quam terra marique Cæſarem adoriri ſtatuerat, *ſuper cænam juſſiſſe ſervos* fertur, *invitarent ſe hilarius, pericrtum enim eſſe, utrumne poſtridie eidem domino ſint miniſtraturi*. Eadem nocte inter mœſtitiam ſuſpenſorum & triſtiſſima opperientium, ſubito cantus ſtrepituſque per mediam urbem bacchantium auditus, deinde per obverſam hoſti portam magno tumultu exeuntium, curioſis talium conjecturis perſuaſit *excedere deum, & ad hoſtes tranſire, quem præ cæteris Antonius vitæ habituſque adfectata ſimilitudine coluiſſet*. Prima deinde luce Kalendis Sextilibus, quum eductis in collem quemdam copiis, naves ſuas hoſtilibus obviam procedere vidiſſet, prælium futurum exiſtimans, ſpectandi cauſſa ſubſtitit.

Prodi ſe clamitat à Cleopatra. Oroſius. Plutarch. Dio.

XLVI. At illæ, poſtquam Cæſarianis appropinquarunt, ſalutantes ac reſalutatæ illis ſe conjunxerunt, converſiſque proris protinus una facta claſſis oppidum inteſta petere vita eſt. Dum in his oculos animumque defixa habet, ecce autem & equites ab eo tranſfugerant. properans igitur confligere donec aliquid militum imperetur, hic etiam adverſante fortuna, ſe recepit in urbem, *proditum*

Antonii mors in monumento Cleopatræ.

ſe à Cleopatra iis ipſis clàmitans, *contra quos bellum illius cauſsa ſuſcepiſſet.* Sane mulierem amari à Cæſare ratam, iterumque per Imperatoris Romani connubium ſumma quæque ſperantem, & Peluſium prodidiſſe creditum eſt, & Alexandrinos palam ad reſiſtendum hortatam, occultis mandaris deterruiſſe, & claſſi auctorem extitiſſe transfugiendi. Cæterum priores ſuſpiciones, apud hominem credulum ſummi amoris demonſtratione facile diluerat.

XLVII. Namque ſuo natali, pro præſenti magis tempore, quam ex priſtinâ conſuetudine acto, natalem Antonii magnificentiſſime celebravit, ut *multi qui ad cœnam invitati pauperes acceſserant, diſceſſiſſe divites* referantur. Seleuci etiam uxore & liberis ad ſupplicium Antonio deditis; Peluſiacum crimen extinxerat. Tum vero deſperantem, & propinqua mortis exſpectatione nulli parſurum metuens, in monumento ſuo ſe concluſit uno tantum eunucho, duabuſq; ancillis comitata: nec mora perferendum ad Antonium curat, *Reginam vixiſſe.* Hoc ictus ille nuncio, *quid ergo eſt,* inquit, *cur moreris in vita miſer, cauſsa vivendi ſublata?* loricęq; reſolvens nexus. *non id mihi dolet,* ait, *quod amiſi te Cleopatra; ecce enim ſequor: ſed quod in morte conſciſcenda tantus Imperator à muliere prævenior.* Tunc converſus ad fidiſſimum ſervum, quem pridem jurare ſibi coëgerat, *mortem ei ſimulatque juſsus eſſet, acceleraturum*; promiſſa exegit. Ille gladium eductum alte vibrans, ictum quem Antonius exſpectabat, ſuo corpori intulit.

Illa perferendum ad Ant. curat, ſe vixiſſe. Dio. Plutar.

XLVIII. Tum Antonius, *male,* inquit, *Eros, qui dominum ferire non ſuſtinens, nihilominus quid fieri oporteat admonuiſti.* cum his dictis ventre percuſſo, lectulo ſe excipit: & quia ſe nondum mori ſentiebat, orat *præſentes, ut ſibi commodarent manus.* at illi protinus omnes diffugerunt. Dum ita ſe torquet & lamentatur, à Cleopatra ſcriba Diomedes adfuit, deportaturus eum in Mauſoleum, ubi illa ſe incluſerat. Quippe audito tumultu, quem Antonii deſperatio exciverat, id quod erat conjiciens, ex faſtigio ſepulchri, quod nondum erat abſolutum, proſpexerat: ſic comparata janua, ut ſemel clauſa, non poſſet iterum aperiri.

Hoc nuncio motus ſibi gladium admovet. Dio. Plutarch. Oroſius.

XLIX. Antonius *audito Cleopatram vivere*, nam proſpicientem ingenti clamore populus exceperat, ipſe quoque colligere animum cępit: & multo ſanguine profuſo deficiens, tamen ardenter expetivit ad Reginam deferri. Sublatus manibus ſervorum, deinde ab ipſa Cleopatra & ancillis, per funes qui attrahendis ſaxis ibi defixi erant, in monumentum ſubductus eſt. *Nihil eo ſpectaculo ſe vidiſſe miſerabilius*, teſtati ſunt, qui interfuerunt. Quum tantę modo vir majeſtatis oppletus ſanguine, ſemianimis attolleretur ab infirmis & pavidis mulierculis, manus tendens ad Cleopatram, & ſublevando ejus labori fruſtra niſus aſſurgere. At illa manibus incumbens, & prono vultu correptos funes vix ad ſe pertraxit; cohortante turba, quę ante monumentum concurrerat, & vicem amborum ſolicita.

Saucius in monumentum Cleopatræ adtrahitur. Plutarch. Hiſtor. Miſcella 7. 9.

L. Ubi tandem deponi in ſtratum potuit, illa veſtem dilanians, faciemq; & pectus percutiens, cruorem abſtergebat, *virum dominum Imperatorem* appellando: tam veriſimili dolore, ut ſuorum oblita malorum illius miſeratione videretur. Sunt qui credant *ipsâ, non ignarâ quantopere amaretur, ideo commentũ de morte ſua excogitaſſe, ut Antonium ad necem ſibi inferendam compelleret.* Sed quia poſtea quoque, licet multis Cęſaris amicorum promiſſis lactata, perſeveravit mori; probabilior ea viſa eſt narratio, quam ſum exſequutus. Antonio certe luctus iſte ſolatiũ

Vox poſtrema morientis. Dio. Plutarch.

in extremis attuliſſe dicitur; poſtulatoque mero, ſive urgente ſiti, ſive quo celerius expiraret, hortatus eſt, *uti quantum citra turpitudinem poſſet, rationem haberet ſalutis ſuæ: atque ex omnibus amicis Cæſaris C. Proculejo maxime confideret. ſe vero ne magis ob noviſſimum caſum putaret deflendum eſſe; quam pro fortunato habendum, qui tanto tempore maximi imperii compos, poſtremo Romanus à Romano ſuperatus eſſet.*

Cæſar illachrumatur ejus morti. Dio. Plutarch.

LI. Jam in ſinu Cleopatræ efflabat animam, quum idem ille Proculejus miſſu Cæſaris adfuit. Nam inter trepidationem vulnetati exportatique Antonii, Dereetæus quidam ex ſatellitum numero, pugionem cruentum ad Cęſarem detulerat, expoſito quid acciditſet. Ajunt *Cæſarem ad nuntium non tenuiſſe lachrumas, recordatione priorum, & quot quantaſque res hoc collega atque ſocio peregiſſet, amicis deinde convocatis recitaſſe literas, oſtenſum, quam ad æqua ſua poſtulata benignaſque conditiones, ſemper ille contumaciter & abſurde reſpondiſſet.* Proculejo mandarat Cæſar, *daret operam, ut viva in poteſtatem veniret Cleopatra*, theſauris timens, *quos* illa *ſecum crematuram* jactaverat; & ipſam cupiens in triumpho ducere. Igitur nihil ei promittere ſtatuerat, ne ſibi faciundi quod voluiſſet adimeret poteſtatẽ ſervando pollicita, aut fide poſthabita merito reprehenderent.

Cleopatra cõprehenditur.

LII. At illa diffidens omnibus, eum Proculejo per oſtium firmiter occluſum, ut tamen pereipi ſermo poſſet, colloquuta, *Regnum liberis ſuis* petebat: ille *bonum habere jubens animum, & omnia Cæſaris humanitati permittere*, locum interim diligenter contemplatus, Imperatori renunciavit. Ab hoc continuo miſſus eſt Cornelius Gallus; quo de induſtria producente ſermonem, Proculejus cum duobus miniſtris, per faſtigium ædificii, qua parte paulo ante receptus Antonius fuerat, ſcalis admotis ingreſſus, ad oſtium, ubi eum Gallo colloquebatur Cleopatra, properavit. Sed ad vocem aneillæ, *ò te miſeram Cleopatra! viva ecce, viva deprehenderis!* ſicam illa, qua cincta erat, haud impigre ſtringens, deferebat in pectus; quum complexus eam ambobus brachiis Proculejus: *bis*, inquit, *iniqua es Cleopatra, tibique & Cæſari; lætioris fortunæ vices tibi, manſuetudinis & clementiæ gloriam illi auferens.*

Cæſar Alexandriam ingreditur. Dio. Plutarch.

LIII. Erepta deinde ſica, veſtibuſque excuſſis, ne quid ad mortem ſibi conſciſcendam aptum relinquerent, Epaphrodito eam tradiderunt: qui miſſus ad hoc à patrono fuerat, ut molliſſime & blandiſſime habitam, ſumma diligentia cuſtodiret. Dum ad hunc modum Regina corripitur, eunuchus ejus aſpidis ir-

Digitized by Google

Colloquium Cleopatræ cum Cæſare.

ritatæ morſu fatum citans, in foveam ante ad hoc præparatam ſe dimiſit. Poſt hæc ingreſſus eſt Alexandriam Cæſar, Areum philoſophum indidem, manu tenens, ſermoneſque cum eo ſerens; quo majorem illi apud cives ſuos auctoritatem ſtatim ab hoc conſpectu conciliaret. In gymnaſio tribunal erigi juſſerat: eo conſcenſo Græca oratione, quo intelligi ab omnibus poſſet, Alexandrinos humi ſtratos, & veniam ſuppliciter orantes exſurgere juſſit: *ſe enim universos noxa liberare tres ob cauſſas. quod Alexandriam conditorem urbs habuiſſet: quod eſſet ipſa maxima ac pulcherrima: poſtrema quod Areum tam charum ſibi caput produxiſſet.*

Antylli & Cæſarionis pædagogi proditores. Dio. Suet. Aug. cap. 63. & 17. 22. Plut. Anton. Dio.

LIV. Antyllus deinde juſſu Cæſaris ſtatim interfectus: nec profuit, quod filiam ejus deſponderat olim, & in delubrum *Cæſaris* confugerat. Id Cæſari priori tamquam Heroi a Cleopatra ſtructum, ſub *Cæſarei* nomine diu poſtea ſuperfuit, donec poſt octingenteſimum à Chriſto nato annum, fortuito incendio conflagraret. Theodorus pædagogus ejus, idemque proditor, quum detractam occiſo precioſam gemmam veſti ſuæ inſuiſſe, poſt inficiationem convictus eſſet; in crucem actus pœnas perfidi avarique animi dedit. Neque amantior Cæſarioni pædagogus contigerat Rhodon, qui eum ut Cæſari traderet, revocari ab eo ad Regnum fingens, ex Æthiopia, per quam à matre cum magno auri pondere in Indiam mittebatur, retraxit. Antonium interea multis Regibus atque ducibus funerare cupientibus, non permiſit Cæſar, Cleopatræ qualecumque ſolatium ſervans. illaque ſuis eum manibus Regali ſumptu, nihil prohibente Cæſare, ſepeliit.

Colloquium Cæſaris cum Cleopatra. Plutarch. Dio.

LV. Tot doloribus confecta luctuque, & exulcerato contuſoque frequentibus plagis pectore, quum in febrim incidiſſet; per cauſſam ejus morbi cibo abſtinere cœpit; inedia mori cupiens: ſicut familiaris ejus medicus Olympius, qui tum ægrotanti adfuit, ſcriptum reliquit in commentario, quem poſtea de rebus iſtis edidit. Sed interpellata ſolicitudine Cæſaris, iramque ejus, ne forte in liberos expeteret, metuens; curam corporis intermiſſam aliquamdiu reſumpſit. Quum deinde Cæſaris colloquium expoſceret, quo magis inciperet confidere, *ad illam ſe* dixit *iturum*. Ad conſpectum ingredientis erubeſcens, è thoro minime compto, in ſimplici tunica exſiluit, projecitque ſe ad pedes ejus, *dominum* ſalutando, *quod ei nomen dii tribuiſſent*. Ille *reponere ſe in lectulum* jubens, juxta adſedit, excuſationemque tentanti, & in *vim & metum Antonii* factorum culpam conjicienti, ſic reſpondit; ut omiſſa defenſione tota ſe ad preces converteret.

Artes mulebriz. Dio. Flor. 4. 10. Plutarch. Hiſtor. Miſcella 7. 9.

LVI. Multas varialque prioris Cæſaris imagines eodem in cubiculo diſpoſitas habebat: ad has manus tendens patris memoria propitiare victorem conabatur: voces etiam interjiciens, ad miſericordiam provocandam, & ſi poſſet, amorem comparatas. Quamquam enim ut in profundo luctu neglecto capillo, facies ſordidata, corpore vibicibus deformi, rubentibus tumidiſque multo fletu oculis erat; attamen nativa ejus gratia, non pauca ſui veſtigia, tamquam inter nubem radios emittebat. Inter hæc & voces jacebat fractas perplexaſque, Cæſaris etiam literis adhibitis, è quibus multas amatorum delicias legens, exoſculabatur tabellas, imagines adorabat, ſemetipſam modo deflebat, *quod non ante illum eſſet mortua*; modo reſpiciens ad adoleſcentem ſibi gratulabatur, *quod in hoc ſaltem redivivum Cæſarem contueretur*. Adverſum artes minime improviſas cer-

tum Cæſari erat tenere affectum, & animum firmiter occludere.

Commentarii theſaurorum Cæſari tradit. Plutarch. Dio.

LVII. Igitur dejectis in terram oculis, nihil de amore jam, nihil de Regno; ſed tantum *ut bono eſſet animo* reſpondit, *nihil paſſura*. Tum illa commentarium ei porrexit, theſaurorum pecuniæque deſcriptionem & ſummas continentem. Forte Seleucus aderat, unus procuratorum ejus. Hunc occultari quædam arguentem, in capillum involans, quum multis plagis contudiſſet; ſubridenti Cæſari & intercedenti, *quid mirum eſt*, ait, *indigne me ferre, quando hic contemptui habet, quam tu tali in tempore dignatus es inviſere? ſi quid de muliebri mundo ſepoſui, non mihi ſervabam; ſed ut munera inde Liviæ Octaviæque darem pro me deprecaturis*. Non offenſus his Cæſar, in quibus elucere cupiditatem vitæ exiſtimabat; *& hæc ſe conceſſurum ei, & alia quam plurima* confirmavit. Magnopere enim timebat, ne ſe interficeret illa, ſibique maximum Triumphi ornamentum eriperet. At illam ſe decepiſſe putans, deceptus ipſe eſt.

Cleopatra parentat Antonio. Dio. Horat. Carm. 1. 35. Plutarch.

LVIII. Inter nobiliſſimos amicorum Cornelium Dolabellam adduxerat Cæſar; is Reginæ ſtudioſus hoc ab ſe roganti officium clam ſignificandum curavit, *Imperatorem per Syriam reverti conſtituiſſe: ipſam cum liberis proximo triduo mari præmiſſurum in Italiam*. Hinc plane conjiciens Triumpho ſe deſtinari, quod vel multis mortibus intolerabilius credebat, decrevit antevertere. Igitur conſtituto ſecum tempore ac modo exitus, & occultiſſime præparatis miniſtris, oravit Cæſarem, *ut bona cum ejus gratia parentare Antonio ſineretur* acceptaque venia, ad tumulum cum domeſticis mulieribus perrexit. Ibi proſtrata ſuper ſepulchrum, *paucis ante diebus*, ait, *captiva his te manibus tumulavi, chare Antoni: nunc etiam parento, ne luctu quidem & planctu ſatis libero, quando cuſtodibus appoſitis alieno jam corpori detrimentum inferre prohibeor*.

Poſt magnifice epulata. Dio. Plutarch. Plinius. 4. 20. 11.

LIX. *Nec ultra quid exſpectaveris à Cleopatra tua, quæ mox imperio victoris abducetur. Ergo quos in vita diſtrahere nulla vis potuit; iis in morte disjungi placuit diis, & ſic permutari ſepulchra, ut tu Romanus in Ægypto jaceas, me infelicem Itala tellus contegat! At tu, ſiquidem iſta numina placatiora noſtratibus habes, ne deſere conjugem tuam, neque in his calamitatibus vivere, aut in illa te triumphari patere: quin ereptam his malis etiam ſepulchro junge tecum. Numquam enim acerbiorem vitam egi, quam poſt iſtos dies, quibus te careo*. His editis lamentis, poſtquam coronas & oſcula tulit tumulo, *balneum parari* juſſit, lotaque magnifice epulata eſt. Sub id tempus quidam ex agris cophinum afferens, percontantibus quid portaret, dimotis foliis ficus oſtendit: quorum magnitudinem & elegantiam mirantes, *ſumere ille, ſi quid placeret* jubens, citra ſuſpicionem intromiſſus eſt.

Feſtinata mortе decedit.

LX. Tum Cleopatra, quo Epaphróditum amoveret, vigilantiſſimum vitæ ſuæ cuſtodem, literas ei dedit obſignatas, perferendas ad Cæſarem, quibus enixiſſime rogabat, *ut ſe juberet cum Antonio ſepeliri*. His inſpectatis ſtatim intellecto quid ageretur Cæſar, ipſe ſtatuit accurrere; mox mutato conſilio propere viſuros mittit. Illi reſeratis foribus tranſacta omnia repererunt. Jacebat in precioſiſſima veſte Regioque cultu Cleopatra, in aureo diſtertoque odoribus ſolio: juxta pedes humi ſtratum corpus erat Iradis, alterius ancillarum (nam cæteram omnem multitudinem expulerat) altera jam vicina morte titubans, tamen adhuc diadema dominæ componebat. Ibi per iram dicenti cuidam, *Pulchra ne tibi*

hæc

hæc videntur, Charmium: pulchra, inquit, *illa profecto, ac tot Regum sanguine digna.* neque plura loquuta, juxta lectum heræ concidit.

LXI. Aspidis *morsu periisse Cleopatram, quę inter ficus illata fuerit*, constantior fama tenuit: & credidisse hoc Cæsarem monstravit in Triumpho prælata Reginæ effigies cum admota ad brachium aspide: alii *venenum in acu habuisse putarunt.* maculam vero in corpore nullam aut aliud veneni signum comparuisse satis constat. Cæsarem nunciata mors tam velox perculit, ivitque ipse, & adhiberi à medicis remedia imperavit. Psyllos quin etiam admovit, qui venenum exsugerent. Quum nihil proficeretur, miratus animum mulieris, *uti petierat, juxta suum collocari Antonium, & fastigium, quod mausoleo deerat, perfici* jussit. Etiam ancillis honorifica sepultura data. Sic illa magnis & virtutibus & vitiis celebrata Cleopatra, successorum Alexandri potentiam suo casu finiit. undequadragesimo ætatis anno. regnavit domi duos & viginti: ex quibus amplius quatuordecim per Antonium in Reges ipsos plurimasque nationes imperium tenuit.

Ejus breve elogium. Velleius. 2. 87. 1. Dio. Suet. Aug. 17. 20. Plutarch: Histor. Misc. 7. 9. Appian. lib. 2. Civil.

LXII. Antonio nonnulli tres & quinquaginta tribuunt annos vitæ: alii triennium ad numerum adjecerunt. cujus de ingenio fortunaque, quarum rerum nescias utra fuerit mutabilior, post tot utriusque documenta relata differere quid attinet? Imagines ejus statuæque detractæ sunt & abolitæ; Cleopatræ manserunt, redemptæ, ut ferunt, ab Archibio quodam mille talentis. is inter amicos Reginæ fuerat, charitatemque bene de se meritæ, quod bonis ingeniis solitum, post mortem ejus retinebat. Cæterum mors Cleopatræ Cæsarioni quoque exitio fuit. ajunt *ab Areo impulsum esse Cæsarem, qui ad notam principis poëtæ sententiam adducendo, minime utilem esse Polycæsariem dixerit.* Ego monitore nihil indiguisse crediderim, ad tollendum, qui Cæsare Dictatore genitus esse prædicaretur. Cæteris autem Antonii liberis, etiam quos ex Cleopatra sustulerat, non pepercit modo, sed omnem benevolentiam favoremque præstitit, ut felicior in posteris fuisse Antonius, quam in vita videatur.

Cæsario interficitur. Sueton. Plutarch.

LXIII. Nam præter alios summæ potentiæ gloriæque viros, etiam pronepos ejus, deinde nepos Imperium populi Romani obtinuerunt. Sed omnem suam felicitatem Octaviæ præcipue debuerunt: quæ ingratissimi viri liberos, non educavit modo materna cura, sed etiam apud fratrem fovit atque promovit. Fuit enim egregium matronalis virtutis exemplum Octavia, unde & fratri charissima fuit, & apud externos etiam in tanto honore, ut Corinthii quidem ei templum exædificasse legantur. Hac igitur faciente, Cæsar Cleopatram, ex Ægyptia Regina genitam Antonio, in matrimonium elegantissimo Regum omnium Jubæ tradidit; quem educatum in Italia, suamque militiam secutum, patrio regno donavit: eique fratrum Cleopatræ Ptolemæi atque Alexandri concessit incolumitatem. At puellis duabus, quas ex Octavia susceperat Antonius, paternorum bonorum partem attribuit.

Posteritas Antonii. Plutarch. Pausan. lib. 2. Dio.

LXIV. Filio Fulviæ Julo Antonio libertos patris repræsentare coëgit, quantum quisque relinquere ei moriens, secundum leges debuisset. Sed horum pleraque postquam Ægypto decesserat, facta sunt. Tum vero ex adversarum partium ducibus P. Canidium infestissimum sibi; sed nec Antonio satis fidum, interfici jussit: qui timidius excepisse mortem traditur, quam viro militari convenit.

P. Canidius, Cassius Parmensis, & Ovinius occidunt. Histor. Miscella. 7 20.

Vell. 2. 78. 5. Val. Maxim. 5. 7. 7. Joseph. Antiq. 15. 5. Dio.

niret. Cassius etiam Parmensis, elegantis homo ingenii, qui solus pereussorum Cæsaris superabat, pœnas dedit. Alii post Actiacum prœlium Athenis, quo confugerit, interfectum tradiderunt. In Ægypto etiam Q. Ovinius supplicio adfectus, quod Senator populi Romani, lanificio Reginæ præfici sustinuerat. Ex magna deinde multitudine Regiorum liberorum, quos obsidum loco missos à parentibus, aut libidinis causa evocatos ab Antonio reperit; alios remisit domum, Jotapen patri Medorum Regi, qui post Antonium victum ad se transfugerat, ultro reddidit: quosdam inter se junxit matrimonio: nonnullos retinuit. In quibus Artaxiæ fratres, quamquam petenti non remisit; quod ille Romanos, qui post Antonii expeditionem remanserant in Armenia, jugularat.

Alexandri M. monumentū. Dio. Sueton. Leo Afer lib. 8.

LXV. Corpus Alexandri Magni videre inter hæc concupivit, idque contrectatum, ita ut particulam nasi frangeret, corona imposita, floribusque adspersis honoravit. Nec prætermittendum ejus Regis monumentum tot sæculis venerabile, hodie etiam exstare inter medias oppidi ruinas, & a Muhammedanæ superstitionis cultoribus, magna religione, non solum ut Regis, sed & prophetæ maximi sepulchrum visitari. Digressus ab hoc Cæsar, Alexandrinis ad invisenda Ptolemaicorum Regum conditoria studiose invitantibus, respondisse traditur; *Regem videre voluisse, non mortuos.* Apin etiam adspicere supersedit, deos *à se, non vero boves adorari* solere dicens.

Cæsar Ægyptum ordinat. Suet. Aug. 66. a Dio. Strab. lib. 12.

LXVI. Conversus deinde ad res Ægypti ordinandas, quam imposito stipendio in provinciæ formam redigere decrerat, Cn. Cornelium Gallum ex infima fortuna productum, præfecti nomine, sed ad similitudinem imperii proconsularis, imposuit, Equestris loci virum: quia propter multitudinem hominum ac oppidorum, fertilitatemque soli & situs opportunitatem, metuebat eam majoris dignitatis homini credere. Unde & Senatores Equitesq; Romanos illustres Ægyptum intrare, nisi permissu, vetuit. Sub hoc præfecto juridicus Alexandriæ conventus fuit, apud quem pleraque judicia agebantur. itemque Rationalis Cæsaris, qui bona vacantia, & quidquid in fiscum Imperatoris oporteret redigi, curabat. His omnibus liberti Cæsaris, atq; procuratores, diversis officiorum titulis apparebant.

Præsidium imponit. Dio. Strabo. Nov. 29.

LXVII. Præsidium militare unam in Urbe legionem, duas in agris collocavit. Præterea tres Romanæ cohortes seorsim Alexandriæ excubabant, tres ad Syenen & Æthiopiæ fines: totidem per alias regiones. erant & equitum alæ tres, idoneis locis & ipsæ dispositæ. Et quo magis mobilitas gentis constringeretur, non modo in Senatum Romæ legere Alexandrinos, sed ne Alexandriæ quidem Senatum esse voluit; quum cæteras urbes more patrio administrari pateretur. Sed erat quidam appellatus *Exegetes*, cui necessitates urbis curandæ mandabantur; & inter alios honores gestare purpuram permissum erat. post hunc erat commentariensis, *Hypomnematographum* ipsi vocabant; & Archidicastes: quartusque Prætor nocturnus. Sed hi magistratus etiam sub Regibus fuerant. Romani præterea per provinciam & Duces quosdam Nomarchasque & Ethnarchas constituerunt, sed non maxima hos omnes potestate.

Prodigia mutationem illi antecedentia. Virg. 2. 39. 1.

LXVIII. Hanc mutationem rerum Ægyptii portendisse deos credebant, pluvia sanguinis effusa his locis, quibus ne gutta quidem aquæ cecidisse cœlo existimaretur. Accesserunt arma simul conspecta in navibus, exauditusque tympanorum & cymbalorum sonus, & qualis fistularum ac tubarum concentu excitatur.

Draco etiam ſubito apparuit immane ſibilans: & cometæ in cœlo, humi mortuorum ſpectra viſa. Statuarum etiam & imaginum mœſtus adſpectus eſt notatus; & Apis cum lamentabili mugitu lachrumas fundens. Cęterum hęc victoria non opulentiſſimum modo Regnum Romano adjecit imperio; cujus è vectigalibus tantumdem ferme rediret ad ærarium, quantum à patre Cæſare devicta Gallia præſtabat: verum etiam in præſentia copioſiſſimis ſpoliis locupletavit Cæſarem.

LXIX. Nam prętęr vetuſtas divitias, quidquid nuper Cleopatrà corraſerat, in theſauris repertum. Præterea quibus objici quidquam potuerat, bonis exuti: etiam cęteri conferre beſſem juſſi omnium facultatum, ita ditavere victorem, ut quidquid omnibus uſquam militibus debebat, inde perſolveret; & his inſuper quorum hoc bello uſus opera erat, ducenos quinquagenos denarios divideret, quo direptio urbis averteretur. Grandes etiam ſummas acceperat mutuo, ea omnia hinc expuncta debita: & Senatoribus ac Equitibus victoriæ ſociis ingentia dona data, ſuperfuitque unde & Ærarium augeretur, & multa paſſim delubra novis donariis niteſcerent. Quo autem hujus etiam victoriæ celebratior in poſterum memoria foret, & in Ægypto Nicopolin Cæſar, in loco pugnæ ſtruxit, ludis etiam, ad ſimilitudinem Actiacorum conſtitutis. Ægyptiaca magnitudo. Sueton. Dio.

LXX. Et quo habilior uberiorque adannonam Urbis ſuſtendandam Ægyptus fieret, foſſas Nili, quas ad irrigandos agros antiquiſſimi Reges duxerant, vetuſtate oblimatas labore militum aperuit: novaſque locis quibuſdam adjecit. Hac cura effectum, ut Urbi annua ducenties centena millia modiorum frumenti inferrentur: quæ ſumma ferme populum Romanum alere quatuor anni menſibus poterat. Sed nullo magis Ægyptiacarum opum Romanis infuſa rebus magnitudo patuit, quam quod fœnus ad trientem recidit, poſſeſſionum aliarumque rerum vęnalium pretium, propter abundantiam pecuniæ duplicatum eſt. Conſtitutis hunc ad modum Ægypti rebus, Cęſar per Syriam Herode Antiochiam deducente profectus, Aſiæ hyberna petiit, provinciæ negotia componendo, ſimul & Parthicis rebus intendens animum. Annona Urbis ex Ægypto. Sueton. Juſtin 1.2.20. Bello Iudaic. 2.16. Hiſtor. Miscella. 7. 9.

LXXI. Nam illud etiam imperium civilibus bellis lacerabatur. his cauſſis Phrahates crudeliſſimus ingenio, & poſt victoriam Romanam ferocior, à populoribus in exilium actus: auxilio Scytharum cum Tiridate, quem Parthi Regem conſtituerant, bellum gerebat. Utrique ſocia Cęſaris arma optarunt: ſed excuſatione rerum Ægyptiacarum uſus, prę potentem gentem atteri civilibus armis malebat. Interea Phrahates miſſis ad Cęſarem legatis, *in Syriam profugiſſe cum magna manu Teridaten ſervum ſuum, abrepto ſimul filio ſuo minimo natu, quem negligentius cuſtoditum rapuiſſet*, ſignificat: *remitti utrumque* poſtulans. Cęſar benigne exceptis barbaris, Teridatem nullo auxilio juvit. cęterum neque dedidit eum; & filium Phrahatis ab illo muneris loco acceptum Romam ſecum deportare conſtituit, obſidis loco habiturus. Parthorũ bellum civile. Oroſ. 6. 19. Suet. Aug. 21. 2. Ioſeph. Ant. 15. 12. Iuſtin. 42.5.4. Dio.

LXXII. Inter hęc unde minime timeri debuiſſet, gravis ortà conſpiratio quięta Męcenatis induſtria Romę opprimitur. M. Lepidus juvenis multis irarum in Cęſarem cauſſis, à quo remotum à Republica patrem, everſum avunculum Brutum, nunc etiam ſocerum Antonium ſublatum dolebat; perniciem ei, ſimul in Urbem rediſſet, machinabatur. Hujus conſilia diſſimulanter ſpeculatus Conſpiratio Lepidi juvenis opprimitur. Velleï. 2.88.3. Suet. Aug. c. 19 Dio lib. 54. Liv. Ep. tom.

Mæcenas, qui tum ad cuſtodiam Urbis redierat, tempeſtive, tamque nulla Reipublicæ perturbatione oppreſſit; ut capite conjurationis ſublato, maximi belli ſemina in ipſo ortu ſuffocarentur. Servilia Lepidi uxor quum ſupereſſe viro non ſuſtineret, & diligenti familiarium cuſtodia, nihil adipiſci mortiferum poſſet, prunis ardentibus devoratis vita abiit.

Mira converſio Fortunæ. Plutarch. Cicerone. Plin. lib. 6. Dio. Appian. lib. 4. Civil.

LXXIII. Neque reticendum ſuffectos hoc anno Conſules fuiſſe, ex Kal. Jul. C. Antiſtium ex Eid. Sept. M. Tullium, ex Kal. Nov. L. Sænium, non hiſtoriæ tantum cauſſa; ſed ut mira quædam his temporibus converſio Fortunæ notetur. Tullio Conſule, cujus patrem Ciceronem Antonius proſcripſerat, quum Antonii nunciata mors eſſet, iiſdem Idibus, quibus Cicero magiſtratum iniit, Senatuſconſulta facta ſunt, *ut Antonii ſtatuæ detraherentur, honores abolerentur, dies natalis nefaſtus eſſet, nemo poſtea gentis Antoniæ Marci prænomen ferret.* Balbinus (id Sænio cognomen fuerit) eadem proſcriptione adductus in rerum omnium diſcrimen, tum in Conſulatu ſuo M. Lepidum ad pedes ſuos ſupplicem vidit, deſperantem de filio, pro ſalute conjugis anxium.

Lepidi ſenis contemptus. Florus, lib. 5. Civil.

LXXIV. Nam eam quoque tamquam conſiliorum filii conſciam Mæcenas ream agebat. & quum juvenem ad Cæſarem mittere conſtituiſſet, *ſexum imbecilliorem non eſſe vexaturum itinerum moleſtia* dicebat, *modo vades Junia Conſuli dediſſet; Cæſari eam quandocumque poſtulaſſet, exhibitum iri.* Quum nemo reperiretur, Lepidus ſenex quem nota ſegnities ſcelere excuſabat, ſæpius circa fores, deinde tribunal Conſulis excubans, quum ab apparitoribus repelleretur, vix ad hæc verba ſpatium aliquando nactus eſt; *meæ quidem innocentiæ teſtes, qui dare poſſem locupletiores bis, à quibus uxor & filius accuſantur? nec ego te proſcripſi, & quibuſdam, qui tum ſunt proſcripti, ſum humilior. Tu vero inſtabilitatem humanæ ſortis reſpice, Conſul, meque coram tribunali tuo ſtantem: & aut me vadem accipe pro uxore, aut una cum illa vinctum ad Cæſarem mitte.* Nec reticenda Conſulis humanitas. tantæ mutationis miſertus, vadimonium mulieri remiſit.

Honores Cæſari decreti poſt Actiacam pugnam. Appian. lib. 4 Civil. Dio.

LXXV. Sub hæc tempora, atque adeo jam ab Actiacæ victoriæ nuncio, ſicut acerbe in Antonium, ſic in Cæſarem honorifice multa decreta ſunt; *Triumphus de Cleopatra: arcus Triumphalis Brundiſii, & in Foro Romano, Julii quoque famam exornari roſtris captarum navium* placuit, *aut columnis ex illo ære fuſis. quinquennales haberi ludos in honorem Imperatoris; diem natalis ejus, itemque nunciatæ victoriæ, inter feriatos haberi.* Additum, *ut in Urbem ingredienti Virgines Veſtales Senatuſq; & populus Romanus cum conjugibus ac liberis occurrerent.* Jam ſupplicationes, & ſtatuæ, aliaque hoc genus prius etiam uſurpata, referre putidum fuerit. Titulum inſcriptum baſi, non ita pridem repertum Romæ, adnotare non pigeat. SENATUS. POPULUSVE. ROMANUS. IMP. CÆSARI. DIVI. JULI. F. COS. QUINCT. COS. DESIG. SEXT. IMP. SEPT. REPUBLICA. CONSERVATA.

Alii poſt Antonii necem. Dio.

LXXVI. Hæc poſt Actiacum prœlium decreta. poſtquam autem obiiſſe Antonium innotuit, *alius quoque de Ægyptiis triumphus* decretus eſt, quia ne de illo triumpharet, nomini Romano parcebatur. Dies etiam Alexandriæ captæ relatus inter feſtos, & *ab hac deinceps Ægyptii tempora ſua computare* juſſi. Data inſuper poteſtas ei Tribunitia perpetua, ſic ampliato jure, *ut ad mille paſſus extra pomœriũ*

Honores Cæſari decreti, & clauſus Janus.

appellari poſſet: juſſiqi Sacerdotes & Veſtales, *quoties vota pro Senatu & populo ſuſciperent, etiam pro Cæſare facere.* Et ne tempus ullum aut locus honorum ejus expers eſſet, inter alia quæ prætereo, *ut in conviviis nec publicis modo, ſed privatis ei libaretur*, Senatus cenſuit. Maxime delectabat homines, quod *in ſcriniis Antonii repertas literas conbuſſiſſe* dicebatur. quamquam plures callide ſervarat: quibus etiam poſtmodum, ubi opus putaret, uti non dubitavit.

Tauri Amphiteatrum. Dio lib. 51. & 52. Suet. Auguſt. cap. 26. Tacit. a. 83.

LXXVII. Eodem anno L. Statilius Taurus Amphitheatrum in Campo ſuis impenſis perfecit, & in ejus dedicatione munus gladiatorium exhibuit: novum inde honorem plebiſcito adeptus, *ut quotannis Prætura candidatum unum, ſine repulſa creandum commendaret.* Kalendis deinde Januariis, quibus Cæſar Sami quintum Conſul, Romæ Sex. Appulejus Sex. F. inierunt, in ejus acta juratum: & quoniam de rebus Parthicis literæ ab eo venerant, decretum *ut inter nomina deorum Saliari carmine celebraretur: tribus ex ejus vocabulo fieret Julia: coronatus ſpectaret ludos: Senatores, quibus adjutoribus bellum confeciſſet, currum triumphantis prætextati ſequerentur: die introitus ejus populus Romanus ſacrificaret; eaque deinceps quotannis feſta eſſet: Sacerdotum omnia collegia, quem ad numerum ei videretur, augeret.*

Urb. cond. an. 724.

Alii honores Cæſaris ob res Parthicas.

LXXVIII. Hæc paucis exceptis admiſit Cæſar, ſacerdotiis quidem intemperanter dandis eo provectus, ut de numero illorum quidquam exinde certi nequeat reperiri: unum palam remiſit, ut univerſi ſibi obviam exirent. Omnium autem maximam lætitiam ei duo hæc attulerunt, *quod de Jano claudendo, & ſalutis augurio repetendo* decretum erat. hoc enim propter continua bella intermiſſum per annos quatuor & quadraginta fuerat: Janus tantum modo bis antea clauſus, Numa Rege, deinde Punico primo perfecto bello. Tum vero Imperator Cæſar tertium clauſit, pace terra marique parta, conditiſque civilibus armis, viceſimo poſtquam mota fuerant anno. Sane tum etiam in armis Treviri cum Germanis quibuſdam erant, & in Hiſpania cum Cantabris Vaccæiſque Aſtures: ſed hoc Statilius Taurus, illos Nonius Gallus haud ſane memorabilibus prœliis domuerunt. alibi quoque ſecundum ſingulas nationes tumultuatum eſt: ſed quia mediocres motus erant, neque Patribus eorum cauſſa bellum decernere vilum fuit, etiam hiſtoriis hæc parum argumenti dederunt.

Janus clauſus. Ariſt. Polit 4. 15. Suet. Aug. 22. 4. Dio. Plutarch.

LXXIX. At Cæſar Romæ patriſque ſui commune templum (*Divum Julium* appellabat) ab Aſiæ populis apud Epheſum, à Bithynis Nicææ, clariſſimis utrobique urbibus, poni paſſus; *ea numina etiam ab Romanis, qui regiones illas habitabant, coli* juſſit. Se ipſum à civibus divino honore coli noluit, peregrinis permiſſum, *ut illi & Romæ templa ſtatuerent, Aſiatici quidem Pergami, Bithyni Nicomediæ.* quo dato exemplo, ſicut nihil eſt ad imitandum adulatione velocius, toto mox orbe cæleſtes ei ſunt honores habiti, paſſimque per urbes celeberrimas vivo mortuoque ſacerdotes & collegia ſacrata, erecta fana, quæ veterum deorum delubra ferme ſtructura ornatuque ſuperarent. Alexandrini quoque Sebaſtium exſtruxerunt, templum Cæſaris navigantium præſidiis (*Epibaterium* ipſi cognominabant) cujus aliud uſquam par fuit, celeberrimo loco ſitum, magnitudine & ſublimitate conſpicuum, refertum donariis, auro atque argento ornatum circumquaque: porticus habens, & bibliothecas, aulas, lucos, veſtibula, ambulacra, ſpatioſiſſima omnia, & ſumptuoſiſſima.

Templa Cæſari poſita. Liv. Epitom. Vell. a. 89. j. Dio.

Sicut & ſequutis Imperatoribus. Suet. Aug. 3. & 59. Philo. Ariſtot. Polit. 5. 11.

LXXX. Etiam ludi quinquennales, quos tum permittente Cæſare Pergameni fecerant, provinciarum pleræque propemodum oppidatim conſtituerunt. *Nec tamen iſta, tamquam homine ſe putaret auguſtiorem recepiſſe* creditur, *ſed ut tam late imperanti utilis regendis rebus veneratio quæreretur.* Alioquin *domini* etiam, nedum *dei* appellationem conſtantiſſime repulit: & quamquam etiam Proconſulibus decerni templa ſolere ſciret, in Urbe nullum, in provinciis nonniſi communi ſuo Romæque nomine recepit. Sed Imperatoribus ſequutis paſſim non modo Græci, ſed etiam quælibet provinciæ templa poſuerunt: de Urbe & Italia Dio hactenus negat, ut quiſquam ullius pretii fuerit hujuſce rei auctor, ſed quoniam ipſe ſtatim ſubjicit, *Imperatoribus cæleſtes honores, atque etiam Heroa decreta fuiſſe*, mirari ſubit, quid igitur intereſſe putet; ne qui hæc facere potuerunt, illud etiam fecerint. præſertim, quum & in Urbe fuiſſe templa Auguſti, haud contemnendi auctores, à quibus viſa ſunt, prodidere.

Cæſar Urbem intrat. Dio. Strabo. lib. 10 Hiſt. Miſcel. 9. 10. Vell. 2. 389. 1.

LXXXI. Per hæc exacta hyeme, Cæſar in Græciam, atque inde à Corintho Brunduſium tranſmiſit. Quum Urbem intraret, inter occurſum omnis ordinis, ætatis, ſexuſque, paſſim ſacrificia ex Senatuſconſulto facta: & Valerius Poticus, qui tum in anni parte Conſulatum gerebat, nomine Senatus populique Romani, majoribus hoſtiis fecit, novo ad hæc uſque tempora honore. Magna per eos dies omnium ordinum lætitia fuit, aucta liberalitate Cæſaris, cui tum pares animo divitiæ obtigerant. Ergo munifice donavit duces ſuos, &, ut ſolitus erat, collaudavit, honoribuſque exquiſitis extulit; Agrippam hoc eximio, quod cæruleum ei vexillum dono dedit, navalis victoriæ teſtimonio. Nec militibus modò diviſit pecuniam, ſed & populo nummos quadringenos ex bellorum manubiis dedit: adultis primum, deinde & pueris *Marcelli* nomine, quem ſorore ſua natum, ſi nullos ipſe filios ſuſciperet, jam tum ad gratiam civium producebat.

Tres continui Triumphi Cæſaris. Dio. Suet. Aug. 22. 2 App. Illyr.

LXXXII. Municipiis etiam, ſed & provincialibus, quorum in agros deductæ nuper coloniæ erant, ingentem pecuniam numeravit: *quod* equidem *ſolum & unum omnium feciſſe, qui deduxiſſent*, haud falſo gloriatus eſt. His de cauſſis, & quia nec auri coronarii nomine quidquam accipiebat ab Italis, quin & ſua debita reddens, quæ ſibi adhuc ex impoſito tributo debebantur, remittebat: præteritorum malorum oblivio cepit omnes; Triumphique ejus, tamquam de peregrinis ducerentur, hilariter ſpectati. Tres autem tribus continuis diebus duxit. Dalmaticum & Illyricum, deque Pannoniis, Japodibus & finitimis eorum, itemque de Gallorum atque Germanorum populis, quos auſpiciis ejus C. Carrinas vicerat.

In pompa aliquid mutatum. Suet. Tib. 6. 6. Dio. Euſebius.

LXXXIII. Poſtridie Actiacus triumphus actus, quo Tiberius Liviæ filius jam pubeſcens currum comitatus eſt ſiniſteriore funali equo; quum Marcellus Octavia natus dexteriore veheretur. Tertia dies Alexandrinam & Ægyptiam pompam vidit, priores, licet ſumptuoſiſſime inſtructas, apparatuum impenſa & pulchritudine ſuperantem. Inter hujus fercula Cleopatræ quoque imago, in lecto ad ſimilitudinem morientis tranſlata eſt: ductique liberi ejus Alexander & Cleopatra quibus Solis ac Lunæ nomina indiderat. His in triumphis nihil ex antiquo mutatum adnotatur; niſi quod ex nupero decreto currum ſequuti ſunt primum, Senatores quotquot eo bello navarant operam; deinde Conſul cum magiſtratibus: quum alias hi præcedere inter hujuſmodi pompas ſolerent, cæteri Senatores ſubſequi.

Digitized by Google

LXXXIV. *Militibus triumphale congiarium ex manubiis viritim millia nummûm singula dedisse* ipse tradit: *accepisse id hominum circiter centum & viginti millia.* Idem deinde mensis & Carrinatem & Autronium triumphantes vidit. Carrinas Morinis sociisque eorum ad patientiam imperii bello revocatis etiam trans Rhenum aliquoties victos repulerat. Ideoque & Cæsar, uti diximus, ex his gentibus triumphavit, & Carrinatem triumphare jussit, magno iterum documento, ne quis ob res adversas nimium flacceſcat animis. Hujus enim pater à Sulla fuit occisus inter proscriptos: quorum liberis lege lata tum quidem aditus ad honores præcludebatur. Mox A. D. XVII. Kal. Septembr. ex Africa L. Autronius P. F. L. N. Pætus pro consule triumphavit. Carrinatis & Autronii Triumphi.

LXXXV. At è Regulis ducibusque triumphatis, supplicio quidam adfecti sunt: in his Adiatorix cum filio, qui ab Antonio partem Heracleæ Ponticæ nacti, Romanos colonos occiderant. Inde versa ad honorem deorum cura, Minervæ templum, & quod Chalcidicum vocatur, tum Curiam ex patris nomine Juliam, hanc quidem A. D. V. Kal. Septembr. dedicavit. In ea Victoriæ repositi simulachrum, spoliisque Ægyptiis exornavit, quod olim à Tarento advectum fuerat; huic numini se debere imperium adsignificans. Etiam D. Julii fanum multis ex eadem præda donariis excoluit. Sed longe maximæ opes in Capitolium illatæ. Nam ex Senatusconsulto è tribus cellis, quidquid Jovi, Junonique & Minervæ dicatum olim fuerat, pro polluto efferendum curavit: ipse una donatione sedecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritis quingenties sestertiûm contulit. Honores diis habiti. Fragm. Capit. Strab. lib. 12. Dio. Pighii Annal. Suet. Aug. 30. 5 Manil. 5. 500.

LXXXVI. Hæc omnia ex thesauris Cleopatræ desumpta, cujus etiam alter unio, vix luxuriantis fœminæ faucibus ereptus, propter magnitudinem dissectus, ex utraque aure Veneris, quæ in Pantheo deinceps culta est, pependit. Cæterum in dedicando Julii templo ludi varii generis editi: Trojam patricii pueri luserunt: viri equos desultorios bigasque & quadrigas agitarunt: & Senator quidam in arena depugnavit. Venatio quoque insignis edita, & inter alias feras, Rhinoceros & Hippopotamus occisi, quæ genera animalium numquam ante Roma viderat. Turmæ quoque Suevorum, quos in Triumpho Carrinas duxerat, Dacorumque captorum Actiaco bello, infestis armis in voluptatem victoris populi concurrerunt. Dacos & Getas non sanguinis diversitas, sed regionum situs distinguit. Dacis ad Danubium & Germaniæ finem; Getis versus Pontum & Orientem habitantibus. Ludi varii. Dio. Suet. Aug. c. 43.

LXXXVII. Partis harum gentium Rex Cotiso non amicitiam modo pactus cum Cæsare, sed etiam geminam affinitatem fuerat, sibi desponsa Julia, vicissimque sua filia Cæsari. Cæterum quum deludi se postea sentiens legatos fruſtra misisset, ad Antonii partes popularium inclinavit animos. Sed nec illi multum profuit istarum gentium societas, & ipsis tantummodo causſam Romani belli præbuit. Mediam spectaculorum hilaritatem delibavit magis quam abrupit Cæsaris ægritudo; per quam nihilominus eo jubente curati ab aliis ludi sunt: interque id tempus Senatores præ suis quisque foribus in propatulo epulati sunt: ut alias quoque, invitandorum prætereuntium causſa factitatum in publica lætitia fuerat. Dael Cotisonis adfinitas cum Cæsare. Strab. lib. 7. Dio. C Juv. Germ. Antiq. 3. 34. Suet. Auguſt. cap. 63. Liv. 3 29. 5. 24. 26. 25. 12. 9. 100. 25.

FINIS LIBRI CXXXIII.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXXXIV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CÆSAR rebus compoſitis, & omnibus Provinciis in certam formam redactis, Auguſtus *quoque cognominatus eſt: & menſis Sextilis in honorem ejus appellatus eſt. Quum ille conventum Narbone ageret, cenſus à tribus Galliis, quas Cæſar pater vicerat, actus. Bellum contra Baſtarnas, & Mœſos, & alias gentes, à M. Craſſo geſtum, refertur.*

M. Craſſi bellum adverſus Baſtarnas. Liv. Epitom. Dio

DUM ita populus Romanus poſt ſæviſſimas bellorum tempeſtates præſentis otii lætitia futurique ſpe perfuitur, etiam foris per M. Licinium Craſſum bene geſta Reſpublica felicitatem temporum auxit. Præter Dacos in armis etiam Baſtarnæ fuerant: finibuſque ſuis egreſſi, ſuperato Iſtro, juxta colentes Triballos atque Dardanos ſubegerant. Tum vero tranſcenſis montis Æmi jugis Dentheletarum nationi inferebant bellum. Thraciæ hæc gens erat, Romanis fœdere conjuncta: Regem tum Sitam habebant, propter cæcitatem minus aptum arcendis hoſtibus. Igitur Craſſus, qui ex Conſulatu Macedoniam obtinebat, non magis ſocii Regis quam provinciæ Romanæ periculo excitatus, adventus ſui terrore excedere Dentheletarum regione Baſtarnas coëgit.

Et victoria de Myſis. Liv. Epit. Dio. Flor. 4. 12. 14.

II. Sed ipſe non contentus hac gloria, ſequi recedentes inſtituit. Segeſticaq; redacta in poteſtatem, etiam in Myſorum fines impetu facto, munitum quoddam oppidum oppugnavit. Interea longius præmiſſarum copiarum partem adorta gens inſigni feritate, Craſſo neceſſitatem impoſuit, ni hos amittere vellet penitus, toto cum exercitu ſuccurrendi. Dum acies inſtruuntur, unus ducum poſtulato ſilentio, *qui vos*, inquit, *eſtis?* Reſponſum, *Romanos eſſe, gentium dominos. Ita*, inquit *ille, ſi nos viceritis.* Acceptit omen Romanus: & quum ante aciem immolato equo votum barbari concepiſſent, *ut Romanorum ducum extis & litarent & veſcerentur;* vix tubam ſuſtinentes disjecit: reverſuſq; ad obſidionem, oppidum cepit.

Centurio foſſulum gerens ſuper Caſſidē. Flor. Dio.

III. Et quo lectores admoneantur, quanti ſit inanibus non moveri, quamque id beneficium non ferociæ ſed ingenio conceſſerit DEUS, *tam præcipitis Myſorum fugæ nulla fuiſſe certior cauſſa* traditur, *quam quod centurio quidam Romanus, foſſulum gerens ſuper caſſidem, excitata motu corporis flamma, tamquam vomente incendium capite ſtolidos mortales exterruit.* Averſo in Myſos exercitu, Baſtarnæ exitum ſpeculantes ad Hebrum fluvium ſubſtiterant. Tum igitur devictis illis ad ſe veniri cernentes, legatione miſſa denunciarunt, *injuſte facere Romanos, ſe perſequendo, à quibus nullam injuriam accepiſſent.*

IV. Craſ-

IV. Crassus oratores humaniter acceptos, gnarus eas nationes vini cupidissimas esse, tamquam postridie responsurus adhibuit mensæ, & ab ebriis omnia Bastarnarum consilia expiscatus est. Eadem autem nocte, dum illi poculis vacant, ad sylvam proximam exercitu promoto, in ulteriora prospectum latum expeditos præmisit. His visis hostes, quum longe abesse robur legionum arbitrarentur, proruunt; refugientesque intra sylvas sequuti, ab instructis ordinibus excipiuntur. Magna ibi statim, magna deinceps fugientium cædes fuit: earris maxime, quibus castra sua à tergo sepserant, receptum impedientibus. & quod his impositos cum conjugibus liberos haudquaquam æquis animis deserebant. Crassus Bastarnarum delusis legatis.

V. Nobilis eo loco Romani ducis pugna fuit, occiso Crassi manibus hostium Rege Deldone; & si suis auspiciis rem gessisset, opimorum spoliorum decus meruerat. Quod hostium illud prælium non consumpserat: partim in sylva incensa conerematum; alii expugnato in quod confugerant oppido, interierunt. Fluvius etiam Ister, & sparsa per agros fuga, multis exitium attulerunt. Maxima moles in superandis iis fuit, qui munito ex loco per aliquot dies vim Romanam repulerunt, donec Rolis adventu, Getarum Reguli, hæc quoque delata manus tum quidem ei bello finem imposuit. *Rolem illum Dicomæ filium fuisse*, quamquam tradi videam adscensum sustineo: quando nullum ejus neque testimonium idoneum, neque argumentum affertur. Ad Cæsarem inde profectum esse satis constat; amicumque ac socium discessisse. Regem Illorum superat, sua manu cædit. Dio.

VI. His ita gestis Crassus Mysorum regionem repetens, quum nonnullos suadendo, cæteros minis, pertinacissimum quemque armis subegisset; neque magna pars domanda superesset, hyemem iis locis nimiam veritus, exercitum in pacatiora reduxit. Sic quoque priusquam Macedoniæ fines attingeret, à frigore nonnihil, sed atrociora à Thracibus, quamquam sociis perpessus, propositum ulterius has gentes adeundi deposuit. Ob hanc victoriam Cæsar *Imperator* appellatus est; eique supplicatio Triumphusque decreti: idem honor & Crasso habitus, nisi quod *Imperatoris* nomen datum Dio negat, ab aliis hoc quoque traditum haud dissimulans. Unde Triumphus ei decretus fuit. Vell. a. 88. a. Dio. lib. 52.

VII. Igitur his potius erediderim, quum causam Dio nullam attulerit, & sub Augusto ac Tiberio quoque nominis ejus decus concessum quibusdam ducibus fuisse non ambigatur. Sub idem tempus Cæsar, sive frequentibus morbis iratus, sive ut objectam ab Antonio cupiditatem dominandi rebus refelleret; de reddenda Republica cum amicis deliberavit. Duo ipsi erant arcanorum omnium participes: M. Agrippa, quem amplissimis honoribus extulerat; & C. Mæcenas non minus charus Agrippa sed minus honoratus, quia manere suo in ordine Romanus eques maluerat. His in secretum advocatis ubi consilium suum exposuit Cæsar, *fidem*que testatus *amicitiæ, ut rectum verumque consilium promerent*, oravit; in tam exiguo numero tamen variatum sententiis fuit. Cæsar de reddenda Republica deliberat. Vell. 2. 88. a. Dio. lib. 52.

VIII. Prior Agrippa his fere argumentis Cæsarem ab imperio continuando dehortatus esse traditur: *si tantis à te opibus honoribusque cumulatus insistere cœptis juberem, Cæsar; tametsi mens forsitan integra foret, oratio posset esset suspectior, tamquam ea quæ mihi privatim crederem profutura suadentis. Nunc quia diversâ mihi rectior videtur via ac salubrior, laborare non debeo, ne parum explere partes amici* Agrippa suadet.

benevolique conſultoris videar. Ego ſane ſemper hanc indixi mihi legem, ex quo me penitiorem in amicitiam aſsumpſiſti, ut tantæ benignitati quando meritis non poteram, fide reſponderem: neque mihi retinendum quidquam eſſe crederem, ex quo tibi periculum aut invidia naſceretur.

Cuia libertatis auctores honorantur.

IX. *Igitur in hac etiam ſumma deliberatione, propriorum commodorum immemor, ea tantum in conſilio habiturus ſum, quæ tuam atque publicam ad ſalutem pertinere judicavero. Age igitur omnia quæ ſummo imperio inſunt, non præcipiti cogitatione expendamus, ut eam ſequi partem liceat, quam ratio nobis meliorem atque feliciorem fore oſtenderit. Nec enim ita nos potentiæ cupido occæcaverit, ut incubandum eſſe imperio, tametſi nobis malo futurum appareat, exiſtimemus. Eßet hoc male ſuſtinentium fortunam ſuam, ejuſque convulſorum obſequio, niſi malimus pietatem in patrem & reliqua obtentui ſumpta, cæterum imperandi lubidine egiſſe omnia videri. Utrumvis horum crimen, ac periculum habet: nec aut laudare talia quiſquam bonus, aut perferre liber poteſt. qui vero patriam ſuam nec aliis ſervire, nec ſibi patietur, ad juſtam æqualitatem omnia referens; is profecto, tamquam maximorum bonorum auctor, ſemper apud cives in honore ac pretio erit.*

Et naturæ congruat æqualitas.

X. *Idque ex utriuſque comparatione facillime intelligi poteſt. Quippe juris æqualitas naturæ conſentanea, ſicut oportuit iiſdem legibus natos, educatos, inſtitutos, paremque corporum atque animorum præſtantes uſum Reipublicæ, pari omnes jure atque poteſtate eſſe ſancit, neque quemquam cuiquam, niſi virtutis cauſſa, anteponi. Ergo quoties unius potentia cæteri deprimuntur; tamquam in re quæ contra naturam acciderit, anguntur, nequaquam æquis animi paſſi, penes ſe majorem ſumptuum laborumque ac periculorum partem, penes unum aliquem pleraque commodorum eſſe. At quia carere Magiſtratibus Reſpublica nulla poteſt, viciſſim regere & regi æquiſſimum putant: nec contemptui futuri imperantibus, quum & his imperare aliquando poſſint; nec offerendi poteſtate, quam mox in ſe accepturos alios ſciant.*

Multaque ſecum afferat commoda.

XI. *Sic & meritis honorés invidia nulla tribuent, ſibi quoque idem ad hos per virtutem iter patere memores; & onera prompte ſuſtinebunt, quæ non à dominis imponi, ſed æqua juſtaque lege ſentiant. Neceſſum igitur eſt, tali populo proſpera atque adverſa tranſire in omnes: neque ſibi privatim quemquam eſſe quidquam procuraturum, quod diſſentire à publicis rationibus intelligat. Tum & odia tollentur civium, & prava æmulatio. nemo gaudebit malis alterius, nemo aut alienæ virtutis obtrectatorem aget, aut alium timebit ſuæ: querelæ, ſuſpiciones, inſidiæ aberunt: nihil appetetur contra morem, nihil recuſabitur: imperabitur ſine ſuperbia, parebitur ſine murmure: tam pro unoquoque ſtabunt omnes, quam unuſquiſque pro omnibus.*

In unius imperio magnæ virtutes non habeant locū. Ariſt. Polit. 3. 10.

XII. *Hæc tanta commoda popularem ſtatum ſequuntur, at in unius imperio vix poteſt obtineri, quin diverſa his omnibus exeant & contraria. Jam primum omnibus in unum intuentibus, ille ſit morum atque vitæ regula, ſic tamen, ut ejus vitia exprimantur vulgo, ſi quæ ſint virtutes, eas imitari nec poſſint multi, nec fere qui poſſint audeant, ne videantur animi magnitudine, artibus Imperatoriis, prudentia, liberalitate cum principe contendere. Inde fit ut ad*

publica munia ſegnes, voluptatibus aut quæſtu omnem indolis ingennæ vigorem deterant; atque ſic condiſcant Rempublicam nullam putando domeſtica ſpectare lucra, & felicitatem alienam ægris oculis intueri, tamquam ſibi decedat, quidquid apud alios conſpicitur. Quæ ſi privatos tantummodo ineeſſerent moleſtiæ, quamquam ſane iniquum eſſet, conflictari populos, ut unus aliquis ſuaviter ac delicate vivat? fortaſſis auctor eſſem, non amittendi è manibus, quod propitia tibi Fortuna contuliſſet. ceterum ad ipſum imperantem curas infinitas, labores incredibiles, invidiam, odia, pericula ſine numero ſine modo pertinere video.

Res nummaria difficulter expediatur. Arist. Polit. 2. 9.

XIII. *Mittamus præterita, quæ ſi tibi ſatis felicia viderentur, non deliberares in præſentia: quid exſpectare paulo poſt debeamus, apparet. Urbanæ res parum adhuc compoſitæ: Italia varie turbata: provinciæ aliæ exhauſtæ, aliæ dubiæ, nationes circa validæ armis. his occurſuro multa deerunt, quæ non facillime comparaveris. Ære nummaria ordiar, quæ tibi extraordinariis quærenda remediis erit: nec enim ad tot alendos exercitus aliaſque neceſſitates vectigalia pop. Romani ſufficient. Eadem igitur neceſſitas fuerit, inquies, & reſtituta Republica. Immo vero longe diſpar eſt ratio. tum enim non defuturi eſſent divites, qui laude liberalitatis, aut honoribus quales liberæ civitates pro meritis hoc genus rependunt, contenti, pecuniam conferrent in publicum: & ſi tributa populo indicerentur, haud gravatim quilibet à ſe abire nummos pateretur, quos in re communi ſibi quoque putaret impendere.*

Tributa male tolerantur.

XIV. *At in Regno rarus oſtentator opum eſt, quarum magnitudine ſtimulari poſſe avaritiam potentioris exiſtimet: nec ferre tales largitores principi facile foret, quos favore populi crederet ad res novandas ineitari: tributa vero quoties indicuntur, publica ferme querela eſt; æquum enim putant ſuis eum facultatibus tolerare ſumptus quoslibet; ad quem ex toto imperio fructus omnis pervenit. Adde quod iniqui plerumque acceptorum expenſorumque putatores ſunt: reditus enim ferme norunt & diligenter numerant: at impenſas alias in totum neſciunt, alias multo quam ſint leviores temere credunt. Hæc una difficultas eſt, quæ rerum habenas tenentem, ſi quid proſpicio, magnis curis iiſque frequentibus exercebit. hac nihilo jam erit mitior de Judiciorũ ordine ſolicitudo.*

Judicia criminationi ſint expoſita.

XV. *Facinoroſos enim puniri ſicut ubivis neceſſarium, ita nunc perdifficile eſt: rara inter nos innocentia, & præpotentibus reis. At horum cauſſas ſi ipſe cognoveris, pro crudeli traduceris, & iniquo, & magis ex ſuo commodo odiiſve, quam legibus decernente. Sin alios conſtitutis judices, damnatos afflixiſſe dicentur à te juſſi: abſolutos populus æquitati judicum imputabit; aut etiam gloriæ, maxime ſi quos dimiſerit, quibus tu infenſus eſſe exiſtimeris. At in populari ſtatu quum ſuffragiis civium aut ſorte lecti judicent; qui neminis unius in manu poſitas fortunas ſuas eſſe norunt, integra religione, nec potentiæ cujuſquam, nec gratiæ jus dare ereduntur.*

Magnos viros neque tollere juſtum; neque relinquere tutum.

XVI. *Sed ludus hic & jocus fuerit præ his æſtibus, in quos te conjectura eſt iſta dubitatio: quemadmodum his oporteat uti, qui cætera boni ac honeſti viri principatum unius pati nequeunt. Hos equidem & ſi relinquis, imprudens; & ſi tollis iniquus haberis. neque mediam ingredi viam tutum erit. Namque nobilitatem ſi contemnere videbere; ſi circumſcribere divitias, coërcere magnos ſpi-*

ritus, populi benevolentiam amiseris. Ecquis enim hunc amet per quem unum omnibus carendum existimet bis vitæ bonis, quæ præ cæteris & æstimantur, & expetuntur? Certe si uno corpore posses ad cuncta simul agenda occurrere, nec adjutoribus haberes opus, minus laboraremus: nunc in tam amplo diffusoque imperio, quum plurimis indigeas, quos adhibebis, unde nec aut securitati tuæ, aut existimationi metuas? Gnavis enim & industriis cum gloria spiritus crescunt, efficientque inceptos obsequio, quum se dignos imperio censere cœperunt.

Qui tamen liberæ Reip. sint usui & ornamento.

XVII. *Secordes igitur & timidos præficies rebus? tum vero negotium bostium egeris: socios alienaris: civibus fueris odio. his præcipue qui se postpositos deterioribus nunquam sine dolore recordabuntur. Hic iterum melior est Rerumpublicarum constitutio, quibus ornatui atque usui est fortium ac opulentorum civium frequentia, quorum virtute augeri, quorum gloria illustrari sentiunt; nec quemquam ex his amissum imminutumve cupiant, nisi forte quis ad tyrannidem animum adjecerit; cujus præcipue criminis acerrimi consuerunt esse vindices. Horum omnium assiduos producere testes possem, cunctos ferme Græcarum aliarumque nationum populos; quibus in libertate quam sub dominis semper omnia felicius atque glorioſius evenerunt.*

Principi curas esse sustinencas intolerabiles.

XVIII. *Sed externis abstineo, quum satis ad hæc docenda locuples sit Romanæ rei diverse habita gubernatio. Sub Regibus multa passi, angustissimisque coerciti finibus, in libertate crevimus: illa Romanum extulit nomen, illa Senatus auspiciis populique suffragiis caput orbi terrarum imposuit. Hæc tam inextricabilis malorum series, jam deprehensa nobis est; & nondum ad te respexi, Cæsar. Tua vero quam intolerabilis erit conditio, diebus atque noctibus tantam solicitudinem sustinentis? quis ad omnes istas cogitationes animus, quod ad hos labores, corpus sufficiet? taceo, quod ab adolescentia usque parum firmæ valetudine uteris. His igitur circumdatus obsessusque molestiis, ecquando quidquam eorum degustabis, propter quæ mortales amant vivere? aut his carere coactus, quam eris inter falsam felicitatis imaginem vel sine exemplo miser? quis enim præter te erit alius, qui nullo tempore aut minime voluptatem percipere possit, aut maximis carere molestiis?*

Objectionibus occurrit.

XIX. *Magnum enim imperium regenti nulli æque satellites, ac cura & metus præsto sunt: raro lætius aliquid, quo vere afficiatur animus; indigna, pudenda, gravia numquam non & vider, & audit, & sentit: Quæ quoties mecum expendo, mirari desino, quod à quibusdam quum offerrentur Regna, recusata sunt. Hæc igitur te cum animo tuo considerare prius verum est, quam eo te conjicias, unde non sit postea receptus. Neque vero parum perspicio quam in aliam sententiam proferri speciosa possint, quantosque stimulos habeant, potentia, opes, hominumque salutantium ac prosequentium turbæ, & omnium in unum obversa ora. præsertim si hæc sola conspiciantur, comitesque suos tegant ac dissimulent. quippe potentiam solicitudo, divitias impensæ, honorem livor sequitur. & in multitudine circumfusa, sæpe insidiæ insunt; semper adulatio, vix minus istis malum. Quod si vero quis ideo expetendam esse dominationem arbitretur, ut beneficiorũ & injuriæ in quoslibet arbitrium habeat, is profecto magnopere fallitur.*

Beneficia hominibus tribuere Principi difficile.

XX. *Certe quam fœdum, quam diis ac hominibus invisum sit, libidinibus*

ac flagitiis ſe tradere, apud te dicere ſuperſedeo, quem ſcio neque his moribus præditum eſſe, neque propter hæc imperium cupere: præſertim quia non ea referre conſtitui, quæ peſſimi principes faciant; ſed quæ caveri nequeant etiam à probatiſſimis. Beneficia autem hominibus tribuere digniſſimum eſſe magna indole non equidem negaverim. ſed id quoque privata fortuna ſi non æque abundanter, verius tamen ac meliori fide præſtet. & ſi pauciora faciat, plura non exigentur. In principatu ſæpe deeſt, unde cupiditas omnium expleatur, quum etiam in levi merito nemo ſuam operam parvi æſtimet; non poſſunt effugere Reges, quin multos præterearit, etiam munificentiſſimi. Quid enim eſt quod dare queant? honores, magiſtratus, pecuniæ. cæterum illi in paucos cadunt; & ærarium largitionibus exhauſtum per rapinas ſupplendum erit. majuſque orietur odium à plurimis quibus & datum nihil & aliquid ablatum fuerit: quam à paucis quos locupletaveris gratia. quum alioquin etiam natura ſit hominibus ad beneficia ſenſus quam ad injurias hebetior.

XXI. Adde quod principes & quum reſtrictiores ſunt, avari judicantur, & quum liberalius utuntur opibus, diſſipare patrimonium publicum, & plura indignis tribuendo neſcire veram dandi rationem modumque differuntur. Atqui ſæpe his uti judicio ſuo non licet. multa neſcire, multa credere familiaribus coguntur: aliquando donant, quia dignos intelligunt: aliquando ut intellexiſſe videantur. ſæpe affectum magis quam merita ſequuntur, & ſibi verius dant beneficia: quam his ad quos eorum fructus pervenit. Quidquid horum fit, plerumque cum aliqua ſolicitudine conjunctū eſt. Ut ita neque hoc ſatis ſincerum ſit, ac expetendum, quod unum omnium commendare poſſe homini non peſſimo principatum videretur. Cætera talia omnino ſunt, ut qui ſecum iſta perpenderit, Regis cujuſdam dictum valde probet; diadema nobilem magis quam felicem pannum, ſi penitus intelligeretur, neminem reperturum, qui vellet humo tollere. Et calumniis offendunt.

XXII. Et quo certius omnem regnandi libidinem exturbes animo, pauca me dictis, ſed quantum opinor, valida hercle adjungere ſimito. In re populi varius exſiſtere poſſe reor peſſimos magiſtratus; quam in Regnis optimos principes: & illorum imperium breve tempus finit: deinde leges ſunt & judicia, quorum ultio non modo peccata ſuppliciis ſontium vindicat, ſed etiam exemplum deterret eos, qui peccaturi poſtea fuiſſent. Præterea ſicuti proviſum eſt, ne malorum diuturna ſit potentia; ſic in bonorum locum quoties aliquis quolibet caſu ſubducitur, alium aut deteriorem reperire plerumque non eſt arduum. Nec enim, excepto univerſo interitu, qui res humanas omnes inevitabili fato premit, ingruere tantæ calamitas ulla poteſt, quin ſeminarium aliquod magiſtratuum relinquat. ſed Regnis minime tam beata ſors eſt: in quibus & mali principes nonniſi cum vita imperium ponunt; & boni magnitudine ac diuturnitate poteſtatis perſæpe convelluntur. Te quidem quidquid acturus es, optima mente ſuſcepturum eſſe certiſſimum habeo. Cæterum ſi cogitas quorumdam te pœnitere, quæ tum etiam admiſſa ſunt, quum reſpicere collegas cogebare: quum adverſus potentiſſimos viros dimicanti virtutis ac juſtitiæ opinione benevolentia retinenda civium eſſet: quid futurum arbitraris, ſi remoto metu æmulorum ſupremæ tibi poteſtatis conſcius, à deſtinato laudis itinere, violentis affectibus abripieris? Facile in Republicâ reperiri magiſtratus, quam in Regno Principes poſſe.

Gravari reges etiam cura de Succeſſore. Suet. Aug. 28. 3.

XXIII. *Sed eſto (quod equidem ſi ſperandum in ullo eſt, in te minime deſperandum eſſe largior) hanc Imperii negotiorumque molem citra tuam civiumque querelam ſuſtineas; quanta ſolicitudine de ſucceſſore laborabis? Scio enim te non alium maiorem ex laboribus tuis fructum petere, quam ut optimi ſtatus auctor dicaris; & moriens ſpem feras tecum, manſura in veſtigio ſuo fundamenta Reipublicæ quæ jeceris. Id vero conſequi, quam non dicam homini, ſed propemodum deo cuidam ſit improbum, haud difficulter intelliges, ubi ad ea quæ dicam animum adverteris. Filium adhuc non habes; fac habiturum, quis tibi ſponſor erit, tuum illi animum, tuam prudentiam, moreſque fore? Nihil ab natura ei, ab ingenio, à Fortuna negabitur? non ſaltem ipſa hæc reputatio ſe Principe natum eſſe, lubricam ætatem adulatione præſertim omnium impulſam, in præceps trahet? Scis quid in vicina Sicilia Dionyſii filius reprehendenti mores ſuos patri, & qualis ipſe in adoleſcentia fuerit jactantia, reſponderit, illi enim non fuiſſe patrem Regem, ſibi eſſe.*

Ipſos etiam filios metui.

XXIV. *Itaque ſi deſtinatum ſucceſſioni tradere ſe ignaviæ, contaminari flagitiis, laſcivire, ſævire, furere cerneres, quantus inde pudor tibi, quantus dolor eſſet? Sed quid iſta refero? patribus omnibus optare quam præſtantiſſimos liberos licet; iique ornamento, gloriæ, lætitiæ ſunt adeptis: ſolis Principibus ea denegata felicitas eſt, quibus ut ignavi liberi verecundiam, ſic egregii quique timorem adferunt. Vera me dicere omnes, opinor, toto orbe terrarum Regiæ fatebuntur: quota enim quæque triſtiſſimorum malorum exemplo caret, ut inter perpetuos motus atque ſuſpiciones inſidiæ nullæ intervenerint, ut non aliquando filius occupato patre, aut pater filio, ne pateretur parricidium, fecerit? Scilicet exprimere conditionem imperantium poſito ab oculis exemplo veluiſſe videntur, quorum inſtituto Nemorenſe Regnum armis ac cæde paratur. omnibus hoc Regibus propoſitum à Fortuna certamen eſt, ut ſummi faſtigii gratia alii ab aliis interficiantur.*

Ni ſi deſint difficulter ſtatui de ſucceſſore. Ariſtot. Polit. 5. 12.

XXV. *Quid vero futurum cenſes, ſi plures educaveris? An non ut in te pietas conſtet omnibus, ſuopte ingenio, & aliorum inſtinctu, qui tali loco deeſſe nunquam poſſunt; inter ſeſe æmulationes ac diſcordiam exercebunt. Sed finge quantalibet bonitate naturæ, tuique reverentia interim quieturos; an evitari poterit, ne ſaltem poſt mortem tuam de Regno digladientur? Sin vero filium non reliqueris, cequem ſperare poteris tibi ſucceſſurem? Nam ſi ex primorum numero quemlibet nomines, reliqui rebus omnibus pares uni alicui, quem ſe nihilo præſtantiorem aut potentiorem judicabunt, parere dedignabuntur. Efferes igitur illum vivus adhuc, extolles opibus, regimen provinciarum ac exercituum dabis, materiam locumque concedes, quo explicare virtutem animi, comparare gloriam, comparare favorem hominum queat? at quorum modeſtiæ credas, etiam atque etiam vide. Multi ab aliis acceptas opes, in auctores beneficii verterunt.*

Præſtare ergo deponere poteſtatem, dum lætat.

XXVI. *Plures ergo veluti paribus momentis attolles, quos ſpes alicujus improbiores cæterorum metu coërceantur? timendi igitur plures erunt; maxime ſi conſentiant. quod ſi pugnent, neque te quietum eſſe unquam, neque ſub te quidquam patientur. & ſi fato concedas, iterum in eadem illa quæ ſupra di-*

ximus, diſcordias, ſeditiones, arma civilia, difficultate quadam conſiliorum inexplicabili relabemur. Nihil ergo melius fuerit quam te ſimul atque Rempublicam, omnibus hiſce moleſtiis ac diſcriminibus uno facto exſolviſſe. Nunc ut arma, provincias, magiſtratus, ærarium populo reddas, in tua manu eſt. eaque ratione glorioſam ſecuramque ſenectutem in patria beneficiorum memori ſperare poteris. Quod ſi forte reddere Rempublicam donec potes non vis; timeo ne aliquando quum voles, nequeas: neque tuum tempus exſpectet populus, ſed cum dedecore tuo damnoque res repetat, quas putaverit à te per injuriam retineri.

Nec enim populum Rom. diuturnos dominos pati.

XXVII. *Nec enim divinare futura magnum eſt, ubi præteritorum eventus, hoc ingenium eſſe populi Romani, hanc fortunam docuit; ut diuturnos dominos pati nequeat, imperium deponentes non oderit, cedere gravatos opprimat. Sulla acerbiſſime acta Dictatura, poſt ejuratam poteſtatem ſecurus ac honoratus vixit: Pompeius quandiu reſtitnere ſolitus eſt acceptam potentiam, amore civium floruit: idem, poſtquam ſolus voluit omnibus eſſe potentior, cum tota domo interiit. nec alii Carbonis aut Cinnæ, Mariique ac Sertorii exitus fuerunt. Nec enim populi Romani genio res ulla tam cordi eſt, quam libertatis cuſtodia. Equos, ut improbos cives taceam, aut majores aut meliores viros Reſpublica noſtra Camillo ac Scipione tulit, ac patre tuo Cæſare? ſed illos etiam civilem egreſſos modum exſilio aut morte vel amici ac propinqui depulerunt. Nequaquam tamen auctor ego tibi fuerim abjiciendæ potentiæ, priuſquam ex uſu patriæ ac dignitate tua Rempublicam conſtitueris. Qua in re tibi Sullam imitandum cenſeo; cujus tametſi leges quædam abrogatæ ſunt poſtea, pleræque tamen manent.*

Concludit igitur reddendam eſſe Remp. Ariſtot. Polit. 5. 12.

XXVIII. *Sic occurri poteſt motibus omnino orituris, ſi velut orbam rempublicam, antequam ſe ſuſtinere ac regere ipſa noſſet, repente deſtitueres. Certe popularis etiam ſtatus diſcordiæ ac ſeditionibus obnoxius eſt: nec mortalibus tam licet eſſe felicibus, ut quidquam omni periculo vacuum comminiſcantur. Sed hæc incommoda quantula videri neceſſum eſt, ſi cum tyrannide, ad quam proclivis ab unius imperio tranſitus, contendantur. Sed ego de hac nihil in præſentia dicere conſtitui, cujus mala nemo eſt, quin poſſit coarguere; hoc oſtendere conatus ſum, eam eſſe naturam principatus, ut etiamſi bonos in viros ceciderit, non diu tales eſſe patiatur, quin celeriter, aut licentia mutet, aut moleſtiis curiſque ac periculis opprimat. Tam anceps igitur, Cæſar, ac horribile diſcrimen dum licet, exi. Hoc M. Agrippa ſuadeo, qui te principe adeptus atque retenturus, quidquid ſummo loco minus eſt, in libera Republica, inter tot illuſtres viros, & antiquiſſima gloria majorum præfulgentes, vix æqualitatem tutari potero. cæterum indignus bis ipſis eſſem, niſi ea poſſem amittere pro ſalute ac tranquillitate illius, à quo accepi.*

At Mæcenas diſſuadet.

XXIX. Hæc Agrippæ ſententia fuit. at Mæcenas, poſtulante vocem ejus Cæſare, hunc in modum diſſerit: *ſi quidem in militari conſilio quæſitum eſſet terrane an vero mari gerendum bellum, idque maturandum an trahendum videretur; quæ loca præliis aptiora, quæ præſidiis, ubi ponenda caſtra, aut conſerenda pugna, aut quomodo inſtruenda acies forent; poſt tam peritum omnis*

militiæ ducem ſententiam meam promere, mihi quoque ineptum atque ſupervacuum videretur. Nunc quando his de negotiis deliberatio eſt, quorum ego omnibus iſtis annis, quibus tu cum Cæſaris hoſtibus pugnas, uſum aliquem comparare debui; non verebor bona cum pace tua, ab his quæ tibi viſa ſunt, diſcedere, M. Agrippa. Nec aliud magnopere proferam, quam cujus ipſa me experientia admonuit, multa ſubinde tentantem, quomodo homines nec ad libertatem integram, nec ad ſervitutem nati regerentur.

Quod Vrbi non ſit pro futura libertas.

XXX. Non autem metuo, ne mihi des libere loquendi veniam, quam uterque niſi nobis à Cæſare polliceremur, neque tu verba hunc in modum feciſſes, neque facturus ego eſſem. Plane locus ille qui tibi tuendus eſt, Cæſar, præceps eſt & lubricus, & cuivis impari futurus ignominiæ ac exitii cauſſa; neque poſtulandus cuiquam, cui ſecure degere in bene conſtituta Republica permitteretur. Cæterum non ea ſunt Vrbis noſtræ tempora, ut hoc ſperare liceat: & quemadmodum parentibus, quoties ſenio deſipiunt, neceſſaria tutela liberorum eſt; ſic etiam patria vetuſtate debilis, moribus ægra, tumultibus belliſque civilibus concuſſa cuſtodem deſiderat, cujus pia prudentique cura gubernetur. Nam ea quę de Rerumpublicarum bonis M. Agrippa propoſuit; in noſtra locum habitura non exiſtimo. De rebus hominibuſque non ignotis loquimur. antiqua illa magnitudo animi, integritas, modeſtia olim amiſſa ſunt: pro innocentia priorum temporum, pro paupertate, patientia laboris, frugalitate, ambitio, luxuria, voluptates invaluerunt. his pro ſe quiſque omnibus viribus ſervit, dum hæc ſalva ſibi maneant, nihil curaturus, quidquid Reſpublica durum indignumque patiatur.

Neque leges ad ſalutem ſufficere.

XXXI. Neque tantummodo tales ipſi ſunt; ſed melioribus indociles, & optimæ cuique ſententiæ, ſi vires dentur, adverſaturi. At hoc ingenio qui ſunt, niſi prudentiorum auctoritate contineantur, ſeque & alios celeriter maximas in calamitates conjecerint. Hæc igitur maxime res cogere te, Cæſar, debet, ut perituros, ſi ſibi relinquantur, & te quoque ſecum & Republica perdituros, tuis vigiliis tuaque providentia ſerves. Hic ſi quis à me ad voluptates fruitionemque delitiarum, quas præſtare ſumma fortuna videtur, vocari te exiſtimet; magnopere aberrat. aſpera ſunt laboribus, anxia curis, ad quæ poſceris: niſi quod laborare quam perire, ſatius eſt: retinere potentiam, quam abuſuris tradere tutius: ſervare Rempublicam, quam prodere glorioſius. Igitur ſi tuum tibi decus ac tutela, ſi Reipublicæ ſalus cordi eſt, quibus pro rebus tota ac tanta bella depugnaſti, tot exſudaſti labores, ſuſcipe curam patriæ, nec dimitte, donec eam meliorem beatioremque in ſtatum reduxeris. Atqui hoc etiam M. Agrippa volebat. Sed inter illius & meam ſententiam hoc intereſt; quod ille putabat legibus ferendis id te conſequi poſſe: ego neque leges accommodari neceſſitatibus omnibus ſciam, neque diu futuras uſui arbitrer, niſi tu vivæ legis inſtar omnibus locis occurras, illarumque reverentiam præſentis imperii majeſtate tuearis.

Sed & Rempet Cæſarem futurum in periculo. ſi regimen rerũ abdicet.

XXXII. Hoc nimirum illud eſt, quod notiſſimæ ſapientiæ homines ſciverunt, viros bonos pœnæ vitandæ cauſſa imperium expetere; quemadmodum peritus gubernator in ſe pariter alioſq; valde peccaturus eſſet, ſi formidabilem inter tempeſtatem

ſtatem ipſe diſcurſans inter vilioris miniſterii nautas, imperitum aliquem ſedere ad clavum pateretur. Nam qui viro ſapienti rerum ſummam permittit, communis omnibus ſalutis auctor eſt; qui fatuo, communis perniciei. alter velut infanti aut furioſo gladium permitteret, in quorumvis exitium eum armat; alter facultatem prudenti præſtat, etiam amentes invitoſque conſervandi. Utrum horum ſit præſtabilius, neminem puto dubitaturum eſſe, etiamſi quod deterius eſſe conſtat, fortaſſis honeſtiore vocabulo donaretur. Ad res enim magis quam ad nomina reſpiciendum eſt decipi nolentibus; & quemadmodum fideli medico non attendendum, quid inſanientibus & mente captis verborum inter curationem excidat. Igitur neglecto imperitorum murmure, tibi dandam eſſe operam autumo, ut plebis temeraria cohibita ferocia, ſic omnia diſponas, ne cujuſquam otioſum & inutile Reipublicæ bonum ſit, ſed ſapientes conſulant, boni duces imperent, pauperes ac robuſti ſtipendium mereant. Sic mutua omnium opera communis felicitas parabitur, ſtabitque, cum libertate quantam eſſe in Republica noſtra expedit.

Vult optimates aſſumi in partem curarum & vulgus excludi.

XXXIII. *Abſit enim ut nimiæ meræque dominationis tibi ſim auctor: id neque ſentire mecum; neque facere tuum eſt. hoc volo ut cum optimatibus regimen obtineas in omnia: multitudo, ſicut opus eſt non perituræ, juſte ac utiliter imperantibus pareat. Hac enim ratione foris tuta, domi tranquilla Reſpublica erit; quum operam dabis, ut neque faciat injuriam vulgus, neque patiatur. Nam ut in partem imperii veniat, neque ipſi utile, & Reipublicæ indecorum eſt. indecorum dixi! exitioſum poteram. & ob hoc vitium, niſi te patriæ vindicem dii commodaſſent, aut nulli eſſemus; aut hoc tempore, non dicam Antonio, ſed externæ mulieri, ſed Regiis ſpadonibus Roma ſerviret. Hoc fieri non potuiſſet, niſi propter nimiam potentiam vulgi, magiſtratus, imperia, ſacerdotia mercede proſtitiſſent; vænaliſque tota facta eſſet Reſpublica. Hic igitur tot ſeditionum bellorumque fons, hic fomes fuit, quæ tot per annos imperium exederunt. Donec enim modica plebs, operique ruſtico, ac bello intenta, tractari res civitatis Senatus arbitrio tulit; & domi ſtatus optimus fuit, & omnis fere Italia ſub ditionem juſque noſtrum conceſſit.*

Negat Cæſari tutam fore vitam privatam.

XXXIV. *Poſtquam autem paſſim & emiſimus colonias & recepimus, atque hæc Urbs quaſi communis omnium gentium effecta eſt habitatio; factiones domi natæ eo proceſſerunt, ut totus ferme terrarum orbis armorum noſtrorum ſeditionumque tumultu conquaſſaretur. Unde mihi ſimilis eſſe magnæ navi Roma videtur, quæ varia repleta colluvie, nec idoneum habens gubernatorem fluctuat: & modo aquis conflictatur, modo cautibus alliditur, interdum in ſyrtibus obhæret. Hanc tu datus divinitus rector, ſi, quod abſit omen, deſerere decreris, actum eſt: neque procul à naufragio ſumus. Quod igitur tibi glorioſum, Reipublicæ ſalutare ſit, ſuſcipe ſupremum Populi Romani regimen, aut potius olim ſuſceptum tene. Nec enim opus eſt, ut quemadmodum hoc adipiſcare deliberemus; nec, ſi me audis, an retinere debeas: quin id potius, quanam optima ratione præſtantiſſimaque conſtituas Imperium atque tuearis. Niſi forte credis utile fore, deponi potentiam, quam ego rem ne tuto quidem fieri poſſe arbitrer. Iis temporibus ad Rempublicam acceſſiſti, ut neceſſum tibi fuerit multos offendere:*

ea nunc quoque ſunt tempora, ut multi cupidiſſime ſint adfectaturi quem reliqueris locum; & quia te incolumi hoc ſe perficere poſſe deſperabunt, nihil prius, quam de tuo interitu deliberabitur.

Neque curanda hominum prava judicia.

XXXV. *Igitur illorum odiis, horum cupiditatibus, nudum te exarmatumque objecturus es? tamquam aut Pompeio bene ceſſerit relicta quam habebat in manibus poteſtas: aut Sullæ alia futura fortuna fuiſſet, niſi maturum fatum, vel etiam, ut nonnulli crediderunt, maturatum, huic eum periculo exemiſſet. Attamen & vivus adhuc multa à ſe conſtituta negligi vidit, quædam & antiquari. Sed judicabunt homines, te cupidine Imperii actum, quidquid auſus es, ſuſcepiſſe. Judicent autem id ego malim, quam tuo publicoque periculo ſuſpicionem eam redimi. Quid enim? an non commune tibi hoc cum magnis viris, & propius honeſto crimen erit? pluriſne fiat apud te quod homines imperiti aut maligni judicabunt, quam cujus ipſe tibi es conſcius, cujus teſtes non habes, & alios conſiliorum tuorum à principio participes? Certe enim, niſi fuiſſet à conjuratis occiſus pater tuus, niſique deinceps Lepidi atque Antonii fuiſſes intemperie coactus; aut numquam ſumpſiſſes arma, aut maturius poſuiſſes.*

Cæſarem eſſe digniſſimum imperio.

XXXVI. *His igitur difficillimis bellis, & virtute induſtriaque tua per tot diſcrimina rerum eluctatus, adverſarios tuos omnes oppreſſiſti, cæteros audientes dicto babes. ecquid ſatis approbatum eſt, unum te eſſe digniſſimum, penes quem Imperium populi Romani ſit, quod & à malis civibus, & à pugnaciſſimis hoſtibus ſummo conſilio ſummaque conſtantia vindicaſti? Sin vero deorum magis eam glortam quam tuam eſſe volumus; illos tibi mentem illam inſpiraſſe; illos prudentiam, animum, denique fortunam dediſſe, quibus hæc tanta perficeres: ecquem judicabimus principatu digniorem, quam cui deos tam eſſe propitios faventeſque tot documentis compertum eſt? Neque ad magnitudinem Imperii expaveris: tanto plus ex ſeſe tibi adjutorium, plus virium opumque dabit: neque novus ad ejuſmodi regendam molem accingeris. à multis annis Urbem Italiamque cum maximis provinciis obtinuiſti, quibus temporibus inter infeſta ac turbata omnia plus in bis tuendis laboris ac curarum fuit; quam eſſe poſſit in univerſo gubernando Imperio, poſtquam munere deûm, ac virtute tua, terras aliquando pax tamdiu deſiderata reſpexit.*

Jacet, quomodo conſtituendus ſit Senatus.

XXXVII. *Atque ut iſta non me dicere magis, quàm demonſtrare paratum putes, en etiam per partes præcipuas exſequar, qua potiſſimum ratione ſingula ſic conſtituas, ut appareat virum qualis tu es, citra maximas difficultates Imperium recte ac ſalubriter adminiſtrare poſſe. Igitur ante omnia Senatum tibi repurgandum eſſe cenſeam, atque eliminanda deboneſtamenta illa Curiæ, quæ ſuperiorum annorum calamitatibus irrepſerunt. Quotquot autem bonos viros idoneoſque repereris; eorum ne quem propter inopiam removeto, pecunias potius largitor, ut ſenatorium cenſum habeat. In vacantia vero loca optimum quemque ac nobiliſſimum non ex Urbe tantum aut Italia, ſed etiam è provinciis leges: ſic enim pauc oribus extra ordinem adjutoribus egebis; & omnium ferme gentium præſtantiſſimos viros in uno velut theatro repoſitos habebis. Iidem tamquam fidei popularium obſides erunt; neque his amotis, civitates eorum facile res novas agitabunt: & earum principes tamquam communicata cum his Republica, præcipua te fide ac benevolentia proſequentur.*

Servanda Magiſtratuum nomina non auctoritatem;

XXXVIII. *Idem in Equitibus faciundum reor, ut quidquid ubique genere, virtute ac opibus gradu iſto dignum repereris, recipias. Neque numerum utrobique certum tibi præſtitueris. modo viros nanciſcare locum ornaturos. plurium miniſteriis & facilius effeceris placita, & hanc excitabis apud omnes populos plenam humanitatis opinionem; non ſervorum loco provinciales à nobis, aut velut ſecundum hominum genus haberi; ſed his quoque aditum ad Rempublicam dari. quæ res plurimum afferet momenti, ut eam amare pro communi, ac tueri ſummo ſtudio ineipiant. Et ne parum meditata temere effudiſſe videar, auctor etiam tibi fuero, omnibus qui ſunt in orbe Romano civitatem communicandi, ut hanc ſibi Vrbem veram atque unicam omnium patriam exiſtiment, ſua oppida tamquam agros vicoſque hujus habeant. Qui tamen hujus liberalitatis modus, quodque tempus eſſe debeat, ne diſcrimina rerum omnium tollere videamur, paulo poſt accuratius exponam.*

Et Ordo Equeſtris.

XXXIX. *Illud moneri intereſt, neque minores octodecim annis inter Equites deſcribendos; neque inter Senatores ante viceſimum quintum videri. nam prior illa ætas ad corporis robur, ingeniique vigorem oſtendendum apta eſt; altera jam habere nonnihil prudentiæ debet: juvenibus autem quum ſuarum rerum adminiſtrationem jura noſtra non concedant, quam deforme eſſet & ineptum, his Rempublicam credi? Prætorem ante triceſimum annum fieri non placet; nec niſi poſt Quæſtoræ & Ædilitatis honorem; poteſtatemque Tribunitiam geſtam, in quibus animi ſui morumque ſpecimina edant. Præturam autem atque Conſulatum ſolis Romanis dari æquum arbitror; ut aliqua ſuperſit veteris Reipublicæ ſpecies, nec omnia prorſus flectere ad præſentem uſum videamur. Horum comitia in tua unius poteſtate ſunto: ne factionibus aut ambitu turbentur.*

Qua ætate ſint in hos Ordines recipiendi. Tacit. 4. 16. 5. Dio. lib. 52.

XL. *Cæterum in vetuſtis nominibus ne poteſtatem eamdem relinquas, ſumma tibi cautio erit. honore ſervato potentiam hactenus accides, ut quantum ad dignitatem tuendam ſatis eſt, maneat: quod ad res novandas animos facere poſſet, tollatur. Hoc ita maxime conſequeris, ſi magiſtratum omnem in Vrbe gerere præcipias: neque aut inter illud tempus, aut brevi deinceps intervallo, ſed quantum cuique congruere videbitur, exercitus eis committas. Sic enim interpoſito inter honorem & provinciam ſpatio, privatos agere condiſcent: neque continuandis magiſtratibus atque imperiis ad audendum majora ſolicitabuntur. Hi donec in magiſtratu agent, & ludos ex more curabunt, & cauſſas quaslibet decident; excepto cædis judicio. tunc enim ex Senatoribus legendi judices erunt, Equitibus etiam admixtis, ut tamen penes illos ſumma ſit poteſtatis.*

Magiſtratuſ eſſe relinquenda nomina, minuenda jura.

XLI. *Præfectus etiam Urbis ex primariis viris creabitur, & tanto muneri longa rerum huc pertinentium experientia par. nec enim ſicuti nomen ei vetus, ſic etiam poteſtatem dabimus; ut per abſentiam tantummodo magiſtratuum, ſed perpetua ſolicitudine tum cæteris Urbanis negotiis præſit: tum etiam cauſſas potiores quaſque dijudicet. Nam & ad hunc à magiſtratibus erit provocatio, & capitales cauſſæ, tam intra Vrbem, quam ad centena millia paſſuum ad hujus animadverſionem pertinebunt. Alius itidem ex ſummatibus deligatur, huic honore proximus, qui Senatorum atque Equitum genus, ſubſtantiam moreſque*

Præfectum Urbis perpetuum habendum & ſubcenſoreum.

Imperia nec nimis diuturna, nec nimis brevia.

observet, nec ipsorum modo, sed conjugum quoque liberorumque ac familiæ. huic corrigendi potestas dabitur quæcumque erunt ita comparata, ut neque gravi animadversione digna sint, & tamen neglectæ magnorum malorum materiam gignant. idem si quid majoris inciderit rei, ad te referat.

Provinciæ quemodo constituendæ.

XLII. *Hunc à tua Censura (Censura enim ad te pertinere omnino debebit) nomine deducto, fortassis haud inepte Subcensorem appellaverimus. Hos duos nihil vetabit perpetuam habere potestatem: nec enim timendi erunt inermis alter prorsus, alter parva militum instructus manu, & plerumque sub oculis tuis agens. De provinciis porro ita constituendum arbitror. Quidquid Italiæ plus centum milliaribus ab Urbe disjungitur, cæteramque omnem Imperii molem, secundum nationes divide in ejusmodi particulas, quibus vir unus præesse commode queat. In unaquaque portione militum, quem volueris, numerum colloca. Consularis unus, Prætorii duo præficiantur. Horum junior & tum primum ab Urbe ad hujusmodi negotia missus, desideria privatorum audiat, rebusque necessariis parandis occupetur: alter hoc jam officio alicubi functus civitatum Rempublicam procuret, & in milites potestatem obtineat; exceptis causis, ex quibus infamiam irrogari, aut mortem oporteat.*

Italiæ gubernationem cur velit in multos dividi.

XLIII. *Nam istas quidem ad Consularem referri consultius erit. ne has quidem provisæ Prætorio permiseris. centurionum atque adeo etiam ex provincialibus honestiorum pœnas tibi reserva: ut nemini præterea concessum in se jus cernentes, te unum & diligant tanto impensius, & metuant. Cæterum quæ de dividendo inter Prætorios officio proposui, iis tantum locis esse rata velim, uti non magna simul manus militum in hybernis erit; at si forte duæ legiones civium una habebuntur (plures enim nemini uni Consularium crediderim) tum vero suæ quisque legioni præsit; & cæterarum quoque rerum administrationem ex æquo partiantur. Ab ipsis autem ad Consularem erit provocatio. Neque miratus fueris, cur Italiam tot in partes dividendam existimem. Amplissima regio urbibusque & hominibus referta, per hos Magistratus qui, Romæ degent, coërceri nequit. convenit enim præsentem esse quisquis regit, ut quæ tempus postulet, præcipiat. Omnibus autem his, quos extra Urbem præficies, mercedem constitues pro modo dignitatis. Nec enim degere peregre ex suis facultatibus poterunt: nec infinitos illis concedi sumptus è provinciis, ut nunc fit, æquum est.*

Quandiu duraire tales administrationes debeant. Arist. Polit. a. 20.

XLIV. *Earum curationum nulla vel brevior sit triennio, vel quinquennio longior. qui citius removentur, vix addiscere partes officii sui possunt: & successores ferme priorum instituta commutant, consilia nesciunt, mores ac ingenium hominum atque regionum ignorant. At diuturniora imperia superbiam multis ingenerant, & impatientiam æqui loci: & quidam hinc plusquam civilia cogitare didicerunt. Unde neque majora imperia eidem continua duo permittenda esse censeam: etiamsi diversis in provinciis fiat; præstat enim, tempus aliquod interponi, quo reversis in Urbem detumeat animus, & inter æquales versando loci sui admoneantur. Hæc de Senatoribus animadversa mihi sunt: Ex Equestri ordine duos tibi viros strenuos deliges, Prætoriis cohortibus præficiendos. Nam uni tantum armorum committere periculo non vacat: pluribus imporunum esset & obnoxium rixæ. Duo igitur sunto, hanc etiam ob utilitatem:*

Quales præfecti cohortium, ærarii, fiſci.

ut ſi alter forte morbo attineatur, non deſit tamen idoneus corporis tui cuſtos.

De Præfectis prætoriarum cohortium.

XLV. *Sint autem multorum ſtipendiorum, atque rerum etiam aliarum curationibus exerciti. His & Prætoriani pareant, & quidquid præterea militum per Italiam erit; ſuppliciorum etiam jure permiſſo, præterquam in centuriones. Ab eorum etiam poteſtate eximetur, quidquid militum Senatoriis magiſtratibus tributum eſt: quibus in ſuos liberum pœnarum præmiorumque arbitrium conceſſeris. In cæteros igitur milites Præfectorum imperium erit; atque etiam in procuratores tuos, atque alios paulo honeſtiores. Vicarios his addi neceſſum erit, ne mole negotiorum prægraventur. Præfecturam autem illam perpetuam eſſe oportebit. Nec enim tantis opibus quiſquam ejus loci eſſe poterit, ut inter tot nobiles imperium ſperet: & quia perpetuo ſub oculis tuis aget, ne cogitare quidem aliquid tale tuto queat. Ex eodem ordine ſplendidiſſimum poſt priores duos Equitem, Præfectum Vigilum conſtitues; ei deinde proximum, annonæ. atque hæ curationes iiſdem finibus temporum, quibus Senatoriæ cohibebuntur.*

De ærarii & fiſci præfectis.

XLVI. *Ærarii quoque Fiſcique præfectos Equeſter ordo tibi dabit; qui rei pecuniariæ in Vrbe & per Italiam præſint. His etiam congruum functioni cujuſque ſtipendium numerari conveniet. Quum enim minor ſit his Senatorio cenſus, ne in Vrbe quidem publicæ alicui functioni vacare familiaribus impenſis poterunt. neque hos facere ſumptus te pigeat, alias enim eiſdem & exercitus & pecunias committi opus eſſet; rem nec facilem factu, nec ex utilitate tua futuram: pauciores haberes negotiorum peritos. nunc ubi inciderit uſus, ex affluente copia deligere magis idoneos licebit. Accedit, quod inde pluribus eris charior, tamquam multa commentus, per quæ publica opulentia in majorem partem civium uberioribus rivis profluat. Cæterum ſicut Romæ nec ærarium nec fiſcus plures ſingulis præfectos deſiderabit; ſic etiam in unaquaque provincia unus ex Equeſtri ordine fiat: ſed ut his deinde adjungantur ex Equitibus ac libertis tuis, quot opus eſſe exiſtimabitur. Nam & libertos his functionibus adhiberi proderit: quo & fidei ſuæ operæque præmium auferant; & habeas ex quibus vel invitis, ſi quid peccatum fuerit, liceat tibi cognoſcere.*

De prærogativa nobilium inſtitutione.

XLVII. *Qui autem Equitum per multa miniſteria publice dignos ſe Curia probarint, in Senatum legantur. Etiam ex his qui ordines duxerint in legionibus, ſi mereantur, in ampliſſimum ordinem recipi utile fuerit: modo ne inter manipulares ſtipendia fecerint, id enim probroſum ſummo Imperii conſilio videbitur. Sed qui primo ſtatim ſtipendio centuriones facti ſunt; eorum præſtantiſſimum quemque Patribus inſeri nihil prohibebit. Porro tam Senatorum quam Equitum liberos in pueritia frequentare ludum literarium coges: dein adoleſcentiam egreſſos equis armiſque docendos curabis: & utrumque genus magiſtri publico ſtipendio conducentur. Sic à teneris annis ea diſcentes ac exercentes quæ viris erunt tractanda, tibi ad omnes uſus aptiores atque paratiores erunt.*

Quam ſit ea publice ſalutaris.

XLVIII. *Magnum enim & ſalutarem civitati principem, non operam modo dare convenit, ut ipſe ſit optimus; ſed etiam providere, ut cives optimos efficiat.*

Hoc autem proſpiciendo potius ne peccetur, & officium eos ſuum ante edocendo, quam puniendo quos peccare ſiveris, obtineas: neque patiaris quemquam generis, opum, aliuſve cujuslibet præſtantiæ obtentu ſe huic diſciplinæ ſubducere. Continuo enim in ſocordiam mollitiemque fluent; aut ad parum liberales artes otium ingeniumque conferent. Id vero ne eveniat, etiam atque etiam tibi adlaborandum eſt. nam illos quidem miſericordia ſequetur, tamquam invidiam aut periculum fugientes ex bonis artibus, ignaviam pro ſcuto arripuerint; at tibi quum impedimentum inde bonorum virorum copia carituro, tum etiam infamia proveniet; tamquam ignaro quemadmodum præeſſe liberis hominibus oporteat, & (quæ tyrannorum amentia eſt) cives magis quam hoſtes timenti. Nam etſi quid metuendum in civitate erit, ab his potius proficiſcetur, qui rudes bonarum artiū & intemperantiæ dedit, nec ſui, nec aliorum habere rationē ullā didicerunt.

De militibus. XLIX. *At bene atque liberaliter educati edoctique neminem afficere injuriæ velint: omnium autem minime illum, quem ſibi tam præclaræ inſtitutionis auctorem exſtitiſſe norint. Quod ſi forte naturæ pravitas in quibuſdam educationis curam vicerit; his nihil earum rerum, quibus abuti ad ſcelus poſſint, committetur. qui vero ne ſic quidem quieverit, ferociam quam diſciplina noluit, ſupplicio ponat: quod citra tuam invidiam intrepide irrogabis. Nec enim Principi, ut medico, vitio vertitur, ſi recidat quidquid inſanabile & corpus contagio infecturum deprehenderit. Illum potius onerabit omnium indignatio, qui ſimiliter atque cæteri educatus, tantum & à bona mente, & à modeſtia cæterorum deſciverit. Sed de Senatoribus & Equitibus hactenus. Ad milites tranſeo. quos tibi perpetuo retinendos eſſe ſub ſignis autumo, per provincias æſtivis hyberniſque conſtituris, ut cujuſque loci conditio hortabitur. His certum ſtipendiorum numerum definies, ut eis aliqua pars ætatis vacua labore poſt miſſionem ſuperſit. Sed ex ſociis etiam ac provinciis auxilia delecta noſtris legionibus adjunges: quæ parata ſint ad quoslibet uſus.*

Ut quoniam armis exercendis. L. *Nec enim in ipſo bellorum diſcrimine facile nobis erit auxilia contrahere; qui & provincias longe diſtantes, & vicinos hoſtes habeamus: neque conſultum ſit armorum uſum omnibus promiſcue concedere, ne ad ſeditiones atque inteſtina bella abutantur. ſin autem armorum tractatione ſimul omnibus interdicitur, imbelle atque imperitum vulgus auxilia imperantibus mittent. Utiliſſimum igitur erit ex omni numero deligi robore corporis validos, facultatum inopes: atque hos exerceri in armis, reliquis omnibus militiæ vacationem dari. Ita & belli & pacis artes melius excolentur, diviſis inter cives officiis, & quam quiſque Spartam nactus fuerit, continenter ornaturo. Hinc evenit, ut pars hominum ferocior, & latrociniis propter audaciam & inopiam dedita, citra cujuſquam injuriam alatur: & cæteris non ab his ſecuritas modo ſit, ſed etiam adverſus externos hoſtes præſidium.*

Pecunia unde comparanda. Tacit. 6. 17. 5. Dio. lib. 52. LI. *Jam pridem ſentio te exſpectare, quos ſim oſtenſurus reditus, immanibus expenſis pares. Idcirco mihi præfandum hoc loco eſt, nullam Reipublicæ formam carere pecunia poſſe, quin ad omnia quæ agenda ſunt, his veluti nervis moveatur? ne principatus unius hac eſſe putetur, aut præcipua invidia. Cæterum hic quoque partim Fortuna tua providit, partim providebitur induſtria.*

Imperia nec nimis diuturna, nec nimis brevia.

Multæ ſunt ex omnibus ſuperioribus bellis poſſeſſiones publicæ: ex his ſepone paucas maximi uſus futuras, cæteras venire jube. pecuniam æquo fœnore rede his, qui cavere populo poterunt. Sic & terra gnaviter exculta dominis prædiorum præſentibus, abundantiores ac perennes Reipublicæ fructus afferet: & ex fœnore non aſpernanda ſumma proveniet. Ante omnia vero tum horum redituum, tum eorum etiam qui ex metallis aut unde percipi conſtanter ſolent, ineunda ratio eſt: pari deinde ſubtilitate indagandum, quid in omnis generis erogationes atque neceſſitates expendi; aut ad incertos ſubitoſque caſus præparare oporteat.

De tributis. Ariſt. Polit. 2.

LII. *Sic enim ſciri ferme poterit, quantum adhuc ſuper ordinarios proventus ex tributis atque vectigalibus conficiendum ſit pecuniæ. Atque id quidem contrahere nec operis magni, nec criminis fuerit: ſi ſimpliciter in omnes patrimonii partes, quæ fructum poſſeſſoribus afferunt, penſionem imponamus omnibus hominibus. Quæ invidia eſt, omnes & privatos & populos conferre, unde rediturus ad omnes ſalutis atque incolumitatis fructus eſt? Ubivis autem conſtituentur; quiſtatis temporibus debita per partes exigant: eares & bis faciliorem officii ſui functionem efficiet: & debitoribus proderit: ne aliquandiu non compellati, ſimul multa tempore alieno cogantur exſolvere. neque me fugit, omnino futurum, ut principio moleſte multi tributa ferant: cæterum quum ſe nullo alio onere gravari, & hac impenſa pacem publicam, cæterorumque bonorum ſuorum tantam fruitionem redimi ſentient; ſine murmure hæc præſtabunt, & inſuper gratias agent: præcipue quoniam honeſtiſſimi quique per varias Præfecturas aut magiſtratus militiamve, ſtipendii nomine pecunias à te accipient.*

Vrbem ædificiorum ac ludorum magnificentia celebrandam eſſe.

LIII. *Ubi vero te temperanter etiam vivere, privatimque parcum, publice liberalem videbunt; nemo tam erit bonæ mentis inops, quin lubenti animo tali Principi tributa pendat; cujus in opibus ſuam ſitam eſſe ſecuritatem, ſuam copiam intelligat. Sic igitur coacta quanta opus erit pecunia, non omnia neceſſitatibus tantum publicis, ſed etiam ornamentis decorique inſumes. Urbis tibi præcipue quum ædificiorum magnificentia, tum ludorum celebrabitur. Nam dominos tot gentium, omnibus rebus exſuperare cæteros convenit, atque hæc quoque in ſpeciem inania habent aliquid quod in mentibus ſociorum reverentiam, apud hoſtes terrorem excitet. Ita domi conſtituta Republica, cæteris nationibus optime moderaberis, ſi nulla populorum concilia, nullos conventus publicos eſſe patiaris. Hinc enim neque boni quidquam exſpectandum erit uſquam: & ſubinde turbarum aliquid ac motus orietur. Id minus ægre ferent, ſi ne Romanum quidem Populum, ad ullam conſultationem publicam vocari cognoverint. Prohibenda etiam erit ædificandi cupiditas: ne plura aut ſumptuoſiora quam ſit opus excitent: neque in ludorum impenſas ferri debebit apud hos ulla profuſio: ne per inanium rerum ſtudia & futilem ambitionem in rixas aut paupertatem incidant.*

In aliis locis ludorum ſumptua moderandos.

LIV. *Celebrent ſane ludos quoſdam ac ſpectacula, exceptis in noſtrum morem equeſtribus: ſed hactenus, ne aut Reſpublica aut privata domus detrimentũ ſentiant; aut peregrinus aliquis apud eos quidquam hoc nomine ſumptuum faciat;*

ut omnibus ludis victores promiſcue perpetua alimenta accipiant. Nam locupletes extra patriam ſuam aliquid impendere cogi iniquum eſt: & certantibus ſufficere debent præmia, quæ ubivis locorum conſtituta ſunt: præterquam ſi qui Olimpia aut Pythia, aut hoc genus celebre certamen vicerit. Hos enim ſolos alimenta capere fas eſto: ne civitates fruſtra ſumptibus onerentur, neque homines niſi præſtantiſſimi quique exerceantur: cæteris in alia ſibi & publico utiliora tempus impenſuris. Circenſes autem nulli aliarum urbium permittendos cenſeo: ne magna vis pecuniæ nequicquam inſumatur; & aurigarum ſtudiis homines inſaniant: maxime vero, ne optimi quique equi uſibus bellicis ſubducantur. Numiſma, menſuraſq; & pondera, ſeorſim habere neminẽ ſmito. Romanis utuntor.

De legationibus recipiendis.

LV. *Ad te legationes, niſi res cognitione tua digna inciderit, ne mittant: aut ad Proconſulem aut Legatum deſideria ſua deferant, atque is æſtimet, de quibus rebus ad te referre debeat. Hac ratione ſimul & ſumptibus parcetur, & malis artibus ibitur obviam; reſponſaque gratis & citra ambitum auferentur. In reliquis ita mihi videberis optime conſulturus, ſi Regum nationumque legatos primum in Curiam introducas, (nam & alioquin magnificum erit, Senatum rerum omnium arbitrum videri: & iniquè agentibus multos reſiſtere) deinde quidquid agendum erit, ſecundum leges, ex Senatus auctoritate fiat. Sic enim & dignitas imperii ſervabitur; & plausum erit omnibus certumque, te quidquid ſtatueris, ex præſcripto legum ſtatuiſſe. Sed & Senatores conjugeſque eorum aut liberos, qui majore quadam animadverſione digna commiſiſſe dicentur, ad Senatus cognitionem adduces: eique rem integram committes. Nec enim vereudum erit, ne cujuſquam gratiam tuæ anteferant Patres; & ipſis in noxios vindicantibus, hi citra tuam invidiam punientur; & alii, ne & ipſi publico Senatus judicio exponantur, tanto diligentius flagitio abſtinebunt.*

Dicta in principem generoſe cõtemni.

LVI. *Hæc autem de his criminibus me ſentire memineris, de quibus introducta legibus judicia exerceri conſuevcrunt. Nam ſi quis in te forſitan aliquid inclementius dixiſſe aut contumelioſius arguatur; id neque ſi deferatur audiendum, neque ullo modo vindicandum aio. Hæc talia ad animum admittere, male imperãtium eſt, qui dicta poſſunt credere, quæ dici in ſe merito poſſe ſentiunt. Conſcium bene geſtæ Reipublicæ magno eſſe animo decet, nec aut credere falſis horum criminum indiciis, aut veris commoveri. nam & qui hæc impatienter ferunt, nudũ prębent maledicis latus, efficiuntq; ut hos delectet rumuſculos ſpargere, quos tibi dolori futuros eſſe confidant. Tu vero ſublimiorem omni verborum contumelia videri refert: ne itaque aut in animo tuo concipias hanc opinionem, aut aliis concipiẽdi cauſam præbeas, ullius te immodeſtia peti poſſe: ut aſſueſcant homines idem de teſentire, quod de diis immortalibus ſentiunt; auguſtum te atque venerandũ eſſe.*

Facta legibus aut etiam armis vindicari oportere. Ariſtot. Polit. 5. 11.

LVII. *Sin vero tibi quis inſidias ſtruxiſſe dicatur, (nam & hoc evenire poteſt) in tua cauſſa judex idem & accuſator eſſe noli, hoc enim recta ratio repudiat; ſed in Senatu cognoſci jube, convictumque puni, ſed quam poteris manſuetiſſime. Sic enim perſuaſeris omnibus non ab ira aut odio in hoſte animadvertere, ſi contanter & invito ſimillimus ad vindictam prodeas: neque cupide in quemquã, aut crudeliter conſulas. Fictum enim alias crimen putabunt propter occultas cauſſas; nec enim probabile eſt, quemquam inermem armato inſidias ſtruere.*

Di-

Diverſa erit exercitus obtinentium cauſſa: horum enim quiſquis inſurgere in te conabitur, non judicio, ſed armis, profeſſi hoſtis inſtar, percellendus eſt. Hæc igitur, & cæterorum plurima & maxima publicorum negotiorum Senatui trade. Communia enim communiter tractari eſt æquius: & multiplicem humanitas ea tibi fructum adferet. Jam primum magna parte moleſtiæ, quæ propter multitudinem rerum imperantes premit, te exoneraveris. deinde magnam ab his inibis gratiam: inſitum enim hoc eſt homini, ſi faſtigio potentioris ſpecie quadam æquali juris ſe videat admoveri: poſtremo quod ita ſtatuetur, tamquam ſua decreta tuebuntur ac defendent.

LVIII. *De his igitur omnibus referendum ad Senatum arbitror, ſententiæq; dicendæ fieri poteſtatem omnibus, qui uno quoq; tempore aderunt: præterquam ſi cauſſam dicat Ædilitius aliquis, aut eo majoribus honoribus functus: tum enim inferioris dignitatis nemini de hoc ſententiam ferre liceat, ſed his tantummodo, qui eumdem atq; reus, aut hoc ampliorem magiſtratum geſſerit. Ab omnibus autem majoribus Magiſtratibus præfectiſq;, ubi ubi erunt, ad te provocatio eſto: neque eorum quiſquam ſumma & abſoluta cum poteſtate judicet. Sed nec quibuſlibet appellare liceat, nec ob qualibet; verum ea tantummodo, quæ vitam famamve Romanorum Equitum, aut centuriorum, & ex paganis atq; provincialibus honeſtiſſimi cujuſq; pertinebunt. Acceſſores autem adhibebis ex Patribus & Equite præcipuos. Conſulares etiam ac Prætorios: nec eoſdem ſemper, ſed alios alioſque: nam hoc pacto multorum ingenio moribuſq; cognitis, rectius deinceps, cui quiſq; adminiſtrationi ſit idoneus, æſtimabis: & illi viciſſim tua conſilia atq; inſtituta noſcentes, ad impoſitas ſibi functiones inſtructiores erunt. Sententias autem non palam in cauſſis utique difficilioribus, perroga; ne fortaſſis antecedentium placita ſequenda putent, qui poſtea rogabuntur; ſed tabellis inſcribi jube; quas ſolus legas, lectaſque continuo delendas cures. Sic enim nemo ſententiam ſuam ſimpliciter aperire verebitur; ſi videat nullius eam taxationi obnoxiam fore.* Judiciorum ordo ac ratio.

LIX. *Cæterum ad judicia, ad epiſtolas, ad urbium decreta, ad deſideria ſingulorum, ad reliqua deinceps, quorum imperanti ſuſtinenda ſolicitudo eſt, Equitũ Romanorum operam atq; miniſterium adhibebis. Id ad negotiorum celeriorem expeditionem plurimum proderit: præterea multorum memoria & attentione ſubnixus, & falleris minus, & fatigaberis. In primis autem cura, ut quicumq; tibi conſilium dare cupit, id ſibi licere ſecure atq; libere facere intelligat. Nam ſive recta ſuadere videatur, maximam hinc utilitatem ceperis; ſive ſecus, nihil tamen perveniet ad te detrimenti. Bonis conſiliis apud te honos & gratia eſto: ineptis contra & fatuis, modo parva mens abfuerit, offenſa etiam & ignominia abſit: nec quid ſuaſerint magis, quam quo animo ſuaſerint reſpicito. Eadem etiam in ducibus moderatione erit opus: ne fortuna eorum iraſci, ne virtuti invidere videaris. valde enim infringi animos, titubare conſilia neceſſum eſt, ex adverſis rebus pænã timentiũ, ex proſperis invidiã. Quod autẽ ab his quos magnis rebus præficies, verbo factoq; præferre volueris, id tu prior dictitare atq; factitare conſueſce.* De conſiliariis & Ducibus.

LX. *Deterior enim officii magiſter metus legum, quam exemplum imperantis eſt: neq; ſatis credunt homines vitari debere, quæ fieri ab his videant, qui prohibuerunt. Hanc igitur tibi legem dicito, nihil inconſulto neque loquendum tibi,* Principem eſſe debere ſuis exemplum morum.

De moderatione in admittendis honoribus.

neque agendum esse: nullius delicti veniam tibi dato, memor vivere te in clarissima luce summi Imperii, ac velut in communi terrarum orbis theatro. ut impetrari nequeat, quin facta dictaque tua omnia excipiantur producanturque, nec tuum quidquam, sive sit laudabile, sive reprehendendum, lateat. Quidquid enim ages magna circum erit hominum frequentia: quin & secretiora Principum, ac interiorem vitam rimari curiosa mortalium satagit indoles. Ergo ubi semel alia te præcipere, alia facere sentient, jam haud perinde præcepta tua metuent, quam facta imitabuntur. Aliorum autem vitam introspicere tibi conveniet: ne tamen molestius inquiras: neve quid te solo teste aut quæsitore vindices: dissimula potius, nisi ad periculum Reipublicæ spectet. hæc enim talia omnino tibi erunda atque coërcenda sunt.

In puniendis privatis delictis moderatum.

LXI. *Privata autem cujusque peccata te quidem non ignorare interierit, ne deceptus ineptum aliquem civis administrationi admoveas: produci autem atque coargui non attinebit. Neque vero in hac imbecillitate naturæ quemquam ferme carentem vitio repereris: quæ nec puniri propter multitudinem delinquentium poterunt, & æquitatem juſq; bene temperando multi fortassis meliores ad mores revocabuntur. Lex enim utcumq; graves constituat pœnas, emendare naturam non ubiq; potest: & tollere malos ei, quam efficere bonos multo est proclivius. At illa quam præcipio lenitas incidere in talia ingenia potest, quæ latere vitia sua existimando, aut etiam moderate castigata sentiendo, iterum peccare pudeat: eadem publicatis delictis suis, aut acerbius punitis, verecundiam metumq; abjiciant, & tamquam gravius nihil passura, frænum cupiditatibus laxent.*

Honorum insolentiæ non appetentem.

LXII. *Hac ego te moderatione circa delicta hominum versari: at eumdem in ornandis rectè factis immodicum profusumq; volo. Nam ut ibi mansuetudine tua quosdam à peccando avocabis: ita hic omnes ad officii virtutisq; curam beneficiorum magnitudine pertrahes. Neq; vereare, ne quando te pecuniæ deficiant, aut alia, unde benefacias (qui enim possit tot terrarum atq; marium Imperatorem?) & ego ante timuerim ne desint digni quibus des: neq; ut malam tibi gratiam sic habiti referant. nullum enim tam agreste ac ferum est ingenium, quod non, ut alia vincula spreverit, duobus his sit domabile: si nempe nec injuriam patiatur, & beneficia sentiat. Propemodum exegisse videor, qualem adversus varia cæterorum genera te gerere debeas; reliquum est, ut edisseram, quemadmodum versandum in his, quæ ad te pertinent, sentiam. In universum recipere nullos honores à Senatu aut quibuscumq; delatos debes, qui verbis aut rebus aliquid habeant insolitæ arrogantiæ. Nam cæteris quidem à te profecti honores ornamento sunt: tibi vero quid dari potest iis quæ habes angustius? Quin & adulationis suspicionem vix effugit, quidquid imperanti decernitur. nec enim aliter decreturos fuisse creditur: eodemq; rem redire, atque si sibi ipsi princeps ista gratificetur, non modo nullum inde relaturus decus, sed ludibrium ultro debiturus.*

Præcipue divorum.

LXIII. *Tu vero egregiis factis augere famam memento: statuas vel aureas, vel argenteas poni veta. magnam enim illæ impensam postulant; & ubi vixeris avaritia aut necessitate superstitum conflabuntur: tuum opus sit benefaciendo tibi in animis tuorum pulcherrimas fabricare imagines, quas nulla aut hominum, aut temporum injuria corrumpat. Sed neq; templum extrui tibi sine: præstat in*

De coercenda impiorum & domeſticorum audacia.

res neceſſarias ejuſmodi ſumptus comparcere. magnas enim divitias rectius parca erogando, quam multa accipiendo paraveris. Sed neq; divitiæ gloriam hominibus, quin imo virtus conciliat: quæ multos in par diis faſtigium repoſuit. at ſuffragiis mortalium deus nemo factus eſt. Igitur recte atque ordine imperanti totus orbis ſacer erit, omnes urbes templa, omnes homines ſimulachra. nam ipſorum in mentibus cum gloria collocaberis. ſecus autem utentes potentia, nec honeſtant talia, licet omnibus in populis ponantur: ſed eorum augent crimina, quod tamquam trophæa quædam improbitatis eorum, & monumenta injuſtitiæ adſpiciuntur. & quanto diutius exſtant, tanto longiorem ipſorum efficiunt infamiam.

Atheos & præſtigiatores non eſſe tolerandos.

LXIV. *Ergo ſi tibi veram immortalitatem proponis animo, & quæ dicta ſunt, hunc ad modum perfice: divinumque nomen ſemper & ubique ſecundum patrios mores cole; alioſque ut ita colant adige: novatores autem odio habe ac puni, non ſolum propter deos, quos qui ſpernunt, aliorum etiam contemptor eſſe neceſſum eſt; ſed quia nova introducentes multis ad peregrinos deſciſcendi ritus occaſionem præbent. Atqui ea licentia conjurationes, coitioneſque & ſodalitia procreat, res unius imperio mirum quantum inimicas. Sed neq; deos eſſe negantem ullum, neque præſtigiatorem tolleraveris. Nam neque divinatio tollenda eſt; imo conſtituendi augures & aruſpices, qui à volentibus conſulantur. Magos autem penitus exeſſe oportebit. Id enim genus, aliquando vera, ſæpius falſa reſpondentes, ad rerum novarum cupidinem multorum animos erigunt. quin & philoſophos ſimulantium haud pauci eadem tentant: unde & illos quoque tibi cavendos eſſe judico. Nam ſi Areum & Athenodorum bonos ac honeſtos viros comperiſti, ne ideo ſimiles his credas quotquot ſapientiæ ſtudium profitentur, multorum ſæpe malorum & privatis & civitatibus auctores.*

Emiſſarii utendum, ſed his timere non credendum.

LXV. *Externos quod attinet, pacis te cupidiſſimum eſſe volo, contentumque præſentibus, ſed eumdem ad bella paratiſſimum. ita neque temere tibi quiſquam auſit inferre injuriam: & inferentem ſine moleſtia tua & mora ulciſceris. At quoniam habere tibi neceſſum eſt emiſſarios atque indices omnium, quæ ulla in parte Imperii tui remedium poſtulant, ne ignorata neglectaque damnum dent aut accipiant; his non eſſe credenda omnia memento. odiis, amicitiis, gratia, pecunia, aut, ſi negetur hæc petentibus, offenſa; ſæpe innocentes deferent, aut indignis patrocinabuntur. Adverſus horum inſidias nullum erit telum contatione utilius. nam etiam vera tarde credenti nullum inſigne detrimentum eveniet: feſtinantem eam facere contingit, quibus deinde, quantumvis optes, mederi nequeas. In pretio equidem apud te eſſe libertorum tuorum cæterorumque domeſticorum optimum, & fas, & opus eſt; eaque res tibi quam ornatui, tum emolumento erit. Cæterum nemini tam prægravis potentia eſto, ut per ejus licentiam aut luxuriem tu reprehenſionibus obnoxius vivas.*

Libertos coercendos.

LXVI. *Omnium enim quæ illi fecerint, penes te aut laus, aut culpa reſidebit: quod nihil ab his fieri exiſtimabitur, quam quod tibi probari intellexerint. Potentiſſimos igitur eorum, neq; injuriam facere cuiquam, neq; calumniam ſine: ac eos hoc etiam crimine libera, ne, tametſi non noceant, nocere tamen poſſe exiſtimentur. Tenuiorum injurias ſummis viribus defende: querelis tamen eorum fidem adhibere ne propera: ſed rem ipſam attentius ſcrutare, neque ſuſpicionibus*

indulgens in potentiorem; neque in humilem miſericordiæ. Ex omni autem hominum genere bono atque utili operi intentos honora: inertes aut pravam induſtriam exercentes odio habe: ſic ad illa præmio invitati, ab his pœna deterriti, & rem familiarem curabunt melius, & tibi publicis in neceſſitatibus utiliores erunt. Pulchrum etiam erit privatorum minui lites, eaſque quam celerrime componi. Honeſtiſſimum autem, populorum compeſcere impetum, & quoties forte pro Imperii ſalute ac fortuna ſuſcipiendis votis, aliquos facere quid aut impendere præter vires cogunt, id inhibere.

Peccatis non eſſe dandam veniam.

LXVII. *Simultates autem eorum & æmulationes prorſus exſcindendæ ſunt, neque ſimendum, aut cognomina nova, aut aliud quid ad diſcordias commovendas idoneum. Facillime vero in his & aliis obſequium tibi privatim publiceq; præſtabitur ab omnibus, modo nemini veniã conſtituta tua tranſgrediendi umquam dederis. nihil enim æque diſſolvere natum eſt,* etiam *bene apta atq; coalita, atque hæc inæqualitas. Imo ne rogari quidem patere, quod concedere nolis. Sed hoc ipſum gnaviter tenere pugna, ne quiſquam quidquam rogare auſit eorum, quæ prohibueris. In omnibus autem negotiis tibi conſulo non abuti poteſtate; nec imminutionem putare imperii, niſi ſemel omnia ſimpliciter quæ poſſis & facias; ſed quo tibi expeditius eſt agere quidquid velis: eo diligentius expende, quid fieri deceat, ſemperque rationem à te factorum repete, recte an ſecus egeris; & qualia facta hominum amor, qualia reprehenſio ſequatur; ut iſta facias, hæc vites.*

Principem debere facere qualia fieri velit ab aliis.

LXVIII. *Non enim quia nemo te ad judicium vocat, idcirco exiſtimabis licere tibi, quidquid libeat: nec exſpectes donec ita aliquis inſaniat, ut palam tua tibi vitia exprobret. Id enim vix quiſquam, etiam intolerabili affectus injuria fecerit. contra enim eſt, & plerique poſt injuriam gratias agunt potentiori, nihil æque caventes, quam ne ſuccenſere videantur. Sed Principem animos ſuorum non tam ex verbis cujuſque æſtimare convenit; quam ex reputatione eorum, quæ penitus enm ſentire ſit probabile. Hæc agere te pervelim nimirum, Cæſar; atque his ſimilia. multa enim præterit, quod cuncta ſimul uno ſermone comprehendi non poterant. At unum in quo cenſeas eſſe omnia, quæque dicta, quæque prætermiſſa ſunt; ſubjiciam: ſi qualia ab aliis fieri velis, ipſe ſponte facias. neque peccabis in ulla re, & omnia recte ac proſpere geres. Hæc erit jucundiſſima eadem atque tutiſſima regnandi ratio. Qui enim fieri poſſit, quin te omnes ut patrem & ſervatorem intueantur ac diligant; ſi te viderint modeſtum, integrum, bellicoſum, pacificum: non contumelioſum, non avarum: & in tanta potentia civiliter viventem?*

Innocentia maximum præſidium ſecuritatis.

LXIX. *Quis enim ferat, incubantem divitiis, atque ab aliis exigentem tributa voluptatibus dediti, at aliis labores injungentem ac moleſtias? Hæc ſi præſtiteris, in tua innocentia maximum habebis præſidium ſecuritatis: nec ſuccenſebit tibi quiſquam, crede mihi, nec inſidiabitur. Hæc autem ubi obtinueris, beate ut vivas, neceſſum erit. quid enim ſuavius, quam per virtutem omnium humanorum bonorum fruitionem adeptum, ea dilargiri aliis etiam poſſe? Hæc igitur, & quæ dixi cætera, tecũ ruminatus, ſequere ſententiam meam, neq; Fortunã, quæ te ex omnibus delectũ ſummæ rerũ impoſuit, abaliena. Si vero tibi Regis*

Virgilii de retinendo imperio ſententia.

appellatio Romanis odioſa diſplicet, vim amplexus, ſub nomine Cæſaris eadem omnia ages. aut ſi aliud mavis, id quoque dabitur, ſive Imperatoris, quod prius eſt delatum patri tuo: ſive quodlibet aliud ità comparatum, ut aliquo vocabulo cæteras poteſtates præmineas, Regni omnibus bonis, citra invidioſum ejus nomen potiaris.

LXX. Ubi finem dicendi Mæcenas fecit, actis utrique grátiis Cæſar, *quod accurate libereque dixiſſent ſententiam, ſe conſideraturum* oſtendit. Eo tempore P. Maronem poëtam, per Mæcenatis commendationem inter familiares Cæſaris receptum, interrogatum ab eo inter diverſas ſententias fluctuante, *expediatne privato Rempublicam occupare, ſi caſus detur?* ajunt hunc in ſenſum reſpondiſſe: *Quicumque hactenus Romæ rerum potiti ſunt, ita ſe geſſerunt, ut ſeque & cives magno in timore vivere, perpetuiſque ſuſpicionibus cogerent. At ſi quis exoriretur & gratus à principio civibus, & quem ſibi juſte præfuturum confiderent; ejus imperium ipſi populoque perinde jucundum ac ſalubre fuerit. Tu igitur, ſi quemadmodum inſtituiſti, juſtitiam atque liberalitatem conſtanter amplecteris, te dominari & tibi conducet & orbi.*

Virgilii ſententia. Dio lib. 52. Virgilii vita.

LXXI. Sane ſunt qui tum propter auctoris obſcuritatem iſta rejiciant, tum quia nimis abſurdum putant, de tantis rebus requiſitam poëtæ ſententiam credi. Sed ille, quiſquis eſt Virgilianæ vitæ ſcriptor, non finxiſſe hæc, verum ab antiquioribus tradita narrare videretur. & qui Magno Alexandro tam aſſidui conſiliarii vicem Homeri opera circumgeſta meminerunt; non admodum mirabuntur Virgilium Auguſto, qui neque ſe infra Alexandrum forte, neque Romanum vatem infra Homeri gloriam poneret, idoneum viſum, cujus ſententiam in re difficili exquireret: fœcundo ingenio virum, & acri perpetuaque meditatione rerum humanarum exacti judicii: quod uſus etiam, multa videndo ac audiendo quotidie, multa legendo confirmaret.

Quæſtum an probabilis ſit iſta de Virgilio narratio. Macrob. in Macen. c. 1.

LXXII. Ex quibus hiſtoriarum maxime lectio quantum valeat, Imperatoris Alexandri conſuetudo declaravit, qui ad deliberationem de re militari literatos etiam in primis qui hiſtoriam norant, utiliter adhibere conſuevit. Non tempero mihi, quin fide minime incerti auctoris, non abhorrens præſentibus exemplum ex recentiori ætate adſcribam. Avorum memoria Briſſacus Gallicæ militiæ magiſter, præceptorem liberorum Buchananum poëtam habuit. Accidit, ut conſilium de rebus bellicis agente Briſſaco, Buchananus in contiguum ei loco cœnaculum neſcio quid imperaturus famulis deſcenderet. Ibi forte verbis aliquot exceptis, nutu atque murmure ſententiam repudiabat, quæ tum communi omnium conſenſu erat comprobata.

Hiſtoriarum lectio quantæ ſit utilitatis. Henr. Stephan. orat. de bello Turcico ſeq.

LXXIII. Riſus eorum qui hoc viderant, Briſſaeum movit, ut cauſſam ejus inquireret: intellectaq; re, vocari Buchananum, & *expromere* juberet *intrepide, quid igitur ſibi videretur.* Tum vero inter multorum ſtipendiorum duces, *ita diſſeriſſe eum* ferunt, *cauſſaſque arguendæ prioris ſententiæ protuliſſe tam efficaces, ut ea reſecta, conſilium ejus univerſi ſequerentur.* Sed ad hiſtoriam redeo. Cæſar probata Mæcenatis ſententia, non tamen tanta ſimul movenda ratus, quædam ſtatim inſtituit agere; plura ſucceſſu temporis introduxit: nonnulla & ad ſequentium Imperatorum curas tranſmiſſa ſunt. Quibus in rebus omnibus Agrippa perſtrenuum & fidum adminiſtrum exhibuit quamquam in alia ipſe ſententia fuiſſet.

Exemplo Buchanani comprobatur. Dio. lib. 52.

Imperatorum Rom initium Hiſt. Miſc. 7. 11. Dio. Tacit. 1. 9. 3. Sucr. Aug.

LXXIV. Ab hoc igitur tempore res Romana ſub unius arbitrium, firmo & in multas inde ætates duraturo inſtituto rediit: quam ſub *Imperatoris* vocabulo regendam ſibi Cæſar cenſuit. Erat ea vetus etiam appellatio; ſed nuper occultari ſub ea Regii imperii titulus cœperat, quum id prænomen Dictatori Cæſari, liberiſque ejus decerneretur. Neque omiſerunt propterea Romani mox principes, ob victorias etiam priſco more Imperatorum accipere appellationem: quemadmodum & hic Cæſar, qui mox cognominatus *Auguſtus* eſt, *Imperatoris nomen ſemel & vicies recepiſſe* legitur. Cenſuram deinde, ſed ſine Magiſtratus honore collega M. Agrippa exercuit; Senatum ex conſilio Mæcenatis ordinaturus.

Cæſar Senatū ordinat. Suet. Auguſt. 35. 36. Plut. Ant. c. 20 Vellia. 89. 4. Dio.

LXXV. Multi enim Equites, atque etiam ex inferiori plebe, civilium armorum turbulentia intruſi in Senatum erant; adeo ut ſupra mille numerarentur. Complures poſt necem Cæſaris, tamquam ex commentariis ejus, per gratiam aut præmium Antonius adlegerat. hos contumelioſa appellatione vulgus *Ocrinos* vocabat; quod iis nomen fuerat, qui dominorum teſtamentis manumittebantur. Hæc depelli dedecora publicæ dignitatis intererat: tam multos offendere audaces homines ac injuriam haudquaquam æquo animo laturos periculoſum habebatur. Media excogitata ratio eſt, monuitque Cæſar universos, *ut ſuæ quiſque conditionis atque vitæ judicem ageret; ubi ſe hoc loco indignum reperiſſet ſponte abeundo Cenſoriam notam lucrifaceret.*

CXL. Senatu movetur. Sueton. Dio. lib. 55.

LXXVI. Iis diebus lorica ſub veſte tectus, accinctuſque pugione præſediſſe creditur, decem robuſtiſſimis ex amicorum cohorte Senatoribus ſellam ejus circumſtantibus. & ne ſic quidem admiſſum quemquam Senatorum, niſi ſimul, & excuſſa veſte, ne ferrum occultaretur. Quinquaginta viris perſuaſum eſt, ut ſemetipſos excuſarent: idque exemplum animos Cæſari defenſionemque dedit, alios etiam centum quadraginta parem ad modeſtiam adigendi. Neutros notari viſum eſt: poſteriorum tamen nomina publice propoſita: prioribus quia non repugnaverant, hic quoque pudor remiſſus; indultumque, ut lato clavo retento, ſpectandi in orcheſtra publiceque inter Senatores epulandi jus haberent.

Cæſaris in Senatu recenſendo modeſtia. Suet. Aug. c. 54. Dio. lib. 52. Monum. Ancyran. Tacit. 11. 25. 2.

LXXVII. At Q. Statilium Tribunum plebis deſignatum, à gerendo magiſtratu licet invitiſſimum, Cæſar arcuit. In Senatu deinde recenſendo; probatiſſimi cujuſque arbitrio rem commiſit, ut vir virum legeret: nec offenſum ſe oſtendit, quum Antiſtius Labeo M. Lepidum hoſtem olim Cæſaris, tunc exſulem nominans, interrogatuſque à Cæſare, *an eſſent alii digniores? ſuum quemque judicium habere* reſpondiſſet. Duos in Conſulatium numerum retulit, C. Cluvium, C. Furnium, quia deſignati, quod ab aliis præveniebantur, Conſulatum gerere nequiverant. Patricios etiam juſſu populi & Senatus, ex lege L. Sylli qui parte ſuperioris anni Conſul fuerat, adlegit: quod civilibus bellis, quæ nobilitatem maxime petunt, multæ primariæ familiæ defecerant. nec tamen carere patriciis Reſpublica poterat, quod more majorum multi ritus, niſi per hos obiri recte nequibant.

Senatoribus abire peregre vetitum. Tac. 12. 23. 2. Dio. App. Punic.

LXXVIII. Sic recenſito conſtitutoque Senatu, peregre abire quemquam injuſſu ſuo vetuit, idque diu poſtea ſervatum: niſi quod in Siciliam prius, deinde Galliam Narbonenſem ad res ſuas inviſendas libera conceſſa eſt profectio, his ſaltem qui oriundi indidem prædia in illis provinciis haberent. donec omnibus id

Fiscus ab ærario discretus.

promiscue Theodosii & Valentiniani lege permissum est. Inter hæc revolventi patris commentarios oblatum est consilium Carthaginem deducendæ coloniæ. Id eum quoque ratus opportunum fore, propterea quod violentis Lepidi iudibriis, magna parte priorum colonorum abducta, sublatum jus coloniæ videbatur. Igitur Statilio Tauro iterum Africæ pro consuli scripsit, ut *mœnia instauraret, frequentaretque habitatoribus.*

Commagenæ Rex Antiochus supplicio adficitur. Appian. Dio. Plin. 25. 22.

LXXIX. Igitur ad tria ferme millia colonorum Romanorum, quæ missa ex Sicilia fuerant, aliam ex vicinis oppidis coactam multitudinem adjecit. Sub hæc tempora Commagenæ Rex Antiochus evocatus à Cæsare, atque in Senatu causam dicere jussus, supplicio interiit: quod legatum à fratre Mithridate, quocum his erat Antiocho, per fraudem occiderat. Et ne quid ex traditis prætermittatur, tunc etiam Capreæ patrimonio Cæsaris, instituta cum Neapolitanis permutatione accesserunt, quam insulam haud maximi pretii, postea secessus Tiberii Cæsaris nobilitavit. Ab iisdem Neapolitanis Leucogæum collem redemit, adsignatis ex fisco suo vicenis millibus annuis; deditque colonis quos Capuam deduxerat, alicam se conficere posse sine creta, cujus ille collis vim maximam habet, negantibus. Hæc ferme quinto Cæsaris Consulatu gesta reperi.

Vrb. cond. an. 725. Census actus. Dio. lib. 53. Eutropius. Casaubon. Exercitat. 1. 33. Lipsi. Elector. lo 27.

LXXX. Sexto deinde, cujus collegam M. Agrippam esse voluit, ad pristinæ Reipublicæ speciem quum alia multa redegit, tum etiam divisis cum Agrippa fascibus; quum abiret magistratu solemne jusjurandum adhibuit. Agrippam autem aliis etiam honoribus æquare sibi solitus, sororis elocata filia adfinitate junxit; & quoties una ad exercitum esset, simili secum tabernaculo uti, unaque secum dare signum jussit. Tum autem temporis censum una peregerunt populi, lustrumque post annum alterum & quadragesimum à L. Gellio Cn. Lentulo Censoribus Censoria potestate fecit, quo lustro censa sunt civium Romanorum quadragies centena sexaginta tria millia.

Templum Apollinis. Dio. Velleius. Serv. Æneid. 6. 96. & 8. 720. Suet. Aug 29. Ovid. Trist. 3. 8. 59. Plin. 36. 5. 39.

LXXXI. Princeps Senatus ipse lectus est, ut formam antiquæ Reipublicæ ostentaret: idenim contentissimo studio affectabat Senatus. Tum etiam templum Apollinis olim inchoatum, ex Lunensi candido marmore perfectum est: multis gradibus sublime. Ipsius numinis effigiem Scopas olim celebris artifex fecerat: id in eo templo positum. Lucus insuper additus, & porticus cum bibliotheca Græca Latinaque. Inter alia donaria Marcellus Octavia genitus dactyliothecam ibi consecravit. Ludos etiam Actiacos cum Agrippa tum edidit Cæsar, quibus pueri virique patricii certaminis equestris simulachrum luserunt, idque deinceps ludicrum in multas ætates per quinquennia celebratum est, quatuor Sacerdotum collegiis, Pontificibus, Auguribus, Septemviris, Quindecimviris, per vices curantibus.

Fisci Cæsaris & ærariis differentiæ. Suet. Aug 36. 2 Tac. 13. Velleius.

LXXXII. Gymnici quoque ludi, quum stadium in Campo excitatum è materia esset, dati, & in arena capti bellis proximis depugnarunt. Has etiam populi voluptates, queis compluribus diebus exhilaratus est, diffindi valetudine sua non passus Cæsar, Agrippæ suas quoq; vices demandavit. Sumptus adhæc tamquam ex familiaribus filcis præbuit non ex ærario: quin eo quoque pecuniam ex arca sua quasi mutuam sine usura daturus intulit. Et quo meliori fide pecunia publica tractaretur, curam ærarii à Quæstoribus Urbanis ad Prætorios Prætoresque transtulit, quorum è collegio binos quotannis Senatus deligeret; forte pro-

pterea duobus ad priorem Prætorum numerum additis, ut deni crearentur.

Liberalitas Cæſaris. Dio. Monum. Ancyr. Suet. Auguſt. 32 4. Hiſtor. Miſcel. Tacit. 13. 31.

LXXXIII. Ipſe magnitudine opum liberaliter diffundens beneficia, frumentum accipere ſolitæ plebi quadruplum admenſus eſt. & quum frequenter tale munus populo daret, medimnum nunquam minus quinquaginta & ducenta millia diſtribuit. Senatorum etiam quorumdam paupertatem juvit: ne ut ſæpe factum erat, Ædilitatem petere vererentur. eaque onera Prætoribus duobus, majora quidem Urbano, ut ſolebat, cęterâ ei qui inter peregrinos juriſdictionem eſſet ſortitus, accreſcerent. Urbanum autem Prætorem, & tum & poſtea ſæpius ipſe ſine ſorte conſtituit. Sponſiones etiam Reipublicæ factas ante prœlium Actiacum, excepris quæ pertinerent ad ædificia, remiſit: & præcipuam calumniandi materiam, tabulas veterum ærarii debitorum, exuſſit.

Cęſar uno decreto omnia ante Sextum ſuum Conſulatum à ſe & collegis conſtituta abolet. Monum. Ancyran. Tac. 2. 28. Marianus. Dio. Urb. cond. an. 726.

LXXXIV. Ægyptia ſacra quamquam in Urbem non reciperet, aliorum tamen religioſus cultor, plurimum templorum curam egit. & conditorum poſteros ad majorum recolenda monumenta hortatus; quibus nulli aut parum locupletes curatores erant, ipſe refecit; laudabili quidem modeſtia, ſub priorum auctorum titulis, ſine ulla inſcriptione nominis ſui. Poſt hæc ingenti conſilio, ut omnia deinceps meliora ſperarentur, & quidquid antea iniquius decretum factumve eſſet, collegarum improbitati, aut temporum neceſſitatibus adſcriberetur: omnia quæ ante Sextum ſuum Conſulatum conſtituta eſſent, uno decreto abolevit. Igitur quum ob hæc laudibus omnium in cœlum ferretur, ſeptimo Conſulatu ſuo, & M. Vipſanii Agrippæ tertio, aliud præbere civitati magnitudinis ſuæ documentum ſtatuit; per ſimulationem imperii deponendi hoc agens, ut rogatus & coacto ſimilis poteſtatem retinens, eam deinceps juſti Regis inſtar in volentes exerceret.

Imperium deponere velle fingit.

Oſtendit opes ſuas eſſe optime fundatas.

LXXXV. Igitur præparatis ex ordine Senatorio idoneis, Curiam ingreſſus; hanc de rebus ſuis orationem de ſcripto recitavit. *Sat ſcio, Patres Conſcripti, vix mihi credituros eſſe pleroſque veſtrum; id nimirum molienti, quod forſan illorum nemo facturus eſſet. præſertim quia potentiorum fortunam ſequi ſolitus livor, eorum de ſe verbis atque promiſſis plerumque fidem abrogat. Quapropter ego talia prolaturus metuendum etiam haberem, ne pro vano, ut fit, & impoſtore traduceror; niſi factis ſermonem continuo ſequuturis, etiam iniquiſſimas calumnias repellere poſſem vellemque. Idcirco in ſimplici certoque meæ mentis habitu, nullis verborum ambagibus utar. Non dubito, quin præclare intelligatis omnes, ita fundatas opes meas eſſe, ut retinere mihi imperium quam deponere ſit facilius. Quidquid unquam adverſus me conſtitit, armis aut manſuetudine mea domitum eſt: adjutores mei mutuis meritis, & communione conſiliorum operumque arctiſſime conjuncti, neminem ſperare res novas, ne dum moliri, patiuntur. Sed ſac eſſe qui auſit. quid igitur timebo, maximos pugnaciſſimoſque habens exercitus, eoſdemque fideliſſimos: inſtructus pecunia, ſocius, & quid multa? veſtra ſubnixus populique Romani benevolentia, qui me præeſſe rebus communibus non ſinitis modo, ſed jubetis.*

Sed nec dimicaſſe imperii cupidine.

LXXXVI. *Iſtud igitur Imperium, quod invito nulla vis ademerit, ego ecce. quod mihi Reipublicæque bene vertat, lætus lubenſq; depono. Eant poſtea qui tot ab annis me dimicaſſe pro mea potentia nuſſant: quærantq, ſibi credituros. Ego enim protinus poteſtatē omnē, Urbē, Italiā, exercitus, provincias, quaſq; accepi a vobis, quaſq; adjeci*

prio-

prioribus à me confectas, veſtrum in arbitrium transferens, validiora mei animi teſtimonia produco, quam ut ulla calumniantium malignitate convellantur. Ne tamen à me tot arumnas laboreſque ac diſcrimina, temere ac ſine cauſſa ſuſcepta putetis; ulciſci patris mei (fatebor enim) indignam necem volui: ſimul eripere Rempublicam ex tam longa malorum ſerie, quæ & diu ante ceperant, neque deſitura unquam, niſi vi ac armis victa, videbantur. Atque utinam vel quieta Reipublicæ tempora fuiſſent; vel ea ſaltem mala quæ curari conſuetis remediis poſſunt: quanto maluiſſem ſub legum imperio adverſus hoſtes experimenta virtutis edere!

LXXXVII. *Sed quando eo deventum erat, ut ſine adoleſcentuli opera populus Romanus nec imperium ſervare nec libertatem poſſet: ſuper annos prompte alacriterque ſuſcepi negotium, idque diis faventibus ſupra vires feliciter perfeci. Quo quidem in opere, dum veſtris commodis patriæque conſulerem, nullus me labor, nullæ hoſtium minæ deterruerunt: non amicorum preces, non factionum timor, non adverſariorum amentia me dimovit ab inſtituto, quominus corpus animamque perpetuo pro vobis periculo exponerem; eaque facerem ac paterer, quæ apud conſcios ac memores referri nihil attinet. Quando igitur & ego propoſitum tenui, & vos mea opera ſalvi concordeſque agitis; & nunc demum poſt tot annorum contentiones populus Romanus certa firmaque pace ac conſenſione fruitur: etiam libertatem atque Rempublicam recipite, atque ſecundum leges more majorum gerite. Hæc à me dici fierique minus mirabimini, ubi recordatione & comparatione præteritorum adverteritis, eodem ab animo hæc proficiſci, unde prior profecta eſt lenitas & à negotiis & honoribus niſi neceſſariis abſtinentia; unde & ex omnibus quæ mihi decreviſtis, nihil inſoleus aut publicæ libertati grave recepi.*

Sed ut imperium et libertatem populo R. ſervaret.

LXXXVIII. *Sed neque judicium meum accuſaveritis, qui tanto Imperio, nulla nec re cogente nec homine, ſponte abſiſtam. magnas conſilii hujus atque præclaras cauſſas habeo. Nam ſive jus reſpicias; nihil eſt æquius, quam res veſtras arbitrio maxime veſtro adminiſtrari: ſive utilitatem, & mihi conducere arbitror, ut curis invidiæque & inſidiis me ſubtraham; & vobis, quibus jam licet libere temperanterque ac concorditer adminiſtrare Rempublicam. Quod ſi gloriam quoque intuemur (cujus cauſſa multi pericula non ſuſtinent modo, ſed expetunt) quidquam ne poterit eſſe honeſtius? quam ultro abdicanda poteſtate, quæ meliorem orbis terrarum partem continet, approbare generi humano animum fortuna majorem: qui ſui juris & rerum arbiter, & parare magna imperia & regere norit: & ſuo arbitratu deponere. Igitur ſi quis forte veſtrûm ab alio talia ſentiri dicique vere poſſe non credat; at ſaltem à me credat poſſe. Quippe quum enumerare plurima mea patriſque mei merita in promptu eſſet, propter quæ non injuria ſupra cæteros quoslibet nos amatis atque extollitis: tamen nihil eſt quo æque gloriandum putem, quam quod ſummam poteſtatem à vobis oblatam, & ille non accepit, & acceptam ego dimitto.*

Conſilii ſui cauſſas exponit.

LXXXIX. *Cum hoc enim facto quis aut Galliam ſubactã comparet, aut Myſos Ægyptioſq; domitos; Imperijque fines non Rheni fluentis, non Iſtri, ne Oceani quidem objectu coërcitos? Fateor hæc equidem tanta eſſe, ut antiquorum gloriam*

Maxime gloriam inde ſequuturam.

Monita ejus ad Senatum.

haud dubie vincant: ea tamen huic modestiæ nostræ longissime cedere judico. Cui equidem nec civilia bella confero, quam ex aliis alia magno terrore surgerent, ita feliciter confecta, victoriamque clementia temperatam; ut nihil aut constantius aut melius in ejusmodi tempore, ne optare quidem liceat. Unum hoc non morem modo, verum etiam ingenium humanum egredi aio, quod duo Cæsares, quum possemus imperare nolentibus, etiam volentibus imperare noluimus. Si igitur magnis animis & quærere gloriam, & uti quæsita conceditur, quid est quod mihi præstare mortalitas splendidius celebriusque possit? Ut enim de patre sileam, quis animi magnitudine contendere mecum ausit, qui tanta rerum omnium licentia, tot terrarum, tot marium imperio, firmissimis exercitibus, immota domi pace, studiis procerum, benevolentia populi, tantis opibus cupide careat, majorem in memetipso mihi felicitatem esse repositam sentiens?

Ostendit cur hactenus retinuerit imperium.

XC. *Fuit mihi cum quibusdam superiorum temporum claris viris honesta contentio; nec dignum his temporibus, quæ me genuissent, nec honestum nomini Romano credidi, si olim quidem Horatios, Mutios, Curtios, Regulosque ac Decios, horumque similes Respublica nostra producere potuisset, nunc velut effæta senio, & nullis ad nobilem nixum viribus, nihil proferre posse pristinam gloriam decens crederetur. Ut tamen me non abjicere Reipublicæ curam, sed ponere apparet, non ita festinavi decedere, ut improbis hominibus rapiendam potestatem in medio relinquerem. Vobis illa, Patres Conscripti, vobis destinatione mea consilioque traditur, quos virtute atque sapientia cæteros excellere cognovi. Priusquam enim insanorum hominum licentia, quam tot laboribus vix depuli, rem Romanam diripi convellique paterer, aut millies morerer, aut, quod minus etiam optandum puto, perpetuo imperarem. Vos igitur hoc à me translatum onus, ut bonis civibus & Reipublicæ studiosis dignum est, excipite; mihique hanc veniam date; ut tot exantlatis laboribus defatigatum animum, totque morbis vexatum corpus, aliquando per honestum otium recreem; simul invidiam ac odium excutiam, optimis quibusque non nisi cum imperio declinandum.*

Nunc autem securitatis quoque suæ causa posituram.

XCI. *Etiam insidiis me petitum esse scitis: iniquis profecto. Sed tanto magis exire locum propero, tanta pericula ne meritis quidem afferentem. Hæc igitur ratio probanda erit omnibus, quæ & mihi securitatem cum gloria, & utilitatem Imperio affert; quanto certe melius est, junctis plurium consiliis, quam unius nutu administrari. Qua quum ita sint, unam hanc pro tot laboribus ab uno quoque vestrum gratiam expeto, vosque rogo, ne mihi quietiorem posthac futuro vitam invideatis. Non imperare tantum, sed & parcere (mihi credite) scio: nec enim cuiquam præcepi, nisi quod imperante alio mihi quoque faciundum existimassem. Equidem si pro mea conscientia, vestroque favore fingere mihi futuram conditionem licet; sine metu, sine periculo privatam inter vos acturus vitam videor; si quid secus accidat, (nec enim unus homo tot confectis civilibus bellis, toties asserta contra voluntatem multorum Republica, vitare offensas omnium potuerit) bene habet: mori potius ante tempus privatus cupio; quam Regium imperium in cives meos diutissime obtinere.*

Senatui præcipuam se habet rationem.

XCII. *Quid enim evenire mihi ad laudem efficacius posset, quam inter-*

Rogatus Cæſar retinet poteſtatem.

fectum me non ob aliud in privata conditione ferri, quam ne in Regno quemquam interficere cogerer? Et pro brevi vita ſempiterna mihi gloria, cum ultione publica contingent. quemadmodum & pater meus cœleſtes honores adeptus eſt, percuſſores ejus fuga, morte, infamia pœnas dederunt. Mortales equidem omnes ſumus: ſed quam natura negavit immortalitatem bonis factis, vitæque conſentanea morte nanciſcimur. Hac igitur ſpe atque fiducia, reddo vobis Rempublicam, Patres Conſcripti, quam ſic accipiatis velim, ut neque mole curarum terreamini; neque facilem atque perfunctoriam rerum tractationem fore cogitetis. Quid autem vetat me de partibus quoque nobilioribus præcepta vobis quædam tradere, quid fieri expediat, ipſo operæ uſuque, niſi quid fallor, edoctum?

Ut publice defendant leges, privatim ſequantur.

XCIII. *Principio igitur leges immutabili obſervantia colite. plurimum in hoc uno utilitatis eſt, & felicius agunt civitates, quæ leges etiam aliqua parte vitioſas reverentur, quam quæ ſemper aliquid mutantes, delectari magis emendandis legibus quam emendatis uti videntur. Nec publice tantum auctoritatem earum defenderitis, ſed ipſi quoque domi, ſermonibus, actionibuſque omnibus ſequamini. Provincias pace belloque regendas optimo cuique atque peritiſſimo mandate citra invidiam & privatæ rei ſtudium, quod apud probos & prudentes utilitate publica vincitur. Honores pœnaſque pro merito cujuſque repræſentare memineritis. familiaria bona, ſi neceſſitas poſtulet, pro publicis habere ne contemini: publicis autem haud ſecus atque alienis abſtinete. veſtra graviter tuemini: aliena ne concupiſcite: ſociorum ſpoliis ac contumeliis abſtinete: hoſtes injuria ne provocate; provocati ne timete. arma ſemper in manibus ſunto; ſed hæc nec in vos ipſos invicem, nec in quemquam pacatum vertitote. Milites alendi vobis erunt, ne aliis inſidiari neceſſitate adigantur: at iidem & cohibendi, ne quid mali per audaciam laſciviamque cuicumque inferant.*

Auditorum hanc Orationem varii motus.

XCIV. *Sed quid ego longo ſermone quæ ſint facienda vobis exſequor? ex his enim quæ dicta ſunt, etiam cæterorum rationem quæque agenda vobis, quæque vitanda erunt, haud difficulter collegeritis. in hoc igitur uno præceptoque votoque finiam, ut ſic gerentes Rempublicam felices ipſi ſitis, & mihi gratiam habeatis, cujus opera ex miſerrimo ſtatu provecti infeliciſſimum fueritis; ne forte (quod abſit, aberitque) gubernationi rerum impares & mihi pœnitentiam injiciatis conſilii mei, & populum Romanum novis iterum periculis & bellis implicetis.* Hæc oratio non aliter atque pro magnitudine expectatæ rei audientium animos vario motu perculit. pauci mentis ejus conſcii ex compacto adſtipulabantur: cæterorum credentium dictis aut diffidentium à diverſis cauſſis par & admiratio & moleſtia fuit, illis animi magnitudinem, his artificia ſtupentibus, & alteris ægre ferentibus calliditatem Cæſaris, alteris eum abire poteſtate dolentibus. jam enim recordatione tot turbarum atque bellorum apud pleroſque tædium popularis ſtatus inceſſerat. hiſque non mutatio tantum Reipublicæ, ſed etiam auctor mutationis Cæſar diſplicebat.

Cæſar exoratus imperium retinet.

XCV. Cæterum nemo vera proponi putantium hæc prompte excipiebat; aliis minime gaudentibus hoc conſilio, aliorum gaudium occultante metu: neque

fictam hanc atque ſimulatam modeſtiam exiſtimantibus arguendi voluntas aut fiducia aderat; omnium in eumdem vultum ſimileſque voces coacta adulatio eſt. Et orationem quidem laudabat nemo, pars quia rem non probabat; cæteri ne cupidius accepiſſe viderentur. Tantummodo frequenter adhuc recitanti occlamatum eſt: & ubi peroravit, certamen obteſtantium fuit, *ne Rempublicam ut unus ei rector munere deûm oblatus, deſtitueret*. Multa etiam paſſim argumenta ſuadentium hortantiumque ingerebantur: quibus quum aliquamdiu reſtitiſſet, ad extremum proditione ſua victus, imperium retinuit. Tunc inter magnam gratulantium lætitiam & alia decreta; & præcipue *duplex prætorianis ſtipendium, quo alacrius pro ſalute Principis excubarent*. Hac arte Cæſar infamiam potentiæ ſuæ detraxit, ut volentibus poſtea atque etiam obſecrantibus, invitus ipſe otiique cupidior imperare videretur.

Diviſit cum Senatu provincias. Senec. de Brevit. vit. c. 5. Dio. lib. 53. Strab. lib. 17.

XCVI. Neque tamen aut res adeo incredibilis eſt, exſtitiſſe, qui pauciora quam poſſet, vellet; & præ ſe ferre perſeveravit hanc voluntatem Cæſar plurimis dictis ſcriptiſque. Nam & in epiſtola quadam, *otium ſuum non fore dignitatis expers, neque priori gloriæ inconveniens* pollicitus, hæc ipſa verba poſuit: *ſed iſta fieri ſpecioſius, quam promitti poſſunt: me tamen cupido temporis optatiſſimi mihi provexit, ut quum rerum lætitia moretur adhuc, perciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine*. Interim ſive ut partem invidiæ declinaret, ſive ut curas levaret, negavit *ſe provincias omnes ſuſcipere regendas; aut quas ſuſcepiſſet, retinere perpetuo poſſe. in decennium tamen operam ſuam offerre Reipublicæ, ea tamen lege, ut ſi pacare citius omnia poſſet, celerius ei liceret abire poteſtate*. Diviſis igitur cum Senatu provinciis, ſibi inquietiores, in quibus bella erant, aut timebantur, recepit, ambigua æſtimatione, Reipublicæ cura hæc faceret; an ut relictis inermibus & obnoxiis, quidquid ubique militum ac armorum eſſet, ſecura potentia complecteretur.

Rectores quales conſtituti in populi provinciis. Suet. Auguſt. c. 47. Dio.

XCVII. Igitur Senatui Populoque Romano permiſſæ ſunt Africa, Numidiaque, & Cyrenaïca regio, & cum Epiro Græcia, Dalmatia, Macedonia: præterea Bithynia cum Ponti proxima parte, ac Hiſpania Bœtica: tum ex inſulis Sicilia, Sardinia, Creta. Cæſar reliquam Hiſpaniam omnem, itemque Galliam Germaniaſque retinuit; cum Cœleſyria, Phœnice, Cilicia, Cyproque & Ægypto. Sed mox Cyprum populo reddidit Cæſar; Dalmatiam, ubi exortum bellum erat, recepit. ad eamdem formam diverſis temporibus aliæ quoque permutatæ provinciæ ſunt, ut ſuis locis referetur. Cæterum tum quidem cenſus utriuſque provincias à Senatoribus obtineri voluit; Ægypto dempta, cui Præfectum mittebat ex Equeſtri ordine. At in populi provincias annui magiſtratus exibant; forte diviſis provinciis; niſi quod extra ordinem multitudinis liberorum habebatur ratio, orbique patribus, & maritis cœlibes poſthabebantur.

Quales in provinciis Cæſaris. L. 1. de off. Procon. Dio. Strab. lib. 17.

XCVIII. Hos omnes eſſe Senatorii ordinis oportebat: eoque habitu ac cultu utebantur, non accincti gladio, non militibus ſtipati. *Proconſules* appellari placuit, latius extenſa ſignificatione vocis, ut non hos modo, qui ex Conſulatu iſſent in provinciam, ſed Prætores etiam, quique eorum loco haberentur, comprehenderet. lictores his totidem, quot in Urbe ſolebant apparere, conceſſi. Et quamvis in ſua tantum provincia poteſtatem exercere poterant, inſignia tamen Urbem egreſſi ſumere, eademque donec in Urbem reverterentur, retinere jus-

ſi. Sed initio duæ harum Conſulares appellabantur, Africa, dempto Jubæ Regno; & Aſia, quæ gentes intra Halym ac Taurum continebat: exceptis Galliogræcis, & nationibus Amyntæ parentibus, Bithyniaque ac Propontide. Decem reliquas Prætorias fecerat; Bæticam, Narbonenſem, Sardiniam adjuncta Corſica, Siciliam, Illyricum, Macedoniam, Achaiam, Cretam cum Cyrene, Cyprum, Bithyniam cum Propontide vicinaque parte Ponti. Suas item provincias à ſe uno delectis tradidit Cæſar, appellarique Legatos, etiamſi forte Conſulatum geſſiſſent, voluit. His non temporis ſed voluntatis ſuæ modo finiebat Cæſar poteſtatem: militari habitu cinctuque conſpiciendis, ut quibus in milites animadvertendi conceſſum jus eſſet: id enim ejus poteſtatis inſigne eſt, nec ab aliis uſurpatur.

XCIX. Senos autem lictores habebant, quotquot eorum non eſſent Conſulatu functi, atque hinc eis apud Græcos nomen fuit. Sæpe autem accidit, ut voluntate Cæſaris etiam Conſules Prætoreſque in magiſtratu ſuo provincias obtinerent. Idem tamen auctor fuit inſtituti, ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in provincias mitterentur; ſed quinquennium ſaltem interponeretur. Et initio quidem, quamquam plures eſſent provinciis, tamen omnes ad ſortiendum admittebantur: poſtea propter quorumdam delicta, Cæſar eam quoque rem ſuæ poteſtatis fecit hactenus, ut ex omni numero totidem eximeret, quot provinciarum ſortes erant, eoſque ſortiri ſolos juberet. Poſtea & hic mos inolevit, ut ejuſmodi provincias Cæſar cui vellet daret, & quam vellet diu. quin & Equitibus Romanis quarumdam gentium aliquando commiſſa cura fuit. Hæc igitur tum ſunt conſtituta circa officium Senatorum, quibus in provinciales capitalis pœnæ poteſtas erat.

Magiſtratu functi non ante quinquennium in provincias mittuntur. Suet. Aug. 36. 1. Dio.

C. Mittebantur enim & alii in populi quidem provincias, quibus id juris non eſſet, ex Quæſtoribus ſorte ducti, aut proconſulum legati, quos rectius conſiliarios ab argumento vocaveris. Hos autem ſibi quiſque deligebat; Prætorii quidem ſingulos æqualis dignitatis, aut inferioris etiam: Conſulares vero ternos ejuſdem loci, quos Imperator probaviſſet. Sed & in Cæſaris provincias, in quibus plus una legione eſſet, Senatores mittebantur, quos legatos legionum appellabant. hos deligebat ipſe ex Prætoriis plerumque; nonnumquam Quæſtorios etiam, aut alio mediorum honorum functos adhibebat. Hæ ferme Senatorum functiones erant. At ex Equitibus, qui eorum tribuni militum, aut nuper in Senatu fuerant, aut alioqui præſtantiores cæteris habebantur, nonnullos mœniorum Romæ curatores, alios etiam in externis urbibus conſtituit. Ex eodem ordine procuratores, interdum & ex libertis ſuis, in omnes provincias dimiſit, reditibus colligendis certiſque faciendis impenſis: niſi quod à Proconſulibus provinciarum, quibus præerant, tributa cogebantur. His etiam procuratoribus, non ſecus atque Proconſulibus, mandata Princeps dabat: eoſque certis cum ſtipendiis emittebat, idque etiam in cæteris provinciarum rectoribus ſervari placuit. Antiquitus enim redemptores erant, qui Proconſulibus mulos & tabernacula, vaſaque, & omne aliud inſtrumentum publice locata præberent.

Legati legionum. Dio. Suet. Auguſt. 36. 2. Cic. in Piſon.

Cl. Tum vero parare hæc è ſtipendiis ſuis omnes juſſi; has inſuper communes omnibus leges acceperunt, *ne quis delectum militum ageret: ne pecunias cogeret, niſi ex præſcripto: ne quis accepto ſucceſſore contaretur decedere, neve tem-*

Species ejus Reip. & veræ intimæ formæ. Liv. 42. 1. 6. Dio. Tacit. 2. 67. 1. Plin. lib. 4.

pus in itinere tereret, ſed intra trimeſtre utique in Urbem reverteretur. Hanc igitur faciem tum quidem temporis iſta receperunt. revera Regnum erat, & Cæſar militibus inſtructus & pecunia; etiam ea quæ reddidiſſe Senatui populoque videbatur, imperio obtinebat. Ærarium quidem publicum ab ſuo diſtinctum habebat: ſed par erat ei in utrumvis poteſtas, quæ nec rerum limitibus, nec temporum ſpatiis coërceretur. Nam tametſi dixerat iſta ſe tantum in decennium recipere, mox in aliud quinquennium, deinde iterum in decennium ei prorogatum imperium eſt; ita ut continuatis decenniis ad finem uſque vitæ in ſumma poteſtate perſiſteret.

Honores ab Senatu decernuntur. Pigh. Annal. Liv. Epitom. Hiſtoria Miſcella. 7. 11. Victor. de Cæſarib. c. 1. & ejus Excerpt. c. 1. App. lib. 1. Civil.

CII. Senatus tamen, quaſi adjicere aliquid fortunæ ejus poſſet, jam poſt orationem ab eo habitam, promiſſaque de provinciis dividundis facta, multos ei honores decreverat: in quis maxime inſignes, *ut ante domum ejus in Palatio lauri, quernam coronam ſuſtinentes ſtatuerentur, eæque quotannis A D Kal. Mart. renovarentur, quo ſimul & in hoſtes Victoria, & in cives clementia ſignificarentur.* ejuſque rei memoriam temporum eorum triumviri auro, argento, ære laudo feriundo tam diuturnam effecerunt, ut hodieque ſpectentur nummi, quernam coronam cum lauri ramis exhibentes, titulo inſcripto, OB. CIVES. SERVATOS. Tum vero redactis in promiſſam formam provinciis, & ad tutelam Imperii diſtributis quatuor & quadraginta legionibus; ab Senatu populoque Romano *Auguſtus* appellatus eſt: *Romulum vocari oportere* quidam cenſuerant, quaſi & ipſum conditorem Urbis: nec diſplicebat nomen Cæſari, niſi quod Regis illud fuerat, cujus vocabulum ſtudioſe fugiebat, quum rem teneret.

Cæſar Auguſtus appellatur. Suet. Aug. 7. 4. Hegeſip. 3. 25. Vell. 2. 91. 2. Dion. 53. 22. 66.

CIII. Sed Munatii Planci ſententia prævaluit, ut *Auguſtus* potius diceretur, non tantum novo, ſed etiam ampliori cognomine: quod locis conſecratis ſanctiſque rebus antea tribui conſueverat. Nam ab augendo deductum hoc nomen, ſequentibus ſæculis nequidquam exiſtimatum. Actum in Idibus Januariis ex Ovidio ſatis conſtat: manſitque huic vocabulo per complura ſæcula tanta veneratio, ut ſolis Imperatoribus Romanis relictum ne potentiſſimi quidem Reges affectarent. Etiam menſem Septembrem, quo natus ille eſſet, *Auguſtum* appellandum cenſentibus, ipſe Sextilem prætulit, ob cauſſas Senatuſconſulto comprehenſas, quod in hæc verba factum eſt: *Quum Imperator Cæſar Auguſtus menſe Sextili, & primum Conſulatum inierit, & triumphos tres in Urbem intulerit, & ex Faniculo legiones deduxerit, ſequutæque ſint ejus auſpicia & fides: & Ægyptus hoc menſe in poteſtatem populi Romani redacta ſit; finiſque hoc menſe bellis civilibus impoſitus ſit: atque ob has cauſſas hic menſis huic Imperio feliciſſimus ſit, ac fuerit; placere Senatui, ut menſis Auguſtus appelletur.*

Pacuvii adulationes. Dio. lib. 56. Hiſtor. Miſcella. 7. 11. Liv. Epit. Strab. lib. 3. Cæſar de bello Civ. Tac. 2.

CIV. Eadem de re & plebiſcitum factum eſt, rogante Sex. Pacuvio Tribuno plebis. Is inter immodicam omnium gratulationem, eminere ſuam adulationem cupiens, Hiſpano Celticoque more ſe devovit Auguſto: & hoc prohibente, ad circumſtantem ſubſellia populum proſiluit, & perſuaſis quos potuit, etiam circum angiportus & vias diſcurrens ſequi ſuum exemplum obvios coëgit. Atque inde mos ortus dicitur, ut Imperatorem alloquentes, *ſe Numini ejus Majeſtatique devotos* dicerent. Idem effecit, ut propter decretos Auguſto honores paſſim ſacrificaretur: atque pro concione palam profeſſus, *ſe Auguſtum ac filium ſuum hæredes inſtituiſſe æquis partibus*, quum nihil habe-

ret; eo feciſſe exiſtimatus eſt, ut acciperet; quod etiam contigit. His temporibus Auguſtus, quum vim ſummi imperii teneret, omni conatu elaboravit, ut quam poſſet maximam libertatis ſpeciem efficeret: hoc maxime vaframento uſus, ut magiſtratus etiam capeſſeret ſæpius, alioſque honores, atque nomina eorum antiqua reciperet, quo videlicet non ſibi vindicare omnia, ſed ex legibus & Senatus Populique voluntate habere videretur.

CV. Quod exemplum & ſucceſſores ejus imitati, Conſules ſæpe, & quoties extra pomœrium agerent, proconſulibus geſſerunt. *Imperatoris* etiam ſuſceperunt appellationem, vel quibus nulla ex hoſte parta victoria eſſet, ne *Regis* aut *Dictatoris* nomen aſsumerent, & tamen proprium aliquod ſummo faſtigio vocabulum haberent. Sub horum nominum antiquo jure conſcribere exercitus, cogere pecunias, bellum aut pacem facere, civibuſque pariter & ſociis imperare conſueverunt. etiam, ut Equites atque adeo Senatores vel intra pomœrium necare poſſent: & quidquid umquam iſta nomina gerentibus uſurpatum poteſtatis fuit. Cenſuræ vero præſcriptio facultatem dabat in vitam moteſque ſingulorum inquirendi, cenſus agendi, in Equitem aut Senatum legendi quos vellent, aut contra inde removendi.

Imperatores ſub antiquis nominibus novam poteſtatem exercent. Hiſtor. Miſcel. l. 16. Eutropius. lib. 2. Flor 4. 2. Tac. 3. Dio.

CVI. Ne autem ulla pars Reipublicæ videretur eorum eximi poteſtati oportere, Sacerdotia capiebant omnia, & pleraque conferebant ipſi, Pontificatum Maximum ſoli retinentes. Tribunicia deinde poteſtas dabat eis in omnia Senatus decreta arbitrium, ut liceret eis, quidquid eorum diſpliceret, tollere. præterea ſacroſanctos efficiendo ab omni defendebat injuria: adeo ut ſi vel levitor ſe læſos verbo factove cujuſquam exiſtimarent, poſſent eum indicta cauſſa tamquam impium & neſarium hominem occidere. Et Tribunatum quidem, tamquam patriciis haud concedi ſolitum, non ſuſcipiebant: poteſtatem autem quanta umquam fuit maxima, vindicabant: quam quia quotannis, quoties Tribunorum comitia perfecta erant, reſumebant; per annos Tribunitiæ poteſtatis Imperium eorum dinumerari obtinuit.

Pontificatum Max. ſoli retinent.

CVII. Hæc igitur tamquam à populo accepta, ad imaginem antiquæ Reipublicæ, Principes habuerunt. Cæterum rem pauciſſimis olim, & tantum certas in cauſſas conceſſam, aſsumpſerunt in omnia, ut legibus ſolverentur. *Patris* autem appellationem honoris plus afferentem quam potentiæ ſervarunt ominis cauſſa: *Cæſareſque* & *Auguſti* vocari voluerunt, alterum ſignificandi gratia quibus ſucceſſiſſent; alterum exprimendæ amplitudini ſuæ dignitatique aptum. Hæc igitur commutatio rerum, quum publice eſſet utiliſſima (deventum enim eo erat, ut ſalva eſſe Roma non poſſet, niſi ab uno regeretur) rerum geſtarum expoſitioni fraudi fuit; ut anguſtior eſſe inciperet, & incertior.

Mutatio ſtatus hiſtoriæ etiam ſtatum mutat. Florus. Dio.

CVIII. Superioribus enim temporibus, quum quæ fierent omnia Senatui populoque Romano renunciarentur; à multis excipi conſignarique potuerunt: & quamquam, ut fit, à nonnullis timori gratiæque aut ſimultatibus aliquid daretur, tamen apud alios, & in publicis commentariis reperire integriora fas erat. Poſtquam ad unum omnia referri cœpere, paucis illa tamquam ex abdito proferentibus, maligne creditum; quod unde arguerentur non eſſet, omnia ad arbitrium Principum compoſuiſſe exiſtimatis. quum etiam Claudium Cæſarem hiſtoriam hortante T. Livio ſcribere aggreſſum, ne vere audibere quæ mortem Cæſaris ſe-

Quia publici commentarii paucis patent ſub Principe. Sueton. Claudio c. 41.

quuta erant traderet; ſæpe caſtigatum ab avia & matre didicerimus.

Tiberis exundatio pro omine habita. Dio.

CIX. Aeceſſit ex ipſa Imperii magnitudine cuncta accurate tradendi quædam deſperatio. Nam ex eo tempore multa domi bellique geſta ſunt, quorum cauſſas atque ſeriem pauci præter auctores noſſent: pleroſque totum negotium pertinaciter falleret. Unde nemini vertendum vitio erit, ſi non obvia fide ſine delectu omnia exceperit: præſertim quoties uteumque tradita, manifeſtioribus rerum indiciis arguuntur. Sed ut ad ſeriem temporum revertamur, qua die Cæſari cognomentum *Auguſti* eſt impoſitum; Tiberis proxima nocte exundans, plana urbis inundavit. res fortuita vatum interpretationibus in prodigium tracta eſt, incrementumque Cæſari ſignificari creditum, civitatem totam in poteſtate habituro.

Auguſtus bene imperare ſtudet. Suet. Aug. 31. 3.

CX. At ille non jam potentiam, quæ prius adfuerat, ſed juſti imperii decus atque bona cogitans, non omnia ut olim privato conſilio agebat. de pleriſque Patres conſulebantur: precante ipſos *ne quis ſibi patriæque, ſi quod haberet conſilium rectius, invideret*: neque difficilem ſe exhibuit, quidquid illi parum apte cogitatum judicaſſent, corrigendo. Maxime autem à Conſulibus, aut ſi locum alterum ipſe occuparet, à collega poſtulabat *admoneri*. Sed & *ex aliis magiſtratibus ſingulos, & ex reliquo Senatu quindecim ſortiri* juſſit, *quibus in proximũ ſemeſtre adjutoribus uteretur, de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaturus.*

Majus eſſe credens bene conſtituere imperium, quam patare. Dio. Apoph. Rom. ca. 46.

CXI. Eoſdem etiam aliquando judicaturus adhibuit. Exercebat tamen & Senatus judicia, quemadmodum olim: quin & legationibus interdum Regum atque nationum reſponſa dabat: populus comitiis intererat, nihil tamen niſi de ſententia Principis conſtituebatur. Magiſtratus partim ipſe deſignabat; partim ſuffragiis ſinebat creari: ſemper animum intendens, ne indigni fierent, aut factionibus ac ambitioni locus eſſet. His in univerſum ita ordinatis, deinceps ſingula, quæ memorari digna occurrent, ſuis adnotata temporibus referentur. Non enim abs re miratus Alexandrum hic princeps, pleriſque in adoleſcentia ſubactis, ne materiam agendi poſtea non eſſet habiturus timentem; majus eſſe exiſtimavit imperium partum bene conſtituere, quam donec deſuit, quærere. idque rebus ipſis laudabiliter præſtitit.

Auguſtus cenſum Galliarum agit. Suet. Aug. 30. 4. Dio. Strabo. lib 5. Suet. Auguſt. c 14.

CXII. Igitur eodem Conſulatu, vias extra Urbem ex manubiali pecunia ſternendas Triumphalibus viris diſtribuit; exceptа ſibi Flaminia, quæ ad Ariminum uſque pertinebat; quod per eam ducturus exercitum erat. Celeriter ea permunita eſt, obque eam cauſſam in duobus capitibus viæ poſiti ſunt arcus eum ſtatuis Auguſti, unus in ponte Tiberis, alter Arimini. quorum adhuc in nummis imago viſitur, eum hac inſcriptione; S. P. Q. R. CÆS. AUGUSTO. QUOD VIÆ. MUNITÆ. SUNT. In cæteras etiam vias, contanter ſumptum præbentibus aliis, multum de ſua aut publica pecunia impendit. Ille tamen de ſua dediſſe malebat videri; eoque & argenteas ſtatuas ſuas (quo ex metallo nulli antea Romano poſitæ fuerant) ſuſtulit, & conflavit omnes. & ex ea pecunia cortinas aureas in æde Apollinis Palatini poſuit. Perfecto Flaminiæ viæ opere, ac viribus ex morbo, quo circa Non. Mai. correptus fuerat, recuperatis; profectus ab Urbe Cæſar, Britannis inferre bellum conſtituerat. Sed ubi perventum in Galliam eſt, obvios eorum oratores habuit, pacem petentium. Idcirco depoſito priore conſilio in Gallia ſubſtitit, quam recens ſubactam, ſequutis deinde civilibus

M. Craſſi Triumphus ex Thracia & Getis.

bus bellis, nondum bene certa ac ſtabilis forma continebat. Igitur Narbonem evocatis populis trium Galliarum, quas pater Cæſar, vicerat cenſum egit: moribuſque eorum ac Reipublicæ firmius conſtituendæ operam dedit: certumque vectigalis modum, & inferendi tempora quibuſque ac loca præſcripſit.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM *Libri CXXXV. LIVIANI.*

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

BELLUM à M. Craſſo adverſus Thracas, & ab Cæſare adverſus Hiſpanos geſtum refertur: & Salaſſi, gens Alpina, perdomiti.

EADEM æſtate M. Licinius Craſſus M. F. M. N. proconſule ex Thracia & Getis, A. D. IV. Non. Jul. triumphavit. Baſtarnas nuperæ cladis dolore Dentheletas & Sitam, quibus calamitatis ſuæ cauſſam imputabant, adorti; excitarunt Romanum, illis gentibus atque regionibus belli minime appetentem. Cæterum ut inquietas nationes graviore damno caſtigatas in longius pacaret; diligenter inſtructis omnibus, operam dedit, ut imparatis ſuperveniret. Juvitque conſilium Fortuna; & profligatis levi negotio barbaris, leges pacis, quales Romanus voluerat, impoſitæ. Victis Baſtarnis, quum arma ſemel cepiſſet, ulciſci Thracas quoque ſtatuit; qui priori expeditione è Myſia revertentem latrociniis vexaverant: & tum quoque nihil pacati agitare nunciabantur. Igitur in Merdos Serdoſque exercitu inducto, nationes iſtas prœlio non uno victas, magno labore domuit; amputatis multorum manibus, quod aliter frangi feritas crudeliſſimorum mortalium non poterat. A Serdis iſtis vocatam regionem, quam Serdicam & Sardicam variante ſcriptura celebrant hiſtoriæ; pro Merdis, quod neſcio an uſquam præterea occurrat vocabulum, Mædos intelligere malim, vicinos Dentheletis, & à Serdis flumine tantum Neſſo ſeparatos.

M. Craſſi Triumphus ex Thracia & Getis. Liv. Epitom. Dio. Flor. l. 4. c. 12.

II. Cæterum ſubjecta quæque populando, quum ad Odryſas Craſſus penetraſſet, his in pacis ſpeciem occurrentibus pepercit. *Bacchi ſe clientes* aſſeverabant, *neque dignum ab ejus Imperatoris exercitu ſacras terras vaſtari, cujus imperii prædictionem M. Octavio de filio conſulenti exhibuiſſent. Ritu enim loci vinum aris infuſum, ſuperato ædis culmine in cœlum emicaſſe lætiſſima flamma: quod oſtentum nemini poſt Alexandrum Magnum factum fuerit.* Lucum eum tum temporis Beſſi obtinebant: itaque Craſſus his ademptum priori-

Odryſæ Bacchi clientes. Dio. Suet. Auguſt. 94. 7.

bus cultoribus reſtituit. Hæc agentem Roles excivit, cui cum alio Getarum Regulo (Dapygi erat nomen) bellum inciderat. Inhos invectus Romanus, quum equites pulſos in peditum ordines impegiſſet; non prœlium ultra, ſed cædes turbatorum atque diffugientium fuit. Dapyx in caſtellum munitum ſe contulit: quod quum obſideret Craſſus, quidam de muro Græce ſalutans eum, colloquium expetivit. per hunc proditi barbari, ne in manus inciderent hoſtium, mutuis vulneribus ſemetipſi conciderunt. Dapygis fratri, niſi captus fuiſſet, par cum aliis fatum ſortituro, Craſſus ſalutem & libertatem reſtituit. His ita geſtis ad Ceiram ſigna promota.

Spelunca Getarum, & alia loca capiuntur.

III. Eſt in regionibus eis ſpelunca ejus magnitudinis & munimenti, ut *Titanes à diis victi eo confugiſſe* dicerentur. huc omnes opes ſuas finitimi, &, quod in his pretioſiſſimum erat, armenta in pecora ineluſerant. Craſſus perquiſitis omnibus ſpeluncæ oſtiis (tortuoſa enim & occulta erant) obſtructiſque, neceſſariorum parandorum facultate excluſos, fame ſubegit. Invitatus hoc ſucceſſu Zyraxis etiam regionem, licet Dapygis bello ſe nihil immiſcuerat, invaſit. Robuſtiſſimum ejus regionis oppidum Genucla fuit: *ubi ſigna Romana eſſe* dicebantur, *quæ C. Antonio apud Iſtrianos Getæ ademerant.* Ea terra ſimul & ab Iſtro, cui adjuncta fuerant, oppugnata, parvo quidem tempore, ſed non parvo labore cepit, abſente quidem Zyraxe, qui ad primam belli famam, cum pecunia, comparandorum auxiliorum cauſſa in Scythas profectus, nondum redierat. Interea Myſorum etiam populos qui defecerant, per legatos recepit. Artacios, *illibatam libertatem nullaque violatam deditione* jactitantes ipſe adgreſſus; ne vicinis faſtidium conditionis ſuæ facerent; quamquam fortiſſime repugnantes, in poteſtatem redegit, quum partem eorum ſuperaſſet armis; cæteros captivis ſuis metuentes accipere conditiones pacis coëgiſſet.

M. Meſſallæ Triumphus ex Gallia. App lib. 4. Civil. Strab. lib. 5. Suet. Auguſt. cap 29. Plin. 36. 5. 24.

IV. Ob eas res Triumphum ei conceſſit Auguſtus; itemque M. Valerio Meſſalla propter Gallorum rebellantium partem domitam. Circa montem Atacem & Pyrenæos ſaltus res geſſerat, Aquitanorum maxime ferocia fracta. Triumphavit igitur proconſule ex Gallia VII. Kalend. Octobr. & ex manubiis viam ſilice ſternendam locavit, quam ne fuiſſe Valeriam exiſtimemus, Tibulli poëtæ, qui bello Aquitanico ſub Meſſalla meruit, auctoritati damus, per Tuſculanum Albanumque agrum ductam teſtantis, quum Valeria Tibure in Marſos & Pelignos pertineret. Dum hæc aguntur, Auguſtus in Hiſpaniam ex Gallia profectus, eam quoque provinciam pro ratione præſentium ordinavit. Adhuc Tarraconæ agentem Kalendæ Januariæ deprehenderunt, quibus Conſulatum ipſe octavum, T. Statilius Taurus iterum inierunt. Tum Agrippa, cui nulla munienda obtigerat via, aliud non minoris ſumptus opus, Septa, dedicavit. Locum eum in Martio Campo Lepidus antea Comitiorum habendorum cauſſa porticibus inſtruxerat. Agrippa incruſtavit, tabuliſque & ſtatuis exornavit, adeo preciosis, ut pro quibuſdam capite ſpondere tutelarii cogerentur. Sed Agrippa nihil honori ſuo tribuens, *Septa Julia* vocavit, omnia referre ad Cæſarem ſolitus, eoque & apud ipſum integra gratia: nec minus in magna gloria apud cæteros quod optimorum conſiliorum auctorem eſſe Cæſari ſcirent.

Urb. cond. an. 727 Agrippa Septa dedicat.

V. Longe diverſis moribus Cn. Cornelius Gallus, pro inſtituti ſui vanitate exitum habuit. Is immemor cujus opus eſſet, auctori ſuo obtrectare non verebatur: & inter alia maleficia Thebas, Ægypti nobiliſſimam urbem, pluribus ornamentis opibuſque ſpoliatam exhauſerat. Nec interim defuit ſtatuas ſibi per omnem prope dixerim Ægyptum ponere, & acta ſua inſculpere in pyramides. Nam Heroum urbem deficientem parva manu receperat: domueratque Thebas, propter tributum tumultuantes. Hæc, quum accepto ſucceſſore Petronio, in Urbem rediſſet Valerius Largus ex familiaribus ejus objecit; factumque eſt, ut Auguſtus Gallo amicitia & provinciis ſuis interdiceret. Sic cadere incipientem, aliæ, ut fit, adortæ accuſationes prorſus afflixerunt, multorumque criminum, inter quæ & conjurare contra Cæſarem voluiſſe, inſimulatus, ſententiis Patrum, quibus cauſſam judicandam Imperator dederat, *exulare* juſſus eſt. *bona ejus in fiſcum Cæſari referri* placuit, *& ob hanc vindictam honorem haberi diis immortalibus; uſque majoribus hoſtiis Senatus nomine fieri.* At Gallus ignominiam non ferens ferro incubuit. Cn. Cornelii Galli ruina. Euſeb. num. 1989. Marcellin. 17. 6. Dio. Strab. lib. 17. Suet. Aug. 66.

VI. Hic caſus primum ex Romanis Ægypti præfectum, inter paucos Cæſari charum, poëtam nobilem, bello ſpectatum, quadrageſimo ætatis anno ſuſtulit, quum tot egregia naturæ ac fortunæ munera utendi neſcius inexcuſabili vecordia corrupiſſet. Atque hoc ſicuti ad modeſtiam documentum, ſic illud ad cautionem hominibus fuit, quod multorum ſuffragiis adactus ad extrema fuerat, qui proſperitate magna uſum adulationi propioribus officiis impenſe coluerant. at illi Largum videntes creſcere, ad hunc ſe tranſtulerunt, eumdem illum, ſi quando ferret occaſio, haud ſegnius condemnaturi. At apud alios propter amicum everſum tanta eſſe in invidia Largus ceperat; ut *C. Proculejum* Cæſaris amicitia notum Equitem, *quum forte factus ei eſſet obviam, manuos atque naſum compreſſiſſe* dicatur: quaſi indicans, tali præſente delatore, ne reſpirare quidem tuto quemquam poſſe. Alius teſtibus adhibitis Largum interrogavit, *an ſe cognoſceret?* & negante illo, rem conſignavit in tabulis quaſi homo improbus calumniari vel ignotum nequiret. *caſu Corneli cognito laudatam quidem ab Auguſto Patrum pietatem* ferunt, *tantopere pro ſe indignantium*, ſed & *illachrumaſſe eum, nobilique voce quæſtum, ſibi ſoli non licere amicis, quatenus vellet, iraſci.* A ſuis adulationibus procurata. Dio. Plin. 36. 24.

VII. Tantum exemplum nihil M. Egnatium Rufum deterruit, adeo plures aliorum improbitatem æmulari, quam vereri pœnam didicerunt: quominus ad ſimilem furorem prolaberetur. Ædilis nuper & alia non inepte fecerat; & obortо forte incendio, per ſervitia ſua & mercenarios opem tulerat laborantibus. Ob iſta populi juſſu pecunia ex publico data, factuſque præter leges ſtatim ex Ædilitate Prætor, in tantum ſibi placuit, ut Auguſtum contemneret: edictoque propoſito, *ſua opera ſalvam integramque Urbem ſucceſſoribus tradi* gloriaretur. His quamquam offenſus cum nobiliſſimo quoque Patrum Auguſtus, ſatis tamen in præſentia habuit Ædilibus injungere, *darent operam, ne qua incendia exſiſterent, aut ſi exſtitiſſent in tempore reſtinguerentur.* Egnatii vecordia. Sueton. Dio. Vell. 2. 91. 3.

VIII. Eodem anno Ponti Rex Polemo, inter ſocios ac fœderatos populi Romani adſcriptus, in univerſo Regno ſuo *prima in Theatris loca Senatoribus* Rex Polemo Senatores Romanos honorat.

Capitolin. Faſti. Hiſtor. Miſcell. a. 12. Suet. Auguſt. cap. 26. Strab. lib. 4. Dio. Urb. cond. an. 728. Salaſſi propter maleficia quæ-dam.

Romanis dari præcepit. Et Romæ Sex. Appulejus Sex. Fil. Sex. Nep. procoſ. ex Hiſpania A. D. VII. Kal. Febr. triumphavit. Sub idem tempus elauſæ nuper Jani portæ denuo patuerunt. Britannos promiſſa non ſervantes bello petere Auguſtus deſtinarat, ſed præpeditus Salaſſorum, Cantabrorumque & Aſturum rebellione, ad hos prius paeandos conſilia convertit. Igitur nono Conſulatu, cujus collegam M. Junium Silanum habuit, etiam Tarracone inito, ipſe Hiſpanos domiturus Alpina bella Terentio Varroni Murenæ demandavit. Salaſſi nuper Gallico bello M. Meſſallæ caſtra propinquis locis habenti, ligna ad focum, & haſtilia ad exercitationes, non niſi pretio accepto dederant; & nuper per ſimulationem viarum, aut pontium reficiendorum cum magnis copiis juga montium inſidentes, ſaxis in ſubjecta devolutis, pecuniam, quæ ad Cæſarem portabatur, interceperant.

Ab Varrone Murena perdomantur. Dio. Strab. Suet. Aug. a. 1. & 24. 5. Liv. Epitom.

IX. Hos igitur diviſis copiis Varro, quo pluribus locis invadens diſtraheret, haud difficulter paucos numeroſo ſuecinctus exercitu ſuperavit. Pacem deinde petentibus quum certam pecuniam imperaſſet, tanquam nihil ultra paſſuris; dimiſit per cauſſam exigendi milites, *comprehendique omnes, & adduci Eporædiam* juſſit. Ibi ſub haſta venierunt omnis ætatis ſexuſque millia ſex & triginta; prætera hominum bello aptorum octo millia, lege addita, *ne aut in vicina regione ſervirent; aut viceſimum intra manumitterentur.* Ita perdomitis tandem Salaſſis, Auguſtus tria colonorum millia, maxime ex Prætoriis cohortibus in optimam ejus agri partem miſit; & *quo loco caſtra habuerat Varro, condi oppidum, & muris* quatenus natura locorum patiebatur, *muniri* juſſit. *Auguſta Prætorianorum* appellata. Difficilior adverſus Cantabros Aſtureſque labor Auguſto fuit: quum aſperi homines, & pari ſitu defenſi nec pacem amplecterentur; nec in diſcrimen pugnæ ſe darent adverſus validiorem.

Cantabri Auguſtum in difficultates conjiciunt. Flor. 4. 12. 7. 47. Hiſt. Miſc. 7. 33. Oroſ. 6. 21. Strab. Dio. Bell. a. 92. 4.

X. Cantabrorum præcipua contumacia fuit: qui libertatem uſurpare non contenti, quoties Romanus metus aberat, Vaccæos, & Turmogos, & Autrigonas aſſidue depopulabantur. At ubi Sageſama recepta, caſtriſque ibi poſitis, tripartitas copias immiſit Cæſar; modo altioribus jugis præoccupatis; modo per cava locorum aut ſylveſtria poſitis inſidiis, in has eum difficultates conjecere, ut præcuris laboribuſque per majorem partem ætatis exantlatis in morbum inciderent. Sed & frumenti penuria laboratum in caſtris eſt: quod per difficiles vias parce ex Aquitania ſubvectum, incredibilis exorta murium multitudo diripiebat. Ergo & cum hoc tantulo animali belligerandum fuit: hominesque conducendi pretio in certum captorum numerum conſtituto. Cæterum Auguſtus Tarraconem regreſſus, C. Antiſtium bello præfecerat. eaque res ad celeritatem victoriæ profuit. Quippe barbari contempto Antiſtio, quum prœlium commiſiſſent ad Belgidam (quod oppidum ab aliis Segidam vocari doctis placet) magna clade victi, Vinnium altiſſimum montem fuga petiverunt.

Medullii muris obſidio. Flor. Dio. Vell. a. 90. 2. Hiſt. Miſcel.

XI. Ibi tuti loco, neceſſariorum inopes, quam deditionem ferrum extorquere nequiverat, fame ſubigente fecerunt. Alia deinde ſunt ab Antiſtio oppida capta: ſed cujus titulis Arraeillum accedere debeat; quando ſub hæc tempora & C. Furnius, & M. Agrippa his in regionibus res geſſerunt, inter ſilentium auctorum parum liquet. Id tantum reperio, quum diu magna vi repugnaſſet,

Astures domiti pacata Hispania.

captum ac direptum esse. Posthæc ulteriora quoque Gallęcię victores pervaserunt, classe etiam admota ab Oceano, cui præfuisse C. Furnium arbitror; qui una cum Antistio Medullium montem flumini Minio adjacentem obsedit. Isthæc obsidio magno labore periculoque Romanis constitit: magna hominum multitudo huc confugerat: quæ quum armis resisteret, operibus expugnanda fuit. Igitur obducta per quindecim millia passuum fossa, quum aliter captivitatem effugere barbari nequirent, inter epulas se certatim igne, ferro, ac veneno peremerunt.

Cantabrorum ferocia in conscisscenda sibi morte. Plin. 16. 10. Strab. lib. 3. Florus.

XII. Taxus arbor in Hispania nascitur: hujus è baccis venenum exprimebant, cętera quoque tam maleficæ naturę, ut vasis ex eo ligno factis vina diffusa mortem adferant. hinc *taxica* vocata putant, quę vulgo *toxica* nominantur. Alii *toxicon ex herba fieri similitudinem apii referente* tradunt; *id quoniam citra dolorem necet, adservare Hispanos in remedium acerbioris casus: eos maxime quos gentili more supervivere post mortem ejus cui se devoverint, nefas habetur*. Hoc modo consumptis plerisque, ne quidem servari magna pars eorum, qui in potestatem venerant, potuere adnotatum est à puero gladium forte nacto, jussu patris parentes cum fratribus omnibus interemptos: itemque alios una captos, à muliere. Nec enim ille sexus erat mollior: & interfecti sunt eo bello à matribus liberi, ne in potestatem hostis inciderent. Inter hæc relevatus nonnihil Augustus ad castra rediit: fractosque jam hostes & in deditionem acceptos partim in plana deduxit, ne montium fiducia rebellarent: aliis obsides imperavit: ferocissimum quemque sub corona vendidit.

Astures à T. Carisio domiti. Florus. Histor. Miscel. Orosius. 6, 21.

XIII. Sub idem tępus Astures montibus suis digressi, castra juxta flumen Asturam (unde nomen genti) posuerant. Inde trifariam divisis copiis totidem Romana castra oppugnaturi, maximum terrorem imparatis periculumque intulissent; nisi T. Carisius, Trigęcinis sociorum consilia prodentibus, instructo cum exercitu occurrisset. Cruentum ibi certamen fuit, multis utrimque cadentibus, donec in fugam acti hostes Lanciam urbium suarum maximam confugerunt. Eam milites ab ira pertinacis prœlii delere incendio cupiebant: donec Carisius non parvo apud utrosque negotio, barbaris deditionem, suis clementiam persuasit: ut victoriæ Romanæ stans potius Lancia, quam incensa monumentum esset. Hanc victoriam, omnibus circum exterritis, sequuta gentis est deditio, concessis ei ad inhabitandum castris suis, quæ in plano essent. Sic mansuefacti paulatim Astures solum exercere & metalla didicerunt: tum demum opibus suis cognitis, dum alieno lucro eas eruunt.

Perpacata Hispania. Plin. 35. 6. 30. & 33. 7. Florus. Liv. 28. 12. 10. Vell. 2. 90. Dio. Strabo.

XIV. Aurum enim fert Hispania, colorescque, quorum Indico similis exarena excoquebatur. Miniarium certe metallum, maximi proventus in Bœtica fuit: in Gallæcia vero *Minium* flumen inde nominatum putant, quod in eo magna vis ejus pigmenti reperiatur. Hęc extrema fuit Augusti ductu suscepta expeditio: qua perpacata demum post annos ferme ducentos Hispania, si modicos mox tumultus excipias, provincia facta, Romano jugo sat patienter adsuevit. Augustus bello confecto militibus emerita stipendia habentibus sedem in Lusitania dedit, colonia condita; quam Augustam Emeritam appellaverunt. Ibi ex Prętoriis legatum constituit Cęsar Carisium, sive Titus ei prænomen fuit, sive nummos potius istius fuisse credimus (& est vero propius) qui urbem cum turribus & portis prędentes, hunc titulum exhibent: EME-

RIT A. & in ambitu P. CARISIUS. LEG. PRO. PR.

Amyntæ Regnum in Provinciæ formã redigitur. Strab. lib. 7. & 12. Dio. Florus.

XV. Majori parti Hiſpaniæ Conſularis C. Antiſtius impoſitus eſt, cum tribus legionibus, totidemque legatis. Ludos etiam in caſtris Marcellus ac Tiberius, Ædilium vicem ediderunt. Iubæ deinde Regi, quod pleraque paterni ejus Regni provinciæ populi Romani adſcripta fuerant, Getuliæ quædam conceſſæ partes, & quidquid Bocchus ac Bogud Mauritaniæ Reguli obtinuerant. Per idem tempus Amyntas multis Cilicum & Piſidarum caſtellis occupatis ad Homonadenſes progreſſus, interfecto tyranno, dolo muliebri perierat. Ejus Regnum, quamquam liberos reliquerat, in provinciæ formam redegit Cæſar, miſſo M. Lollio, qui primus eam proprætore adminiſtravit. Huc *Lycaones cum Gallogræcis parere juſſi, tum Sagalenſes, & Selgenſes & quidquid ſub imperio Amyntæ fuerat.* Pamphyliæ tantummodo partes, nuper eidem attributæ, ſuis legibus redditæ ſunt. Ob hæc, & quia Celtarum quoſdam ob negotiatores Romanos interfectos, armis ultus, M. Vinicius Imperatoris nomen Auguſto & ipſe quæſiverat; triumphos ex provinciis ſubactis Cæſari Senatus decrevit; eoſque recuſanti tropæum ſuper arcum ſtatui juſſit in Alpibus: id tamen complures poſt annos perfectum arguit inſcriptio Pontificatum Auguſti præferens, quem poſt mortem demum M. Lepidi adſumpſit.

Tropæum Auguſti in Alpibus. Suet. Aug. 31. 2 Dio. Hiſt. Miſcell. lib. 12. Oros. 6. 21.

XVI. Talis enim illa fuit; IMPERATORI. CÆSARI. DIVI. FIL. AUG. PONTIFICI. MAXIMO. IMP. XIII. TRIBUNITIÆ POTESTATIS. XVIII. S. P. Q. R. QUOD. EJUS. DUCTU. AUSPICIISQUE. GENTES. ALPINÆ. OMNES. QUÆ. A. MARI. SUPERO. AD. INFERUM. PERTINEBANT. SUB. IMPERIUM. PO. ROM. SUNT. REDACTÆ. GENTES. ALPINÆ. DEVICTÆ. TRIUMPILINI. CAMUCI. VENNONETES. ISARCI. cæterorum deinde populorum longa ſeries ſequitur, quam ob ignota pleraque veteribus etiam monumentis vocabula prætermiſi. Operis reliquiæ prope Monœcum portum viſuntur in Liguria; nam duobus ſupra milliaribus in præruptis collibus adhuc columna cochleata ſupereſt, qua ſpeculæ & arcis loco utuntur incolæ corrupta nonnihil voce *Torpia* pro Tropæis appellantes. Ob ejuſmodi tam læta, quum oppreſſa ubivis bella viderentur, quorum cauſſa nuper apertum Jani templum fuerat, iterum claudi placuit. Ducibus ac legatis Auguſti, quorum opera bella confecta fuerant, jus datum, ſingulis annis uno die Kal. Jan. geſtandæ coronæ cum triumphali habitu.

Agrippa Urbem multis operibus exornat. Strabo lib. 4. Civit. Dio. Suet. Auguſt. 29. 30. Plin. 33. 8. 18.

XVII. Omnibus his annis multus in Urbe ſuis lumptibus exornanda M. Agrippa fuit, plurima & egregia opera molitus. Inter quæ porticum extruxit; navalium victoriarum præmium, Neptuno, quem Argonautarum celebri pictura decoravit. in omnibus ſuis operibus exemplo confirmare niſus, quod oratione magnifica ſane, & maximo civium digna de tabulis omnibus ſigniſque publicandis habuit. Igitur & rhermarum ſuarum calidiſſima parte marmoribus parvas tabellas inclufit: & ante eas Lyſippi diſtringentem dedicavit: & templum Ultori Jovi poſitum, cum Syracuſanis columnarum capitibus, ſic exornavit, ut propter omnium deorum conſpicua in eo ſigna *Pantheon* appellaretur; quamquam nominis ejus cauſſam alii in ſimulachra Martis & Veneris deorum icuncliſ varie excuſa conferunt: *Dio ſit dictum à forma rotunda putat, quæ cœlum deorum omnium domicilium imitetur.* Sequentia tempora, quum diis omnibus ſa-

Augustus legibus omnino solutus.

cratum fuisse existimarent: omnibus Sanctis & Virgini cœlorum Reginæ dedicarunt; hodieque durans id opus propter solidæ molis firmissimam stabilitatem, sub vocabulo Sanctæ Mariæ Rotundæ in exemplar perfectæ Architecturæ cernitur: testante titulo *M. Agrippam L. F. Consulem tertium fecisse.*

Vt Cæsari, & Reip. consuleus. Dio. Strab. lib. 5. Suet. Aug. c. 10.

XVIII. Simulachrum Augusti collocare ibidem Agrippa voluerat, ejusque nomen operi præscribere: sed utrumque illo recusante, Dictatoris Cæsaris statuam in æde, suam & Augusti in vestibulo posuit. Hæc tam magnifica opera quum proxime contingere Principale culmen viderentur; honori tamen Agrippæ potius apud Cæsarem, quam fraudi fuere. Notus enim erat viri animus, Cæsaris Reique publicæ caussa facientis omnia, ut hanc operibus institutisque præclaris, hunc gloria & benevolentia civium decoraret. Nam ornatui commoditatibusque Romanæ Urbis plurimum studens Augustus, per se & amicos in tantum enisus est, ut jure gloriaretur, *marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset.* Igitur & nuptias filiæ suæ, quam M. Marcello, vix pueritiam egresso, desponderat, quod per valetudinem Romam venire prohibebatur, Agrippa vices absentis gerente celebravit; & ædibus M. Antonii in monte Palatino combustis, quas M. Agrippæ & M. Messallæ concesserat; huic quidem pecuniam dono dedit, Agrippam in suas ædes recepit, quæ quum maximo honori tanto viro essent, nihilominus alios quoque haudquaquam paribus meritis populus tum celebravit. C. Toranium Tribunum plebis, quod patrem suum, quamquam libertum, juxta se considere in Theatro jusserat; P. Servilium, quod ejus ludis ursi trecenti, totidemque Africanæ confectæ fuerant.

Vrb. cond. an. 729. Senatus in acta Augusti jurat. Dio lib. 53. Suet. Aug. c. 41 Tacit. 1. 5. 1.

XIX. Proximus deinde annus, quidquid abesse potestatis Augusto videri poterat, obvia Senatus voluntate delatum contulit. Kalendis Januariis, quibus magistratum decies Consul, collega C. Norbano Flaeco absens iniit; Senatus universus in acta ejus juravit: & quum *adventum suum* nunciandum curasset (nam ob valetudinem infirmam diutius adfuerat) *& ob eam caussam divisurum populo quadringenos nummos, si Senatui videretur*; legibus semel omnibus eum solvit: ne quid jam facere quod nollet, aut quod veller prætermittere cogeretur. Hæc absenti data: postquam advenit, & alia propter salutem ejus atque reditum facta sunt; & honoris ejus caussa propinquis quædam concessa: Marcello, dicendæ Prætorio loco sententiæ: petendique Consulatus decem annis maturius, quam per leges liceret; Tiberio ut quinquennio priusquam leges annariæ sinerent, in petendis honoribus ratio ejus haberetur. Simul etiam hic quidem Quæstor, Marcellus jam Pontifex, Ædilis Curulis designatus est.

Astures & Cantabri rebellantes cito domantur. Plin. 6. 28. Strab. lib. 4.

XX. Forte Quæstores ad numerum non erant, qui in provincias mitterentur. idcirco placuit Senatui, *ut quotquot proximo decennio magistratum eum gessissent, neque in provincias exissent, sortirentur.* Dum hæc in Urbe fiunt, Astures & Cantabri, simulatque decessisse Hispania Cæsarem audiverunt, novæ servitutis impatientes arma resumpserunt. Cæterum priusquam consilia nudarent, arte capere Romanos conati, missis nunciis ad L. Lamiam, is tum Hispaniensibus legionibus præerat, *frumentum & alia quædam dono se dare exercitui* significarunt. Deinde milites accipiendi gratia missos, quo quemque voluerant perductos, interemerunt. Sed hujus facinoris haud diuturnum eis gaudium fuit. Quippe vastatione agrorum, & oppidorum incendiis, aliisque belli cladibus celeriter

domiti, pœnas turbatę per insidias pacis dederunt. Alius Eques Romanus Gallus Ælius in Arabiam Felicem signa Romana primus intulit. quam ex Strabone potissimum, auctore quantivis pretii, qui Gallo amicus sodalisque fuit, exsequemur.

Ælii Galli expeditio in Arabiam. Plin. Strabo.

XXI. Miserat hunc Cæsar, ut eas gentes, finitimasque tentaret, simul locorum situm, Æthiopicosque fines, & Troglodytas Ægypto vicinos exploraret, qui sinu Arabico minime lato ab Arabibus separantur. Hos quia ditissimos esse sciebat, auro argentoque aromata & lapillos permutantes, nec ementes ab aliis quidquam; aut amicos habiturus opulentos, aut si hostes esse maluissent, ingentia inde spolia reportaturus videbatur. Spem dabat & Nabatæorum societas, quorum Syllæus fraudulento, ut res docuit, consilio, se ducem itineris, socium periculorum offerebat. Ad Album pagum, id maximum Nabatæorum emporium erat, dirigendum iter quum esset, negavit *pedibus penetrare eo exercitum posse*; quum tamen mercatores tanto camelorum & hominum numero, commeare inter Petram & Album vicum soleant, ut si multitudinem spectes, differre nihil ab exercitu videantur. Primum in eo peccatum fuit, quod adversus homines minime bellicosos, mari præsertim, naves longas apud Cleopatridem qua veteri fossę Nili proxima est, biremes triremesqi ac phaselos circiter octoginta construxit.

Nabatæorum Regum socordia. Ioseph. Antiq. 15. 12. Strabo. Appian.

XXII. Errore dein animadverso centum triginta onerarias ædificavit: impositque militum Romanorum ac sociorum millia ferme decem: in quibus erant cum Syllæo mille Nabatæi. Herodes etiam in magna fame frumento nuper adjutus à Petronio, quingentos ex Prætoria cohorte delectos auxilio miserat. Hi circumducti per anfractus, & æstuaria, brevibusque aut occultis saxis insidiosos sinus (propter quæ magnis navibus in eo mari nemo utebatur) quintodecimo die vicum Album attigerunt, multis amissis navigiis, quamquam nemo dum hostium occurrisset. Id socordia fiebat Nabatæorum Regum, Præfectis suis, quos *fratres* appellare consuerant, committentium omnia, præsertim quæ ad rem pertinerent. Hoc instituto tum Rex Obodas omnem harum rerum curam in Syllæum inclinaverat. Hunc autem id agere suspicio erat, ut explorata regione, Romanos in subigenda parte ejus adjuvaret. deinde illis morbo, fame, & cæteris quæ structurus ipse esset malis absumptis, ipse ab his occupata posideret.

Stomachace & Scelotyrbe Romanum exercitum infestant. c. 10. Strab. lib. 16. p. 23. 3.

XXIII. Hujus scelere factum, ut per vasta loca & squallentia æstu circumducti, quum aquarum herbarumque malignitas insueta corpora tentaret, quod æstatis reliquum erat, eum sequuta hyeme, circa Vicum Album contererent. In primis molesta Stomachace & Scelotyrbe fuit, ignotæ nostro orbi hactenus, sed illis locis familiares. Nam in capita primum incumbens vis mali, dentibus dejectis faciem exsiccabat. Plurimi hoc genere morbi statim peremti: aliis à capite citra noxam mediarum partium ad pedes ea pestis transiit, genuum compagem solvens. nec remedium inveniebatur, nisi quod oleum in vino potum inunctumque paucis profuit. Neutrum enim iis locis nascebatur, neque maximam eorum copiam secum attulerant. Ideirco transacta demum hyeme, quum Augustus undecimum Consul, collegam Terentium Varronem Murenam, & hoc celeriter defuncto Cn. Calpurnium Cn. F. Cn. N. Pisonem ultro ambitum à Cæsare ac rogatum haberet, Ælius Gallus ex Albo vico copiis eductis, terrestri itinere similem ducum perfidiam expertus post aliquam multos

Urb. cond. an. 730. Balbus in Arete Regnum pervenit.

dies

Victi aliquot Arabum populi.

dies, maximâ cum defatigatione hominum animaliumque (nam & camelis aquam portari neceſſum fuerat) in Aretæ Regnum pervenit.

Hoſtes levi negotio vincit. Dio. Strab. Plin. 6. 28.

XXIV. Obodam adfinitate contingebat Aretas; eo promptius excepit Romanos, doniſque hoſpitaliter coluit. Nec ideo minus per tam aridam regionem difficilis eis tranſitus Syllæi perfidia & artibus fuit. Triginta dies per devia conſumpti: quibus ferme Zea, & dactylis raris, & olei loco butyrum præbente regione vixerunt. Inde penetratum in campos magna parte deſertos, quibus tum Sabus imperabat. vagam ibi vitam paſtoralemque degunt homines, *Aurena* vocatur. Per hanc quinquaginta dierum ſpatio per inculta & invia loca, mitem pacatamque gentem attigerunt Negranorum: quorum Rex quum ad gentis ignotæ famam diffugiſſet, oppidum primo impetu captum eſt. Sextis deinde caſtris ad flumen quoddam progreſſi, cum hoſtibus magno magis quam difficili prœlio contenderunt. Arcum & gladium, lanceamque, fundas etiam nonnulli, ſed plerique bipennes habebant. his armis quam imperite & trepide ſint uſi ne dicendum quidem arbitror, quum ea pugna, decem millibus ſuorum amiſſis, tantummodo duos de Galli exercitu interfecerint.

Sed morbis fatigatus recedit. Dio. Strab. Plin.

XXV. Hæc victoria eis Aſcam oppidum, itidem ab Rege derelictum aperuit. Hinc Athrullam proceſſum: captaque inſigni, ut iis locis, urbe, copiis oppidanorum, frumento maxime & dactylis refecti, Rhamanitas invaſerunt Naſaro parentes. Horum caput in Calvigiorum natione Mariaba fuit, ſuperba appellatione: nam dominos omnium interpretantur. nec abhorrebat oppidi magnitudo, ſex millia paſſuum circuitu complecteus. Nec in poteſtatem Romanorum pervenit; inopia aquæ ſeptimo die ſolvere obſidionem coactis. Præter hæc oppida Neſtum quoque Magulum, & cum Tammaco Labeciam diruiſſe Gallus traditur, &, quo longiſſime proceſſit, Caripeta. Sed quantum viribus ſuperior erat, tantum eoque amplius morborum violentia infeſtabatur: a quibus ad poſtremum expulſus eſt. occupata priſtini cultores receperunt. Gallus quum tantum itinere bidui ab aromatifera abfuiſſet, ut ex captivis eſt cognitum, ſexaginta diebus omne id ſpatium remenſus eſt, quod fraude ductorum toto ſemeſtri vix confecerat. Nonis caſtris Negrana rediit: undecimis inde Septem puteos, à rebus ipſis denominatum locum. Inde pacata exceperunt. vicus Chaalla deinde Malotha flumini adjacens: hinc per deſerta & ſitientia Negram itum maritimum vicum, ex Obodæ Regno.

Auguſti morbus. Dio. Strabo. Sueton. Aug. 28. 1. et 81. Vell. 2. 91. 1. Plin. 19. 8.

XXVI. Inde diebus undecim celeberrimum Ægypti *portum*, quem *Muris* appellant, tenuit. Inde Coptum; à Copto Alexandriam reliquias exercitus reduxit. Nam morbo & fame, rum deſperatione ac tædio major pars interierat; in bello ſeptem omnino deſideratis. Hic annus ſæpe ægrotantem Auguſtum decumano quaſi morbo propemodum dejecit. omni certe ſpe ſalutis abjecta magiſtratibus Senatoribuſque & Equitum primoribus domum convocatis, teſtamentoque facto annulum Agrippæ, Piſoni Conſuli rationarium imperii tradidit, quo numerum exercituum, & quid ubique caperet populus Romanus, aut expenderet, conſcripſerat. Succeſſorem nominavit neminem, admirantibus, qui Marcellum eam in ſpem edueari conjecerant. Antonius aurem Muſa, quum deſtillationibus vitiatum jecur calidis fomentis non juvaretur; ancipitem rationem medendi neceſſario complexus, frigidis eum lavacris potionibuſque, & multo lactucæ

uſu, reſtituit. Pro hoc merito multam hic Antonius & ab Senatu & ab Auguſto pecuniam, eum immunitate, non ſibi tantum, ſed & aliis medicinam facientibus in perpetuum decreta abſtulit.

Marcellus moritur. Dio. Val. Maxim. p. 15. 3. Plin. 1 p. 2.

XXVII. Ne tamen artis experimento nimium gloriaretur; non multo poſt Marcellus ab eodem Muſa ſimili methodo euratus, in Bajano ſuo, intra duodevicesimum ætatis annum obiit. Hoc tam acerbum fatum, & prius quoque parum conſtans Marcelli valetudo, Plani cujuſdam audaciæ colorem præbuit, ſe Octavia natum aſſerentis. Nam *ſe, propter ſummam corporis imbecillitatem ab eo cui datus eſſet nutriendus, retentum, ſubſtituto ſuum in locum illius filio.* Sed hæc diu poſt acciderunt. Tum vero publico funere, ad quod ſexcenti lecti intra civitatem ierunt, ingenti cum gloria pompaque elatum in Campo ſepeliendum curavit Auguſtus; ejuſque laudationem ipſe peregit. Civitas ejus mortem vehementer doluit, quod adfabilitatis & ingenuarum virtutum opinionem, frugalitate & continentia in illa ætate & opibus admirabili, haud exiguam ſibi comparaverat. Sane ut Auguſtus eum populo commendaret, præter alias ingentes ſummas, quas ejus nomine inſumpſerat, paulo ante in ejus Ædilitate celebrandos curaverat magnificentiſſimos ludos, quibus & Eques Romanus & matrona nobilis mimum egit: & quum æſtas præfervida ineidiſſet, velis inumbrarat Forum, ut ſalubrius litigantes conſiſterent.

Auguſti teſtamentum. Dio. Plin. 7. 37. Plutarch. Marcello cap. 30.

XXVIII. Memoriæ traditum eſt, *Virgilio carminis ſui partem aliquando recitante, quod Marcello ſepulchrale magno operi inſerit, Auguſtum & Octaviam præ nimio fletu vix duraſſe, donec locus abſolveretur.* Ad leniendum deinde luctum, celebrandamque adoleſcentis memoriam honores ei decreti, *theatrum*que jam cœptum à priori Cæſare, juxta Pietatis ædem, *Marcelli* appellatum: effigies etiam aurea, cum corona ex eodem metallo facta, quæ ludis Romanis in medio magiſtratuum qui ludos facerent, curuli ſella poneretur. Cæterum recreatus è morbo Cæſar, teſtamentum ſuum in Curiam illatum ne recitaret, reclamante Senatu prohibitus eſt. Neminem Imperii ſucceſſorem à ſe relictum ſciri volebat: quin aliquanto plus Agrippæ, quam Marcello tributum: ut ſibi de ſe permiſſum populus intelligeret: & tamen ſi libertatem nollet, Agrippæ notas probataſque virtutes, quam ſpes incertas adoleſcentis potiori loco habendas. Credo poſt mortem Marcelli magnam ei curam fuiſſe placandi Agrippæ, cujus Marcellum ſibi putantis anteferri patientiam deſiderabat.

Agrippa in Syriam mittitur. Suet. Aug. c. 66 Joſeph. 13 13. Vell. 2. 93. 3. Plin. 7. 45. Dio.

XXIX. In Syriam eum miſerat, compoſiturum tranſmarinas provincias, ne Marcello magnitudinem, Agrippæ haudquaquam æquis oculis adſpicienti, contentionis occaſio præberetur. Hoc ille pudendam ablegationem, & frigus Auguſti eſſe interpretatus; ne nimium cupidus negotiorum videretur, legatis ſuis in Syriam miſſis, Mitylenen proceſſit. Ibi hybernantem Herodes adiit, qui Cæſaream urbem recens condiderat, cum templo Romæ & Auguſti, quo loco prius turris Stratonis ſteterat. Ob hoc, & quia etiam Agrippæ charus erat, nihil contra eum Gaderenis ereditum; vinctique in poteſtatem ejus acculatores traditi. Auguſtus porro Prætoriis comitiis decem iterum creari juſſit, majore numero Rempublicam indigere negans, octo enim ſolitis provinciis, duos ærario ſufficere.

FINIS LIBRI CXXXV.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXXVI. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

RHÆTIA à Tiberio Nerone, & Druſo Cæſaris privignis, domita. Agrippa Cæſaris gener mortuus: ab Druſo cenſus actus eſt.

HOC tempore Cæſar, ſive continuationem tot Conſulatuum invidioſam putans, effectiſque in quæ tetenderat inutilem, ſive propter frequentes morbos otii cupidior, quum duodecimum deſignaretur, antea quoque remiti ſolitus, conſtanter abnuit, quo ad plures hic pervenire honor poſſet. Er quo magis hoc tenuire crederetur, magiſtratu abdicato in Albanum profectus eſt. L. Seſtius ſuffectus Publii filius, qui bello Philippenſi pro quæſtore Bruto fuerat, ejuſque ne tum quidem licet damnatam vi Triumvirali memoriam laudibus & benigna recordatione, ſervandiſque ejus imaginibus, atque ipſi quondam Auguſto monſtratis, recolere deſinebat. Unde & Auguſto gloriæ fuit, honore potius quam odio dignam duxiſſe viri fidem & in amicitia conſtantiam.

Auguſto abdicanti Conſul L. Seſtius ſufficitur. Vell. 2. 89. 5. Dio. Appian. lib. 4. Civil.

II. Nec ignarus ille, talibus ſe teſtimoniis animi magnitudinem approbare, laudemque ſine detrimento potentiæ conſequi; bene de præcipuis eorum, quos expertus adverſarios fuerat, & ſentiebat, & loquebatur. Mediolani ſtatua Bruti erat conſpicuo loco poſita. quam ex ære diligenter ac artificioſe factam quum Auguſtus inſpexiſſet, præteriit. moxque ſubſiſtens, multis audientibus vocari magiſtratus juſſit, *animum ſe civitatis ab ſe alienum deprehendiſſe ex eo, quod hoſtem ſuum ſecum haberent.* Perterritis his, ut neceſſum erat, & pernegantibus, ac in mutuo intuitu defixis, converſo ad ſtatuam contracto vultu, *hic ergo*, inquit, *hoſtis noſter non vobiſcum eſt?* Tum vero impenſius illis paventibus arridens laudavit Gallos, quod etiam *infortunatis amici eſſe non deſinerent, ſtatuamque moveri loco* prohibuit.

Auguſtus de iuis olim adverſariis benevole loquitur. Plutarch. Brut. cap. 85.

III. Idem ſtudenti aliquando nepotum alicui ſuperveniens, quum puer territus volumen Ciceronis, quod manu tenebat, veſte tegeret; requiſivit, inſpectoque magnam ejus partem ſtans evolvit. libro deinde reddito, *doctus*, inquit, *hic vir fuit, fili; doctus, & patriæ amans.* Ob has igitur æquiſſimi animi demonſtrationes hoc anno Senatus ei perpetuum Tribunatum plebis decrevit; perpetuum proconſulare imperium etiam in Urbe, neque renovandis auſpiciis indigens: juſque referendi ad patres, tametſi Conſul non eſſet, de uno aliquo negotio, quod ipſe legiſſet, quoties Senatus convocaretur.

Julius Ciceronem dicit amantem fuiſſe patriæ. Plutarch. Cic. cap 62. Dio.

IV. Ab his temporibus inolevit, Principes Romanos, & cæteris iis honoribus, & Tribunitiæ poteſtatis titulo ac jure uti; quod & priori Cæſari decretum, Auguſtus omnium primus exercuerat: Tribuni quidem numquam uſurpato

Teridatem et legatos Parthorum in Curiam adducit.

Dictatoris & Censoris perpetui titulis detractus Aug.

C. J. Cæsare XI. Terentio Varrone Murena Cos.

Just. 42. 5. 6. Dio. lib. 51. et 54.

nomine. Sed hæc neque per adulationem tributa videbantur. dignus erat qui hæc consequeretur libera voluntate tribuentium, quos ubique tanquam liberos Imperiique consortes tractare consueverat. Igitur & Teridaten induxit in Curiam & Parthorum legatos, qui adhuc in Hispania agentem accesserant: neque prius cognitionem earum controversiarum, quam ab Senatu mandaretur, suscepit. Exitus hic fuit, ut filium Phrahati sine pretio remitteret, captivos pro eo signaque militaria Crassi primo, deinde Antonii cladibus invicem recuperaturus. *Teridaten dedi adversus fidem videri* respondit; eidemque donec apud Romanos esse vellet, alimenta liberaliter. constituit.

Via ab Emerita Gadeis perducitur: Justin.

V. Eodem anno viam ab Emerita Gadeis perductam, temporis illius verbis, quam meis explicare malo. Lapis est Emeritæ cum hac inscriptione: IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBUNIC. POTEST. X. IMP. VIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. JANI. CLAUSO. ET. REP. P.R. OPTIMIS. LEGIBUS. ET. SANCTISSIMIS. INSTITUTIS. REFORMATA. VIAM. SUPERIOR. COS. TEMPORE. INCHOATAM. ET. MULTIS. LOCIS. INTERMISSAM. PRO. DIGNITATE. IMPERII. P. R. LATIOREM. LONGIOREMQUE. GADEIS. USQUE. PERDUXIT.

Morbi ex anni intemperie. Dio.

VI. Hæc ejus anni gesta servavit antiquitas: & quod novo exemplo C. Calpurnius quum antea Curulis Ædilis fuisset, tum in demortui Plebeji locum suffici passus est: quodque feriis bini singulis diebus præfecti fuerunt; & in his quidam puer. Anni intemperies his & proximis Consulibus tanta fuit, ut vulgatis morbis magna vis hominum interiret. is casus Liviæ patrocinari visus est, quo minus verisimilis ea criminatio videretur, per quam aliqui Marcelli præmaturam mortem artibus ejus mulieris imputabant; amoliri conantis adolescentem, qui suorum filiorum obstaret incrementis. Prodigiis adnumeratus intra Urbem Lupus deprehensus; igniq; aut tempestatibus afflicta ædificia: & quod auctu Tiberis pons Sublicius fractus est, Urbique sic inundata per triduum, ut navibus transiri posset.

Urb. cond. an. 731. Augustus ob. Jaram Dictaturam deprecatur. Dio. lib. 54.

VII. Idemque & sequenti anno factum, quo Consules M. Claudius M. F. Marcellus Æserninus, L. Arruntius L. F. L. N. fuerunt. Tum etiam fulminibus præter alia statuæ in Pantheo ictæ, & Augusti simulachro hasta quam manu tenebat excussa. Fames deinde, ut solet, sequuta pestilentiam, quod ægris aut mortuis cultoribus arva squallebant, religionem injecit multitudini; merito sic laborare Rempublicam, quod Augustum sine magistratu agere pateretur. Igitur *Dictatorem dicendum* conclamant: ad Curiam pergunt; Patres *lege sublatam Dictaturam* caussatos includunt: *ni postulatis suis obsequerentur, incendium* denunciantes. Mox ad ipsius fores profecti cum quatuor & viginti fascibus, *uti Dictaturam, & exemplo Pompeji curationem annonæ susciperet*, oraverunt. Ille quum constanter excusando parum moveret vulgus, scissa veste, ac nudo pectore, genu nixus deprecatus est.

Sed nec Censuram perpetuam recipit. Vell. 2. 89. Suet. Aug. c. 52 Dio. Val. Max. 6. 8. 5.

VIII. Annonam, licet id quoque invitus, recepit curaturum: constituitque, ut ex Prætoriis, qui sortiri provincias deberent, bini quotannis frumento dividendo præessent. Interim Quæstori Tib. Neroni curandæ frumentariæ rei negotium datum. Nec Dictaturam tantum abnuit Cæsar; sed Censurâ etiam perpetuâ

rogatus accipere noluit. ſtatimque deſignavit alios Paulum Æmilium L. Fil. M. Nep. Lepidum, L. Munacium Plancum, quorum alter proſcriptus ipſe fuerat, hic proſcripti frater.

IX. Hi diſcordem Cenſuram, parumque Reipublicæ utilem egerunt: neque is honor poſtea cuiquam privatorum tributus eſt. ne Principes quidem ante Claudium Cæſarem receperunt. Id ſignificatum omine credidit vulgus, quod prima Magiſtratus die tribunal, in quo Cenſores conſederant, fractum fuit. Auguſtus quum Lepido vis atque induſtria, Planco propter vitam turpiter actam auctoritas Cenſoria non ineſſet; pleraſque magiſtratus ejus partes ipſe obiit. Id quam fuerit neceſſarium, vel inde intelligas, quod L. Domitius Plancum Cenſorem via ſibi decedere Ædilis coëgit. Tum ergo collegia Auguſtus antiqua correxit; nova ſuſtulit: ludos curari à Prætoribus juſſit; ſed ita, ut ſupra certam ſummam non liceret iis impendere; cætera è publico ærario depromerentur; nec munus gladiatorium injuſſu Senatus, aut ſæpius quam bis eodem anno, aut pluribus quàm ſexaginta paribus ederetur. Ædilibus Curulibus ad arcenda incendia ſexcentos attribuit ſervos. Equites Romanos & fœminas illuſtres ſcenicas operas facere vetuit. Cenſura diu intermiſſa. Dio. Vell. a. 95. 3.

X. Hæc quum uſurparet ſummæ poteſtatis munia, cæteris adeo civilem ſe exhibuit, ut & amicis adeſſet in judicium vocatis, & adverſariorum convicia patienter exciperet. Forte M. Primus ob illatum in Macedoniæ proconſulatu Odryſiis bellum cauſſam dicens, modo *mandatum id ſibi ab Auguſto*, modo *à Marcello* jactabat. Ea re intellecta ſponte ad judicium Auguſtus venit, interrogantique Prætori negavit ſe mandaſſe. Tum L. Varro Murena gravibus maledictis adortus Cæſarem, quum ad extremum adderet, *tu vero, cujus vocatu ades? Reipublicæ*, reſpondit. Hoc ejus factum dictumque collaudarunt Patres, eique decreverunt jus quoties vellet Senatum cogendi. nec defuere tamen, qui non modo abſolverent Primum ſuis ſententiis; ſed etiam qui perniciem Auguſto machinarentur. Auguſto maledicit Varro.

XI. Fannius Cæpio conſpirationis auctor habebatur; inter ſocios & Murena nominatus eſt: fecitque fidem criminationi in homine cætera non improbo, nimia dicendi libertas, quam in omnes promiſcue ſine modo ſtringebat. Igitur à Tiberio Cæſaris privigno lege majeſtatis apud judices poſtulati, fugerunt; nihil aut cauſſa, aut propinquorum potentia confiſi. Nam Proculejus Murena frater, & paterno in eum animo, tam charus erat Cæſari, ut de collocanda ei Julia deliberaret; & Mæcenas adfinis in flagrantiſſima Cæſaris gratia, cujus ille & conjugem ſororem Murenæ Terentillam adamabat. Hanc tamen aperuiſſe fratri creditum ſibi à Mæcenate ſecretum compertæ conjurationis, eoque maturius fugiſſe reos Cæſar ſuſpicatus: quum neque defuturos putaret qui abſolverent, ſi latere potuiſſent; legem tulit de his, qui judicium defugerent; uti hos damnari abſentes fas eſſet: & in talibus cauſſis judices palam ſuffragia ferrent. Id utilitatis publicæ cauſſa, non à propria ira feciſſe Cæſarem argumento fuit, quod ſequitur. Fannius Cæpio in eum conſpirat. Vell. a. 91. 1. Dio. Suet. Tib. c. 8. & Aug 66. 6. et 69. Tac. 4. 40 7.

XII. Quum aqua & igni reis interdictum eſſet, Cæpionem ſervus in ciſta detulit ad Tiberim: pervectumque Oſtiam, in Laurentinum patris Cæpionis noctu perduxit. Inde clam pervenere Cumas, conſcenſo navigio tempeſtatibus ad Et fugiens interficitur. Macrob. Saturnal. 2. 2. Suet. Aug. c. 56

Neapolin ejecti, quum proderentur; in ea urbe ſervus Cæpionem abſcondit: exceptuſque à centurione, nec vi nec minis, ut dominum proderet, expugnari potuit. Hero tamen pietas ea non profuit, quin alterius ſervi ſcelere deprehenſus, pœnas morte daret. In his duobus pater Cæpio liberrime animi ſui judicium exercuit, manumiſſo fideli ſervo: proditore ad ſupplicium crucis per medium Forum rapto, & titulum meri[tum] palam præferente. Unde & ipſe non inglorius, & celebrata ſermonibus Auguſti æquitas fuit, hæc omnia civili animo ferentis.

Jovis Tonantis ædes. Vell. Strab. lib. 14. Suet. Auguſt. 29. 1. & cap. 91. Plin. 34. 8. 35. & 36. 6. Dio.

XIII. Neque dubitatur, quin etiam iniquiſſimis ſatisfacturus fuerit: niſi mox in judicio Caſtricii, per quem de conjuratione cognoverat, exorato coram judicibus accuſatore reum eripuiſſet. Etiam Murena deprehenſus periit. cui Athenæus philoſophus Romam deductus, quum fugæ tantum, non etiam ſceleris ſocius fuiſſe videretur, ab Cæſare dimiſſus eſt. Eodem tempore, Cyprum & Narbonenſem Galliam, pacatas jam provincias, populo reſtituit Cæſar: & ex eo proconſules in has miſſi. Tum & ædem Jovis Tonantis in Capitolio, marmoreis ex ſolida gleba parietibus ſtructum, dedicavit; bello Cantabrico votum, quum per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perſtinxiſſet, ſervumque prælucentem exanimaſſet. *Tum quoque inter ipſa ſacra tonuiſſe* memorant: *oblatumque poſtea ſomnium ei, Jovem Capitolinum queri viſum; quod cultores ab ſe abdueerentur.* Nam propter nominis & formæ novitatem, & quod nobiliſſimum Leocræ opus præſtantia tam artificis, quam dedicantis commendabatur; præterea fanum illud adſcendentibus in Capitolium proximum erat; ab omnibus frequentari Tonans ille cœperat.

Aſturum & Cantabrorum defectio. Florus. 4. 12. 47. & 51. Dio.

XIV. Ipſe viſus eſt reſpondere Capitolino; *Tonantem ei pro janitore appoſitum.* Orto igitur die, ſomnia neque ſua, neque aliorum de ſe negligere ſolitus, tintinnabulis faſtigium ædis Tonantis redimivit: quibus uti janitores conſueverant, noctu præſertim, ſi quid forte ſignificandum dominis incidiſſet. Sub id tempus iterum mota eſt Hiſpania, defectione Aſturum, quos Cariſius faſtu & crudelitate, tum Aſturum imitatio Cantabros ad arma egerat. Cantabris C. Furnius erat impoſitus. hunc ii tamquam rerum ſuarum rudem ſpernebant. Sed in ipſo opere longe alius apparuit, & per eum maxime, nam & Cariſio ſuppetias tulerat, utraque natio jugum recepit. Cantabrorum tamen plerique libertatis deſperatione mortem ſibi conſciverunt. Mitius ali quanto genus Aſtures, ſimul ab obſidione loci quem adorti fuerant, rejectos C. Furnius prœlio vicit, in deditionem venerunt.

Æthiopicum bellum Petronii. Strabo. lib. 17. Dio.

XV. Eodem anno in Æthiopiam primum ſigna Romana penetrarunt, his cauſſis. Dum partem copiarum Ælius Gallus Arabico bello occupat; Æthiopes ſpretis quæ in Ægypto remanſerant, caſtra cohortium Syene conſtituta ſubito adventu expugnarunt. Pari velocitate deinde Elephantina ac Philis potiti, captos in ſervitutem redegerant; ſtatuis Cæſaris ubique dejectis. Igitur Petronius cum peditatu minus decem millium, equitibus octingentis accurrens, triginta hominum millia fugere ipſa adventus ſui fama coëgit. Ipſe ſequutus ad Pſelchim oppidum Æthiopiæ legatos res repetitum miſit. Illi *ſe à nomarchis laceſſitos juſta piaque arma corripuiſſe* reſponderunt. Viciſſim Petronius *Cæſarem eſſe dominum regionis, nomarchas non eſſe* regerens: *tridui ſpatium* petentibus ad deliberan-

dum dedit. Pervenit tamen res ad pugnam: ſed propter imperitiam & inſtruendi & inepta arma hoſtium, facilis victoriæ. Scuta ingentia ferentes è crudo bovis corio, ſecuribus alii, aut contis rem gerebant, rari gladiis.

XVI. Nec eumdem omnes locum fuga petierunt. Pauci in deſerta abdiderunt ſeſe: plures vicinum oppidum aceepit: fuerunt qui in proximam inſulam nando trajicerent, quod ea parte propter velocitatem amnis minime multi crocodili erant. In his duces etiam fuerunt Reginæ Candaees, quæ virili animo mulier Æthiopibus tum imperabat, altero oculo capta. Hos in poteſtatem ſtatim redactos (nam ratibus & quibuſdam navigiis partem armatorum transjecerat) Alexandriam miſit. Nec Pſelcha moram fecit, tantaque multitudo captivorum fuit, ut addita numero interfectorum, paucos ex illo exercitu evaſiſſe conſtaret. Ab hoc oppido, per arenæ cumulos, qui Cambyſis copias intexerant, profectus, Premnin munitam ſitu urbem ex itinere oppugnatam cepit. Inde præter Abocein, Phthurin, Canbuſin, Attenam, Stadiſin, ubi *Nilus maximo cum fragore ſe præcipitans auditum accolis auferre* dicitur, captis quæ memoravimus oppidis, Napata perventum. Fuga & damna Æthiopū. Dio. Plin. 6. 29. Strabo.

XVII. Regia Candacis hæc erant: & ipſa propinquo ſe caſtello tenens, legatos de pace miſit, captis ad Syenen hominibus ſtatuiſque reſtitutis. Nec ideo minus filio Reginæ puero Napatis profugiente capta urbs ac diruta. Jam circiter nongenta paſſuum millia proceſſum ab Syene fuerat: igitur intellecto ulteriora propter arenam vix adiri poſſe, eum præda receſſit Romanus, relicto Premni præſidio, quod oppidum diligentius permuniverat, copiiſque quantum viris quadringentis in biennium ſufficerent, inſtruxerat. Captivorum major pars Alexandriæ vendita: mille delectos ad Cæſarem Petronius miſit, tum recens è Cantabris reverſum, cæteri morbo interierunt ex peregrini cœli impatientia. Dum ad hunc modum præmiis victoriæ Romanus perfruitur, Candaeen numeroſiſſimo exercitu coacto præſidium oppugnaturam, ſumma celeritate uſus antevertit; ipſe Premnin ingreſſus, eum multo rerum neceſſarium apparatu. Inter quæ capta Napata regia Candaces. Dio. Strabo. Plin.

XVIII. Quod ubi erat factum, Candaee deſperans armis legatos iterum miſit. qui *Cæſarem adire* juſſi, *nec quis eſſet Cæſar, nec ubi eſſet ſcire ſe*, reſponderunt. Idcirco datis ducibus ad Auguſtum deducti, facilem ad deſideria ſua repererunt; iſque tributum etiam, quod erat imperatum, remiſit. In Samo tum hybernabat Cæſar, ad obeundam Imperii partem Urbe profectus. Illa peregrinatione patuit, quam neceſſaria Romanis poteſtas unius eſſet, libertatem ultra ferre neſcientibus. Vix in Siciliam Cæſar tranſmiſerat, quum Romæ Conſularibus Comitiis tanto ambitu certatum eſt, ut parum à tumultu res abeſſet. M. Lollius jam inierat, gerebatque ſolus. quod Auguſto ſervari locum populus voluerat. Cæſar ignotus Æthiopibus. Dio. Urb. cond. an. 732. Candidatorū Conſulatus certamina.

XIX. Poſtquam ab illo non ſuſcipi Conſulatum innotuit, ſtudia candidatorum miris certaminibus exarſere. Q. Lepidus, L. Silanus petebant, ea magnitudine & vehementia factionum, ut adciri Cæſarem prudentiſſimo cuique placeret. Ille competitores evocare in Siciliam maluit: caſtigatoſque verbis, & *abeſſe dum Comitia peragerentur* jubens, dimiſit. Ne ſic quidem ſatis quietæ res fuere: poſtque multas turbas vix ereari Conſul Q. Lepidus potuit. Ergo Cæſar nec paſſurus talia, nec ſoli vacaturus Romæ, quum in tam diffuſo Imperio ſæpe Agrippa filiam Auguſti ducit. Plut. Anton. cap. 90. Tacit. 4. 40.

adeundæ provinciæ eſſent, eum Mæcenate deliberavit; *utrumne M. Agrippam, quo plus ei ad tantum regendum populum auctoritatis eſſet, data in matrimonium filia, Urbi præficeret?* quo tempore reſponſum à Mæcenate Cæſari ferunt: *Tantum jam Agrippam feciſti, ut aut gener habendus ſit, aut occidendus.* Id conſilium quum dediſſet, excivit Agrippam ab Aſia Cæſar, miſitque Romam, *dimiſſa Marcella Julium ducere* juſſum; *Urbiſque curam capeſſere.* Habeo auctores Marcellæ matrem Octaviam id conſilium dediſſe Cæſari, quum videret anxie cogitantem, quemnam amicorum tanta conditione attolleret.

Et motus Urbanus componit. Plutarch. Dio.

XX. Eadem filiam ab Agrippa dimiſſam Julo Antonio M. F. collocavit. Cæterum minime fefellit Cæſarem opinio: motus Urbanos Agrippa mature compoſuit; Præfectum Urbi Latinarum cauſſa, quum ea quoque de re certamina exorta non quieſcerent, creari vetuit: Ægyptia ſacra, iterum in Urbem diſſimulanter introducta, ultra quingentos paſſus ſubmovit. Cæſar interim conſtitutis Siciliæ rebus, & Syracuſis aliiſque civitatibus coloniæ Romanæ jure conceſſo; in Græciam trajectus, Lacedæmoniis quod Liviam ſuam quo tempore eum viro ex Italia profugerat, hoſpitaliter habuiſſent; de quatuor & viginti Eleutherolaconum oppidis Cythera cum aliis quinque dedit; principes civitatis cœnæ ſuæ adhibuit. Athenienſibus contra propter Antonii favorem, Æginam ac Eretriam ademit: interdicto etiam, *ne jus civitatis ſuæ cuiquam venderent.*

Minervæ ſimulachrum ſanguinem ſpuit. Euſeb. num. 1900.

XXI. Eam ſibi calamitatem fuiſſe ſignificatam prodigio Athenienſes putavere; quod Minervæ ſtans in arce ſimulachrum, ab Oriente ſe ad Occidentem convertetat, ſanguinemque exſpuerat. His aliiſque rebus ita confectis in Samo hyemem exegit Cæſar, Romæ pontem Fabricium refectum à L. Fabricio C.F. curatore viarum, Q. Lepidus M. F. M. Lollius M. F. Coſſ. ex SC. probaverunt: & L. Sempronius L. F. L. N. Atracinus pro conſule ex Africa IV. Idus Octobr. triumphavit. Jam M. Appulejus Sex. F. P. Silius P. F. Nerva Conſules erant; quum Samo progreſſus Cæſar Aſiam ac Bithyniam & Syriam inviſit. Quamquam enim hæ populi provinciæ dicebantur, non minori curæ erant omnium principi; atque animo Regis omnia complectenti.

Urb. cond. an. 731. Acta Cæſaris in Aſia. Strab. lib. 12.

Phrahates ſigna Romana remittit. Euſebius. Dio. Juſtin. 42. 5. 11. Flor. 2. 4. Suet. Auguſt. 21. 7. Vell. 2. 91. 2. & 2. 94. 4. Strab. lib. 6. & 16.

XXII. His etiam locis, ut meriti quique videbantur, his beneficia dedit, aliis injunxit majora prioribus onera: Trallianos terræ motu graviter afflictos, gymnaſio partibuſque aliis ea peſte dirutis, pecunia juvit: itemque Laodicenos è Phrygia: pro quibus Thyatireniſque & Chiis Senatum Tiberius erat deprecatus. Contra Cyzicenis Tyriiſque ac Sidoniis adempta libertas. his ob continuas ſeditiones: Cyziceni cives Romanos flagris ceciderant. Profectio Cæſaris ad eos imperii fines Prahati ſuſpicionem injecerat, ne propter neglecta pacta bello peteretur. Igitur aquilas & ſigna militaria, captivoſque præter paucos, qui pudore ſibi conſciverant necem, aut in Parthis alicubi ſe occultaverant, ad Tiberium remiſit. Major ea lætitia Auguſto fuit, res olim amiſſas citra certamen, ſola nominis ſui magnitudine recipienti, quam ſi bello Parthiam ſuperaſſet. Auctum dein decus, ultro filios ſuos nepoteſque mittente barbaro, ac his obſidibus firmante amicitiæ fidem. Conſtat tamen id magis ſuorum metu quam Romanæ potentiæ feciſſe, ne Parthis ex Arſacidarum Regia ſtirpe (cui erant addictiſſimi) quemquam relinqueret, quem regem adverſus ſe ereare poſſent. Vocato igitur in colloquium Tiberio, qui tum Syriæ & provinciis Orientis præerat, Sa-

roſpedem,

Obſides dati Parthorum regis liberi.

roſpadem, Ceroſpadem, Phraatem, & Vononem legitimo matrimonio genitos, cum duabus horum uxoribus, filiis quatuor tradidit: quos Regio cultu deinceps Auguſtus & poſt hunc Tiberius Romæ habuerunt.

XXIII. Hæc igitur, ſed maxime ſigna recepta, variis lætitiæ teſtimoniis celebrata, nummis quoque tranſmiſſa ad poſteros memoria: quorum nunc quoque ſuperſunt multi. Romæ ſupplicationes decretæ diis: ovatio Cæſari, curruſque Triumphalis. mox & templum Marti ſtructum, inque eo tanquam ad exemplum Feretrii Jovis, affixa ſigna recepta cum Parthicis ſpoliis. *Bis ultorem* cognominari placuit, quod jam erat Martis Ultoris ædes, quam bello Philippenſi pro ultione paterna ſuſcepto voverat. Sed hæc poſtea facta. Tum vero quum viarum Curator conſtitutus Cæſar, duos è Prætoriis cum binis lictoribus præfeciſſet; ab his opera multa facta aut refecta ſunt, in quibus & miliarium aureum nominatur. Sub idem tempus, quum Julia Cajum Agrippam peperiſſet, inter alia natalem ejus ſtato ſacrificio quotannis colendum Patres cenſuerunt.

Magna Romanorum lætitia. Dio. Suet. Aug. 29. 2.

XXIV. Auguſti quoque natali Circenſes & venationem privato ſumptu Ædiles ediderunt. Interim Cæſar paci ornandæ, procul ablegata bellandi cupidine, provincias ſecundum leges & jura conſtituit, liberas civitates amicoſque Reges ſuis inſtitutis uti permiſit: atque hoc ſibi conſilium manere Senatui quoque ſcripſit. Jamblicho & Tarcondimoti filiis patrum nomina referentibus, quas in Cilicia & Arabia regiones illi habuerant, reddidit: niſi quod maritima quædam Ciliciæ donavit Archelao, cui & minorem Armeniam conceſſerat, poſt mortem Medi Artavaſdis, cujus in poteſtate Regnum iſtud fuerat.

Cæſar provincias laudabiliter conſtituit. Joſeph. Antiq. Iud. 15. 3 & 10.

XXVII. Nec Herodes ſibi defuit, quin commoditate temporis, & Auguſti amicitia ad Regnum augendum uteretur. Gadarenos accuſatores ſuos ab Agrippa ſibi traditos impune dimiſerat. Id beneficium, quum animos eorum implere amore tam benigni Regis debuiſſet, incitamento fuit, ut iterum auderent de eodem apud Cæſarem queri. Zenodorus his aderat, inter Galilæam & Trachonitidem haud parvæ regionis tetrarcha. Sed ſemel auditi delatores, quum purgationem Regis accipi viderent, metu ne iterum dediti crudeliſſimum experirentur; noctu ſemetipſos interfecerunt. Zenodorus Antiochiæ ruptis morbo aut caſu viſceribus effudit ſpiritum. ditionem ejus Herodes dono Cæſaris accepit, & ob hæc merita ei templum in eadem illa regione poſuit. Commagenes Regnum Mithridati tradidit Cæſar, puero adhuc, quia patrem ejus Antiochus occiderat. Artaxias majoris Armeniæ Rex, qui Parthorum opibus ſteterat; his Cæſari de Armenia concedentibus, factioni ſuorum reſiſtere non potuit, fratrem ejus minorem natu Tigranem ad Regnum vocantium, quem Alexandriæ capta Cæſar Romam adduxerat. Igitur Cæſar privigno ſuo Tiberio Neroni negotium id permiſit, Archelao quoque monito, ut adjuvaret. Sed priuſquam hi quidquam molirentur, Artaxias dolo propinquorum occiſus eſt. Tiberius Tigrani vacuam poſſeſſionem Regni tradidit, diademate pro tribunali impoſito. Supplicationes ob hæc decretæ ſpes adoleſcentis inflarunt, quas nuper dum in Syriam exercitum per Macedoniam ducit, apud Philippos conceperat; quum ara quondam ab Antonio victricibus in caſtris poſita adolente nemine ſubitis ignibus colluxiſſet. Jamque creſcendi facultatem & Vitricus dabat, legionibus provinciiſque præficiens, & relicta per aliquot annos Orientis cura. quo tem-

Regnum Herodi firmatū. Dio. Hiſtor. Miſcel. Joſeph. Antiq. Iudaic. 15. 5. Strabo. lib. 17. Tacit. 3. 3-4.

pore & Tigranes Armeniæ Rex, & liberi ejus, quum in Regnum atque matrimonium Ægyptio more ſociati eſſent, interierant. Tum juſſu Auguſti Tiberius Artavaſden impoſuit: ſed ipſe quoque paulo poſt dejectus eſt, non ſine clade Romana. Cæterum hæc poſtmodum acciderunt.

Indica legatio ad Cæſarem. Flor. 4. 12. Strab. lib. 15

XXVI. Tum vero Auguſtus ex Oriente reverſus iterum hybernavit Sami, libertatemque velut in mercedem hoſpitii Samiis dedit. Nec ibi per ſegne otium traductum tempus eſt: multarum nationum Regulis eo legatiſve confluentibus. Tanta enim majeſtas Cæſaris fuit, ut Scythæ, Garamantes & Bactriani oratores de fœdere mitterent. Sed præ cæteris Indica celebrata legatio eſt à Pandione miſſa & Poro Regibus; quorum alter utique prius in extremum uſque Occidentem amicitiæ petendæ cauſſa ad Auguſtum in Hiſpania belligerantem legaverat. Nicolaus Damaſcenus, qui *ſe bos vidiſſe Antiochiæ* ſcribit, *tres tantum perveniſſe* auctor eſt, *cæteris in itinere mortuis*. plurium enim mentio fiebat in literis, quas Græco ſermone ſcriptas attulerant in hunc ſenſum. *à Poro ſcribi: qui tametſi Regibus ſexcentis imperet, plurimi amicitiam faciat Cæſaris, tranſitum daturus ei quocumque pergat, & adjuturus in quolibet juſto negotio.*

Dona ab hoc allata Cæſari. Flor. 4. 12. Strab. lib. 15.

XXVII. Dona quoque per octo ſervos præter pubem nudos & odoribus conſperſos, quæ vocant *diapaſmata*, obtulerunt. Hermam ſive hominem ſine brachiis genitum: qui pedibus tendebat arcum, emittebat ſagittas, tuba canebat. qualia noſtra ætate ſæpe, & his difficiliora vidimus, Dio vix fide digna judicavit. Fuit inter munera & tigris tum primum Romanis, & ſicut exiſtimat Dio, Græcis etiam conſpecta; & vipera immodicæ magnitudinis, cum angue quinquaginta cubitorum, & teſtitudine fluviatili in tres cubitos porrecta; perdixque vulture major. Gemmas inſuper & margaritas & elephantos dono dederunt. Sed præ omnibus longinquitatem itineris imputabant, quod vix quadriennio confeciſſent. His domum repetentibus apud Auguſtum Zarmanus Chegan permanſit unus Indiæ ſapientum; ſpectaculum Cæſari exhibiturus, quale Calanus olim Alexandro.

Indus quidam ſponte ſe tradit incendio. Strabo, Dio. Plin 8. 17.

XXVIII. Quum enim Athenas ventum eſſet, initiari ſacris, quamquam, ut ajunt, alieno tempore, voluit: votoque potitus, quum *ſe rebus ſecundis ſemper uſum; priuſquam adverſæ ſuccederent abiturum vita* teſtaretur, nudo unctoque corpore ridens in rogum inſiluit. Sepulchrum ei ſtructum eſt Athenis, nomenque aſcriptum genuſque mortis, adjecto *Indum ex Bargoſa* fuiſſe. quæ ſi ea eſt, quam auctores alii *Barygazam* appellarunt, in litore Calecutienſi non procul oſtiis Indi quærenda creditur. Jam Conſul in Urbe C. Sentius C. F. Saturninus, quod itidem, ut ſuperiore anno erat factum, Auguſto reſervabatur locus, ſolus gerebat, fortiter ſane & conſtanter.

Urb cond an. 734. Suet. Auguſt. cap 43.

C. Sentii Conſulatus egregius. Strabo.

XXIX. Nam & publicanorum fraude coërcita, pecunias publicas in ærarium retulit, & Comitiis Quæſtorum quos indignos judicabat, profiteri vetuit: & perſeverantibus, Conſularem vindictam, ſi in Campum deſcendiſſent, interminatus eſt. Conſularibus Comitiis major etiam moles fuit: poſtquam Auguſtum nolle fieri, tum quoque renunciatum eſt. Seditiones etiam & cædes factæ præcipua Rufi Egnatii violentia, qui favore populi ſubnixus, quamquam vetante Sentio profiteri perſeveravit. Tum pari veteribus Conſulibus animo, juravit Sentius, *ſi quidem ſuffragiis populi Conſul factus eſſet Egnatius, non renunciaturum.* Quum

finis pugnandi non fieret, Senatus præſidium Conſuli decrevit: eoque repudiante, miſerunt ad Auguſtum legatos, binis additis lictoribus.

XXX. Ille ſuperioris anni conſilio non poſſe ſanari præſentia putans, Q. Lucretium qui in numero legatorum erat, quamquam in Triumviratu proſcriptum, Conſulem deſignavit, & ipſe quam primum ire Romam conſtituit. Advenienti decreta multa: nihil acceptum præter aram Fortunæ Reduci, & anniverſarium eo die ſacrum, ſub *Auguſtaliorum* vocabulo, cum ludis ſolennibus. Pugnabat tamen Senatus Populuſque Romanus, ut obviam iri pateretur; ideirco declinaturus hanc moleſtiam, ne ſe & populum inquietaret, noctu ingreſſus eſt. Auguſtus ad declinandum occurſum populi ingreditur Urbem noctu. Vel. 2 92. 2. Dio.

XXXI. Poſtridie quum de rebus in Oriente geſtis referret, Prætoria inſignia Tib. Neroni decernenda curavit; Druſo, uti celerius quinquennio quam ſineretur legibus, honores peteret. Ipſi deinde poſtquam ſibi diſpliciere ſignificabat, quæ abſente ſe per ſeditiones, & reverſo per metum acta erant; præfecturam ei morum cum Cenſoria poteſtate detulerunt in quinquennium: Conſulare jus in perpetuum, cum faſcibus duodecim, & ſella curuli in medio Conſulum. Cenſoriam deinde poteſtatem in perpetuum accepit; quam antea quoque certum ad tempus habuiſſe conſtat ex actis ejus, Cenſu præſertim, quem hoc jure egiſſe in ſexto Conſulatu ſuo retulimus. Mox etiam legum emendandarum ſerendarumque arbitrium Senatus ei dedit, in eas & jurare paratus. Juſjurandum remiſit Cæſar, ſervaturos exiſtimans ultro quæ placuiſſent. cætera mutaturos eſſe ſimul poſſent, etiamſi ſexcentis ſacramentis adigerentur. In ejus honore multa decreta ſunt. Vel. Maxim. 6. 7. 2. App lib. 4. Civil. Suet. cap. 18.

XXXII. Dum iſta fiunt, Ædilis excuſatione paupertatis uſus ultro abdicavit. Virgilius vatum Romanorum maximus Auguſto & Mæcenate hæredibus deceſſit, anno vitæ primo & quinquageſimo. Jufferat is teſtamento cremari Æneidem ſuam, quod ei ſummam admovere manum nequiviſſet. Vetuit Auguſtus, licet legum alias ſervantiſſimus, ne pulcherrimus nobiliſſimi ingenii fœtus interiret. Sepultus eſt Neapoli, apud Tarentum exſtraverat. Sub hoc tempus Agrippa, qui rebus Urbanis interea præfuerat, in Gallias miſſus eſt, diſcordia principum, & Germanorum incurſionibus laborantes. Virgilius moritur. Suet. Aug. c. 27 Dio.

XXXIII. His celeriter pacatis, in Hiſpaniam tranſit, Cantabrorum ferocia denuo turbatam. Magnus enim numerus ſub haſta venditorum, interfectis dominis in patriam redierant, ſuperſtitesque; popularium ad arma hortati, caſtella quædam communiverant. Tantus erat immanis populi terror, ut Agrippa negotium habuerit in coërcendis confirmandiſque militibus, qui expeditionem metu detrectabant. Neque levius quam pro opinione bellum fuit. Multa dum apud Romanos ſerviunt, viderant barbari, quorum adverſus hoſtem uſus eſſet. hac peritia, & quis victos nullum non ſupplicium exſpectare norant, plurimum & detrimenti Romanis intulerunt, & ignominiæ. cujus etiam cauſſa legionem, quę vocabatur Auguſta, hoc uti cognomine Agrippa prohibuit. Cantabri rurſus deficiunt. Plin. 7. 30. Dio.

XXXIV. Sed viribus immenſum ſuperior, non ante deſtitit, quam juventute propemodum omni occiſa Cantabrorum, cęteros armis ademptis ex montibus in plana deduceret. Nec tamen ob hæc geſta aut ſcripſit Senatui; aut Triumphum, licet auctore Cæſare decretum duxit: modeſtiam, ſicut aſſueverat, ſervare pergens. cujus & aliud experimentum eodem tempore dedit, quum ſententiam Conſul de fratre rogaret, cenſere recuſans. Idem etiam Virginem Sed ab Agrippa compriminantur. Flor. 4. 12. 58. Dio.

aquam in agro Lucullano conceptam privato ſumptu induxit in Urbem; Auguſtam vocans, quod adeo gratum Cæſari fuit, ut in penuria vini quum populus valde vociferaretur, *ſatis* dixerit *proviſum à genero ſuo Agrippa, perductis pluribus aquis ne homines ſitirent.*

Cornelii Balbi Triumphus de Garamantibus. Suet. Auguſt. cap. 42.

XXXV. Talis igitur Agrippâ fuit. cæterorum plerique ob res haudquaquam huic comparandas latrociniis forte compreſſis aut ſeditionibus compoſitis civitatum, & petierunt Triumphos, & impetrarunt. Nec enim pareus in his Cæſar erat, quem ſuper triginta ducibus juſtos triumphos, & aliquanto pluribus Triumphalia ornamenta decernenda curaſſe invenio. quamquam ex plerorumque geſtis Imperator vocatus non eſſet. L. Cornelii Balbi P. F. non expers meritorum Triumphus fuit: quem proconſule duxit ex Africa VI. Kalend. April. victis Garamantibus, quos nulla dum Romana arma perculerant. Nec eum hominibus modo, ſed magis eum ſiti dimicandum fuit; quod putei arenis injectis occultabantur. Nec ideo minus Phazaniorum & Garamantum oppida plurima capta, quorum nobiliſſimum Debris ob fontem miræ naturæ, & caput gentis Garama.

Primus Balbus non natus Romanus triumphat. Suet. Aug. 38. 2.

XXXVI. Nec triumphatæ tantum nationis, ſed etiam triumphantis novitas illuſtriorem hunc ei titulum fecit. Gadibus natus civitatem Romanam eum majore Balbo patruo ſuo acceperat. nec quemquam ad ea tempora triumphaſſe niſi Romanum natum meminerant. Ex Kal. Jul. ejus anni M. Vinucius Conſulatum geſſit: cæteri, nam haud dubie ſuffecti plures fuerunt, ignorantur. At ſequens annus, quo duo Cornelii Lentuli Publius P. F. & Cnæus L. F. Conſulatum geſſerunt: Agrippam propemodum in par Cæſari faſtigium receptum ab ipſo vidit. Quippe Auguſtus in optimo propoſito reformandæ Reipublicæ inſidias timens, ut ab his eſſet oſtentatione parati vindicis tutior, Agrippam Tribunitiæ poteſtatis collegam declaravit in quinquennium. tot enim annos ſufficere dictitabat: quum eamdem poteſtatem per decennium jam tenuiſſet: & elapſo hoc quoque quinquennio in aliud decennium eſſet accepturus.

Urb. cond. an. 735. Agrippa à Cæſare in par prope faſtigium recipitur.

Auguſti conſilium repurgandæ Curiæ.

XXXVII. Tum autem ingentibus curis diſtrictus, quemadmodum citra periculum repurgare Curiam poſſet, eum Agrippa agitabat. Nam & numerum juſſio putabat ampliorem eſſe, & non tantum infamia vitiorum obrutos, ſed etiam adulatione oneroſos oderat. At erat res offenſionum plena; nemo enim ſicut factum erat prius, ſponte cedebat: & tot ſimul Senatu movendorum invidiam ſuſtinere, niſi pluribus ſociis contabatur. Tandem ea ratio placuit, ut ex omnibus triginta viros optimos ipſe deligeret juratus: qui deinde jurati & ipſi ſcriberent in tabella ſeorſim ſinguli quinque aliorum nomina, quos dignos eo ordine cenſerent: ne tamen inter eos neceſſarius quiſquam ſcribentis eſſet. Hoc ubi factum eſt, ex ſingulis quinariis unum ſorte duxit, qui & Senator eſſet, & alios quinque, iiſdem ut priores illi legibus in tabella nominaret.

Senatorum numerus ad ſexcentos reducitur.

XXXVII. Et oportuerat quidem triginta eſſe, tum qui primi tabellas acceperant, tum etiam qui ſorte fuerant educti: ſed quum ex utroque numero peregre abeſſent, alii delecti ſunt qui eorum vicem fungerentur. Hoc quum ad aliquot dies factum eſſet, ſuſpicione fraudis motus Cæſar, neque tabulas ultra penes Quæſtores eſſe paſſus, neque ſorte uſus eſt: ſed ſuo ac Agrippæ judicio cæteros adlegit, donec ſexcenti efficerentur. Trecentos maluiſſet, ut veteris Reipublicæ

ſpecies redderetur. ſed non audebat tot offendere, bonis quoque in metum adducendis, ſi plures multo expungerentur, quam manerent. Sic quoque caveri non potuit, quin aliqua parum commode fierent. Livinejus certe Regulus, ſciſſa in Senatu veſte cicatrices oſtentans, & ſtipendia ſua exponens, magna cum invidia queſtus eſt *ſe moveri Senatu, quum filius ſuus & alii, quibus ſe præſtare non dubitabat, allegantur.*

XXXIX. At Aurunculejus Pætus veniam *exeundi ordinis, locumque ſuum patri*, qui removebatur, oravit. Itaque diligentius inſpectæ ſunt tabulæ; motiſque iterum aliis, alii ſubſtituti. Tum etiam quia nonnulli cauſſis non improbabilibus injuria ſe remotos querebantur; locum his inter Senatores ludis epuliſque in veſte Senatoria, & recuperandi ordinis cauſſa honores petere conceſſit Cæſar. ita plerique horum iterum in Senatum allecti. cæteri medio quodam inter Populum Patreſque loco ætatem exegerunt. Erat omnino ea res, quæ multorum animos ad cujuslibet facinoris audaciam exaſperaret. eo promptius creditum, Auguſtum & Agrippam inſidiis peti arguentibus. interfectique ſunt nonnulli, quorum & M. Egnatius Rufus fuit, cujus de vanitate ſupra narravimus. Inſidiæ M. Egnatii in Auguſtum. Suet. Aug. 35. 2 Dio.

XL. Exciverant hæc pericula curam Senatus: multaque prolata, quæ ad ſalutem Auguſti protegendam provideri opus eſſet. Inter quæ quum forte jactaretur, *excubias ei conſtituendas Patrum, quas ſua quiſque vice obirent*, Antiſtius Labeo, non magis ſtudiorum claritudine, quam incorrupta libertate celebratus, *ſe quidem ſomnolentiorem eſſe* dixit, *& ad excubias agendas ineptum*. Sed Auguſtus graviter urgens cœpta coërcendo ambitu ſanxit, *ut qui pecuniam magiſtratus adipiſcendi cauſſa dediſſet, promiſiſſet: ejus magiſtratus petitione in quinquennium arceretur*. Majori cura ingenuorum civium augendo numero ſtuduit, præmiis in maritos & patres adauctis, & majoribus pœnis vexato cælibatu; poſtquam priorum legum ſanctiones ſpernebantur. Labeonis vox libera. Vell. 2. 92. 3. Suet. Aug. 19. 2 Tacit. 3. 19.

XLI. Et quando plures mulieribus mares erant, etiam libertinas permiſit duci, præterquam Senatoribus. Hæc negotia dum tractantur, Senatores quidam de matronarum atque juvenum reprimenda immodeſtia Cæſarem interpellarunt, quando propter hanc etiam pauciora matrimonia contraherentur. Ipſe ſuggillari putans, quod multorum uxores corrumperet, hanc quidem ſolicitudinem declinabat; *quod fieri potuiſſet, proviſum* inquiens; *non autem poſſe omnia pari accuratione conſtitui.* urgentibus dein, *ſuam cuique conjugem domeſticis præceptis formandam eſſe* reſpondit: *quemadmodum ipſe moneret Liviam ſuam*. His excitata potius quam repreſſa quorumdam improbitas, orare non deſtitit, priuſquam in hanc rem Cæſar quædam diſſereret, de cultu uxoris ſuæ, egreſſibuſque ejus & comitatu, quibus illa profecto rebus laudabatur. De coercendis adulteriis agitur. Tacit. 3. 75. 3. Suet. Aug. 34. 2 Dio. Lipſ. in Tac. lib. 3.

XLII. Eſtque nota, ſed memorabilis fabula, quum aliquando in ſpectaculo gladiatorum Livia gravibus viris, Julia luxurioſæ juventutis grege cinctæ conſederint, ſcripto hanc admonitam à patre; *Videret quantum inter duas principes fœminas intereſſet*. Quum autem Cenſoriam exercenti poteſtatem oblatus eſſet adoleſcens, qui prius adulterio cognitam duxerat; diu æſtuans; quum nec negligere facinus nec punire auderet; tandem infit: *Talia multa nobis atrocia & pudenda civiles diſſenſiones attulerunt oblivione ſepelienda: ſed in poſterum proſpiciamus, ne tale quid eveniat*. At quum quidam infantes adhuc puellas deſponderent, Liviæ & Juliæ comitatus, diſpar. Dio. Lipſius. Suet. Aug. 69. 2

& præmia nihilominus maritorum ferrent, rem opusque non præstarent, minores decennibus puellas desponderi vetuit; quo intra biennium (quæ legitima nubendi his ætas) dueerentur. Hæc omnia lege Julia de maritandis ordinibus comprehensa.

Frumentum populo divisum. Macrob. Saturnal. 2. 5. Suet. Aug. 42

XLIII. Proxima frumenti populo dividundi curâ fuit, institutumque ut magistratus nominarent singulos, qui ante triennium minimum Prætura functi essent, & ex eo numero sorte deligerentur quatuor, per quos frumentum plebi daretur; additis binis lictoribus, servorumque publicorum, & scribarum ac librariorum, accensorumque & præconum ministeriis. Per hos sæpe levissimo, interdum nullo precio, menstrua fiebat frumentatio, ut in orbem ad omnes hæc eura rediret. Nam Augustus, quum ter in annum quaternûm mensium tesseras dare constituisset, ne frequentius à negotiis homines avocarentur, plebi veterem consuetudinem desideranti cesserat. Alia quoque sub id tempus constituta; ne plus uno feriarum Latinarum caussa quotannis Præfectus Urbis fieret. Sibyllini libri vetustate exolescentes, ab Sacerdotibus describerentur, ne quis alius eos inspiceret.

Census Senatorius. Suet. Aug. c. 41. & 45. Dio. Strabo. Eusebius.

XLIV. Honores petere permisit omnibus qui legibus non prohiberentur, haberentque Senatorium censum, quem prius quadringentis sestertiis definierat, deinde auxit ad sestertiûm decies: & utroque tempore pauperibus, sed honestis viris, quod eo minus habebant dono dedit. Prætoribus indulsit, ut in ludos triplum ejus, quod à publico præbebatur, insumere liceret volentibus. His ac similibus gratiam apud hos etiam iniit, quos priorum aliquot legum severitas alienabat. In provinciis quoque res feliciter procedebant; & Germanos Melone quodam duce in arma versos M. Lollius superasse nunciabatur. Neque minore omnium lætitia exceptum, quod Pyladem pantomimum revocavit; quem propter spectatorem, à quo exsibilabatur, digito demonstratum fautoribus suis, Urbe atque Italia submoverat.

Urb. cond. an. 736. Prodigia. Jul. Obseq. Dio. Suet. Aug. c. 29 & 31. Tacit. 1. & 3. 72. 1.

XLV. Atque ille castiganti eum Cæsari, *quod, cum Bathyllo Mæcenatis familiare contendens, seditiones vulgo concitaret*; profundioris prudentiæ dicto, quam ab hoc exspectaretur, respondit; *Atqui expedit tibi, Cæsar, circa nos occupatum populum habere*. Dum ista Romæ geruntur, Herodes Templum demolitus, majore spatio atque specie instaurare incipit, quod opus vix multis inde annis perfici potuit. Cajo deinde Furnio C. F. C. Junio Silano Consulibus, sub Apennino in villa Liviæ ingenti motu terra tremuit. Fax in cœlo à meridie ad Boream transcurrens, ad similitudinem diurnæ lucis noctem illustravit. Turris hortorum Cæsaris ad portam Collinam fulmine percussa est. Quibus haud perinde commotus fuit; quam recreatus incremento domus suæ. Tum enim alterum Agrippæ filium Julia peperit, qui Lucius est appellatus. Hunc cum fratre Cajo statim adoptavit Cæsar, per æs & libram à patre emptos, veteri more: tutiorem se futurum ab insidiis ratus, si pluribus munimentis insisteret. Virtutis inde & Honoris solemnibus, quod incommodo tempore celebrabantur, alium exinde diem constituit. Viris Triumphalibus auctor fuit operis alicujus excitandi de manubiis, quo eum Urbis ornatu, gestorum memoriam perpetuarent: multaque à multis exstructa sunt.

XLVI. Eodem anno ludos sæculares ingenti apparatu fecit, quos centesi-

Digitized by Google

mo quoque anno (his enim terminis ſeculum terminatur) fieri mos. Sane hos inter ludos, & quartos ſeculares, ſive L. Cenſorino M. Manilio Conſulibus, ſive triennio poſt, celebrati fuerant, nam inter auctores diſſentitur, circiter centum triginta anni intererant. Sed Quindecim virorum diligentiæ creditum; qui ex Sibyllinis libris tempus ludorum inveſtigaverant, ritus eorumdem exponente Atejo Capitone, qui tum divini humanique juris conſultiſſimus habebatur. Præfuerunt magiſtri Quindecim virum ſacris faciundis, Imp. Cæſar D.F. Auguſtus, C. Sentius C. F. C. N. Saturninus, M. Claudius M. F. M.N. Marcellus, M. Fufius M. F. Strico, D. Lælius D. F. D. N. Balbus. Zoſimus Græcus auctor *L. Cenſorino C. Sabino Conſulibus ludos ſæculares actos* narrat. id ſi verum eſt, ſuffecti fuerint oportet: nam nec par illud inter majores Conſules, qui nomen anno dabant, reperias: & hoc quidem anno factos ex priſcorum monumentorum fide ſatis conſtat. His ludis Auguſti juſſu ſæculare carmen Horatius poëta condidit. Ullum eo tempore nocturnum ſpectaculum à juvenibus utriuſque ſexus frequentari prohibuit Cæſar, niſi eum aliquo majore natu propinquorum. Ludi Seculares. Liv. Plin. 7. 48.

XLVII. Tum quoque Germanos vindictæ magis quam cautioni intentos M. Lollius Legatus Cæſaris circumvenit inſidiis, gravique clade vexavit. At in Urbe legis Cinciæ caput, ne quis ob cauſſam orandam pecuniam donumve acciperet, revocari placuit; addito, ut quadruplum perderent, qui accepiſſent: Judices in quem annum ſortiti eſſent, domos litigantium non ingredi: Senatoribus etiam infrequentibus augeri mulctam, & qui ſine probabili cauſſa in Curiam ſerius acceſſiſſent. L. Domitio Cn. F. L. N. Ahenobarbo, P. Cornelio P. F. P. N. Scipione Conſulibus, in Gallias profectus Cæſar, templum Quirini refectum à ſe dedicavit; in quo quum ſex & ſeptuaginta columnas poſuiſſet, poſtquam totidem annos vivendo expleverat, non temere feciſſe exiſtimatus eſt. Germani vincuntur à M. Lollio. Suet. Aug. 27. & Jul. Obſeq. Tacit. ex. 12. 5. 3. Dio. Urb. cond. an. 737. Templum Quirini.

XLVIII. Inde per Tiberium & Druſum privignos, quibus hunc honorem decernendum ab Senatu curaverat, munus gladiatorium edidit. Itineris cauſſam qui ſecretas Principis cogitationes rimantur, & niſi reperiant, fingunt, nunquam vel evidentibus contenti, partim in leges nuper latas referebant, *quas aut exerceri cum offenſa, aut negligi cum dedecore opus eſſet; ideo Solonis exemplo ſibi peregrinationem indixiſſe.* Nec deerant, qui *ut amore Terentillæ ſecurius frueretur, neque ſermonibus in Urbe non vitandis ſeque & illam traduci ſineret, id conſilii cepiſſe* dicerent. Hanc enim Mæcenati nuptam ſic deperibat, ut eam aliquando certare de forma cum Livia compelleret. Cæterum in propatulo Galliarum erat fortuna, quæ variis à nationibus vexabatur; & Germanorum magnis acta terroribus curam Auguſti deſiderabat, Sicambri, Uſipetes, Tenchteri, non tam fracti prioribus prœliis quam irritati, comprehenſos in ripa ſua Romanos in crucem egerant. Cur Auguſtus ſit profectus in Galliam.

XLIX. Hoc veluti ſacramento collecta ingens manus Rhenum mox tranſierat; vaſtataque proxima parte Galliarum, ne Germanis quidem jamdudum incolentibus parcentes, equitatum Romanorum aſtu circumventum fuderunt, ad ipſa uſque Lollii caſtra, dum fugientibus inſtant, præter propoſitum deducti. Tum vero poſtquam perniciotum ſibi futurum errorem videre, ſi fatentur; eodem impetu Lollium occurrentem aggreſſi, majore tamen ignominia quam clade repulerunt, aquila legionis quintæ potiti. Igitur Auguſtus ſua præ- Germani Galliam vaſtant. Suet. Aug. 23. Vell. 2. 97. & Dio.

ſentia opus eſſe exiſtimans, quem interim Urbi Italiæque præficeret, dubitabat. M. Valerius Meſſalla, Præfecturæ nomen ſibi primo delatum poſt paucos dies depoſuerat, poteſtatem nimiam & incivilem exercendi neſcius. M. Agrippam in Syriam remittebat, C. Mæcenatem comitem erat habiturus ob Terentillam, ſed & Tiberium quamquam Urbanum Prætorem, ducturus in Galliam erat; eoque per Druſum impleri magiſtratum illum Senatuſconſulto interpoſito voluerat.

Statilius Taurus Vrbi præficitur. Tacit. Dio. Plin. l. 20.

L. Idcirco Statilium Taurum, ſenem Triumphalem, dignum eo loco cenſuit, cujus miniſterio in graviſſimis negotiis uſus fuerat: nec judicii falſus eſt. Quæ nox prima profectionem Cæſaris ſequuta eſt, incendio Urbem exterruit: quo Juventatis in Velia templum arſit: & paulo ante, præter ea quæ ſupra memoravimus, lupus Via Sacra in Forum procurrerat, hominibus aliquot occiſis. nec procul Foro magna vis formicarum, in ſpeciem agminis ad prœlium cunctis ſe conglobaverat. Hæc prodigia aliorum pietatem, aliorum adulationem adverterunt, Senatuſque Conſultum factum, *uti pro reditu Auguſti vota ſuſciperentur*. Interim & quinquennales ludos propter principatum ejus votos M. Agrippa fecit, recens in collegium quindecim, cujus tum vices curandi ludos eos erant, virorum cooptatus. Circum hæc tempora contra gentes Inalpinas bene pugnatum eſt à P. Silio, Camunique & Vennonetes ſub Imperium populi Romani redacti.

Dalmatarum aliarumque gentium motus. Flor. 4. 12. 20. Dio.

LI. Idem Silius & Pannonios adſumptis Noricis Hiſtriam incurſantes per ſe & legatos ſuos ita domuit; ut pacis conditiones accipere utrique cogerentur. Dalmatæ quoque ſub idem tempus, Hiſpanique moti; ſed modico, nec diuturno tumultu. Macedoniam Dentheletæ & Scordiſci infeſtavere. Bolli Cotyos Regnum adorti, quod eo mortuo liberorum ejus avunculus & tutor Rhymetalces defendebat; ab Romanis auxilium ei ferentibus ſubacti ſunt. Satmatas eadem tentantes, Cn. Cornelius Lentulus pugna victos trans Iſtrum recedere coegit. Ab eodem Daci Getæque per concretum gelu Danubium vicina infeſtantes repulſi, ſubmotique. Pari felicitate Germanicum bellum, quod præ cæteris erat formidabile, compoſitum. Quippe intellecto non modo Lollium ſtrenue parare arma: ſed ipſum cum exercitu adventare Cæſarem; ad ſua regreſſi, miſſis obſidibus quietem ſpoponderunt. Nec tamen adeo aut credita hæc, aut præſtita pax fuit, quin aliqui ſubinde motus exſiſterent. quorum cauſſa & hunc annum in Gallia & ſequentem contrivit. quo Conſules M. Livius L. F. Druſus Libo, L. Calpurnius L. F. Piſo fuerunt.

Vrb. cond. an. 738.

Gallia ab Auguſti liberto Licinio ſpoliata. Suet. Aug. 67. 1 Dio.

LII. Sed & ipſa Gallia non ſatis quieta erat, propter hominis libertini tantam improbitatem, ut ſignificata prodigio ſit credita, quum maxima bellua viginti pedum latitudine, longa ſexaginta, & præter caput mulieri ſimilis, ex Oceano irruens, in vado hæſiſſet. L. Licinius is fuit Gallus natione, qui captus iis bellis Dictatori Cæſari ſervierat. Sed hunc in honore & uſu maximo Auguſtus habere ſolitus, procuratorem ſuum in Gallia conſtituerat. Is igitur ad explendam ingenitam avaritiam majeſtate Romani nominis abuſus, hoc agebat, ut quotquot ſe potiores ipſo ferrent deprimerentur. nec contentus exegiſſe ad præſcriptum ſibi modum; magnam inſuper pecuniam ſibi ſuiſque extorquebat: tam impudenter quidem, ut quoniam in ſingulos menſes aliqua debebantur quatuordecim penſiones eodem anno exigeret; vetetibus menſium nominibus *Julium*

& Au-

& *Auguſtum* adnumerans. Sane poſtquam Cæſar advenit, tanta vis in eum coorta accuſatorum eſt, tamque acerba; ut patrocinio potius apud Principem, quam periculo eſſet.

Fruſtra apud Cæſarem quæritur. Macrob. Saturnal. lib. 2. c. 4. Tac. l. 4. c. 1.

LIII. Namque partim moleſte tulit id Cæſar, in nonnullis excuſavit Licinium, quædam ignorare ſe, alia non credere ſimulans: quin & occultabat haud pauca, pudore etiam ductus, quod tali procuratore uteretur. Sed maxime Licinio calliditas ſuâ profuit, qui alias quoque ad novorum operum impenſas conferre patrono grandes ſummas ſolitus, irato pœnaſque minitanti magnam vim auri argentique, & cæterarum rerum ingentes acervos oſtendit; *ea non ſibi nec avaritiæ cauſſa congeſta* dicens, *ſed in Cæſaris, populique Romani uſus: & ne Galli, gens ad res novas mobilis, bis inſtructa copiis facilius ad rebellionem prolaberetur*. Sic effectum ut Licinius in Gallia multos annos veluti Regnum continuaret. Hoc tempus eſſe crediderim Auguſtoduni in Æduis conditæ, quæ caput gentis eſſet, liberalibuſque ſtudiis, quorum ibi præſtantiſſimos magiſtros collocavit Cæſar, nobiliſſimam Gallorum juventutem ad mitiorem vitam erudiret.

Bellum cum Rhætis & Vindelicis. Suetou. Tib. cap 9. Dio. Strab. lib. 4. Florus l. 4. c. 12. 4. Hiſtoria Miſcella. 7. 14. Velleii. 2. 95. 2.

LIV. Inde Tiberium, cujus opera ferme per integrum annum in regenda Gallia uſus erat, in Rhætiam cum exercitu miſit. Rhæti circum Alpes Tridentinas inter Noricos Galloſque poſiti, & hos & Italiam latrocinio vexaverant, diu lateque graſſati; & tranſeuntes negotiorum cauſſa Romanos ſocioſque interfecerant: tamque crudelis his erat animus, ut omnes mares captos protinus occiderent, ne his quidem qui eſſent in utero exceptis, quos neſcio qua divinatione deprehendebant. Hos jam Druſus ab Auguſto miſſus pugna vicerat ad Alpes Tridentinas, ideo Prætoriis inſignibus honoratus. Ab eodem finibus Italicis ſubmoti, ubi Galliæ infeſti ineubuerunt, etiam Tiberius in eos miſſus. quando & Vindelici cum Rhætis ſe conjunxerant. Hi diviſis partibus, per ſe & legatos pluribus locis hoſtem aggreſſi, multis urbium & caſtellorum oppugnationibus, Tiberius etiam per lacum navigiis ſubvectus, carpſerunt. Juſtis quoque prœliis dimicatum, à Tiberio præcipue.

A Druſo & Tiberio confici tur. Horat. Odar. 4. 14. Dio. Liv. Epitom. Velleius. Strab. lib. 4.

LV. Nec occurrere locis omnibus barbari cum magna multitudine poterant, & quidquid ubique intercipiebatur, & animos cæterorum & vires minuebat. Igitur eo deducta res eſt, ut victi à fratribus, in populi Romani ditionem concederent. Victores frequentiæ hominum feritatique diffiſi, quidquid ætate ac robore validum fuit, abduxerunt: relictis qui agro colendo magis, quam turbandis rebus ſufficerent. Sic in provinciæ formam redacti, unius æſtatis bello, ſed fida victoria, & multos in annos quietem ab his gentibus & tributa præſtante. Coloniæ vineula domitarum gentium, in Rhætia Druſomagus, Auguſta in Vindelicis excitatæ. Inter tot hujus anni geſta Vedii quoque Pollionis mors invenit locum, divitiarum tantum ex ſævitiæ nomine noti; ſed in quo memorabile factum Auguſti non immerito celebratur.

Vedii Pollionis ſævitia. Plin. 9. 23. 3. Dio.

LVI. Libertinus homo, deinde receptus in Equeſtrem ordinem murænas alebat in piſcina, quod iis temporibus divites affectabant. Sed cæteris innocentior luxus erat: hic iiſdem ad crudelitatem abutebatur; ſervos in quos animadvertere volebat objiciens, ut pariter totius hominis diſtracti, tamquam egregio ſpectaculo frueretur. Hoc ſupplicio perire juſſus puer, qui forte cryſtallinum calicem fregerat, ad Auguſti accubantis pedes provolvit ſeſe, non mortem, ſed

Agrippa in Aſia motus Boſpori ſedat.

fœditatem pœnæ deprecatus. Suſceperat miſeri pătrocinium Cæſar; nec homo ſuperbus & truculentus exorari patiebatur. Igitur Cæſar afferi jubens cætera quæ haberet cryſtallina tamquam uſurus, omnia ſua manu confregit, miſſumque fieri puerum, & piſcinam compleri præcepit, poteſtate ſua bene uſus.

Ejuſdem ædes Cæſar fecit. Dio.

Plin 9. 53

Suet. Aug. 29

LVII. Hic tum Pollio mortuus, hæredem ex magna parte Cæſarem reliquit, in qua & Pauſilypum fuit inter Neapolim & Puteolos villa; cujus in vivariis (ut hoc obiter adnotetur) poſitum a Pollione piſcem poſt ſexageſimum annum expiraſſe Annæus Seneca memoriæ prodidit. Admiſit judicium Auguſtus, & quia teſtamento juſſus erat opus inſigne facere publice, abuſus hac occaſione paulo poſt ad obliterandam Pollionis memoriam, cujus ipſum amicitiæ ſuppudebat, domo ejus maxima & ſplendidiſſima, ad ſolum diruta porticum inædificavit, non Pollionis nomine, ſed Liviæ inſcripto, eamque decoravit priſcorum artificum tabulis.

Ab Auguſto multarum urbium nomina. Plin 3. 3. & 4 & 4. 10. Dio.

LVIII. Interim in Gallia ac Hiſpania multæ coloniæ deductæ, quas à ſe cognominari ad memoriam ætatis ſuæ Auguſtus voluit. De Auguſtoduno jam diximus. præter hanc in Gallia fuere Auguſta Tricaſtinorum, Trevirorum, Rauracorum, Veromanduorum, Auſciorum, Nemetum, Sueſſionum. Tum Auguſtobona, Auguſtomagum, Auguſtoritum. At Hiſpaniæ Auguſtam Firmam, & Gemellam, & Novam, & Juliam Gaditanam, Braccarumque habuerunt. Præterea Auguſtobrigam, & Cæſarauguſtam: itemque Auguſtanos Setubitanos, & Aſtures, & Cerretanos, qui pleriqne ſub hæc tempora cum novis aut adauctis urbibus hæc nomina receperunt. Sed & Cypriis terræ motu familiari malo, vehementer afflictis ſubventum, indultumque ut Paphum urbem, quam ea peſtis præ cæteris perculerat, *Auguſtam* cognominarent.

Ab Senatu Rom. impoſiti.

LIX. Nondum enim mos inoleverat, ut ſibi quot & qualia vellent vocabula civitates adſciſcerent, ſed in beneficii loco Senatus hæc imponebat. Cyzicenis interea Cæſarem deprecantibus, quam nuper amiſerant, libertas reddita. M. Licinius M. F. Craſſus, Cn. Cornelius Cn. F. Lentulus Augur Conſules ſequuntur. Hoc anno Curules Ædiles, quum vitio creati abdicaſſent, ſtatim aliis Comitiis refecti, exemplo prius inaudito. magiſtratum geſſere. Porticus Pauli conflagravit, incendio etiam Veſtæ ædem afflante: propter quem metum, quod Maximam Virginem ætas arcebat eo officio, per cæteras in domum Dialis Flaminis, tum vacantem, delata ſacra ſunt. Porticus refecta Cæſaris & amicorum Pauli pecunia; nam filii ejus quorum nomine fiebat opus, ob paternam calamitatem modicis facultatibus erant.

Ædiles vitio creati ſtatim reficiuntur. Dio.

Scribonius Boſpori Regnum occupat.

LX. Ab externis bellis nec quies omnino, nec periculum fuit. Pannonicorum celeriter coercita rebellio: & Ligures, quos Comatos appellant, cum Maritimis Alpibus, quas hactenus liberi poſſederant, in poteſtatem venerunt. Major aliquanto motus ad Boſporum exortus Scribonii dolo, qui ſe miſſum ab Auguſto defenſorem Regni mentitus, Aſandrum ad necem voluntariam compulerat. Ille enim licet nonagenario major, ſed viribus nondum adſumptis, ob eam injuriam cibo abſtinuit. Scribonius nepotem ſe Mithridatis magni ferens, Dynamin Aſandri filiam, neptem ejuſdem Mithridatis è Pharnace, cui moriens Aſander Regnum reliquerat, in matrimonium, unaque Boſporum quaſi dotalem accepit.

LXI. His rebus cognitis Agrippa Polemoni Regi Pontico mandavit hoc bel-

Juliæ in Scamandri transitu periculum.

lum. Ipſe rogatu Herodis, qui ad eum in Aſiam venerat, in Judæam profectus, urbes ab Rege recens conditas inſpexit, ubique magnifice habitus. Hieroſolymas etiam, inter occurrentium feſtas voces ingreſſus, hecatomben obtulit DEO, epulumque populo dedit. Inde poſt paucos dies, ne hyeme navigandum eſſet; in Joniam trajecit, negotiis provinciæ vocantibus: Beryto interim colonia deducta, quæ *Auguſtana* appellata eſt. Per hæc tempora Polemon ducto in Boſporanos exercitu, Scribonium quidem nullum ultra reperit, quem comperta hominis fraude ipſi necaverant: cæterum eum his pugnandum Polemoni fuit, metu ne illi traderentur, arma capientibus. & quamquam prælio victi ferociam retinebant.

Agrippa Hieroſolymis ſacrificat. Joſeph. Ant. Judaic. 16. 2.

LXII. Hæc anno ſuperiore acta quum Agrippa didiciſſet, ipſe proficiſci ad bellum decrevit. Igitur ubi commodum navigationi tempus rediit, Sinopem, & inde in Paphlagoniam profectus, propinquo metu Boſporanos arma ponere, ſigna Romana Mithridatico bello capta reddere, Regemque accipere Polemonem coegit, Dynami etiam in matrimonium ei tradita. Hæc agenti Herodes ad omnia promptus ac diligens aderat, magnam ſuper antiquam familiaritatem gratiam adeptus, quod relicto Regno ſuo in Aſia quæſitum Agrippam, Sinope conſequutus, auxilium operamque non admonitus obtulerat. Ilienſibus ea res plurimum profuit, quibus Romanus propter uxoris periculum iratus, centum millium drachmarum mulctam dixerat.

Boſporanos Polemoni ſubjicit. Joſeph. Antiq. Judaic. 16. 6. Dio. Oroſius 6. 21. Eulebius.

LXIII. Quippe Julia noctu Ilium petens, dum Scamandrum in lectica tranſit, ſubito fluminis auctu magnum vitæ diſcrimen adierat. Ergo legati ad deprecandum miſſi, quum Amiſum veniſſent, nec agentem ibi Agrippam auderent compellare, Nicolaum Damaſcenum orarunt, ut ſibi Regis Herodis, cui erat ille familiariſſimus, patrocinium compararet. Suſcepit Rex, & culpa ab Ilienſibus ignaris rei translata in caſum, Agrippam alioqui proniorem ad clementiam placavit: quum illi jam deſperato negotio in patriam renavigaſſent. Agrippa poſtquam præſentia ſatis compoſita ratus eſt, per Paphlagoniam & Cappadociam Phrygiamque majorem Epheſum rediit. inde trajecit Samum; Herode ſemper eum comitante.

Ilienſibus ab Herode placatur. Joſeph.

LXIV. Hæc res animum Judæis addidit, qui jus civitatis in Jonicis urbibus, beneficio Regis Antiochi, cui cognomentum Deus fuit, adeptis, *trahi ſe ad judicia feſtis ſuis, & quam mittere Hieroſolymam ſolerent pecuniam ſibi adimi* querebantur, *quamquam & Romani ſuis ſe legibus degere juſſiſſent*. Horum cauſſam agente Nicolao, quum & Herodes Agrippæ aſſideret; *æquum* cenſentibus Jonibus, *civium loco non eſſe apud ſe, qui alienis ſacris uterentur*; Agrippa nihil mutandum cenſuit; ſcripſitque ad Epheſios alioſque jubens *injuriis Judæorum abſtineri*. Sed & Cyrenenſium magiſtratibus injunxit eadem, Judæis illius etiam provinciæ paria queſtis. Hinc Boſporani belli ad Auguſtum perſcripto exitu, nam ad Senatum ſcribere, ſicut priſcis Imperatoribus ſolitum, modeſtiæ cauſſa ſuperſederat, acta rata habuit Auguſtus; ſupplicationeſque & Triumphum ei decernendum curavit.

Judæis confirmat privilegia. Joſeph. Antiq. Judaic. 12. 3. & 15. 4. 10. Tacit. Hiſt. 4. 4. 5. Dio.

LXV. Jam & Galliæ Hiſpaniæque res reductæ in tranquilliorem ſtatum erant: Germani adhuc tumultuabantur. Igitur ad hos coercendos, agendumque cenſum Galliarum, Druſo relicto Cæſar Romam rediit, quum jam Tiberius Claudius Ti. F. Nero P. Quinctilius Sex. F. Varus Conſulatum iniſſent. Forte iiſdem diebus

Vrb. cond. ao 740. Thear. Cenſ. Bibl. dedicatur. Liv. Epitom.

Suet. Auguſt. 29. 10. Tacit. 3. 72. Strab. lib. 3. nuncius de reditu Cæſaris advenerat, quibus Theatri ſui dedicationem Cornelius Balbus ſumptuoſis ſpectaculis celebrabat: vir maximis opibus magnifice uſus, qui & in natali ſolo Gaditanis novam urbem, eum navali in oppoſita continente ſuis impenſis ædificavit. Is igitur Auguſtum redire, tanquam huic lætitiæ intereſſe cupientem, egregium ſibi ducebat: & ab Tiberio quoque Conſule in honorem exſtructi Theatri ſententiam rogatus eſt primus.

Auguſtus oblatos honores abnuit. Suet. Aug. c. 57 Dio. LXVI. Quippe Senatus adventu Auguſti audito habebatur, adhonores ei decernendos. Inter alia placuit *aram reditus in Curia poni: neque ſupplicium ſumi de his, qui ſupplices intra pomœrium Auguſto facti eſſent.* Neutrum ab illo acceptum: & ne populus obviam iret, quamquam Tiberis inundaverat Urbem, ita quidem ut Balbi theatrum niſi navigio adiri non poſſet, more ſuo noctu introiit. Poſtridie quum populum, qui in Palatium confluxerat, perſalutaſſet, in Capitolium adſcendit, demptamque de faſcibus lauream in genibus Jovis repoſuit. Eodem die balneo gratuito conſoribuſque plebi præbitis, Senatum convocandum curavit, de geſtis ſuis relaturus. Gravedine laborabat: ideo libellum Quæſtori recitandum dedit, quo acta ſua poſt profectionem ab Urbe comprehenderat; addito, *conſultum videri Prætorianos expleto duodecimo ſtipendio, cæteros ſexto decimo dimitti: & quia jam in morem venerat, agros aſſignari veteranis, pro his certam pecuniam dari.*

Perniciabiles agrorum diviſiones tollit. LXVII. Nec dubie acceptum quod petierat, militibus quidem nec indignationem conſpicuam, nec lætitiam movit. qui neque nihil eorum quæ poſtularant, neque omnia conſequebantur: poſſeſſoribus gratiſſimum fuit, ita futurum cernentibus, ut timere pernicialiles illas agrorum diviſiones aliquando deſinerent. Cornelii Balbi ludos alii paulo poſt exceperunt, Auguſti natalem Prætore Julo Antonio Circenſibus & venatione celebrante: qui & epulum ei ac Senatui in Capitolio ex Senatuſconſulto dedit. Inde reverſus ad curam Reipublicæ Cæſar, quædam per abſentiam ſuam uteumque conſtituta mutavit in melius. Poſt civilia bella quadringentis tantum ſeſtertiis conſum Senatorium definiri placuerat, plerorumque re familiari valde acciſa aut turbata. Nuper idem, quod ſatis jam refecti diuturna pace videbantur, auctus erat ad ſeſtertium decies. ſed eum adhuc modum habebant non multi: unde & rari affectabant Senatorium locum; & ex conſcriptis quidam, quorum patres quique ejuſdem ordinis fuerant, ob veram aut ſimulatam paupertatem ejurabant.

Vt de minoribus magiſtratibus ex Equeſtri ordine legendis. LXVIII. Idcirco Senatus loco ſex & viginti virorũ, quí ad minores magiſtratus quotannis ex Senatoribus eligi conſueverant, decreverat *uti viginti ex Equitibus nominarentur: unde Triumviri rerum Capitalium, & auro argento æri flando feriundo, tum Quatuorviri curandis in Urbe viis: denique Decemviri ad judicia Centumviralia fierent. nam Duumviros viarum extra Urbem curandarum, & Quatuorviros in Campaniam mitti ſolitos abrogari* placuerat. Nec tamen hi Senatores fiebant, niſi quem alium magiſtratum, qui more majorum id jus conferret gerenti, adipiſcerentur. Decretum erat præterea, *quando Tribunitiis Comitiis candidati deeſſent, uti ex Quæſtoriis qui quadrageſimum ætatis annum non expleſſent, ſorte ducerentur.* Auguſtus autẽ parum hæc efficacia remedia tot incõmodis ratus, totum Senatum recenſuit: neque veniam cuiquam quinque & triginta annis minori dedit ponendi ordinis, præter qui manco corpore, aut inferiore cenſu eſſent.

LXIX. Et quo minus aliqui fallerent, valetudinem excuſantes inſpexit

Augustus mortuo Lepido Pontifex maximus.

ipse de facultatibus nemini nisi jurato credidit, ac ne testibus quidem injuratis. exegit præterea vitæ rationes paupertatisque causas; ut subveniret his, qui nulla sua culpa facti inopes fuissent. Nec minori solicitudine domestica moderabatur, increpito etiam Tiberio, *quod ludis votivis*, quos Augusti reditu Consules fecerant, *Cajum juxta se collocasset*: populo quoque castigato, qui puero adsurrexerat, stansque plausserat, laudibusque prosequutus eum fuerat. Sub hæc demum tempora Pontificatum Maximum A. D. pr. Non. Mart. assumpsit Cæsar, non sustinens vivo extorquere Lepido, quod Romanis moribus Sacerdotia ne exsilio quidem amittebantur. Cæterum satis eum per tot annos contemptim habuerat, præter alias causas propter adolescentis Lepidi conjurationem infestior. Nam in agris amissæ potentiæ pudorem obtegere cupientem migrare in Urbem, venire in Senatum coëgerat; quo plurium derisui exponeretur.

Augustus non facile finit Senatorem ejurare. Dio. Suet. August. cap. 56. Plin. l. 8. c. 2.

LXX. Sed & ultimum ei locum dicendæ inter Consulares sententiæ dedit; quum alios secundum tempora gesti magistratus, aut singularem quamdam præstantiam collocaret. Nec adversus hæc nitendi vis erat ulla Lepido, qui equidem si Pontificis Maximi tanta potestas fuisset, ut imperium adimere cui vellet posset, quod nuper adseri cœptum est, adversus has injurias in promptu telum acerrimum habuisset. Eodem anno Augustus Tribunitia potestate duodecimum, quadringenos nummos viritim populo dedit. honores ab Senatu delatos Pontificatu accepto abnuit. insistentibus, surrexit, & è Curia se proripuit.

Lepidum tractat inclementius. Dio.

LXXI. Ædes sibi publice præberi non est passus: sed quia Pontificem Maximum in publica domo habitare necessum erat, suarum ædium in Palatio partem publicavit. Domum autem, quam Rex Sacrorum olim obtinuerat, Vestalibus, quarum ab habitatione communi tantum pariete distinguebatur, tradidit. Et ne per iram quid faceret aut diceret incivilius, quum in Senatu propter uxoris suæ vitam accusatus Cornelius Sisenna, *ductam sibi Augusto auctore* confirmaret; exsiluit è sede sua, & spatio temporis interposito rediit; *hoc licet non concinnum, admittere maluisse, quam aliquid forte gravius*, inter amicos postea confessus est. Nec subtrahenda memoriæ vel Principis est patientia, vel libertas ingerentium discedenti aliquando; *Licere oportere Senatoribus de Republica loqui.* Ferunt Augustum hujus vitii conscium gratanter amicorum admonitiones excepisse. Nam & Athenodorum Tarsensem à se digredientem, quum rogatus utile præceptum relinquere, dixisset, *uti quum cepisset irasci, quatuor & viginti Græcas literas memoriæ recenseret, prius quam aliquid faceret aut loqueretur*, retentum ab eo, dicente, *sibi adhuc ejus præsentia opus esse.*

Ne quid per iram faciat aut dicat cavet. Suet. Aug. c. 54. H st. Misc. 3. 17. Plutarch. Rom. Apoph. cap. 42. Dio.

LXXII. Cæterum Agrippa reversus in Urbem decretum sibi Triumphum ducere noluit: exemplumque dedit, ne quis postea privatorum aut ex provinciis scriberet ad Senatum, aut victis hostibus triumpharet. Igitur simul ob virtutis & modestiæ singularem præstantiam, summos in eum honores Augustus haud maligne contulit, prorogata ei in aliud quinquennium Tribunitia potestate, in Pannonios mittens, cum majore quocumque extra Italiam veniisset imperio, quam eorum esset, qui provinciam obtinerent. Nec illo contanter quamquam imminebat hyems profectus, solo terrore nominis præsentiæque suæ coërcuit hostem; nihilque abnuenti veniam præteritorum dedit. Sed inde revertens, quum jam M. Valerius M. F. Messalla Barbatus, P. Sulpicius P. F. Quirinus Consules

Agrippæ modestia. Liv. Epit. Dio.

Urb. cond. an. 741. Et obitus. eſſent, in Campania morbo correptus exſpiravit, priuſquam eo pervenire Auguſtus poſſet: qui ad nuncium valetudinis ejus, quamquam ſorte Quinquatribus nomine filiorum ludos exhiberet, feſtinanter excurrerat.

Ac laudatio. Joſeph. Antiqt. 3. 10. Dio. Vell. 2. 96. p. LXXIII. Corpus ejus in Urbem perlatum eſt, ac in Foro propoſitum, dum Auguſtus laudationem peragit velo interpoſito, quod adſpectum arceret. Id utrumne fecerit quia Cenſor erat, an quia Pontifex Maximus quod his ſummorum apud Judæos ſacerdotum more, cadaver videre nefas eſſet, parum liquet. præſertim quum utramque opinionem Dio arguat, non ignorans iſtorum, bis Conſul, ſemel etiam Pontificis Maximi collega. Cæterum Agrippam in ſuo monumento condi juſſit Cæſar, ubi & Marcellum ſepelierat: quamquam & illi datus in Campo Martio ſepulturæ locus fuerat. Hunc ad modum Agrippa finiit vitam, fama quam genere nobilior, amicitiaque Cæſaris Octaviani virtutibuſque ſuis provectus; quibus domi bellique immenſum claruit, cætera quoque, ſi quiſquam eo tempore Romanorum, vir bonus, & omnino dignus, quem pronepos Caligula non adgnoſceret. Summum haud dubie locum ſi Rempublicam liberam nactus eſſet, occupaturus in Regno unius, & communi exterorum obſequio, ita medius, ut tamen Imperio quam ſervitio propior eſſet: cujus magnitudinem ne Auguſtus quidem Princeps obumbrare totam potuit.

Legata ab Auguſto præſtita. Dio. LXXIV. Moriens Balneum populo legavit, quod *Agrippæ* dictum eſt, ubi gratis lavaretur: ob hoc prædia quædam Auguſto adſcribens quorum è reditibus impenſæ præſtarentur. At hic pecuniam inſuper diviſit populo, tanquam & hoc Agrippa juſſiſſet. Cherroneſus etiam ad Helleſpontum è bonis Agrippæ ad Cæſarem pervenit. Nam deinde Poſthumum nominari *Agrippam* voluit, quo patris ejus memoria diuturnior & recentior eſſet; cujus & Cæſarem & populum ex æquo ingens deſiderium cœperat. Summa enim prudentia ſe maximis in negotiis geſſerat, ut Cæſaris imperium acceptum civibus faceret: & quum vigiliis laboribuſque ſuis præcipuum ejus Regni firmamentum eſſet; comitate, mansuetudine, liberalitate popularis haberi meruerat.

Mors ejus prodigiis prænunciata creditur. LXXV. Ergo & ejus mortem prodigiis, qualia magnas calamitates præcedere ſoleant, prænunciatam eſſe crediderant: quia bubones in Urbe conſpecti, fulmine tacta domus in Albano, ubi divertere Latinis Conſules conſueverant, & cometa per complures dies ſuper Urbem conſpectus, in faces diviſus fuerat. Incendia quoque multa tum exſtiterunt. & inter alia corvis ex ara quadam cum carne rapta prunas inferentibus, Romuli caſa conflagravit. Inter hæc quum luctus cauſſa ſpectacula ſolemnia negligerentur, primoribus patrum intereſſe nolentibus; nihil ex patrio more remittendi auctor iis Cæſar fuit: & quo minus dubitarent, gladiatorio munere ipſe præſedit: quo exemplo etiam ab aliis mox abſente ipſo ludi facti ſunt; priſtinamque per omnia ſpeciem civitas recepit.

FINIS LIBRI CXXXVI.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXXVII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CIVITATES Germaniæ, cis Rhenum & trans Rhenum poſitæ, oppugnantur à Druſo: & tumultus, qui ob cenſum exortus in Gallia erat, compoſitus. Ara D. Cæſari, ad confluentem Araris & Rhodani, dedicata; Sacerdote C. Julio Vercundaridubio Æduo.

JAM exibat Auguſto quinquennium in quod Præfecturam morum receperat. igitur alterum in quinquennium prorogata ei poteſtas, ſimiliter ut imperium, quum certum ad finem data videretur, rebus ipſis perpetua fuit. Tum inſtitutum, *ut quoties Senatus haberetur, ſinguli Patrum, priuſquam adſiderent, thure & mero ſupplicarent ad altare ejus dei cujus in templo coiretur: neque prius domum Auguſti ventitarent, ſed in Senatu ſedentes ſalutem acciperent redderentque: quo & religioſius, & minore cum moleſtia partibus ſuis fungerentur.* Tribunatum plebis propter vim ejus magiſtratus enervatam pauci petebant. Idcirco conſtitutum eſt, *uti à magiſtratibus Equites Romani ſinguli nominarentur, quibus haud minus decies ſeſtertium res eſſet. Ex his denique deligeret populus in loca quæ Senatores non occupaſſent. His deinde poſt magiſtratum geſtum optio eſſet, utrius ordinis haberi mallent.*

Præfectura morum Auguſto prorogatur. Suet. Auguſt. 27. 10. Dio.

II. Aſiam deinde terræ motibus miſere conflictatam levaturus, *annuum ejus tributum de ſua pecunia inferri in ærariũ* juſſit: & loco Proconſulis legatum ei ex Prætoribus ſorcito in biennium dedit. Quum paulo ante hæc tempora in judicio quodam Mæcenatem & Agrippam vehementer exagitari ab accuſatore comperiſſet, quod adulterii reo patrocinium præſtabant, venit in judicium & ipſe, & in tribunali conſidens, nihil fecit gravius, quam quod ſuis propinquis amiciſque non placere conviciari accuſatorem effatus, abiit. Ob hæc atque talia popularia facta, ſtatuæ ei ex collatitia pecunia ſunt poſitæ: decretumque, *ut in honorem ejus, natalitiis Auguſti ludis etiam cœlites ſpectare permitterentur.*

Aſia terræ motibus conflictata levatur. Dio. lib. 54.

III. Cæterum mors Agrippæ Tiberium Cæſarem propius admovit ſocio laborum indigenti, & infirma adhuc ætate nepotum. Igitur habenti in matrimonio Vepſaniam, Agrippæ filiam ex priore matrimonio, dimittere uxorem, & deſpondere ſibi Juliam præcepit. Nunciabatur interim *tumultuari Pannonios, audita morte Agrippæ*, cujus metu quieverant. Idcirco miſſus in hos Tiberius, egregia Scordiſcorum opera, qui vicini Pannoniis & armatura totaq; reliqua ratione belli ſimiles ſunt, evaſtatis late omnibus, gentem ad repetendam quam abjecerat pacem coëgit. Arma victis adempta, magnuſque juniorum numerus *ca le-*

Tiberius ſenſim ſuccedit in Agrippæ locum. Vell. 2. 95. 1. Dio. Suet. Aug. 21. 5. & Tib. c. 9.

ge divenditus, *ne in propinquis patriæ ſuæ regionibus haberentur*. Triumphum ob hæc Tiberio decreverant Patres: Auguſtus ejus loco, Triumphalia ei ornamenta dedit, novo nec antea cuiquam tributo genere honoris.

Druſus Gallorum conſilia coercet. Dio. Liv. Epit. Strab. lib. 4. & 7.

IV. Dum ita Tiberius ſucceſſu præmiiſque operum ac laborum attollitur, haud minus fratri ejus Druſo quæſitū decus eſt, Gallorum conſilia & Germanorum arma ſolerter fortiterque coërcenti. Cenſus nuper actus à Druſo, quem in Galliam Auguſtus ideo miſerat, tamquam haud incertum ſervitutis argumentum, Gallorum animos deſiderio rerum novarum compleverat: paſſim, ut ſolet, erumpentibus indiciis. Ea fiducia & quod Auguſtus diſceſſerat, Sicambri eorumque ſocii ad utramque Rheni ripam incolentes, arma, neglectis quos dederant obſidibus, reſumpſerant. At Druſus, tum rectius in hoſtes impetum verti ratus, ubi ſociorum res compoſitæ forent, eo curam intendere cepit. Commodum Fortuna occaſionem præbuit omnia circumſpicienti, quod abſolutum Auguſti templum Gallis communiter præſentibus fuerat.

Occaſione Auguſti ſuſpectus in poteſtate habet. Dio. Liv. Epit. Strabo.

V. Hujus ad dedicationem evocati principes, quum prætextus honeſtiſſimus eſſet, neque detecta ſua conſilia ſentirent, plerique omnes Lugdunum convenerunt: ibi ad confluentes Araris & Rhodani, ubi nunc cœnobium Athenacenſe eſt, delubrum excitatum erat, cum inſigni ara inſcriptionem habente ſexaginta gentium, à quibus etiam ſingulæ ſtatuæ in eodem templo dedicatæ viſebantur. Spatioſus deinde lacus circumjectus claudebat locum. Hunc annuis ludis, atque Rhetorum etiam certaminibus celebrari placuit. Sacerdos è principibus Æduorum C. Julius Vercondaridubius creatus. Inter hanc remiſſionem animorum, quum operam dediſſet Druſus, ut quos ſuſcipio novorum conſiliorum contigerat, pleroſque omnes in poteſtate haberet, motus qui timebatur è Gallia, mira repente tranquillitate conſedit.

Suetonii error in aſſignando feſti hujus tempore. Liv. Epit. Dio. Tacit. 2 5. Flor. 4. 12. 23.

VI. Suetonius Lugdunenſis aræ dedicationem ad ſequentes Conſules Julum Antonium, C. Fabium, & Kalendas Auguſtas ejus anni retulit: quo & natum Druſo filium narrat, qui multos poſt annos Imperator factus eſt. Ego hunc annum ex mente, non Dionis modo, ſed etiam Livii, nam & hunc ita tradidiſſe non obſcura indicia ſunt, tradere malui. Tum demum remoto provinciali metu, totus in bellum verſus, ad Rheni ripam adducto clam exercitu, Germanos, quorum eruptio exſpectabatur, adgreſſus; quum trajectos in Gallicam ripam improviſus circumveniſſet, cecidit. Ipſe deinde tranſito amne, qua Batavorum inſula venientibus è Gallia placido flumine facilis appulſus præſtat, mox in ulteriora tendit. Uſipetum gens maxime petebatur Cattis proxima, jam ſuperioris Cæſaris ætate Gallos incurſare ſolita.

Druſi expeditio Germanica. Dio. Strab. lib. 7.

VII. Horum pervaſtatis finibus in Sicambros tranſitum: eademque & horum agris illata vaſtitas. Inde ſecundo Rheno in Oceanum Germanicum primus Romanorum ducum navigavit, in Friſios expeditione ſumpta: obiterque ſubactis inſulis, quarum Byrchanis, quum non ſegniter defenderetur, vi expugnata eſt. eam Romanis à frugis ſimilitudine ſponte provenientis *Fabariam* appellarunt. Gleſuria quoque & Actania inter domitas eo bello memorantur, antea Romanis incognitæ. Ulterius ire cupientem ignoti vaſtique maris opinio deterruit. Satis tamen magnum operæ pretium credebantur ſuper cætera victi in Amiſia flumine navali pugna Bructeri: nec propinquis litoribus abſtenta arma,

ma; donec natio Frisiorum pace petita facturam imperata polliceretur.

VIII. Per immensos deinde lacus acta classe, in Chaucos penetratum, summa ope tuentes libertatem, quam ferme solam humanorum bonorum habebant, tota vitæ ratione insigniter misera. Nam in æstuariis dubiæ possessionis solum per singulos dies noctesque vindicante Oceano, non agriculturam, non venatum exercebant, mansuetis etiam animalibus carentes. piscibus maxime vivebatur. ne arbores quidem fructum aut ligna præbebant: bituminoso luto, quod manibus compressum siccant, ad coquendos cibos, & fovenda corpora ignis alebatur. In magno ibi discrimine Drusus fuit, quum recedens stato tempore Oceanus ignaros locorum in sicco destituisset. Frisiorum fide factum, ne quid detrimenti acciperetur, qui nuper inita societate cum pedestribus copiis aderant. Chauci.

IX. Has ob difficultates quas immensum auctura imminens jam hyems videbatur Drusus, reductis in pacata copiis, Romam rediit; exceptusque multis honoribus, & in annum sequentem Prætor Urbanus designatus est: quum antea jam insignia Prætoria accepisset. Q. deinde Ælio Q. Fil. Tuberone Paulo Fabio Q. Fil. Maximo Consulibus, idem Drusus, simul per tempus anni potuit, Rheno iterum superato in Usipetes & Tenchteros ingressus; non ante destitit quam posita ferocia leges pacis acciperent. Lupia deinde pontibus juncto, per Sicambros ad Cheruscorum fines & Visurgin usque processit. Sicambri tum forte cum omnibus copiis domo aberant, Cattis inferentes bellum, qui soli finitimorum societatem illorum aspernati fuerant. Drusus quam. quam Prætor factus Urbanus. Vrb cond. an. 742. Usipetes & Tenchteros domat. Dio. Liv. Epit.

X. Hæc occasio pacatum Druso transitum dedit. Superabat & Visurgin, ni super necessariorum inopiam hyems propinqua vetuisset. Etiam religio injecta reditum suasit, quia in castris examen apum in tabernaculo Hostilii Rufi Præfecti castrorum consederat; ita ut funem prætendentem, præfixamque tentorio lanceam amplecteretur. Sed recedenti non eadem à Germanis quies, quam venienti fuerat, fuit. Exciti Romanorum irruptione passim locis idoneis insidias redeuntibus struxerant, ut magna cum difficultate pergerent. Semel circa Arbelonem per angusta & cava loca progressis parum ab exitio res abfuit: magisque hostium imprudentia quam virtute sua servati sunt. Quippe facilem de circumventis victoriam rati, cupiditate cædium prædæque simul omnes confusis ordinibus incurrerunt. In reditu pasius à Germanis molestiâ. Jul. Obseq. D. o. Plin 22. 27.

XI. Inde Romanis ex minaci & plena periculi pugnâ prosperrima facta. Nec exinde manum ausi conserere, tantum eminus lacessentes, majorem sibi quam hosti molestiam exhibuerunt. Vicissim igitur hos contemnens Drusus, quo loco Lupiæ & Alisonis confluentes erant, castellum excitavit: atque aliud in Cattis, ad ipsam Rheni ripam. Fossam quoque ab auctore *Drusianam* vocatam (nunc Isalæ fluminis pars est) immenso opere effecit: quo facilius in hostiles terras iter exercitibus esset. His Romæ cognitis, *ornamenta ei Triumphalia* decreta, *utque ovans urbem iniret, Prætoræque Consulatum jungeret. Imperatoris* nomen, quamquam ex merito exercitus acclamaverat, Augustus ei non concessit; quemadmodum nec fratri ejus Tiberio tum adhuc dederat: quum ex utriusque gestis hujus appellationis numerum in suis titulis adauxisset. Eos prælio vincit. Plin. 4. 12. 2. Tacit. 2. 7.

Aquæ deſtinatæ tutelæ.

XII. Dum iſta geruntur, Auguſtus familiam omnem aquæductuum tutelæ deſtinatam, à M. Agrippa teſtamento ſibi relictam, publicavit: & aquarum jus certum ex Senatuſconſulto lege lata, edictoque ſuo promulgato conſtituit. Verba Senatuſconſulti hæc fuerunt: *Quod Qu. Ælius Tubero, P. Fabius Maximus Coſs. Q. F. de iis qui curatores aquarum publicarum ex Senatuſconſulto à Cæſare Auguſto nominati eſſent ordinandis D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C. placere huic ordini eos qui aquis publicis præeſſent, cum ejus rei cauſsa extra urbem eſſent, lictores binos, & ſervos publicos ternos, architectos ſingulos, & ſcribas & librarios, accenſos præconeſque totidem habere, quot habent ii per quos frumentum plebei datur. Cum autem in Urbe ejuſdem cauſsa aliquid agerent cæteris apparitoribus iiſdem præterquam lictoribus uti.*

Ea de re SC. Dio.

XIII. *Utique quibus apparitoribus ex hoc S. conſul. curatoribus aquarum uti liceret, eos diebus X. proximis, quibus S. Conſul. factum eſſet, ad Ærarium deferrent: quique ita delati eſſent, iis Prætores Ærarii mercedem ac ciboria, quanta præfectis frumento dando dare deferreque ſolent, annua darent & attribuerent, iiſque eas pecunias ſine fraude ſuas facere liceret. Utique tabulas, chartas, cæteraque quæ ejus curationis cauſsa opus eſſet, iis curatoribus præbenda Q. Ælius, P. Fabius Coſs. ambo alterve ſi iis videbitur, adhibitis Prætoribus qui ærario præſunt, præbenda locent.* Primus ejus rei curatorem Auguſtus Meſſallam Corvinum fecit, cui adjutores dati Poſthumus Sulpitius Prætorius, & L. Cominius.

Natalis Auguſti celebratus.

XIV. Eodem anno Ludi quos ab Urbano Prætore curari ſolenne erat, nomine Druſi magnificentiſſimi facti ſunt. Etiam natalis Auguſti per Circum & alia Urbis loca venationibus celebrata: idque licet nullo Senatus decreto fieri quotannis à Prætoribus obtinuit, quemadmodum & Equites Romani natalem ejus ſponte atque conſenſu biduo quotannis celebrarunt. Sed & Auguſtalia, ſic propter reditum ejus appellatus dies, tum primum ex Senatuſconſulto publicis ſpectaculis tranſacta. Cæterum ab ipſo Cæſare facti cæteros, ut æquum eſt, ſumptu ac ſplendore vicerunt, quum Theatrum Marcelli locorum triginta millium capax A. D. IV. Nonas Majas dedicaretur. Iſtorum ludorum commiſſione evenit, ut laxatis ſellæ curulis compagibus Cæſar ſupinus caderet. Nec ideo minus Trojam patricii pueri luſerunt, inter quos & Cajus Auguſti nepos, octavo ætatis anno. Africanæ etiam quadringentæ viginti (ſexcentas alii ſcripſerunt) interfectæ. In ſcenam quoque manſuefacta tigris in cavea invecta eſt, idque animal tum primum Romæ publice ſpectatum

FINIS LIBRI CXXXVII.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXXXVIII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

THRACES domiti à L. Piſone: item Cheruſci, Tenchtheri, Chatti, aliæque Germanorum trans Rhenum gentes ſubactæ à Druſo referuntur. Octavia ſoror Auguſti defuncta; antea amiſſo filio Marcello; cujus monimenta ſunt, theatrum & porticus, nomine ejus dicata.

SUB idem tempus ingens in Thracia bellum finem accepit, quod triennio geſtum à L. Piſone, his cauſſis exarſerat. Vologæſes natione Beſſus, ſacerdos Bacchi, & ob præcipuum ejus numinis cultum magna inter populares auctoritate, ſpecie religionum animos ad rerum novarum cupiditatem inflammaverat. Coacta igitur magna & propter deorum creditum favorem projecta ad audendum manu, occurrentem ad initia motuum extinguendæ Cotyis filium Rhaſcyporim prœlio vicit occiditque. mox tutorem ejus ac avunculum Rhæmetalcen ne prœlio quidem, ſed ſuperſtitione perculſis mentibus exercitu nudat: omnibus eum, ne contra deum pugnare viderentur, relinquentibus. Fugientem inde perſequutus in Cherroneſum, iis quoque locis aperta vaſtando, expugnando munita, plurimum malorum intulit. Bellum Thracicum L. Piſonis. Dio.

II. Hæc nunciata, ſimul & Solletarum nationem incurſiones in Macedoniam facere, Cæſar L. Piſonem qui Pamphyliæ præerat exercitum eo tranſportare juſſit, quod propinquiores Aſia ac Bithynia, populi Romani provinciæ, ſine legionibus erant. Hujus adventientis fama retrocedere Beſſos ad ſua coëgit. Ideireo Piſo in illorum regionem impetum faciens, non leve bellum expertus eſt: quum ferox populus etiam rei militaris uſu ac ratione adjuvaretur, diſciplina armiſque Romanis uſu adſuefactus. Primum prœlium improſperum Piſoni fuit. ſequente victor omnem circa Beſſorum atque ſociorum agrum, ab ira cladis acceptæ violentius depopulatus, ſpatium recolligendi vires non permiſit. quin aliis voluntate, pluribus metu, quibuſdam acie victis univerſum eum tractum armis ſubigeret. Beſſi magno labore ſubiguntur. Plin. 4 12. Dio. Flor. 4. 12. 17.

III. Tanta erat feritas ut captivi catenas morſibus perfringere conarentur; quo minus mirere, quoſdam nuper deditos ſimul occaſio brevis apparuit, arma retractaſſe. Cæterum & his infelix auſum, iterum domitis, in adſtrictius ſervitium ceſſit. Piſoni ob rem bene geſtam ſupplicatio cum Triumphalibus inſignibus decreta. Dum hæc aguntur, Auguſtus Romæ Cenſu rurſus acto, ſuas quoque facultates, deſcriptis quæ uſquam haberet in poteſtate, ad privati modum cenſui ſubjecit. Senatu deinde lecto, ad levandam Patri- Eorum mira feritas, Florus. Tacit 6. 30. Suet. Auguſt. 35. 3.

bus moleſtiam, quum Senatuſconſultum fieri quoties minus quadringentis adfuiſſent, non liceret; ita moderatus eſt, *ut Septembri ac Octobri menſibus nullos adeſſe neceſſum eſſet præter ſorte ductos, per quorum numerum, antiquo minorem, decreta confici poſſent.*

Auguſtus pecuniam ad ſtatuas ſuas oblatam in effigies deorũ expendit. Suet. Aug. c. 57. & 91. Dio.

IV. Pecuniam autem iterum ad ſtatuas oblatam à Senatu Populoque in ſigna Publicæ Sanitatis Concordiæque ac Pacis impendit; ſuam exinde ſtatuam nullam fecit. Sæpe enim, & qualibet occaſione dona talia adferebant. ad extremum etiam Kalendis Januariis, non in commune conferentes, ſed accedentes ſinguli pro modo facultatum porrigebant. quibus ipſe tantumdem, aut aliquanto amplius reddere ſolebat. Quod ſi forte abeſſet eo tempore, ſtrena in Capitolio ponebatur; qua ex ſumma pretioſiſſima deorum ſimulacra mercatus, vicatim dedicabat: ut Apollinem Sandaliarium, & Jovem Tragœdum, aliaque. Sed ex nocturno viſu ſtipem quotannis die certo emendicabat à populo; cavam manum aſſes porrigentibus præbens.

Julia Tiberio nubit: Octavia moritur. Dio. Plutarch. Ant. cap 220.

V. Idem annus duarum principum fœminarum alterius nuptias, alterius exſequias vidit; Julia in Tiberii domum deducta eſt. Octavia poſt Marcelli obitum numquam exhilarata, perpetuum luctum morte finivit. cujus de pudicitia modeſtiaque prioribus libris multa expoſui. Hujus cadaver pro æde Cæſaris propoſitum eſt, dum laudes ſororis Auguſtus, interpoſito iterum velo exſequitur. Sed & à Druſo (nondum is profectus urbe fuerat) pro Roſtris, ut in publicis funeribus ſolet, veſtitu mutato laudata eſt.

Octaviæ memoriæ honos habetur. Dio. Suet. Auguſt. cap. 61. Liv. Epitom. Tac. 3. 58 3. Suet. Aug. 31. 4.

VI. Generi ejus (Marcellam Antonius Julus habebat; Antoniarum altera Druſo, altera L. Domitio Ahenobarbo nupſerat) humeros ſubjaeere lecticæ, quum ad ſepulchrum in Campum Martium efferretur. Senatus pro more temporum in decernendis ei honoribus liberalior fuit, quam ut omnia, licet in germana ſorore chariſſima & probatiſſima, recipienda Cæſar exiſtimaret. quantos tamen convenire putabat maximos, tribuit. Et ne celeriter exſtingui memoria ejus Romæ poſſet, ſatis proviſum ædificata porticu, quam vocaverat Octaviæ, rebatur. Sub idem tempus & vetera quædam inſtituta reſumpta, & excogitata nova ſunt. Flamen Dialis poſt Merulæ cædem, C. Cæſar creatus, adimente Sulla, ſacerdotium priuſquam exerceret, amiſerat. ex eo tempore quum per annos amplius ſexaginta nemo factus eſſet; hoc tempore iterum id Flaminium inſtauratum eſt. Cura adſervandorum Senatuſconſultorum ad Quæſtores ab Tribunis & Ædilibus tranſlata; quia apparitoribus demandata hac officii parte, cauſſam erroribus & confuſioni dederant. Decretum etiam erat, ut Janus Geminus denuo clauderetur: ſed intereeſſere bella, Dacis ſimul Dalmatiſque & Pannoniis rebellantibus; & commota validius quam umquam Germania, ingentis hiſtoriæ materia, niſi veterum monumenta omnium, quibus ea res fuerunt expoſitæ, præter exiguos velut indices, univerſa deperiſſent.

FINIS LIBRI CXXXVIII.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri CXXXIX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

BELLUM contra Tranſrhenanas gentes à Druſo geſtum refertur: In quo inter primores pugnaverunt Senectius & Anectius, tribuni civitatis Nerviorum. Dalmatas & Pannonios Nero frater Druſi ſubegit. Pax cum Parthis facta eſt: ſignis à Rege eorum, quæ ſub Craſſo, & poſtea ſub Antonio captæ erant, redditis.

QUANTÆ molis per hoc tempus Germanica bella fuerint, vel hinc intelligi poteſt, quod per ea plerumque Cæſar Auguſtus Lugduni morabatur, ne Druſi quidem magni profectò Imperatoris fortunæ conſiliiſque ſatis confiſus. Ille tum reſumpta adverſus Tranſrhenanas gentes expeditione, majus prope bellum, quam nuper confecerat, invenit. Nam & Catti, ſpreto quem Romanus aſſignaverat agro, Sicambris cæteriſque populi Romani hoſtibus ſe conjunxerant. At Druſus univerſum bellum acriter complexus quoſdam populos vi coëgit ad obſequium, alios multis illatis detrimentis repreſſit; Gallorum etiam ingentibus auxiliis uſus, quorum Senectius & Anectius tribuni Nerviorum ante prima ſigna memorabile certamen ediderunt. Ad cæterarum gentium coercendam rebellionem Tiberium occurrere Cæſar juſſit, quem & ipſum Aquilejam progreſſus, ſecum adduxerat; ne longius abeſſet Germanicis ac Pannonicis bellis. Per Iſtrum glacie concretum, ad populanda proxima ripæ excurrere, Dacis in conſuetudinem venerat. Dalmatæ propter exacta tributa irati obſequium exuerant.

Germanicorum bellorum moles. Joſeph. Antiq. Judaic. 16. 7. Suet. Aug. 20. 3 Florus. 4. 12. 18

II. Pannonii nuper ab Tiberio domiti, præter inſitam genti ferociam diſceſſu ejus & majoris partis copiarum, ac vicinarum nationum defectionibus turbabantur. Idcirco Tiberius omnibus ſimul illato bello, & ad exorientes ubique motus, arma circumferens, Dacos cæſis cum duce copiis repulit; Pannonios ac Dalmatas ad priorem tributorum imperiorumque patientiam revocavit. Adnotatum eſt, Tiberium, quum deleto cruentiſſima cæde Pannonum exercitu arma more belli cremanda poſceſcerentur, abjici in profluentem juſſiſſe, quo conſpecta ab hoſtibus infra colentibus, pertinaciam ſpectaculi horrore & ſimilium metu frangerent. Ob hæc geſta, eidem, quos fratri diximus decretos, honores tributi ſunt. Dalmatia, quæ prius inter populi provincias cenſebatur, quod propter ingenium gentis & vicinorum, ſine exercitu tuto haberi nequibat, ad curam Cæſaris translata eſt.

Dalmatas & & vicinos Tiberius ſubigit. Suet. Aug. 21. Oroſ. 6. 21. Flor. 4. 12. 8.

Prodigia Druſi mortem præcedentia.

Druſo, T. Quinctio Criſpino Coſſ.

Urb. cond. an 749. Herodis & Auguſti mutua benevolentia. Joſeph. Ant. Judaic. 16. 9.

III. Hæc Julo Antonio, Q. Fabio Maximo Conſulibus acta. & Herodes, qui liberos ſuos accuſatum venerat Aquilejam, reconciliata per Auguſtum inter eos gratia honorifice dimiſſus: mutuaque cum eo benevolentia, & adverſus eximios ejus honores, digna Principe Romano magnificentia certatum. Sub idem enim forte tempus Cæſaream, in honorem Auguſti ſic appellatam urbem, Herodes perfecerat, ejuſque encænia ſumptuoſiſſimis ludis, quos in ejuſdem honorem per quinquennia volebat repeti, celebrabat. Eum omnem ſumptum à ſe præberi voluit Cæſar: ſed & uxor ejus Livia miſit eximia dona, ita ut omnium pretium talentis circiter quingentis æſtimaretur.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CXL. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

BELLUM, adverſus Germanorum trans Rhenum civitates geſtum à Druſo, refertur: Ipſe à fractura, equo ſuper crus ejus collapſo, triceſimo die, quam id acciderat, mortuus eſt: Corpus à Nerone fratre, qui nuncio valetudinis evocatus raptim accurrerat, Romam pervectum, & in C. Julii tumulo conditum. Laudatus eſt à Cæſare Auguſto vitrico; & ſupremis ejus plures honores additi.

Prodigia Druſi mortem præcedentia. Urb. cond. an. 749. Flor. 4. 12, 24. Oroſius. 6. 21. Dio.

EXTREMUS hinc Druſo vitæ annus, ſed idem honore & gloria præcipuus ſequitur. Nam & Conſulatum collega Tit. Quintio T. F. Criſpino geſſit: & egregias de Germanis victorias reportavit. Fatum ei prodigiis præmunciatum antiqua ſuperſtitio credidit; quod turbinibus & fulmine concuſſa pleraque fuerant, in quibus & multæ deorum ædes, ut ne Capitolino quidem Jovi, conſortiumque deorum cellis parceretur. Quo terrore nil tardatus juvenis, in Transrhenanas civitates iterum inducto exercitu, per Cattos ad Suevorum uſque fines magno labore iter aperuit: haud incruenta victoria ſuperatis qui occurrerant.

Is interim Cheruſcoſque & Sicambros debellat. Florus. Tacit. 1. 61. Oroſius. Suetou.

II. Inde tres ſimul validiſſimas nationes Cheruſcos, Suevoſque & Sicambros adortus nimiam hoſtium fiduciam calamitoſam ipſis atque lachrymabilem effecit. Nam illi centurionibus viginti barbaro more mactatis ad aras, concrematiſque, tam certam victoriæ ſpem conceperant, ut diviſa in antecceſſum præda Cheruſci equos, Suevi aurum & argentum, Sicambri captivos ſibi de-

ſponderent. Sed ipſi magnâ pugna victi ſeque, & ſuâ cum uxoribus liberiſque perdiderunt, qui more Germano ſequuti ſuos in prœlium exeuntes fuerant. Res fœda dictu, ſed ad demonſtrandam illarum gentium incredibilem feritatem efficax traditur; mulieres eorum, quum ad plauſtra ſua victores veniſſent, deficientibus telis, infantes liberos humi collisos in adverſa hoſtium ora miſiſſe.

III. At Druſus cedentes in penitiorâ gnaviter inſequutus, inter Viſurgim & Albim omnia populabatur; Albim quoque tranſiturus, ni res eum mira quædam & minax oblata deterruiſſet. Barbaræ mulieris humana amplior ſpecies obviam facta, *tendere eum ultra* Latinis verbis prohibuit: *hunc enim & operum ejus & vitæ terminum fata ſtatuiſſe*. Nec aliter evenit. continuo regreſſus, priuſquam Rhenum attingeret, inter hunc & Salam fluvios, in æſtivis, quæ *Scelerata* inde vocata ſunt, mortem obiit. *quo tempore & lupos circa caſtra vagos ululaſſe* tradunt, *& juvenes duos per media munimenta equitare viſos: muliebrem etiam ejulatum auditum & ſpeciem in cœlo tranſcurrentium ſtellarum apparuiſſe*. A ſpectro quodam mors ei denunciatur. Dio. Sueton. Strab. lib. 7. Pedo.

IV. De genere mortis haud ſimilia traduntur. *Ex lapſu equi crus fregiſſe* quidam ſcribunt: *inde triceſimam ante diem deceſſiſſe. Morbo ſolutum* alii narrant, qualis ille fuerit, aut unde profectus, reticentes. Nec defuerunt qui ſcelus vitrici ſuſpicarentur: quod mira comitate juvenis, ſi reperiſſet occaſionem redditurum populo Rempublicam non diſſimulabat. ferebantque *proditam ejus epiſtolam ab fratre, quem de cogendo ad libertatem reſtituendam Auguſto ſollicitarat. Revocatum igitur è provincia, at quia contatus erat decedere, veneno occupatum* putarunt. Sed ego rem tantam, quum neque credere ſatis neque refellere poſſim, in medio relinquam; cætera, quæ certioribus teſtimoniis nituntur, traditurus. De genere mortis ejus diverſæ opiniones. Liv. Epitom. Dio. Tacit. a. 33. & 41. Suet. Tib. 50. 1. & Claudio.

V. Ad famam ægrotantis Druſi Auguſtus cum Livia, quâm alio quin itinerum ſuorum comitem habere conſueverat, Ticinum procurrerat. Eodem forte Tiberius ex recenti victoria redux ad ſalutandos parentes acceſſit. Ergo cognita fratris valetudine, juſſu Auguſti & ſua pietate, ſive ne in hoſtili ſolo ſine duce exercitus eſſet; rapidiſſimo curſu, & incredibili celeritate, ni certis auctoribus traderetur, advolavit. *Quum enim tranſeunda Alpes, tranſeundum Rheni flumen eſſet, die ac nocte, mutatis ſubinde jumentis ducenta paſſuum millia, per devictas modo feras nationes, uno tantum comite, confeciſſe* fertur. Tiberius incredibili celeritate uſus. Dio. Tacit. 3. 34 9. Val. Maxim. 5. 5. 3. Plin. 7. 20.

VI. Certe ſpirantem adhuc fratrem reperit: iſque adventu illius cognito, legiones extremo jam imperio obviam procedere cum ſignis & aquilis comptis & ſalutare Imperatorem juſſit: prætoriumque ei dextra parte ſtatui. Nec multo poſt exſtinctus eſt, inter ſuprema fratris oſcula. Corpus invito prope exercitu, qui cremari in armis inter quæ ceciderat, voluiſſet, à Tiberio primum per centuriones & tribunos militum ad hyberna deportatum eſt. Inde municipiorum coloniarumque primores exceperunt, ſuſcipientibus ſcribarum decuriis, & effuſa per officium multitudine, rogiſque accenſis. Sic Romam perlatum, pedibus antecedente Tiberio, nec uſquam ab eo, poſtquam Ticinum advenerat, diſcedentibus vitrico & matre Livia. Spirantem adhuc reperit. Val. Maxim. Dio.

Funus Druſi. Pedo. Tacit. 3. 2.2. Liv. Epitom.

VII. Lictores quoque verſis ut in luctu faſcibus ſequebantur. Tum in foro circumfuſis Claudiorum Liviorumque imaginibus propoſitum defletumque funus: Tiberius defunctum laudavit pro Roſtris, Auguſtus, nec ſine lachrymis, in Circo Flaminio: quod neſcio quam ob ſuperſtitionem ingredi pomærium fas non eſſe rebatur. Ea in laudatione precatus dicitur deos, *ſimiles Druſo Cæſares ſuos facerent; ſibique tam honeſtum quandoque exitum darent; quam illi dediſſent.* Cadaver Equitum Romanorum illuſtrium humeris in Campum perlatum, ibique concrematum eſt: cineres in Auguſti conditorium illati.

Livia filii mortem fert fortiter. Liv. Epitom. Florus. Sueton. Dio.

VIII. Fortior in hujus obitu Livia fuit, quam in Marcello nuper Octaviæ fuerat. ſive quod adhuc alter filiorum ſupererat, ſive aliis cauſſis. *Profuiſſe ſibi ſapientia Arei monita* dicebat, *ne nimio luctu mergeretur.* Honores deinde eumulatim memoriæ ejus additi. nec per adulationem magis, quàm jure merito. *Germanici* cognomen ipſi poſteriſque. ſtatuæ, arcus marmoreus eum trophæis via Appia, & ad ipſum Rhenum honorarius tumulus Maguntiaci, adhuc veſtigiis ejus monumenti durantibus. Eum exercitus excitavit; decretumque, *ut circa eum deinceps ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice ſupplicarent.* Auguſtus elogium ejus tumulo verſibus à ſe compoſitis inſculpſit, vitæque memoriam proſa oratione conſecravit.

Druſi virtutes. Vell 2. 97 2. Sueton. Florus 4. 12. 29

IX. Nec dubitari poteſt, omnibus dignum honoribus humanis fuiſſe, ac neſcio an quiſquam poſtea Romanorum Druſo comparari debeat, præter Germanicum, qui huic patri ſuo virtutibus & gloria, ſed & fortunæ fatique ſimilitudine proximus fuit. Ad bellica & civilia negotia pariter promptus, ſuavis omnibus, ſibi amicos æquans benevola æſtimatione, quantum ipſe erat opibus ſuperior, corporis etiam inſigni decore, & commendante omnia flore ætatis. quippe triceſimum agens annum interiit. Manu quoque ſtrenuus, qui ſæpe maximo cum diſcrimine Germanorum duces tota acies ſequeretur, opima referendi avidus. Nec adipiſci tantum victoriam, ſed & firmare conſilio idoneus, in tutelam provinciarum præſidia paſſim diſpoſuit, fluviorum maxime opportunitatem ſequutus.

Ejus opera. Tacit. 4. 5. Florus. Euſeb. num. 2060. Vellejus. 2. Dio.

X. Præcipue Rhenum, communi in Gallos Germanoſque tutela, quinquaginta circiter caſtellis communivit. ex quibus enatas eſſe pleraſque omnes civitates ſatis conſtat, quarum ſplendore hodie Gallica ripa inſigniter illuſtratur. Pontes in eodem amne duos ædificavit, ad Bonnam & Maguntiacum, ut expeditus in Germaniam trajectus eſſet: Hercynium ſaltum inacceſſum ad id tempus, frequentibus victoriis percurrens, patefecit. Ejus denique reverentia non pacatæ modo gentes, ſed etiam hoſtiles ferocius agere deſierunt: per totum adeo morbi tempus velut tacitis indueiis quietæ. Juſtis Druſo redditis ad publica munia reditum; voluptateſque reſumptæ. Tiberio decretam ex Dalmatico viciniſque bellis ovationem diximus. hanc ille tanto peregit magnificentius, quod apparatus etiam Druſi cauſſa facti, poſt mortem hujus in unum omnes ceſſerant.

XI. Equo invectus, ſtratis in Capitolio & per alias Urbis partes menſis, epulum

epulum populo præbuit: mulieribus etiam à Livia ac Julia epulum datum. Liviæ mox in solatium amissi Drusi statuæ decretæ, cum jure trium liberorum. & ab hoc exemplo cœpta consuetudo jus istud priscis temporibus ab Senatu; mox ab Imperatore petendi: quorum indulgentia quibus natura tot liberos non concesserat, pœnam orborum vitabant, & præmia multos liberos habentium, præter pauca, consequebantur. Sub idem tempus Herodes Cæsareæ templum Augusti & Romæ dedicavit, cum magnificentissimis utriusque simulachris: Turrim etiam pulcherrimam, in portu positam, memoriæ Drusi caussa nominavit *Drusionem*. Nec unius Herodis hæc adulatio fuit. alii quoque Reges Cæsareas urbes condiderunt. Artavasdes in Armenia; & Juba in Mauritania. Tiberii Oratio. Joseph. de bel. Judaic. l. 1. 6. Suet. Aug. 60. 2

XII. *Hoc tempore* ferunt *ab Augusto constitutum, ne Senatus legitimus plus quam bis quot mensibus haberetur, Kalendis & Idib. ut tamen Idus Martiæ, propter necem Cæsaris pro damnatis & atris exciperentur*. Numerum Senatorum intra quem Senatusconsulta fieri non possent, pro modo negotiorum finiit. multas sine justa caussa absentium intendit. & quia sæpe multitudo delinquentium impunitatem hujusmodi culpis pepererat; quoties hoc contigisset, quintum quemque sorte ductum mulctari voluit. Utque promptius absentium ratio iniretur; album, in quo Senatoria semper adnotata erant nomina, publice proposuit. Quod si forte ad numerum Senatores non fuissent, auctoritas perscribebatur. quod idem obtinebat, quoties loco aut tempore alieno, aut alias non legitimo edicto Patres celeriter essent evocati: aut quum Tribunus plebis intercessisset. Constitutiones Augusti circa senatu. Plin. 6. 3. Eutropias. lib 7. Dio. Suet. Aug. 3. 4

XIII. Hæc auctoritas deinde secundum leges moresque alio Senatu confirmata, nomen vimque Senatusconsulti accipiebat. Prætoribus inter hæc quærentibus, *deteriore se loco esse, quam minorem magistratum Tribunos*; Augustus decrevit, *uti Prætoribus jus esset dicendæ in Senatu sententiæ*. Hæc & alia non tamquam imperans & cogens constituebat; sed in tabulis præscripta legi sinebat ab ingredientibus Curiam. potestate facta monendi si quid melius invenissent. Nec in Senatu tantum & adversus nobiles modestus, ne clientibus quidem tristem sese aut superciliosum exhibebat. Evocatus quondam ejus Scutarius injuriarum postulatus patronum Augustum desiderabat. Is quum esset occupatior quemdam ex cohorte amicorum dedit, tum ira correptus litigator, *atqui*, inquit, *quoties tu auxilio habebas opus, ego locis omnibus adfui, meumque corpus pro tua incolumitate periculis objeci*. Prætoribus jus datum dicendæ in Senatu sententiæ. Suet Aug. 5. 6 D. 1.

XIV. Lenissimum diceres Principem, qui tantam impudentiam impunitam esse pateretur. At ille sepositis etiam negotiis, in judicium venit, caussamque hominis egit: quasi nec rogatus invercunde, & objurgatus merito foret. Sed quum Nonius Asprenas propinquitate sibi innexus caussam veneficii diceret; consuluit Senatum *quid officii sui putaret. Se enim angi ne aut destituere amicum, aut eripere nocentem crederetur*. Universis deinde adsentientibus per horas aliquot assedit in subsellii rei, sed tacitus, ne translatitia quidem laudatione data. Sic quoque non effugit accusatoris convicia. Nam Cassius Severus, amarissimæ libertatis idemque non vulgaris facundiæ, Augusti mitis lenitas in quendam Veteranum. Sueton. Dio. Tacit. 4. 21. Plin. 35. 2. 26.

& ab utroque notiſſimus, acerbiſſime queſtus eſt, *ejus adventu reum ſibi eripi, cujus una patina centum triginta convivæ interiſſent.*

Item in Caſſium ſeverum. Tacit. Dio. Vlb. cond. an. 745. Auguſtus lauream in Feretrii Jovis in. ſtit.

XV. Id quoque civili animo Cæſar tulit, ne Cenſoriæ quidem poteſtatis præſcriptione hominem ultus, quum ille poſt paulo propter maleficam vitam deferretur; in civitate vitiorum plena neceſſariam eſſe ſermonis libertatem dictitans. Circa id tempus etiam Quæſtores circa maritima Italiæ loca provincias ſortiri juſſit, Oſtiam, Ariminum, Cales. Sequente demum anno, C. Marcio C. F. C. N. Cenſorino, C. Aſinio C. F. Gallo Conſulibus, Auguſtus Urbem introiit, quod facere prius propter obitum Druſi diſtulerat. Et lauream quidem in Feretrii Jovis templum (quum in Capitolium ferri ſoleret) intulit, ſed nulla victoriam Germanicam alia lætitia celebravit: plus damni Rempublicam cepiſſe morte Druſi, quam commodi ſuperatis hoſtibus præferens.

Ambitus reprimitur: Tacit. a. 30. Dio

XVI. Conſules tamen & alia curarunt proſperis bellis decerni ſolita, & captivorum multitudinem inter ſe armis infeſtis coëgerunt concurrere. Pulcherrimum eo tempore inſtitutum excogitavit Cæſar ambitu reprimendo. Nam *& Conſules, & caterorum magiſtratuum plerique largitionibus honorem conſequuti* ferebantur. Igitur Auguſtus nec puniri claros viros cupiens, neque convictis ſuſtinens parcere, tota re diſſimulata, in poſterum à candidatis certam pecuniam pignoris loco depoſcit, quam qui largitionum factarum eſſet condemnatus, amitteret. Hoc univerſi multa laude tulerunt. non idem omnium ſenſus in eo fuit, quod vetus Senatuſconſultum, quo de ſervo in caput domini quæri vetabatur, excogitata fraude circumſcripſit; *ſi è Republica videretur, actori publico aut Cæſari mancipari* jubens.

Diverſa judicia de ſervo in caput domini vetante quæri.

XVII. Hoc alii *calliditatem* appellabant, *quæ legum verba calumniando jus dominorum iniqua & crudeli ſimulatione tolleret.* prudentiores *neceſſitatem* excuſabant, *nec aliter iri obviam inſidiis potuiſſe, quas in illum atque magiſtratus multi hac ipſa celandorum conſiliorum fiducia frequentius cupidiuſque intentaſſent.* Inter hæc quum decennium reſumptæ poſtremo Tribuniciæ poteſtatis exiſſet, *Imperium* Auguſtus *deponere* dixit, ſatis certus futurum ut recipere illud nulla interpoſita mora cogeretur. Nam & omnia firmamenta Reipublicæ ſic habebat in manu, ut prorſus non poſſent extorqueri: & Imperio ita per aliquammultos annos præfuerat, ut publice gloria, privatim opulentia populus Romanus cumularetur.

Hominis libertini opulentia. Plin. 33. 10. Vell. 2. 97. 4. Tacit. 2. 63 4. & 14 3.

XVIII. Argumento ſit hominis libertini teſtamentum, factum hiſdem Conſulibus A. D. VI. Kalend. Februar. quo C. Cæcilius Claudius Iſidorus profeſſus eſt, *quamvis multa civili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſervorum quatuor millia centum ſedecim, juga bonum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta ſeptem millia; in numerato ſeſtertium ſexcenties.* Ita Cæſar poteſtate reſumpta Tiberium ad bellum Germanicum miſit: ubi interim L. Domitius cum irato propter interitum Druſi exercitu, dolorem hunc cladibus hoſtium ulturus, Albim primus Romanorum armata manu tranſcenderat. Ab eodem aggeratus ſecundum Amiſiam trames eſt, vaſtas inter paludes: *pontes longi* appellati.

XIX. Ob hæc & talia Triumphales quidem honores Domitio decreti: cæterum Augusto posthac irritari nationes Transalbinas minime placuit. Satis negotii susceptum cum citerioribus sentiebat. Idcireo ne Tiberius quidem longius processit, quamquam ejus adventu pleræque nationes inter Albim & Rhenum habitantes, Tiberio permittente, legatos de pace miserant. Sed irritæ horum preces fuere; negantes susceptorum Augusto, *nisi & Sicambri rogarent: iidemque in satisfaciendo cæteris essent comites, quibus belli suscipiendi auctores extitissent.* Hoc quum in Germania pererebuisset, sociorum rogatu profecti ex ea gente multi principum, postquam Augusti jussu per municipia in custodias mittebantur, sibi manus intulerunt. Augustus nationes Transalbinas mittit. Strab. lib. 7. Dio.

XX. Pace infecta Tiberius nulla re majori gesta, ex Germania discessit. Hostes haud multo post accepras clades Romanis ubere vindicta regesserunt. Tiberio tamen, quod sine detrimento magnam Germaniæ partem peragravit, *Imperatoris* cognomentum Augustus addidit; sibique tum etiam recepit: militibus quoque distributa pecunia, non victoriæ causa, quæ nulla insignis parta fuerat; sed propter tirocinium Caji, tum primum profecti in militiam. Tiberio interim alter Consulatus cum altero Triumpho decernitur. Augustus, quum & ipsi Triumphus decerneretur, natali suo solemnes Ludos maluit. Pomærium eodem anno prolatum est, quod non nisi augentibus imperium concedebatur. Tiberius Imperator appellatur. Tacit. 2. 59. 6. & 3. 47. 3. Dio. Velleius.

XXI. Etiam Pannonios hoc tempore victos ab Sex. Appulejo reperio, quum impatientia quietis post Tiberii discessum ad arma redisset. Tum & Augustum mensem de Sextili factum quidam auctores tradiderunt; qua de re tamen septimo ejus Consulatu cautum esse plebiscito adnotavimus. Forteau intermissam, ut fit, appellationem, & quasi cum antiqua luctantem, hoc anno ab omnibus usurpari, antiqua penitus exposita, placuerit. Inter hæc tam læta ac splendida rursus Augustum infirmitatis humanæ C. Mæcenatis obitus admonuit; viri inter paucos memorabilis. Nam per plurimos annos amicissimus Cæsari, dignusque tanto honore vixerat, utilibus subinde ministeriis majoris amici benevolentiæ vicem reddens. Pannonii ab Sex. Appulejo victi. Tacit. 1. 2. 3. 4. Dio.

XXII. Et publice quidem obitas partes suis plerumque locis retulimus: hic omnino commemoranda libertas est, qua sæpissime Cæsarem ea facere prohibuit, quorum postea pœnitere eum debuisset. Ac merebatur insigni lenitate prudentiaque Princeps, ut rarissimum illi fortunæ bonum posset, benevolum scandidumque monitorem. Utriusque maximum experimentum ab uno exemplo capias licet. Sedebat Augustus pro tribunali, damnaturus multos, ut omnes oculorum gestuumque & vocis notæ, quas diu ante perdidicerat Mæcenas, ei significabant. Mæcenatis libertas in admonendo Augustum.

XXIII. Igitur quum per confertam turbam pervadere ad eum nequisset, tabellam in sinum ejus misit, his inscriptam verbis, *surge Carnifex*. Surrexit ille nulla in quemquam lata tristiore sententia, tantumque abfuit ab offensa hominis probatissimi libertas, ut potius, quum illa morte Mæcenatis defecisset, serio desideraretur. Certe quum biennio post filiam suam propter adulteria relegasset, atque decedente mox ira, pudore ac pœnitentia corriperetur, In optimam partem accepit.

Mæcenatis testamentum.

sæpe exclamaſſe fertur: *Horum nihil mihi acciderit, ſi aut Agrippa aut Mæcenas viviſſent*. Virtutis autem optimique animi perſpicuum documentum in Mæcenate fuit, quod in maxima apud Principem gratia poſitus, non invidiam cæterorum, non odia perſenſit.

Mæcenatis teſtamentum. Suet. Aug. c. 66 Dio.

XXIV. Scilicet modeſtia ac comitate fortunam temperans, quum aliis ab Auguſto ſæpe ſummos honores impetraret, in Equeſtri loco conſenuit. Non mirum igitur, ſi morte hujus ingentem dolorem concepit Cæſar, etiam ex teſtamento Mæcenatis perſpecto, nihil eum ſibi propter Terentiam ſuccenſere. Paucis enim nec maximis rebus exceptis, omnia ei reliquit, ſi quid inde diſtribuere defuncti amicis vellet, illius in arbitrium conferens. Erat quippe mos Cæſari, quamquam hæreditatum minime cupido, judicia amicorum penſitare moroſius, neque dolorem aut gaudium diſſimulare, prout in teſtamentis neglectum ſe aut honoratum reperiſſet. Poſthæc Ti. Claudius Tit. F. ſecundum iniit Conſulatum, cum Cn. Calpurnio Cn. F. Piſone, cujus item alter hic Conſulatus fuiſſe à quibuſdam traditur. quod argumento eſt inter ſuperiorum annorum ſuffectos fuiſſe.

Urb. cond. an. 746. Cn. Piſo ſuffectus olim Conſul.

Tiberius Senatū extra pomœriū habet. Tacit. 2. 83. 4. Dio.

XXV. Nam ſi quis eumdem eſſe putet, qui cum Auguſto undecimum Conſule geſſit, illum patrem hujus Piſonis fuiſſe diſcat: quod ex probatiſſimis auctoribus abunde conſtat. Tum igitur Tiberius Kalend. Januariis Senatu in Octaviæ gentis ſano extra pomœrium habito, (nam triumphans initurus Urbem erat) ædem Concordiæ inſtaurandam ſibi ſumpſit, ut in eo ſuum & Druſi nomen inſcriberet. Acto deinde Triumpho, una cum matre Liviæ gentis ſacrarium dedicavit, atque ipſe Senatoribus in Capitolio, mulieribus Livia ſeorſim epulum præbuit.

Diribitorium. Suet. Aug. 30. 1

XXVI. Idem *Ti. Claudius T. F. Nero, Pontifex Conſul iterum ludos votivos pro reditu Imp. Cæſaris Divi F. Auguſti Pontificis Maximi Jovi optimo Maximo fecit*, ut hodieque baſis marmoreæ inſcriptio prodit. quamquam eo Germanicis moribus evocato C. Cæſar & Conſul Piſo pro eo fecerunt. In Germania tamen nihil ad memoriam inſigne geſtum. At Romæ Diribitorium eodem anno perfectum eſt, quod Agrippa inchoaverat: *Maximum id ædificium fuiſſe* dicitur *eorum, quæ uſquam poſita ſint ſub uno tecto: adeoque poſtquam vetuſtate collapſum tectum eſt, inſtaurari potuiſſe* negant. Sub idem tempus Agrippæ funebres ludi facti, eoque die omnes, ne filiis quidem Cæſaris exceptis, præter ipſum, in pulla veſte fuerunt. Spectatum eſt in Sæptis, tum in honorem Agrippæ, cujus ibi monumenta viſebantur: tum quia multa circa Forum ædificia arſerant. Incendii culpa in ipſos dominos conferebatur, qui ære alieno gravati futurum ſperaſſent, ut miſericordia accepti detrimenti onere levarentur. Igitur nemini ſuccurſum.

Partes urbis, & earum præfecti. Liv. 34. 7. 2. Dio.

XXVII. Adverſus incendia ſpatium Urbis in regiones quatuordecim, & has iterum in vicos diviſit. Regionibus præeſſe magiſtratus annuos, Prætores, Tribunos plebis & Ædiles ſortito juſſit. Vicorum magiſtris, qui antiquitus de plebe conſtituebantur, præter prætextam, quæ & olim concedebatur, binos lictores addidit, quibus in ſuo quiſque ſpatio certiſque diebus uterentur. Ab his familia publica circa portas & muros diſpoſita ubi neceſſum eſſet excitabatur.

donec poſt aliquot annos Præfecto Vigilum conſtituto, diligentius etiam ab Auguſto proviſum eſt. Adoleſcebant interim Cajus & Lucius Cæſares pari voluptate ac ſolicitudine Principis, qui munimenta domus corroborari lætabatur; inſolentiam puerorum ſuſpectabat, quippe gnari quam ad fortunam educarentur, mores avitos haud curabant uſquequaque æmulari.

XXVIII. Lucius utique vix undecim natus annos, quum in Theatro plauſu & acclamationibus populi exceptus magnos ſpiritus ſumpſiſſet, eo progreſſus eſt temeritatis, ut Cajo fratri, eo quoque adhuc prætextato, petere Conſulatum auderet. Tum vero non premens iram Cæſar, *abſit*, inquit, *à Republica, qualis meis temporibus evenit calamitas, ut quemquam annis viginti minorem Conſulem fieri oporteat!* Sic etiam inſiſtentibus, *tum ſatis mature magiſtratum eum capturum* reſpondit, *ubi & ſemet cohiberet à peccando, & populi compeſcere cupiditates didiciſſet*. Interim ut indulgentia præferoces animos retineret, ſacerdotium Cajo dedit, & deſignari Conſulem paſſus eſt, ut poſt quinquennium, anno ætatis viceſimo magiſtratum iniret.

L. Cæſaris Agrippæ filii temeritas. Tacit. 1. 3. Suet. Aug. c. 64

XXIX. Interim ex ea die deductus in Forum, ut intereſſet conſiliis publicis, locoque Senatorio ſpectaret & epularetur. Hæc honoris Auguſti cauſſa Senatuſconſulto decreta. Equites autem Romani univerſi *Principem juventutis* Cajum haſtis argenteis donatum appellaverunt. Hæc ajunt Auguſtum vix admiſiſſe, quum intime gauderet factis: ne ſpeciem civilis animi amitteret. Eodem anno, tum enim D. Lælius D. F. Balbus, C. Antiſtius C. F. Vetus Conſules erant, Tiberio Tribuniciam poteſtatem Cæſar in quinquennium dedit: Armeniamque deficientem ei demandavit. At ille inter tot proſpera, incertum quibus cauſſis, repente ſtatuit è medio ſe quam longiſſime abducere, nec enim ſtudiorum cauſſa Rhodi ſeceſſum petiſſe crediderim, quamquam id prætuliſſe traditum.

C. Cæſar in Forum deductus. Velleï. 2. 93. 2. Dio. Tacit. Suet. Tib. c. 9.

Urb. cond. an. 747.

XXX. Veriorem fuiſſe ſtimulum ex intemperantia uxoris putant, quam neque repudiare auderet, neque perferre ultra poſſet. Certe reliquit eam Romæ, ſed cum filio quem ſibi Vipſania pepererat. Quidam exiſtimant, & ipſe ſic videri, ſed poſtea, voluit, Agrippæ exemplo qui Marcello eeſſerat, abire voluiſſe, ne præſtantia ſua & rerum geſtarum gloria obſtare adoleſcentibus Auguſti liberis videretur. Et quemadmodum in diſſidiis principalium domuum, omnes in partes aliquorum velox ſuſpicio eſt; non deerant, qui offenſum judicarent, quod ipſe ab Auguſto non eſſet adoptatus. Contra alii ab illo ejectum ſibi perſuadebant, ut liberorum ejus inſidiatorem. Minus abſurda opinio eſt, vitato aſſiduitatis tædio, auctoritatem abſentia tueri voluiſſe, atque etiam augere, ſi, quod futurum rebatur, ad ſubeunda Reipublicæ onera, quibus nemo præterea par eſſet, revocaretur.

Tiberius ſtatuit è medio ſe abducere. Sueton. Dio. Velleius.

XXXI. Ipſe nihil horum, ſed honorum laborumque parem ſatietatem, & quietis deſiderium obtendit. Quæcumque cauſſa tam pertinaciter certe propoſitum urſit, ut neque matris precibus, nec querelis Auguſti moveretur, cui contumelioſus hic ſeceſſus futurus erat: ciboque, poſtquam ſe detineri videbat, quatriduo abſtineret. Rhodus ei revertenti prius ex Armenia ſalubritatis & amœnitatis nomine maxime placuerat. Huc igitur concedens, modicis ædibus diu

Plin. 7. 49. Sueton.

ingentes virtutes, nec minora vitia abdidit; reliquo etiam cultu, officiorumque cum Græcis pariatione privato similior.

Livianæ Historiæ & Supplementorum finis.

XXXII. Cæterum præsenti labori meo in his temporibus actisque finem facio, circa quæ Livianam etiam historiam defisse indicio Epitomarum deprehenditur; toto animo versus in majoris & constantioris Imperii auctorem dominumque JESUM CHRISTUM, quem sub hosce annos (de natali enim ejus haud levibus argumentis inter doctos disputatur) hominem natum suus adspexit potius quam adgnovit orbis. Hujus beneficio si quid utiliter elaboravi, debere me, totum profiteor: eumque supplici ter oro, ut porro mentem eam mihi servet omnia de quibus hic scripsi Regna, victorias, Triumphos, nullo modo digna reputantem, obque illius sanctissima secta, aut quidquid ea facere, ac pati jubet, ulla ex parte negligatur.

FINIS LIBRI CXL.

INDEX
in T. LIVII
Hiſtoriarum & Supplementorum libros locupletiſſimus.

Numeri priores, commate ſtipati, libros indicant Livianos; poſteriores vel ſoli, vel punctis notati, librorum capita.

A.

Abaeninl 16, 16
Abaci primum Romam advecti 39, 6
Abba urbs 30, 7
Abbaſius, oppidum 38, 15.
Abdera, oppidum 45, 29.
Abderitæ queruntur apud Senatum de crudelitate Hortenſii, & reſtituuntur in libertatem 43, 6
Abderitarum ager 38, 41
Abgarus, Edeſſæ princeps, conſilia adverſus Craſſum ſociat cum Parthis 106, 21, ſimulata amicitia prodit Craſſum 34. proficiſcitur ad Parthos 37 eoſque juvat 48
Abiegnæ naves. *vide* Navis.
Abolex obſides Hiſpanorum Sagunti tradere Romanis aggreditur 22, 22
Aborigines junguntur fœdere Trojanis 1, 1 Petuntur bello, ducemque Latinum amittunt 1
Abrupolis regno expellitur a Perſeo 42, 13. 40.
Abſalomus, Ariſtobuli ſocer, ſecuri percutitur à Pompeio 102, 67
C. Aburius, Legatus ad Maſiniſſam 42, 35.
M. Aburius, Tribunus plebis, ſe opponit M. Fulvio triumphum petenti 39, 4 Prætor 41, 18.
Abydeni non admittunt Legatos Philippi 31, 16 in rabiem verſi ſe occidunt 17. 18
Abydus Helleſponti urbs 31, 14. & 32, 33 oppugnata à Philippo *ibid.* & 31, 16
eique dedita 17 oppugnatur, & relinquitur à Romanis 37, 12.
Academia, Gymnaſium Athenis 31, 24.
Acanthus urbs vi capitur ac diripitur 31, 45
Acarnanes direpti ab Ætolis 26, 24. Philippum adverſus eos arceſſunt 25.
ob duos juvenes, religionis imprudentes, ab Athenienſib. interfectos, Articam depopulantur 31, 14
reſpuunt ſocietatem Rom. 33, 16 in deditionem pop. Rom. veniunt 17.
ab Romanis averſi 36, 11 eorum Concilio Leucas eximitur 45, 31
Acarnania 26, 24. 36, 11 ejus ſitus 33, 17.
Acarnanum portus 28, 7
Accenſi milites 8, 8 *vid.* Acies.
Accius Navius, augur, cotem novacula diſcidit 1, 36
L. Accius, Poëta 59, 28.
P. Accius Varus, poſt brevem pugnam cum Cæſaris militibus, deſeritur à ſuis 109, 55.
